MANIOC.org
Bibliothèque municipale de Bordeaux

S. 2219/2

Se
1054

MANIOC.org
Bibliothèque municipale de Bordeaux

MANIOC.org
Bibliothèque municipale de Bordeaux

NOVA

PLANTARVM, ANIMALIVM ET MINERALIVM MEXICANORVM

2460

HISTORIA

A FRANCISCO HERNANDEZ MEDICO
In Indijs præstantissimo primum compilata,

DEIN A NARDO ANTONIO RECCHO IN VOLVMEN DIGESTA,

A IO. TERENTIO, IO. FABRO, ET FABIO COLVMNA LYNCEIS
Notis, & additionibus longe doctissimis illustrata.

Cui demum accessere

ALIQVOT EX PRINCIPIS FEDERICI CÆSII FRONTISPICIIS
Theatri Naturalis Phytosophicæ Tabulæ

Vna cum quamplurimis Iconibus, ad octingentas, quibus singula contemplanda graphice exhibentur.

ROMAE MDCLI.
Sumptibus Blasij Deuersini, & Zanobij Masotti Bibliopolarum.
Typis Vitalis Mascardi. Superiorum permissu.

MANIOC.org
Bibliothèque municipale de Bordeaux

NOVA

PLANTARVM, ANIMALIVM

ET MINERALIVM MEXICANORVM

HISTORIA.

A L I O R V M

NOVAE HISPANIAE ANIMALIVM

NARDI ANTONII RECCHI

IMAGINES ET NOMINA:

IOANNIS FABRI LYNCEI

BAMBERGENSIS

Philosophi, Medici, publici Professoris Romani,

& Summo Pontifici ab herbarijs studijs

EXPOSITIONE.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE BORDEAUX

AD

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Principem

FRANCISCVM CARD. BARBERINVM

DE

LYNCEORVM

ERGA IPSVM STVDIO

ET

MEXICANIS IO. FABRI COMMENTARIIS

EPIGRAMMA.

PVRPVREI columen Cœtus, ſacrique Senatus
Gloria, & Heſperij lucida gemma ſoli.
Ingentem iuxta PATRVVM quẽ celſa Quirini
Mœnia, & in gemina ſol colit ipſe domo:
Accipe LYNCIGERI donum immortale LYCAEI
LYNCEVS æterna quod ſtruit arte FABER.
MEXICEIS allata locis miracula rerum,
CAESIADAE auguſtis nata ſub auſpicijs:
Vt TVA quæ noſtro virtus ſpatioſior orbe,
Orbis non noſtri munera rara ferat.

Ponebat I. Riquius Belga.

ILL.^MO ET REVER.^MO PRINCPI

FRANCISCO BARBERINO, VRBANI VIII. PP. EX FRATRE NEPOTI S. R. E. CARDINALI.

HOSCE

DE ANIMALIBVS MEXICANIS COMMENTARIOS

IOANNES FABER LYNCEVS BAMBERGENSIS EIDEM PONT. AB HERBARIIS STVDIIS

ET

IN VRBE MEDICINAE PROFESSOR

ÆTERNVM CVLTVS SVI MONVMENTVM

D. D. D.

QVOTIESCVNQVE ad amœna Diogenis Laertij vireta, & Sapientiæ consita floribus prata, illas inquam philosophorum vitas animi gratia diuerto; admirabundus, Amplissime Cardinalis, *planèq. obstupescens hæreo, & ita mecum contemplari ac colloqui soleo. Et quid rei est, Deus immortalis, inter tot felicium conceptus animorum, tot inter vasta philosophorum volumina, inter tot tantosq. præclarorum ingeniorum fœtus partusque, nullam prorsus similitudinem, nullam penitus membrorum proportionem, conformitatem nullam apparere, sed omnium horum scripta inter se dissona, dogmata discrepantia, absona & sibi inuicem repugnantia dispariaq. reperiri?*

Atqui hìc de Barbarica multiplici philosophantium secta exordium sumam, quam per contemptum Græci isto nomine appellarunt, qui tamen ab hac quicquid boni habent, Plato præsertim, Pythagoras, & Democritus difficillimis quidem, sed quæstuosis sibi tamen maximè ad hos discendi gratia itineribus profecti, veluti à matris suæ vberibus suxerunt: in qua floruisse nouimus Atlanticos Africæ philosophos, Aethiopum Sophos, Aegyptiorum Sacerdotes, Indorum Gymnosophistas & Brachmanes, Persarum Magos, Chaldæos, Scythas, Hispanos & Gallorum Druidas: Quos magni omnes nomi-

nis philoſophos extitiſſe D. Auguſtinus præ ceteris, & Clemens Alexandrinus atteſtantur, & ipſe etiam in ſuo prœmio Diogenes Laertius inuitè quamuis hoc fatetur, qui inconſideratè an maleuolè magis, non facilè dixerim, hæc ibi habet: Philoſophiæ munus quidam à Barbaris principium habuiſſe aiunt: ſed non vident ſe Græcorum à quibus nedum Philoſophia, ſed hominum genus initium habuit, rectè inuenta ad Barbaros transferre. *Vt inquam, de his omnibus ſibi non vſque adeo conuenientibus nihil dicam: Viguit profectò* Italica *in Magna illa Græcia, à* Pythagora, *qui primus non Sophum aut ſapientem, ſed Philoſophum potius & ſapientiæ ſtudioſum amantemq. appellari ſe maluit, olim inſtituta celeberrima & à Barbarorum diuerſa diſciplinà.*

Hanc Græcanica *in ordine tertia excipit ſecta, non parum & ipſa à prioribus diuerſa, quin & hæc ipſa Græcanica in* Poeticam *rurſus*, Ionicam & Eleaticam *fuit diſcriminata. Poeticam Muſæus, Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, non eiuſdem etiam hi omnes ſententiæ excoluerunt. In reliquis duabus reperire licet Platonicos, Peripateticos, Stoicos, Cynicos, Epicureos, & ſi Varronem apud D. Auguſtinum audimus, ad ducentas & octuaginta octo ſectas peruenire poterãt, non quæ tunc omnes eſſent, ſed quæ eſſe facilè potuiſſent. Et quod mirum amplius cuipiam videatur, tam variæ hominum ſententiæ, tam diſcrepantes philoſophantium turbæ, ad tres adeò claſſes vniuerſæ reducebantur:* Dogmaticam, Academicam & Scepticam, *à quibus tanquam à primordiorum ſcaturiginibus & philoſophicarum aquarum fontibus, innumerabiles ſcientiarum (ſed quid ego dico ſcientiarum? ignorantiarum potius aiam) riuuli profluxerunt.*

Dogmatici *certa quædam admittebant decreta, annuebant & abnuebant.* Academici *incerta omnia ſtatuebant, probabilia tantùm quædam concedebant.* Sceptici *& illa ipſa probabilia tollebant, nihil definientes, atque hoc ipſum quidem nihil definiri, non permittebant.*

O vanas hominum mentes, ò pectora cæca!

Vt mirandum iam minimè ſit quòd Plato in Theæteto *ſuo, hoc eſt doctiſſimo de ſcientia Dialogo, vel Socrates ibi potius Scientiæ definitionem à Theæteto anxiè quærat, & longis vix tandem interrogationibus,* Obſtetricis *animorum munere fungens partum hunc mentis extorquendo, acquirat. Cum modò ſcientiam grauiſſimorum teſtimonio philoſophorum Theætetus vtens, nihil aliud quàm merum ſenſum, modò opinionem, modò hoc modò illud eſſe aſſerat, quæ omnia à Socrate, probabiliſſima licet, refutantur tamen, vt humano ſimul generi ob oculos ponatur, quàm obſcurè illa ſcientiæ ſcintillæ quæ poſt* Adami *nobis lapſum remanſit, nunc luceat, & quàm alta ignorantiæ caligine & denſo errorum cinere ſepeliatur.*

Verùm cum ego in tam variantibus philoſophantium ſectis, per inextricabilem opinionum labyrinthum oberrando admirabundus magis, magisque harum cauſas & exeundi ſimul viam indagarem; ecce tibi, obuius mihi Socrates, qui apud eundem Platonem in laudato iam Dialogo, mea leniter apprehenſa manu, bono ſis animo inquit, amice; eò te ducam, quò abire deſideras. Et ſanè admirationis meæ, ſectarumque diuerſiſſimarum quæ inter tot philoſophos natæ fuerant, ipſiſſimam Admirationem, *& præter hanc aliam nullam cauſam extitiſſe, certiſſimò mihi aſſeuerauit.*

Cum enim ibidem plurima Theætetus inter disputandum cum Socrate, non intelligeret, diceretq.: Per Deos ò Socrates magnopere quid ista sint admiror, interdumq. ipsa inspiciens tenebris offundor. *Respondet Socrates:* O amice, Theodorus non malè de tuo ingenio coniectasse videtur, maximè enim philosophi hæc affectio est, quæ ADMIRATIO dicitur, neque enim aliud præter hoc est philosophiæ Principium.

Admiratio *igitur* Illustris. Cardinalis, *tot nobis philosophorum familias sectasque genuit. Qui enim admiratur dubitat, qui dubitat quærit, qui quærit ignorat, qui ignorat scire cupit: hinc animus cupidine flagrat, rerũ causas indagat, & fortè fortuna earundem quò sensibus, quà ratione vtens, vnam atque alteram in spissa hac Naturæ miraculorũ silua venatur, atque hoc modo Sapientiæ amans iure merito &* philosophus *appellatur.*

Et mirabimur adhuc vllam orbis partem esse, in qua philosophi reperti non fuerint? Cum nullum mundi angulum assignare liceat, in quo non plurimæ Admirationis *adeoq; philosophici principij causæ prægnantissimæ oculis sese nostris ingerunt, & vel lumine captis palpandas manibus se ipsas obtrudunt & exhibent. Cœlum ingentem illam machinam in qua tot stellarum collucentium oculi nitent, & in qua sedem habet quidquid est Diuinum, minus quidem admiramur quia quotidie intuemur, quod & Lucretius nouit:*

— Nemo fessus, *inquit*, satietate videndi,
Suspicere in Cæli dignatur lucida templa.

Vbi tamen huic aliquid præter rerum seriem accidit, hei quam solicitè humanus tunc animus causas perscrutatur! Mirabantur, inquit Plinius, Romani cum plures aliquando Soles Lunasq. viderent, nouas subinde stellas oriri, noctem vt diem lucere aduerterent. Hic ipse Endymionem primum, ea quæ in Luna patent, deprehendisse memorat, propterea famam volasse eum Lunæ amore captum fuisse. Indignatur autem, quod summis nos perpetuisq. honoribus cælestium huiusmodi nouarumq. apparentiarum inuentores non prosequamur. Non sumus profectò, *ait*, grati erga eos, qui labore curaq. sua lucem nobis in hac luce aperuerunt.

Sed quantulum est mi Plini, quod Endymion ille tuus in Lunæ facie nouitatis obseruauit, si cum hoc beati illi Florentini *ciuem suum* GALILÆVM GALILÆVM Lynceum *comparare velint? qui non Lunæ aut Solis (quem falsò Plinius totius Mundi animam, mentem, regimen & numen credere ac venerare voluit, sic à Trismegisto forsan edoctus, qui* Sol Deus maximus, *inquit*, est eorum qui in cælo sunt, cui cedunt omnes Dij cælites velut Principi ac Regi.) *Sed tanquam Christianus* veri trini & vnius Dei *astrorum omnium Dimiurgi & Conditoris amore pellectus, tam mirabilia* TELESCOPIO *suo, vti nouo* LYNCIS *oculo in cælo primus animaduertit & seculi nostri hominibus propalauit, vt mortalium omnium ingratissimi simus, si hanc ei gloriam inuideamus, nec dignis ipsum laudibus tam diu, quàm astra ipsa durabunt, celebremus & colamus.*

Magna, noua admirandaq. ea sunt, & quæ magis magisq. Mundum hunc philosophorum iam disputationibus obnoxium, dubium reddent & perplexum. Hæc sanè sunt, quæ Galilæus *nulli ab origine Mundi ita exactè, quod equidem sciamus mortalium etiam per somnium visa, solusque primusque vidit atque æternitati consignauit.* Innumeras *nimirum alias supra iam cognitas existere* stellas fixas, *nobisque*

per tubum opticum apparere. Lunare *etiam corpus non læui & perpolita, vt creditum hactenus superficie, sed profundis asperum lacunis & ingentibus variegatum tumoribus, ceu montibus quibusdam eminere.* Solem *cælestis lucis fontem ac ducem, principem moderatoremq. luminum reliquorum, cor cæli, Aetheris oculum limpidissimum creditum,* maculis *tamen obnubilari. Nugatos veteres insigniter Astronomos de* Galaxia, *&* nebulosis stellis *fuisse, qui scilicet partes cæli crassiores dixerunt. Nam stellis innumeris confusis constare detexit Galilæus:* Cometarum *diuersum planè locum motumq. & materiam quàm hucusque ex Aristotelis & vulgarium decretis Astronomorum, credidit Mundus videri & esse: Sed, quod humanum propemodum captum superat omnem,* nouos quatuor *iuxta septem* planetas *veteres detexisse, certumque horum motum & periodum primùm demonstrasse.* Saturnum duabus *insignitum* auriculis, *ac* Venerem corniculatam *Lunæ instar aspectui nostro subiecisse.*

Felices animæ quibus hæc cognoscere primum,
Inque domos superas, scandere cura fuit!

Et dubitamus adhuc nostro etiam seculo fomitem nouis philosophiæ sectarijs, materiamque amplissimam subministrari?

Longum esset admirandas Aeris impressiones, & sublimium phœnomena euaporationum dinumerare: Pluisse nempe lacte, sanguine, carne, ferro, lana, saxisq. non Romanorum modo seculis, sed nostris etiam temporibus vt publico aliquando communicanda sua Thaumatombria, *quæ mirandarum causas euoluit & effectus pluuiarum,* Illustrissimus, Excellentissimus *idemq.* Doctissimus S. Angeli Princeps, Fridericus Cæsius Lynceus *Romanæ gloria Nobilitatis, demonstrabit.*

Nec minus hoc mirabile. Crepitus armorum & tubarum sonitus è cælo auditos fuisse. Fulgura exhausisse vinorum dolia non tactis lignis, argentum aurumq. liquasse illæsis sacculis, & ferream gladij cuspidem (mihi visum) illæso vaginæ corio, emollitam fuisse, partum exanimasse viuente matre. Ego me hercle his ipsis meis oculis vidi

(Accipe mirandum nouitate mouebere facti)

dormientem puerum, eodem prorsus oris, oculorum, cæterorumq. immobili situ locoque membrorum, in ipso celeberrimo totius Europæ Nosocomio S. Spiritus Romano, in ictu oculi à fulmine extinctum perstitisse, in quo Anatomæ postmodum subiecto, miros sulphurei fœtoris colorisq. effectus, maculas nimirum, cerebri membranis ac pulmonibus impressas summo cum stupore conspeximus.

Aquarum, Terrarumq. considerantem miracula, quem non attonitum redduut? Circumfundi Terræ vndique homines, conuersisq. inter se pedibus stare, & cunctis similem esse cæli verticem? Pendere ipsam ac non cadere nobiscum, cum in medio grauissima, aere fluctuet, nec sponte sua præcipitetur? Aquam cum centrum petat, in summis tamen montium cacuminibus, nec alio copiosiùs loco effluere? Antra subterranea reperiri, quæ plurima centena passuum millia excedant: illud præcipuè in Cæsariensi Mauritania, vbi per viginti dies se Nilus abscondit, & dissito alibi spatio erumpit? Nihil hìc dicam de suauissimis & odoratissimis insipidæ Telluris fructibus, de pretiosissimo metallorum, gemmarum, & mineralium thesauro in terræ visceribus latitante, & ad uostros continuò vsus pullulante. Nihil de tot calidissimarum aquarum & æternis ignium flammis ac ebullitionibus, vno eodemq. loco erumpentibus. Quod vel Aetnæi montes & Vulcanij Puteolani campi nos docere poterunt, etenim

hìc

hìc plurimus ignis
Semper, & assidua postes fuligine nigri.

Hoc sanè admirabile nec silentio inuoluendum, quod Plinius etiam portenti loco literis consignauit: In agro (*inquit*) Mutinensi, montes inter se duo concurrerunt, crepitu maximo assultantes, recedentesque; inter eos flamma fumoq. in cælum exeunte, interdiu, eo concursu villæ omnes elisæ: animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata occubuerunt. *Nec minus tremendum, quod ipsi etiam causarum nimis auido Plinio, mortis causa extitit Vesuuij incendium, Titi Vespasiani sub Imperio, cuius cineres non Romam tantum, sed vltra mare in Africam perlati & Aegyptum, quod celebres vicinas plures obruit vrbes, pisces in mari coxit, in aere verò volucres suffocauit.*

Nemo igitur amplius hisce cognitis, desiderabit philosophicarum controuersiarum originem ac fontem, quæ homines otiosos ac maximè negotiosos, ad contemplandum, admirandum ac philosophandum, dum Librum Naturæ Cælum nimirum Terramq. legunt, impellere potuerunt.

Verumenimuerò hæc omnia magna, noua & admiranda vt videantur, sint ac prædicentur; vix tamen vlla sunt, si ad Animalium considerationem referantur. Superiora enim illa & Astronomica, vt quæ à nostris remotissima sensibus exulant, quam certitudinem nobis philosophicam concitare poterunt? Infima autem hæc omnia, siue meteora, siue plantæ, siue mineralia fuerint, quid sumpta simul etiam esse poterunt, si cum vilissimo quoque animalculo, quod viuit, spirat ac mouetur, comparentur? Elucet profectò, si in re vlla alia, stupenda Omnipotentis Dei in Animalibus Sapientiæ, Bonitatis, & Potentiæ *mysteria & insculpta digiti Dei stigmata.*

Quod enim Bestiæ moueantur & agant id à Diuina Potentia *habent. Quod sensibus vtantur, vtilia cognoscant, vitent noxia, domicilia struant, à* Sapientia. *Quod fœtus foueant alantque, ab inimicis defendant id demum à* Bonitate *Creatoris sui immensa sortiuntur. Iam quis vnquam satis admirabitur spontaneum animalium ortum, aut naturalem eorum fœtificationem? Lusciniæ cantum artificiosissimum? Et cum* inopi metuit Formica senectæ *sagacem huius maximè prouidentiam, labores ac patientiam? Apum ingenium & nunquam satis laudandam politici regiminis imaginem, & vtilissima hominumq. meræ saluti destinata mellis opificia? vt verè in has illud Virgilij quadret:*

Diuinitus illis
Ingenium, & rerum fato prudentia maior.

NVNC ad te redeo, Illustris. Cardinalis, *& causas quæ nec paucæ, nec exiguæ sunt, quæque vt fœtum hunc tibi meum, Commentarium inquam in* Mexicani Orbis *Animalia conscriptum, iamdudum Celsitudini Tuæ debitum dicarem, me impulerunt, liberè omnibus & libenter edicam. In primis magno illi* Patruo *Tuo VRBANO VIII. deuotissimus cultor, atq; adeò iam quinque Romanis Pontificibus in obsequio viuo, eòq. beatior quòd ab hoc ipso, vt Tibi ignotum minimè est, dum adhuc* purpuratos *inter* Patres *virtutum suarum heroicarum Christiano Orbi specimina & spem de se præclaram, eius olim regendi ederet, omni semper beneuolentiæ genere & fauore affectus fuerim.*

Accedit insignis animi, erga me Tui propensio & eximia planè studia, fortunasq. iuuandi meas voluntas: incredibilis etiam quædam benignitas, qua & nunc mihi fa-

ues,

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE BORDEAUX

ues, & prius maximè me honorasti, dum ædes non modò priuatas, sed Lectiones quoque publicas meas in Rom. Athenæo *non rarò accedendo præsentia Tua condecorasti.*

Quin & de ipsorum Animalium (quorum plurima ac varia domi meæ sceleta curiosorum voluptati asseruo) plantarumq. ac naturalium rerum plurimarum, natura ac proprietatibus, ad longum sæpe mecum, quæ summa Tua fuit humanitas & discendi cupiditas, disceptasti ac disseruisti.

Et quidni Animalium Naturæ studio iucundissimo delectareris? Cum & Gentilitia insignia Tua ex animalculis illis, quæ Tuo dudum Patruo Terrarum Orbis vniuersi ceu Christi Vicario curam augurabantur, minimis quidem illis, sed maximi quid argumenti præseferentibus APIBVS *inquam, composita eluceſcant?*

Est præterea opella hæc mea Federici Cæsij *Illustrissimi & Excellentissimi* Lynceorum Principis *iussu edolata, cuius sumptibus omnis hic* liber Mexicanus *Reipub. literariæ bono communis est factus. Hunc autem quanti semper ob eruditionem & reconditam quandam Matheseos &* Veræ, *ac, vt ita dicam,* realis philosophiæ *scientiam (quæ Tibi cum ipsò communia sunt) æstimaueris, non opus hic recenseri, ne vtrumque vestrum in os laudare velle videar. Hoc silere non debeo, Tibi adeò Academicum hoc nostrum Institutum placuisse, vt pridie quàm flagrante illa Te* purpura Patruus *Tuus*

Omnis nempe suæ curæ casusque leuamen,

Vt dudum merebaris ornaret, huic Academiæ *& consessui Lynceo nostro nomen Tuum dare, & Lynceorum σφραγίδα cohonestare volueris, præsentibus eodem* Principe Cæsio, *&* Virginio Cæsarino *Lynceo pariter & Italiæ Decore, me quoque vestro immerito collega ad spectaculum & testimonium vocato.*

Addam hæc paucula & finiam: Dignissima illa mihi semper & planè aurea L. Ann. Senecæ sententia visa fuit: Generosi, *inquit,* animi & magnifici est iuuare & prodesse, qui dat beneficia DEVM imitatur, qui repetit, fœneratores. *Nec minus altera illa æternam meretur laudem ac memoriam:* non opus esse ad liberandam fidem facultatibus, sed animo: reddit enim beneficium qui libenter debet. *Fateor ego inopiam meam, soluendo nempe longè me imparem esse, & fortasse gratiam retulisse dicar, si beneficiorum à Celsitudine Tua acceptorum modò meminero. Attamen cum nihil æquè humani generis concordiam dissociet ac distrahat, quàm ingrati vitium, ausus sum Commentariolos eidem hos meos offerre, quos ex gratitudine potius nostra, quàm magnis viribus profectos iudices rogo, cum præsertim meas aliquid soleas putare nugas. Nosti etiam sacrificia non sumptu, sed pia ac recta voluntate æstimari debere: cum enim varia sint genera ingratorum, vt qui beneficium accepisse negat, qui dissimulat, qui non reddit, qui oblitus est; nolui ego in aliquo horum numero reperiri.*

Cæterùm DEVM *veneror Ampliss. Cardinalis, vt Tibi det diuturnam & felicem vitam, & vel de meis annis (quod olim vouebant optimis Principibus) aliquot Tuis adijciat, nostro & vniuersi orbis incremento: hoc etiam addens, vt veteres Clientes Tuos inter quos addictissimum me esse profiteor, fauore & amore prosequi nõ dedigneris.*

ROMAE è Musæo nostro ad Pantheon Agrippæ ipsis Calend. Ianuar. Anni solemnis MDCXXV. Sedente VRBANO VIII. Pont. Opt. Max. BARBERINO.

ALIO-

ALIORVM NOVAE HISPANIAE ANIMALIVM NARDI ANTONII RECCHI IMAGINES ET NOMINA.

IOANNIS FABRI LYNCEI BAMBERGENSIS

Philosophi, Medici, publici Professoris Romani, & Summo Pontifici ab herbarijs studijs

EXPOSITIONE.

Docetur lector quid in hoc opusculo agatur.

HIC mihi, amice Lector, antequam Alto vela committam, prosper optandus est ventus in limine statim, ne si ad scopulum aliquem forsitan appellere videar, id putes mea negligentia effectum fuisse. Non itaque sis nescius hos in animalia, quos modò commentarios edimus, mera nostra conscriptos esse industria ac coniecturà, ad quasnam animantium nostrarum species illa reduci possint, cum in Autographo præter nudum nomen & exactam picturam, de Historia ne gry quidem reperiatur. Quod quidem & in præcedentium aliquarum imaginibus plantarum vsuuenit, quas Ioannes Terrentius Lynceus *Amicus & collega meus ex Prototypo fideliter descripsit. Fuerunt igitur nostris primùm verbis animalium horum Icones graphicè delineandæ, quorum quædam nominibus suis insignita, alia ijsdem carent. Ex quorum etiam descriptione* Scholia *porrò confecimus, naturalium admiratoribus & amatoribus rerum nec inutilia vt spero, nec iniucunda. Quare quisquis hæc lecturus in manus sumis, sin minus inconditæ dictioni, anxio saltem te iuuandi studio nostro fauere digneris.*

ITZCVINTEPORZOTLI

Canis Mexicana.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ANIMAL hoc monſtroſo quodam corporis habitu, ſi probè in pictura figuram intueamur, apparet. Caput cumprimis ad reliquũ ſi corpus referas, adeò eſt paruum vt pars hæc toti ſuo mediocri vix proportione reſpondeat. Oculi feritatem nullam ſpirant, ſed mites potius ac manſueti videntur. Roſtrum quod gibbum eſt & canino ſimile, totum albicat veluti & frons ac ſupercilia. Aures cum ſubiacente verſus rictum parte fului coloris ſunt & pendulæ. Collo eſt breuiſſimo & obeſo valde, ipſique ſtatim thoraci caput annectitur. Dorſum Cameli inſtar gibboſum, poſt collum ſubito ad pectus accliue, ſed coxas verſus decliue coloris itidem fului. Cauda breuis adeò, vt primos haud crurum articulos contingat, albetq. tota; ſub qua vulua & hæc prægrandis conſpicitur. Turgentes quoque magnaſq. per ventrem vtrinq. conſpicuas mammas, quæ ſex numerantur, gerit. Pinguiſſimũ ventrem monſtrat, quẽ pellis plurimis ijſquè nigricãtibus variegata maculis & pẽdula ornat; Crura ac pedes albicant digitis caninis diuiſi, & vnguibus valde exertis proſtant.

SCHOLIA EIVSDEM.

HÆc fideliſſima eſt ſuisq. coloribus ex ipſo Autographo excerpta delineatio, qua probè perſpecta, facili quemuis aſſequi coniectura exiſtimo, hoc animal *Canem* & quidem domeſticam *Mexicanam* eſſe. Docent hoc præcipue *Caput*, *pedes* ac *mamillæ*.

Libuit

Libuit autem hunc nobis ab hoc animali Commentarium auspicari, quod *Canis* apud veteres naturæ interpretes ac gentes plerasque, ijs honorum titulis superbiat, vt cęteris facilè anteeat animantibus cunctis. Et quo maiore obsecro ipsum encomio Plato afficere potuisset, quàm quòd secundo de Repub. Dialogo saltem non Philosophum proclamauerit? Ciuitatis conseruatorem profectò & custodem Philosophum esse debere præcipit; hunc autem ad Canis ingenium efformat, & docilitate quidem, ferocitate, notitia, velocitate & amore qui in Cane elucent effectus, præditum esse æquum censet. *In hac sanè*, inquit, *bestia hoc admiratione dignum est, quem enim ignotum viderit grauiter fert, etsi nihil mali ab ipso sit perpessus: noto autem blanditur, quamuis nihil boni ab ipso susceperit. At enim videtur hic naturæ ipsius effectus ingenuus ac verè philosophus esse.* Atque hinc minus certè mirari subit, veteres *Cyrum* Regem maximum Canino lacte enutritum effinxisse. Rex enim vigilans, potens, sagax & philosophus esse deberet, vt rectè Academiæ Princeps aut Regem philosophari, aut philosophum regnare voluerit. Ex eodem nisi fallor fonte profluxit, licet ridiculum planè, quòd Plutarchus aduersus Stoicos memorat: Gentem fuisse apud Æthiopas, inter quos *Canis* regnasset, quem nullus interfecisset Æthiopum, sed cui in amplo sedenti solio honores regios detulissent adorassentque. Et Plin. lib. 6. *Ex Africæ* inquit, *parte Ptoembari & Ptoemphanæ qui Canem pro Rege habent, motu eius Imperia augurantes.* Ex quo facilis quoq. habetur causa, cur per Canem Socrates iuraret, quod perinde faciebat ac si per ipsam iurasset *Philosophiam*, cuius symbolum, vt modò ex Platone deduximus, Canis præseferebat: ob id nimirũ, quod ignorãtiam ipse Canis pessimè oderit, cùm hominem ignotum dentibus inuadat, notitiam verò carissimam habeat, adeòq. notum blandimentis demulceat, licet in hoc penitus nihil mutatũ fuerit. Sola itaque ignorantia ipsi displicet, quam odit: hominem verò eà depulsà non odit, quod vt philosopho proprium, ita maximè in ipso laudabile existit.

Cur à Cane principium sumatur.

Canis à Platone Philosopho & Ciuitatis custodi cõparatur.

Canis Aethiopibus pro Rege honoratus.

Socrates per canem quasi per philosophiam inrabat.

Canem itaque sic admirati sunt veteres, vt alij quemadmodum in superstitiones prona erat fatua illa Gentilitas,

(*Prodigiosa loquar veterum mendacia vatum*)

Diuinos etiam huic bestiæ honores decernere non dubitarint. *Mercurium* suum qui Ethnicis animorum custos credebatur, canino dictum capite & eodem insignitum *Anubim*, quod Isidi & Osiridi, vel vt alij falsò credebant, toti custodiendæ vniuersitati assignatus esset, exstare voluerunt. Ægyptij autem præ reliquis *Cani*, nec huic solum, sed surdis etiam quamplurimis alijs & sensus expertibus rebus diuinos pendebant honores, quos rectè propterea lib. 5. Satyr. Iuuenalis & salsè ridet.

Canẽ Gentiles pro Deo venerati.

———— *Quis nescit*, inquit, *qualia demens*
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri nitet aurea Cercophitei.
———————— *illic*
Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam,

Agyptiorũ de Dijs fictitijs fatua superstitio ridetur.

Porrum

Porrum & Cæpe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Sed operæpretium fuerit hic Christiano etiam homini ob oculos ponere, quam Ethnicus licet Philosophus Plutarchus inquã, in suo de Isside & Osiride opusculo de Dijs his fictitijs mentem habuerit. *Quidam enim*, inquit ille, *penitus aberrantes in superstitionem sunt lapsi, alij deuitantes veluti paludem superstitionem in impietatem quasi in locum præruptum, nec opinantes incurrerunt. Quamobrem debemus præcipuè doctrinam ex philosophia mystagogam nobis adiungere, atque ita singula quæ dicuntur & aguntur, pensare piè; ne vt dixit Theodorus, sermones suos quos dextera porrigeret, auditorum nonnulli acciperẽt sinistra:* Et posterius paulo. *Itaque non debemus in his colendis requiescere, sed per has in Numine Diuino venerãdo quasi per clariora & ad id naturà comparata specula. Res enim illa quæ spirat, videt, & motus ex seipsa habet fontem, notitiamq. conuenientium & alienorum, hæc ex intelligente (quo regitur authore Heraclito Vniuersitas) riuulum & portionem traxit. Quare non minus in his adumbratur Numen Diuinum, quam in æreis & lapideis opificijs, quæ interitum æquè recipiunt & infecturam colorũ, sensu omni & intellectu naturà vacant.* Verùm nos, quos Dei misericordia Christianos nasci & in sancta Filij eius lege immori voluit, missa hæc faciamus, & Ethnico philosopho relinquamus, qui aliquem saltem colorem dicere voluit, cur præ cæteris animantibus plus *Canem* Ægyptij coluissent, quod tam mirabili nempe inter bestias naturali instinctu à Conditore suo donatus fuerit, vt satis ipsum Plato, Aristoteles, Plinius alijq. Naturæ Mystæ laudare & admirari nequiuerint.

Plutarchus Ethnicorũ superstitionem sano modo interpretari nititur.

Hìc continere me non possum, quin *Ioanni Goropio Becano* viro eruditissimo & de antiqua ac veneranda Theologia summè merito assentiar, qui magnum illum *Leuinum Torrentium* laudatorem inuenit, quidquid aduersus ipsum Critici quidam blaterent, quòd & otio, & literis abusus fuerit, calumniantur. Hic tum in *Hermathena* sua, tum in *Hieroglyphicis* ac *Hispanicis* Canis Etymon probabilissima sanè coniectura à lingua *Cimbrica* radice Germanicæ deriuat. His enim *Can* & *Con* nihil aliud sonat, quàm *Scio* aut *possum*. quorum vtrumque in eo consistit, vt is qui potest vel scit, id quod potest vel scit, ante apprehendat & complectatur. Canis autem, vt supra iam ex Platone deductum, notitia plurimum valet, sed & animosissimum simul est animal. A Cimbrico igitur vocabulo *Can*, Latinis *Canis* & Græcis Κυὸς sunt nata, quarum vocum nec hi nec illi rationem vllam assignare possunt. Vult quidem Plato Κύων, olim Canem Phrygibus significasse: docuerunt autem longè ante natas in Græcia Athenas, Linus & Orpheus Philosophiam apud Thraces, à quibus ad Phryges: ab his serò tandem ad Græcos (qui non immeritò ob id forsan ab Ægyptio Sacerdote pueri appellabantur) peruenit. Sed quid Κύων vt peregrinum vocabulum Græcis denotet, Plato non assignat, vt idem Goropius notauit. Vnde miror non parum Cælium Rhodiginum, qui Κύων pro Cane Græcanicum facit & cum Eustathio παρὰ τὸ Κύω, hoc est ab amare deducit.

Canis Ethymonè lingua Cimbrica petitum.

Et de Canis quidem animositate hìc nihil dicere attinet: videri hæc possunt

possunt apud Aristotelem, Plinium, Plutarchum Ælianum aliosq. qui & fidelitatem ipsius varijs simul encomijs & exemplis celebrarunt. De notitia, sagacitate & docilitate, quæ mihi nota sunt breuissimè hic proferre non grauabor.

Canes Romæ Cæcorum mendicantium duces, & mira horũ docilitas.

Viuimus in hac luce orbis terrarum ROMÆ nempe æterna vrbium VRBE, in qua plurimos quotidie oculorum vsu priuatos ostiatim stipem colligentes contemplamur, quorũ pleriq. Cane mediocris magnitudinis catenulę ferreæ alligato vtuntur: hic ipsis dux & magister viarum: hic diluculo eos ad varia Vrbis loca educit, & sospites vesperi domum reducit: hic fidissimus tota ipsis die socius assidet, & loco etiam solutus vbi parumper expatiatus fuerit, longè tamen haud discedit, & ad minimam heri sui vocem recurrit, collum sine vllo renisu catenæ adaptandæ subijcit, & inter medias populosæ Vrbis turbas longissimè ab ædibus etiam dissitus, rectam viam sine vllo diuerticulo, absque vllo in foueã aliquam præcipitandi magistri sui metu domum pergit, ac pensum laboris sui diurni, panem nempe mucidum & aquam gelidam ab hero accipit. Et quod mireris amplius in hac docili bestia (quod ipsi mihimet mendici cæci fassi fuerunt) ad quæcunq. etiam longissimè distantia & aliquot milliaribus ab VRBE remota, vt est S. Pauli Basilica in via Ostiensi, loca eos deducit. Vbi enim Cæcus à sua in qua habitat platea remotior paululum ad biuium aut triuium aliquod peruenerit, & auriũ iudicio quo maximè Cæci pollẽt, siue hoc ex fontium aquę cuiusdã lapsu, siue fabrorum & artificum strepitu collegerit se tali quodam loco constitutum esse: Et si ad SS. Petri aut Pauli, aut Ioannis Lateranensis Basilicas, quæ pluribus passuum millibus & in triangulo quodammodo collocatæ à se inuicem absunt, properare desideret, absque eo quod vllum mortalium, quo loco sit interroget, loro suo Canẽ semel tantum vel hac vel illac, & Ecclesias dictas versus dirigit, tum securus ad harum aliquam, quam ipse in animo habet perducitur, vesperiq. saluus sine vllo diuerticulo reducitur.

Quod si in longissimo quodam vico sex septemve Cæcus domos habeat, quas bis terue in septimana Eleemosynam postulaturus, ibique precationes dicturus suas adire sit solitus, vbi ad huiusmodi platearum aliquam, quas optime Canis cognoscit, peruenerit, nisi singulas & iam sibi notissimas ædes prius omnes accesserit, ex ea minimè discedit. Vbi autem precatiunculam iam mendicus inceperit, decumbit interea Canis quietemq. fessus capit, & quando vltimam precationum voculam prolatam audiuit, confestim sine vllo magistri monitu nutuque surgit, & ad alias consuetas ædes gressum dirigit.

Rarum industrię Canis exemplum.

Vidi profectò non sine maxima animi mei iucunditate simul & stupore, dum Cæco cantanti & stipem petenti nummulus ex superiori domus parte ante pedes proijceretur, industrium adeò ipsius Canem fuisse, vt illum quæsiuerit, & ore è terra sublatum arreptumq. in ipsam heri sui capsulam seu pyxidẽ reposuerit: & si fortè fortuna eundẽ non protinus reperisset, baculo ab hero suo monitum & comminantibus verbis adactum, vt omni adhibita diligentia proiectum nummum indagaret. Si verò panis ex fenestris deiectus

fuiſſet, Canis hic famelicus licet, niſi eum domino ſuo prius porrexiſſet & ab eo portiunculam accepiſſet, eundem minimè arroſit. Antequam autem ſuo Cæci famulitio Canem ductorem adaptent, bimeſtre aut ad ſummum trimeſtre diſciplinæ huic ſpatium impendunt, prout nimirum flexibilior Canis natura, eiuſque *meliore luto Titan præcordia finxit*. De domeſticis & amicorum relatione hæc non iniucunda, vt ſpero, promã. Solebat ædes meas amicus frequenter inuiſere, qui cum ingentem ex Moloſſorum ferme genere Canẽ ſecum duceret, ipſique ego ad ſuperiores ædium partes aditũ præcludi iuſſiſſem, pẽderet autem prope oſtium inferius mearum ædium Pes Capreoli funiculo illigatus, quo campanulam aduentantes & intrare cupientes pulſare docebantur, idque à domino ſuo iam ſępius factitatum Canis cõſpexiſſet, vbi admiſſo hero inuitus excluſus fuit, paulo poſt tintinabulo pulſato puer deſcendit, & præter Canem neminem offendit, qui pedibus ſuis Capreoli pede arrepto, intromitti geſtiens hominis inſtar funiculum traxerat; nec id ſemel tantum, ſed reiteratis alia die vicibus tentauit, nobis omnibus conſpicientibus, ridentibus & beſtiæ ingenium admirantibus.

Mirum Canis ingenium in pulſando.

Hic ipſe Canis cum in ollam prægrandem vnguine illitam lingendi cauſa caput immiſiſſet nec reuocare poſſet, vbi diu multumq. luctatus ſed fruſtra, & vt ne vas illud figulinum rumperetur, leniter tractaſſet, tandem impatientia fractus, maximo cum impetu terræ impegit, in fruſta comminuit, & ea ſe mox moleſtia liberauit.

Quod autem Zonaras in Iuſtiniano miraculi veluti loco affert, Canem Byzantium fuiſſe adductum, qui ſpectante populo cuiuſque ex aſtantibus nominatim ore veſtes arripuerit & ſuum cuique annulum in cumulũ prius compoſitum attulerit. Et ante Zonaram Plutarchus ſe ſpectante totũ Theatrum & Cæſarem (interfuerat enim Pater Veſpaſianus in Marcelli Theatro) obſtupuiſſe ait, cũ à Mimo Canem quendã introductum vidiſſent, qui mortuum ſe effinxerat, trahi retrahiq. permiſerat, donec ad vocis cuiuſdam articulum peruentum fuerat; qua audita tanquam è profundo expergefactus ſomno, ad illum ad quem oportebat, ſe contulerat. Hæc ita, inquam, trita ſunt & vulgaria, vt *Romæ* à Circulatoribus in *Circo Agonali*, quò honeſtam populo & ludicram recreationem præbeant, quotidie ferme agitentur. Obſeruant enim Canes nutum, obtutum & ſermonum momenta Magiſtrorum, ex quibus longo iam tempore edocti, quid facto opus ſit optimè callent.

Mimorum Canes quid olim Byzãtij & Romæ pręſtiterint hodieq. præſtent.

Credendum omnino cenſeo *Alberto Magno:* Canem fuiſſe, qui cænaturis in menſa conuiuis ſtabili veſtigio lumen tenuiſſet: cùm Nobiliſs. S. Stephani Eques *Caſſianus Puteus Lynceus* amicitia mihi peruetuſtà coniunctiſſimus, bonarum & amæniorũ literarum ac Philoſophiæ præcipue, Chymiæ & Antiquitatum apprime doctus, *Florentiæ* non ſemel ſe vidiſſe mihi affirmarit quendam Sereniſſimæ illius *Mediceæ* familiæ Principem Canem aluiſſe, qui ad nutum Heri ſui imperium omne reciperet, menſæ continuò inſeruiret, orbes apportaret, patinas reportaret & ore arrepto argenteo diſco, in quo calicem vitreum vino repletũ ſtantem gerebat; ita affabrè Domino ſuo porrige-

ret,

ret, vt ne tantillum vini effunderet, cui & equum conscendenti fideliter stapedem infixis dentibus arctissimè firmaret.

Enimuerò ridiculi fortassis simus, inquit Plutarchus libello de Animantium comparatione, *si docilitatem venditemus bestiarum, quarum Democritus nos summis in rebus discipulos esse ostendit. Araneæ in texendo & sarciendo, Hirundinis in ædificando, in suauiter modulando Oloris, & Luscinię in cantu & voce fingendâ: Et in arte medica, cum videmus Canes felle laborantes certa quadam herba se repurgare. Inedia curantur Lupi & Leones quando carnibus nimium sunt oppleti cubantes fouentesque se quiescunt. Capræ Cretenses, quæ Dictamo gustato facilè sagittas expellunt, mulieribus prægnantibus monstrauerunt huic herbæ vim elidendi partus esse.*

Bestiæ videtur quædam homines opificia docuisse, & medicamenta inuenisse.

Doceri præterea Canes posse, vt ex profundo etiam aquæ aliquid foras portent; Arrepta ore pecunià ad macellum properent & à noto sibi lanione carnes, vel à Caupone etiam vinum emant domumq. reportent: Rem perditam omni diligentia requirant & inueniant: Currui aptati pueros trahant, Clitellis impositis sarcinulas gestent: Gladijs accincti hastati & erecti incedant; Tympanum pulsent: Equorum ritu ad numeros saltent: In rota versatili ambulantes, vel trusilem molam agant, vel carnes in veru ad ignem voluant: in venationibus & aucupijs ea demum præstent, quæ vix homines norunt, partim nos cum voluptate vidimus, partim amici nobis experti retulerunt.

Canes plurima doceri possunt.

Hactenus ego bona fide exoticum hoc animal Canem esse affirmaui, quod viuis nunc rationibus demonstrare conabor, ex *Capite* nempe, *pedibus* & *mammillis*. Et à capite initium capiam; Nam etiam Plato in Timæo caput membrorum corporis diuinissimum reliquorumque membrorum princeps dixerat. Et in Physiognomicis Aristoteles eos qui hanc artem exercent, ex vultu maxime prædicere, & ad Canum figurã detorta si homines capita sortiti fuerint (quos Plinius Cynamolgos vocat) Canum quodammodo moribus imbutos esse fatetur. Ex capite igitur quod Canino valde simile est, hoc animal Canem esse facile arguemus. Diffiter; tamen non possum, adhuc certius signum præter rostrum aurescque Caninas fuisse, si dentes hìc serrati & Canini conspicerentur, verùm in mitioribus qualis hæc bestiola fuit, illa dentium feritas etiam vix latrantibus apparet. Hoc interim lectorem monere debeo, rostrum à Sculptore paulò gibbosius & eminentius quàm in pictura est, effectum fuisse.

Rationibus astruitur hoc animal Mexicanum Canem esse.

Si crura & *pedes* inspiciamus, quin omnes nobis manus daturi sint, nullus dubito. *Habent* inquit Aristot. 2. de hist. Anim. in principio statim, *Quadrupedes omnes vice brachiorum crura priora, sed præcipuè quæ multifidæ sunt, hę manibus suo digitato pede respondent, hoc enim ad plura, quasi manu, vtuntur.* Quæ autem animalia digitatos habeãt pedes, inferius paulò declarat dum ait: *Quadrupedum autem quę sanguine constant eædemq. animal generant, aliæ multifidæ sunt, quales hominis manus pedesq. habentur. Sunt enim quæ multiplici pedum fissura digitentur, vt Canis, Leo, Panthera.* Iam autem probè noui, ex multifidis etiam Leonem, Lupum, Vulpem, Felem, Lupum Ceruarium & si quæ alia esse: Verum his nostra figura non magis respondet, quàm pomo ouum. Quot

Multifidarum quadrupedum crura brachijs & pedes manibus respõdent.

autem in digitis Canum pedes ſint fiſſi, operæpretium hic addendum cenſeo. Iulius Cæſar Scaliger vaſto illo ſuo ſuper Ariſtotelis Hiſtoriam Animalium volumine laudatum modò Ariſtotelis locum declarans hæc habet. *Canibus non quini digiti omnibus, ſed maiori parte quaterni, quintus aliquibus verè extra ſeriem aliorum altiùs appenſus. Venatores olim ſecuimus, lęduntur enim ibi multum & ſępè.* Hæc ego & falſa & dubia ex ipſa Natura & magiſtro Ariſtotele aſsero. Non clarum ſatis quod ait: *Canibus non quini digiti omnibus.* Cum nec inter poſteriores & anteriores diſcrimen hic vllum faciat, quod ad lucem huic loco afferendam plurimum conferre poterat. Audiamus communem præceptorem. Hic cum præclarè admodum lib. de partibus Animal. 4. cap. 10. de Hominis manus vſu & officio philoſophatus eſſet, homini nempe non quia manum haberet, ideò prudentiam tributam; ſed quia prudentiſſimus eſſet, ideò manu tanquam inſtrumentorum inſtrumento à Natura dotatum fuiſſe: Atque ideo in Naturam iniurios planè eſſe (inter quos & Plinium numerare ſoleo, qui Naturam non matrem ſed nobis Nouercam extitiſſe conqueritur) quod deterrimè nobiſcum agi exiſtiment, quia nudi & inermes naſcimur, quid inde? Cætera enim animalia vnum auxilium habent, idque nullo pacto permutare poſſunt, & ita calceata cum ijſdem ſemper armis, eodem perpetuò veſtitu dormire coguntur. Homini verò manus pro vngue, vngula, cornu, haſta, enſe & quouis altero inſtrumentorum inſeruit. Hæc enim ſibi manus omnia fabricare, in ſeipſa tenere ijſque aptiſſimè aduerſus beſtias vti nouit. Cum ita inquam, Ariſtoteles Philoſophatus fuiſſet, ſubdit tandem: *Flexus brachiorum homini tum ad cibum admouendum, tum ad ceteros vſus contra, quam quadrupedum generi aguntur. Illis namque introrſus poplites flecti neceſſe eſt vt ad greſſum vtiles ſint. Vſum enim pedum præſtant artus priores, quanquam illius etiam generis ea, quæ digitata ſunt, non modò ad greſſum vtuntur prioribus cruribus & repugnant, quod ſolipedes poſterioribus faciunt, non enim crura eorum priora cubitis manibuſq. proportione reſpondent, vt nonullorum ex ijs quorum pedes in digitos finduntur, ob id pedes priores quinis diſtinctos digitis habent, poſteriores quaternis vt Leones & Canes, atque etiam Lupi & Pantheræ, quintus enim eorum quinto magnoque manus reſpondet.* Quæ omnia Scaliger vel oſcitanter legit, vel vt Canum more, ex qua familia oriundum ſe gloriatur, morderet & noui quid afferre videretur, nauci fecit, ipſique adeò Naturæ vim intulit. Quod ſi vel Canum Anatomen vllam vidiſſet, vel ea quæ de vnguibus hic attulit Ariſtoteles ad vnguem penſitaſſet, nobiſcum certè conueniſſet. Sunt enim in omnibus omnino latrantibus Canibus quaterni ſaltem in poſteriorum ſingulo pede digiti vngueſque, & quinque in prioribus, quorum recta ſanè ratione quintus minor ac maior dici poteſt, quod de pollice noſtro, cui is reſpondet, affabrè Ariſtoteles dixerat. Minor ſi figuram & magnitudinem ſpectes eſt pollex, ſed maior ſi vſum ac valorem conſideres, quia enim in apprehendendo maximè pollet, ideò *Pollicem* Latinis dictum exiſtimo. Hunc Ariſtoteles tanti fecit, vt manui veluti toti, aut ceteris quatuor digitis in animalibus æquiparàrit. Veluti enim, manus ſi non eſſet, apprehenſio nulla fieret, ſic vbi hic deficeret, non eadem illa facultas proba daretur. Hic enim à parte inferiori ſurſum premit

Natura hominibus nó Nouerca, ſed benigna mater.

Canes in pedibus anterioribus quinque, in poſterioribus quatuor habẽt digitos.

premit, vt cæteri à ſuperiori deorſum, ob id breuis craſſuſque formatus eſt.

Atque hic tam omnibus animalibus quibus apprehendendi facultas conceſſa fuit neceſſarius videtur, vt in Auibus etiam & Cruſtaceis quin Inſectis pleriſque longè à multifidorum tamen genere diſcrepantibus reperiatur. Vidimus & ad miraculum vſque obſtupuimus ante pauculos dies domi meæ per Tubũ opticum miræ perſpicuitatis artificioſiſsimè elaboratũ, à duobus Germanis huius artificibus fabriſq. nobis allatũ donatumque; quem à Teleſcopij imitatione, & rerum minutarum conſpectu *Microſcopium* nominare libuit. In pediculo fœdo quidem animalculo, hominis tamen non raro ſocio, non os modò oculoſque, barbam & prætenſa duo in fronte cornicula, ſed pedes in ſuper ex vtroque latere ternos prælongos & articulatos, qui omnes vngues habebant recuruos duos, longum vnum, breuem alterum, & pollicis apprimè locum ſupplentem, quibus & cutem apprehendit & ſerpendo gradum figit: tantum huic pollici aut cuipiam particulæ ſimili huius loco, induſtria & nunquam deficiens Natura in minimis etiam & abiectiſſimis animalculis ſtudere voluit! Et quoniam tam admirabilis hìc inſtrumenti optici, per quod remotiſſima vt maximè propinqua intuemur, mentio incidit, operæpretium eſſe duxi ſuam Inuentorum gloriam nulli inuidere. *Ioannem Baptiſtam Portam Lynceum* primùm huius Theoriam ac compoſitionem in ipſa ſua Naturali Magia, necnon Mathematicas ipſius, vt ita dicam, radices in libello ſuo *De Refractionibus* ante quadraginta & plures annos ad amuſſim deſcripſiſſe, adeoque primum Auctorem extitiſſe ſicuti huius ita & aliorum plurium mirabilium, quæ ſiue in Mathematicis ſiue in Phyſicis inuenit & ipſe agnoſcit & candidè ac libenter omnibus declarat *Io. Keplerus Germanus Mathematicus Cæſareus*: Primùm verò diligentiſſimum artificem Germanum vel Batauum quendam executioni dediſſe & vel caſu tubum conſtruxiſſe libentiſſimè fatemur: *Galilæum* deinde vbi Patauij Mathemata profeſſus de hoc inaudijſſet ſaltem, ſua ſponte non viſo prius Tubo ſimilem conſtruxiſſe, primoque & Venetijs & Patauij à ſe repertum oſtendiſſe, vt in illius libro Italico idiomate perſcripto, cui titulus *il ſaggiatore* expoſitum eſt. Hic ſanè Galilæus, quidquid ſiue ſtrepant ſiue obſtrepant inuidi, non ſolum vix audito rumore confecit, ſed eo vſque perfecit, vt primus hunc cœlo Tubum inferret & admiranda illa omnia, quæ iam in proemio deſcripſi, mortalibus cunctis patefaceret.

Nouus & mirabilis Tubus opticus ſeu *Microſcopium*.

Pediculi abiectiſſimi animalculi non viſa prius effigies.

Tubi optici Inuẽtio, & Conſtructio.

Eodem Romæ tempore Lynceorũ *Princeps Illuſtriſs. Federicus Cæſius* rumore tantum è Belgio audito, idipſum inſtrumentum compoſuit & inter complures in vrbe Magnates diſtribuit, nomenque *Teleſcopij* excogitauit & indidit: quod nomen etiam, cùm non multis poſt menſibus Galilæus Romam veniſſet, ipſumq. *dictus Princeps* & Antonium Perſium, Ioannem Demiſianum, Ioannem Terrentium, Franciſcum Piſſerum Camaldulenſem Mathematicũ, Iulium Cæſarem Lagallam Peripateticorum in vrbe corypheum, & me quoq. cœnà (vt alìàs ſæpe, qui delicias nullas niſi cum literis & literatis agnoſcit) in Ianiculo poſt cœleſtia terreſtriaque nonnulla ſpectacula & Philoſophicas diſceptationes excepiſſet, in ipſiſſimo huius Inſtrumẽti vſu pluries repetijt & ita

Illuſtriſs. Princeps F. Cæſius Tubo nomen indidit.

omnibus placuit acceptumq. fuit, vt deinde per vrbem orbemque passim increbuerit. Ab hoc nobis alterum *Microscopium* appellare visum fuit, per quod minutissima animalcula, & horum ea quæ visum planè subterfugiunt acutissimè cernuntur: illo quidem omnis generis remotissima, hoc verò minutissima quæque perspicimus sed maximè propinqua, quod quidem à Galilæo in Italia confectum, & ab eodemmet etiam anno proximè elapso in vrbem allatum, nunquam tamen ita diligenter elaborari ab vllis artificum manibus vel ipsius vel collegarum iussu potuit, quàm ab istis Germanis, qui sedulam in hoc nobis operam præstitere, nec pauca huiusmodi Microscopia, quæ Vrbem totam in admiratione pertraxerunt, elaborata nobis exhibuerũt.

Probatur tertiò à mãmis Canem esse hoc animal.

Supereſt vt *Mammarum* argumento hoc animal Canem esse comprobemus. Et cum Arist. cap. 1. lib. 2. de hist. Animalium differre mammas in quadrupedibus docuisset, duas nempe datas Elephanto tam mari quã fœminæ sub armis, easque pro corporis vastitate valde exiguas: ac eodem loco sitas quaternas Vrsæ: alijs inter fœmina binas binisque saltem papillis donatas vt ouibus & Vaccis, sed his quaternas datas papillas: quibusdam nec in fœminibus mammas esse sitas, verum in ventre vt *Canibus* & Suibus & his quidem esse plures, verum non omnes pares esse subiungit. Ex his nisi fallor pathognomonicum signum sumi potest, non posse aliud animal esse id quod Icon nobis exhibet, quàm Canem, cum in pictura sex mammillæ, ternæ nimirum in vtraque ventris parte numerentur. Tot equidem & ego eodem sitas ordine in mea domestica canicula reperio, (& forsan aliæ caniculæ plures habent) quibus duæ adhuc tamen adduntur in pectoris regione collocatæ sed exuccæ planè & ad lactandum vt censeo inutiles, nam & mares exiguas & lactis expertes obtinent. Licet si Scaligero credimus, hæ etiam valde aliquando intumescant, quiLeporarium se habuisse tam grandibus papillis scripsit, vt ex solo genitali mas esse nosceretur. Hæc autem nostra *Mexicana* fœmella est, quod vulua sub cauda protuberans ostendit.

Mamillæ etiam in masculis

Ac postquam huc pertigimus, non inutilis planè de mammis hæc quæstio moueri poterit, *debeantne his numero fœtus respondere*? Quam enodasse libello de *Semine genitali* qui interijt, Scaliger profitetur. Falsum tamen axioma esse in suis iam sæpè laudatis Commentarijs innuit: cum duos vt plurimum Vacca edat vitulos & quatuor tamen papillas habeat. Sus etiam sexdecim, nec tot tamen mammis scateat: Mulier ternas sæpe proles pariat, cum duabus saltem mammis gaudeat, imò septem quandoque enixam esse, vt de familia inquit, *Porcellorum* Patauij res clara est. Ego hic Scaligero neutiquam refragor, & quam ipse historiam Patauinam & quidem veterem citat, ego nostrorum fidem temporum appello. Vidi hìc Romæ (quæ ante tres demum menses, hinc ad plures septuagenaria maior è viuis abijt, & cuius filium ego ante viginti annos à Pleuritide liberaui) *Florentinam* mulierem, quæ cum vnico suo marito *Florentiæ* triginta sex filios masculos omnes, & semel vnico etiam partu viuos septem enixa est, qui omnes sacri Fontis lauacro abluti & à Sereniſſimo tunc Hetruriæ Magno Duce *Cosmo primo* (vt memorabile hoc simul factum nobilitaret) ex eo subleuati fuerunt, qui lepidis his Patrem verbis

An mammæ fœtibus numero respondere debeant.

Florentìna mulier triginta sed filì masculorum mater, & vno partu septé edidit.

allocu-

allocutus dicitur: Macte tua virtute mascula: si tali quo cæpisti modo proceſſeris, de alio mihi Principatu diſpiciendum dubito: periculum enim fore metuo, ne tam numeroſam ſis Sobolem progeneraturus, quæ bellum motura, his meis mihi ſedibus demigrandi neceſſitatem imponere poſsit. Septem hi filij, tribus adhuc omnes diebus vixerunt & lac maternum ſuxerunt. Tres etiam non rarò vno partu editos & hìc & in Germania vidimus. Addam & hoc Naturæ inſolitum factum. Viuit iam Romæ honeſta fæmina & iuuenis, quæ cum marito ſuo plures quidem filias filioſq. ſed ſingulos omnes procreauit, & tamen quatuor hæc à Natura mammis quæ lac omnes habent dotata fuit. Atque hæc licet parerga alicui videri poſsint, quin tamen recenſerem ſuperſedere nolui, quòd nobis mirabilem omnipotentis Dei virtutem, & benignæ fæcunditatem Naturæ nunquam ſatis laudandam & memoria æternà colendam ante oculos proponere poſsint.

Romana mulier qua tuor mammis lacte fœcundis prædita.

Nunc ſiquid nobis in hoc animali Cane videlicet, quod Ariſtotelem vel præterijt vel ab ipſo omiſſum, ſedulò animaduerſum eſt, Naturæ Myſtis minimè inuidendum. Rectè quidem ille 3. de partib. Animal. cap. 14. Quæ in ſanguineo genere viuiparo vtrinque dentata & multifida ſunt, hæc ſimplicem habere ventriculum; non ſimplicem illa, quæ cornigera, ſolipeda aut biſulca. Sed non rectè, dum eodem Capite Caninum ventriculum paruum eſſe, nec ampliorem multò inteſtino & læuem intus, ſcriptum reliquit. Hoc enim & naturæ rei & ipſimet Ariſtoteli repugnat, ſiquidem hic 1. de hiſt. An. cap. 16. *Ventriculus*, ait, *humanus Canino ſimilis eſt*. Humanus autem non exiguus, ſed amplus planè & plurimarum ſæpè tam eſculenti quàm poculenti alimenti librarum capaciſsimus eſt, quod quidem non ex libris ego ſed fideli in cadaueribus humanis (quorum centena propemodũ ſecui) autopſia expertus ſcribo. Et amplo admodum vidi ventriculo canem exenteratum, cui Arſenici drachma vna data fuerat Antidoti probandi gratia, quod ex ſerpentum puluere certo modo conflatur & multum prædicatur, quod quidem exhibitũ nihil profuit: poſt plurimas enim vomitiones, vlulatus & gyrationes, Canis tandem mortuus concidit & ſectus fuit, cui forſan magis pinguia profuiſſent: memini enim me Romæ robuſtum iuuenem curaſſe, qui cum Riſagalli puluerem in chartula quadam repoſitum cinamomum eſſe ratus pulmento ſuo inſperſiſſet, torſiones paſſus eſt & vomitus moleſtiſsimos, cui ego Philonium Romanũ ac Mythridatium cum iuſculis pinguibus & lacte copioſo exhibui & ſanitati feliciter reſtitui. In canis autem ventriculo rugas ac veluti vibices ſanguine atro ſubductos ob inſignem Arſenici ardorẽ vomitus cauſam manifeſtam, conſpexi. Atque hunc Ariſtotelis lapſum ipſe etiam Scaliger aduertit, & Caninum ventriculũ quadruplo inteſtino vel maximo etiam maiorem libenter conceſsit. De genitali Canis hoc erat ab Ariſtotele docendum, in Cane ſcil. penem oſſeum eſſe, quod ipſe non ſcripſit, nos non rarò vidimus. *Genitalis*, inquit, 2. de hiſt. An. cap. 1. *verò ipſius differentia numeroſa eſt, alijs enim cartilaginoſum carnoſumq. eſt vt homini* (At cartilaginem nemo Anatomicorum vnquam in hominis pene etiam per ſomnium vidit, eſt enim hæc ſubſtantia ſui generis nec carnoſa planè, multo minus cartilaginoſa) *quod vt*

Ariſtotelis lapſus de Canis ventriculo.

Canis poſt Arſenicum ſumptum, quæ accidentia ſit paſſus.

Iuuenis ſaluti reſtitutus à ſumpto Arſenico

Canis ventriculus ab Arſenico mortui.

In Ariſtotelem animaduerſio de Genitali hominis & Canis.

parte

parte carnosa inflari nequit, sic parte cartilaginosa intumescit excrescitq. Alijs neruosum vt Camelo & Ceruo, alijs oßeum vt Lupo, Vulpi, Muſtelæ, Ictidi seu Viuerræ.

Officulum in pene canis.

Vbi canem prætermiſit, ſi nõ ad Vulpium aut Luporum forſitan ſpeciem eũdem referri putauit. Et fieri ſanè poteſt, vt ob hoc officulum (quod in Cane duorum longitudine palmorum, quatuor tranſuerſos æquat digitos, & genitali ita concinnè annexum hæret, vt ſulcum etiam qui meatum vrinarium ſibi fixum excipit, inciſum ſatis conſtituat) canes dum vrinam reddunt, crus alterum ſubleuent, vt Cardanus conijcit, ne eà ventrem conſpergant, & vt ego autumo, diutius etiam in coitu hæreant; hoc enim officulum facit ne ita genitale citò flacceſcat: Quamuis hæſionis huius alia & non incongrua ratio afferri poſſit, glandoſa nempe corpora quæ penis radicem circulariter ferme ambiunt & in coitu plurimùm intumeſcunt. Tertium, quod in Ariſtotele corrigendum cenſeo, hoc & non leue eſt: *Caluaria*, inquit lib. 3. de Hiſt. An. cap. 7. *non ſimili modo in quoque Animalium genere habetur. Alijs enim oße continuo calua perficitur vt Cani, alijs compacto vt homini.* Vult nimirum Canem ſine futuris vllis oſſe continuo caluam ſuam ſortitum eſſe. Quem Scaliger errorem non vidit, ſaltem non correxit in expoſitione ſua. Haud vidi maiorem magis in vtroque oſcitantiam. Canis enim quod ex meo diſcere Sceleto Canino poteris, ſuturas omnes quas homo, & plures etiam in Caluaria ſua impreſſas tenet. Eſt huic Coronalis, Sagittalis, Lambdoides, eſt inſuper in Canibus os frontis ſua diuiſum commiſſura etiam in adultis, quæ in recens natis hominibus apparet quidem, in ætate verò prouectis planè obliteratur: quæ res fecit vt tam Ariſtoteles quàm Medici omnes huius frontalis diuiſionis in homine non meminerint. Adeſſe eam tamen in Abortu & nuper natis infantibus manifeſtè conſpicitur, & tam longè progreditur vt & naſi & maxillæ vtriuſque oſſa per medium rectè diuidat. Vnde vt credam, facilè adducor & ipſum bonum quandoque dormitaſſe Homerũ, Ariſtotelem hominem quales nos ſumus fuiſſe, & labi potuiſſe & aliquando ex chartaceis potius libris ſapuiſſe, quam vtrumque Naturæ folium Cælum inquam, & Terram penitius inſpexiſſe.

Ariſtotelis lapſus in Canis Caluaria deſcripta.

Calua Canis pluribus quàm hominis futuris diſtincta.

De dentibus etiam, de quibus aliquam apud Authores controuerſiam inuenio, hoc quod dicam habeo. Vndiq; hi in vtraque maxilla ſibi correſpondent. Sex numerantur anteriores quos inciſorios dixeris, ſequuntur duo oblongi & erecti verè Canini ex vtroque latere ſinguli: tum ſex molares in vtroque ibidem latere. Ita vt Canis cum ſocijs ſuis ſuperioribus toto ſuo in rictu ſeu ore dentes quadraginta obtineat: Coſtas numero tredecim, clauiculis enim caret. Nec Talum habet: quid autem hic ſit, alibi dicendi locus erit. Solent poſt partum, qui Canibus longè difficilior eſt quàm felibus, matres ſubitò Chorion ſiue ſecundinam vt vocant, catulorum ſuorum, quod ipſemet vidi, deuorare & ſic etiam obſtetricis munere fungi, & mordicus vmbilicum, cum nullo hic ipſis amplius vſui eſſe poſſit, abſcindere.

Quadraginta dentes canis obtinet.

Coſtas habet tredecim.

Partus Canis.

Antiquitus catulorum carnes frequentes in cibis & medicamentis fuiſſe ex *Hippocrate* etiã diſcimus, quin & hodie in *Sinarum Regno* cum alijs à lanionibus in macellis vẽduntur carnibus, & populis eiſdem quotidianus ſunt cibus.

Carnes à quibuſdam eduntur.

A fide

A fide dignis accepi, tabidis nullum præsentius remedium esse, quàm si frequenter in cibis suis Canino adipe vtantur. Stercus Caninum, quod *Album Græcum* forsan melius *Dræcum* pleriq; vocant, his libenter relinquimus, quibus adeo animalium fimeta pro medicamentis placent: quasi ex ditissimo Naturę thesauro non millena nobis & meliora & gratiora suppetant. Felem vidi, quæ adultorum Canum non attigit carnes, catulorum libenter edit; quod illæ ob coitum hircum olerent. Sic nobis etiam exectorum carnes vt pecudum & caporum magis arrident. Vidi & catulum à felis vberibus pendentem, quæ pluribus ipsi diebus lac præbuit, ac probè enutriuit.

Atqui nō deerunt nasutuli quidam, quos iam mihi etiam se opponere audio, animal hoc de quo iam longam satis texui historiam, canem minimè esse, quòd nec figura huic admodum conueniat, nec in *America* (quæ ipsis ego arma ministro) ante Hispanorum in illas partes aduentum Canes vlli conspecti fuerint, quod ex descriptione Tertiæ in Americam & in specie quidem in Brasiliam Nauigationis clarum euadit. Quod & Gomara in generali sua Indiarum Historia testatur. Cum enim Brasilienses primùm ex Venaticorū genere Canem in *Villagagnonis* aduentu nostris etiam hominibus applaudentem vidissent, obstupuerunt valde; quod hic aliquam similitudinem cum animali ipsis *Iauouare*, Leone quouis ferociore gereret. *Christophorus Columbus* quoque, vbi primum ad Insulam *Boriquen*, quæ S. Ioannis nomine insignitur, peruenisset, *Indi* illi qui cum Hispanis bellum gerebant, vehemēter Canem subrubidum peregrinum sibi timuerunt, qui duorum etiam ferè balistariorum stipendium merebat, acerrimus vt Barbarorum hostis, ita strenuus Hispanorum defensor. Et *Valboa* Hispanorum Centurio fortissimus, cum primum Australem patefecit Oceanum, Canes quos secum habebat in Indos emisit, qui fuga sibi consulentes, non minore ab his damno, quam à præstantissimis Valboæ militibus terrore affecti fuerunt.

Obiectiones quæ fieri possent non esse Canē hoc animal.

Audi Hispanorum in Americam aduentum ibiq. nullos fuisse Canes cōspectos.

Hic ego ab eruditissimo philosopho & Theologo *Iosepho à Costa* è Societate IESV suppetias mihi postulo, qui ea de Noui Orbis Natura ingenij sui acumine & experientia ipsa edoctus aperuit, quæ Veteres philosophi friuolis persuasi sine sensu rationibus (qui error & hodie plurimum contingit in scholis) pertinacissimè negare ausi fuerunt. Hic enim lib. 4. cap. 33. *Tria* ait *in India occidentali Animalium genera reperiri*, vnum soli *Indiæ* natiuum & proprium, alterum Hispanicis siue Europæis simile, tertium ab Hispanis primum in eam Orbis partem illatum. Et ex his vltimis quidem esse oues, vaccas, capras, sues, equos, asinos, *Canes*, feles & his similia. Probat autem hæc noua omnia Americanis fuisse, quoniam nulla propria nomina, quibus iam enarratas bestias appellent, nouerunt, sed meris Hispanicis & his corruptis admodum vtantur.

Iosephus à Costa laudatur.

Atqui hìc ipse meum magis iugulum peto, dum Canes illuc aliunde illatos vltro fateor. Sed litem hanc facilè & tribus vt aiunt verbis ipsiusmet Iosephi, quibus laudatum iam caput concludit, componam & finiam. *In initio* inquit, *India Canes nullos nouerat præter genus quoddam pumilum, quod patria voce ALCO nominabant. Iam propter similitudinem Canes ab ipsis Hispanis illati grandiores*

Respondetur obiectionibus.

Tria animalium genera, nunc in America reperiũtur.

diores hoc nomen quoque obtinent. Pumilos hos Canes Indi tantopere amant, vt sibi demant, illis quod obijciant, Peregrinantes eosdem aut dorso, aut sinu receptos secum ferunt. Aegri non secus ac congerrones, aut consolatores eosdem secum habent, conuersatione ipsorum dolores sibi minui credentes. Ex quibus statim sanioris iudicij quiuis, quid de hac nostra Icone statuendum sit, colliget. Ad vnguem enim animal, quod hic prostat nanum, pingue & mansuetum effigiatum, mihi videtur illud esse, quod Americani nomine communi ALCO vocabant. Erit igitur Canis, sed non Europæis nostris per omnia similis. Quandoquidem in Regni *Guineæ* descriptione Partc Indię Orientalis siue volumine sexto Canes à nostris multum etiã discrepantes reperiuntur, qui nec latrant nec mordent, & magna à populo illo copia aluntur ouiumq; instar in forum venales aguntur, cibis valdè expetiti, apud quos nostri Canes in magno pretio habentur, propterea quod latrare possunt, audito enim Canum latratu *Nigritæ* illi loqui eos posse existimarunt.

Canes Americani nostris nõ per omnia similes.

Libuit Coronidis loco & hæc ex cap. 170. Benedicti Pererij adiungere, & si vera sunt quæ ipse ex auditu refert, monstrosum quendam Naturæ lusum, ac metamorphosin admirari. *Est* inquit, *apud Iapponios animal terrestre corporis magnitudine figuraq; non dissimile Cani, mollissimo pilo, suauissimisq; ad edendum carnibus: Hoc certo quodam tempore incipit vehementer appetere & frequentare ipsum mare, in quo identidem natans & sese mergens particulatim & membratim piscis fieri incipit. Tandem exuta prorsus terrestris animantis figurà totum in piscis similitudinem, & naturam commutatur.* Sed 2. Tom. in Geneſis cap. 152. refert se Romæ hoc animal sed mortuum vidisse, non tum ex toto, sed aliquot tantum partibus piscem factum: cęterùm naturam animantis terrestris figuram retinuisse.

Canis Iapponicus terrestris in Piscem abit.

In Insula etiam *Hispaniola* Americæ Historiographi notant, Canes paruos exoticos repertos fuisse, qui partim Indis illis domi in delicijs, partim foris in Venatione vsui erant ad animalcula quædam ipsis propria cuniculorum instar capienda, qui similiter vocem nullam edebant ad necem vsque etiam verberati. Et cum Plinius lib. 8. cap. 58. scripserit: *Cyrenis mutæ fuere ranæ, illatis è continenti vocalibus durat genus earum: mutæ sunt etiam nunc in Seripho Insula, hæ tamẽ alio translatæ canunt.* Fuerunt qui hoc ipsum tentarunt, & huiusmodi mutum Canẽ ex *Nigaragua* ad Ciuitatem *Panamam* trecentis Leucis distantem asportarunt, sed æquè hic atque ibi mutus remansit. Hæc ego eius solùm gratia adferre volui, vt fidem huic meæ coniecturæ adiungerẽ, Mexicanum hoc animal *Canem* esse licet non vndiquaque nostrorum figuræ Canum respondeat. De rabie Canum subsequenti sermone agendi locus dabitur. Atque hæc fortassis plus satis.

XOLO-

XOLOITZCVINTLI

Lupus Mexicanus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ANIMAL hoc ex figura depicta ferocitatem toto Corporis habitu prę ſefert,& terrorem quendam ex viſu ſpirat. Rictum nempe voracis beſtiæ, toruos & lucentes oculos cum truculentis ſupercilijs, gingiuas & oris labra cruenta,dentes exſertos,caninos nempe duos valde conſpicuos, poſteriores verò ſerratos ac prægrandes oſtentat. Ex ſuperioribus labris hirti admodum pili retrorſum flexi,mollioribus Hiſtricis aculeis non abſimiles ex cinereo alboq. colore variantes erumpunt. Totum caput cinerei coloris,lineis quibuſdam tranſuerſim arcuatis ſubnigricantibus conſpicitur. Aures erectas gerit longas ſatis, cinereas totas; quarum inter ſpatium maculæ latæ coloris fului,quæ & integram frontem interſtinguunt. Collum obeſum craſſumq. laxiore pelle,longa fuluaque macula præditum,cui ſimilem in pectore gerit. Cinereo totum corpus colore conſtat, quod maculis tamen ſubinde fuluis maiuſculis paſſim intermixtis ornatur: Lineis etiam ceu tænijs & faſcijs ſubnigris à dorſo ad latera deorſum hinc indè deductis. Ventre toto eſt cinereo excepta parte anteriore,vbi inſignis eaq. vnica ac fulua macula viſitur. Cauda huic eſt ſatis longa non villoſa, cinerei coloris, in medio tamen ſubfuluam obtinet maculam paulatim euaneſcentem. Crura ac pedes cinerei & nigricantis coloris, lineis à ſummo ad imum deductis firmi craſſiq. proſtant,quorum priores quinque vngues, ſed retractos admodum; poſteriores verò quatuor exhibent.

SCHO-

SCHOLIA EIVSDEM.

HIc ego Lupum auribus teneo, nec quo me vertam facilè scio. Etenim inter Canem Lupumq. ambiguum videtur hoc *Mexicanum* animal: cùm Lupum Cani pastorali similẽ faciat Oppianus. Et 8. Hist. An. 18. *In Cyrenensi agro cum Canibus Lupos coire* scribebat Aristoteles. Galenus quoque 3. de Vsu partium cap. 1. Cum Pindarum risisset, quòd Centauros generari posse fabulatus fuisset, mixta tamen animalia ex Equo & Asina, Asino & Equa, ex Lupo & Cane, Cane & Lupa, imò Vulpe nasci non inficiabatur. Lupum hunc tamen potiùs, quàm Canem esse animus inclinat. Cuius rei argumenta dicam luculenta, prius quam de Luporum partibus, natura, ac proprietatibus quicquam afferam.

Hoc animal Mexicanum Lupũ potius, quã Canem esse asseritur.

Cùm de Cane superius agerem tria retuli esse in America animalium genera: Vnum ipsi exoticum, natiuum alterum, tertium inter hæc medium, hoc est, nostri Orbis animalibus non dissimile, cuiusmodi sunt Leones, Tigres, Vrsi, Apri, Vulpes, Lupi & feræ aliæ.

Qua via modoq. animalia ex nostro orbe in Americam abierint.

Sed qua ratione viaque terrestria nostris similia in nouum Orbem, qui immenso Oceani spatio à nostro dispescitur, perlata fuerint, non leuis est controuersia. Hanc Iosephus à Costa enodat & imprimis quidem apud eundem S. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 7. miratur, quomodo in nonnullis nostri quoque Orbis Insulis Lupi, Pantheræ & feræ immanes aliæ, quæ generi humano, præterquam quòd vsui nulli sunt, damnum etiam notabile inferunt, reperiantur? nam in quibusdam, inter quas Anglia numeratur, Lupi nulli inueniuntur. Quod enim ad Canes, Equas, Boues, Elephantes & huius generis proficua animalia attinet, fieri potuit, vt deliberato hominum consilio nauibus eò perlata fuerint, quod de ijs, quæ feritate & sua atrocitate nobis formidabilia sunt, nec nisi dolum hominibus struunt, vix est probabile asserere. Quod si idem D. August. Antipodes cognouisset, quid ipsi de hac difficili admodum quæstione statuere animi quæso fuisset? Neque enim vero simile ego existimo, credere ipsum voluisse, per ingens marium spatium ex nostro hæc orbe illa transnatare ad Antipodes potuisse, quod ipse in Insulis quibusdam nostris contigisse persuadere sibi visus fuit. Vult etiam Diuina procreatione, post vniuersale diluuium ex terra hæc enasci potuisse æquo ferme modo, quo in principio Mundi, quando Deus dixit, producat terra animam viuentem &c. Hoc quidem minimè Diuinæ potentiæ, attamen eius ordinationi aliquo modo repugnare videtur. Quoniam omnis generis animalia in Arca Noe concluſa fuerunt, quæ egressa postmodum seipsa per semen propagarunt. Si autem nuda Naturæ lex consideretur, minus adhuc concedetur ex Terra & putredine perfecta huiusmodi animalia, non aliter ac Muscæ & Ranæ solent, ortum sibi sumere. Quamuis *Andreas Cæsalpinus* acutissimus Peripateticus, & qui summus fuit in hoc *Athenæo* nostro Medicus, olim Magister meus hoc fieri posse Aristotelicorum vi principiorum in suis quæstionibus Peripateticis facilè deducat, quod de homine quoque affirmat. Sol

In Anglia nulli Lupi esse dicuntur.

S. Augustini de proposita quęstione opinio.

Andreas Cęsalpinus sũmus Romæ Medicinæ Professor.

enim

enim & homo hominem generant, hoc est, Sol absque homine, vt ipse ex Aristotelis & verbis & mente conuincit. Adeò miserè obscura Aristotelis verba ab ipsius asseclis tractantur, & dogmata ceræ instar ad quamlibet opinionem parata obediunt. Quare Iosepho hìc laudato iam loco, facilè assensum præbeo, nouum hunc Orbem à cætero nequaquam quoquouersum auulsum & separatum esse, aut saltem quod mihi videtur, si iam licet separentur, non ita olim fuisse & tempore post Cataclismum in quibusdam omninò extremitatibus coniunctos hæsisse, quibus pedestri itinere tam homines quàm animalia vtrobique commeare facilè potuerint. Nam & nostrorum memoria patrum didicimus, in multis iam locis mare, vbi olim terra, & solum nũc esse, vbi olim Salum fuit, & Siciliam à reliqua nunc Italiæ parte per mare interiectum distractam, cui quondam adhæserat, historiarum fide nouimus. Nam fieri quidem posse, quinimò euenisse, quòd feræ periculis incitatæ totos sæpè dies noctesq. in vndis ad Insulas quasdam vicinas pernatarint, sed tantam itineris intercapedinem, quantà noster à nouo distat orbe, emetiri potuisse, id demum à vero absonum & ἀδύνατον planè esse videtur. Cùm & aues concitatissimo volatu mille & quingenta stadia superare non possint. Erunt igitur Lupi, Vulpes & similia cæteris bestijs etiam exitiosa animalia, non de industria huc perlata, sed sua sponte ac naturali quodam instinctu, postquam ex Arca Noe egressa fuerunt (Nam etiam ex plantis quęuis suo natiuo gaudent pabulo, aere & solo, atque adeò, *hìc segetes, ibi veniunt felicius vuæ*) huc facilè concurrere seseque multiplicare potuerunt.

Iam autem hoc animal Lupum potiùs quàm Canem esse sic probare aggredior. Capitis cumprimis totius aspectus facile hoc euincit, qui ferocissimi animalis intuentibus imaginem præbet, ac tantùm non depictum etiam, terrorem incutit. Inter animantes autem quæ perpetuò cicures sunt, Mulum; quæ cicures fieri possunt, Elephantẽ; at quæ semper feræ permanent, Pantheras numerat & Lupos Arist. 1. Hist. An. 2. Quamuis non ignorem ex mansuetorum genere fera quædam ipsius sententià, esse posse, inter quæ Canes ponit. Non tamen quæ fera natura suà sunt, manseuescere vice versa omnino posse. Cui Scaliger eius interpres ibidem consentit. Hoc ipsum Plinius lib. 8. cap. 17. probare visus fuit de Lupa Romuli & Remi nutrice verba faciens: *Nam quæ de infantibus*, inquit, *ferarum lactibus nutritis, cum essent expositi, traduntur; sicut de conditoribus nostris à Lupa, magnitudini fatorum accepta ferri æquius, quàm ferarum naturæ arbitror.* Attamen ipsemet sui forsan parum memor Aristoteles 9. Hist. 36. Lupos cum piscatoribus amicitiam inire & ex eorum præda viuere dixit. *Apud Mæotidem paludem*, inquit, *Lupos esse piscatorum familiares aiunt, & nisi partem suam à piscatoribus acceperint, retia cum in terram expansa reficcantur, lacerare.* Idem planè Aelianus annotauit. Albertus magnus profectò, quod re ipsa nunc expertus fui, optimè scripsit, *Catulum adhuc cicurari posse & Canis instar ludere, non tamen deponere odium ad venatores & agnos aliaq; minora animalia, quæ à Lupis vorantur.* Quod de domestica mihi Lupa retulerunt, vbi hæc agnum videat, appetitum ipsi excitari & palatum prurire. Dicamus igitur manseuescere quidem hanc bestiam posse, non tamen Lupinam

Probatur hoc animal Lupum potius esse ex capitis aspectu.

Quæ fera, quæ naturà suà sint manseueta animalia.

Aristoteles sibi contradicere videtur.

pinam omnino deponere naturam, adeòq. (vt verbo fertur) pilos non animũ mutare. Antipathia enim quæ inter agnum & Lupum viget, in viuentibus haud ceſſat, quam aliqui poſt mortem quoque remanere crediderunt. De viuentibus Ouidij verſiculi exiſtunt.

Antipathia inter animalia vix cõciliatur.

- - - Sic agna Lupum, ſic Cerua Leonem,
Sic Aquilam penna fugiunt trepidante Columbæ.

Nulla.n.vi inquit Nazarius *poſſunt coire, quæ naturali diuortio diſſident, nec vlla tam fidelis eſt copula, quæ in diuerſum tendentia nexu ſuo teneat.* Vnde & in adagiũ abijt: Lupus prius oue ducat vxorem, quã inimicis conueniat. Cicurari tamẽ, quod Ariſtot. inficiari videtur poſſe, certus ſum. Cum ante hos octo dies quàm hæc ſcriberem, domi & in Muſæo quidem meo Lupam adeò manſuetam viderim ac tractauerim, vt ipſius magiſter etiam eius ori manum inſereret & mei gratia dentes numeraret. Ego ſanè & collum & pedum digitos impunè vt libuit contrectaui. Didici autem Lupi dentes pedesq; tam poſteriores, quam anteriores cum Cane adeò conuenire, vt niſi capitis aliquantiſper figura differret, ipſiſſimum fuiſſe Canem iuraſſem. Trux enim erat in hac capitis vniuerſi, oculorum nempè toruitas, dentiũ & pilorum circa roſtrum aſpectus, quæ in hac noſtra pictura ad amuſſim omnia reſpondebant, veluti legenti deſcriptionem meam patebit.

Lupus cum Cane in pedibus & dẽtibus cõuenit, ſed capitis aſpectus diſtat.

Singularem quandam in hac pictura oculorum ſcintillationem animaduertere licet, quæ apprime cum Plinianis congruit verbis lib. 11. cap. 37. *Nocturnorum*, inquit, *animalium, velut felium in tenebris fulgent radiantquè oculi, vt contueri non ſit, & Capræ Lupoquè ſplendent, lucemq; iaculantur.* Et Aelianus, *Acerrimis*, inquit, *atque acutiſſimis præditus Lupus eſt oculis, intempeſta nocte, vel Luna ipſa ſilente lucis vſura perfruitur.*

Oculi ſcintillantes in Lupo.

Accedit vnguium ſitus poſitusq.: Hi enim, non vt in præcedenti animali exſerti, ſed retracti fuerunt depicti; quod quidem omnes, qui animalium naturas indagarunt, in Lupo obſeruarunt. Voluerunt enim aliqui, quod Lupus dictus ſit quaſi *Leopus*, quod Leonem nempè in pedibus vnguibusquè imitetur. Siquidem hi non aliter ac feles retractis vnguibus incedant, ne audiantur. Quare Albertus ſcripſit, *Lupum cum fraudulenter incedit, pedes lambere ac lubricos facere, ne ſtrepitus audiatur.* Addunt alij, ſi ſepem tranſiliens occultè ouibus inſidiaturus pede forſan ſtrepitum excitauerit, mox pedem quaſi reum mordere. Si tamen Iſidoro credimus: dictus eſt Leopos, quaſi vt Leoni in pedibus, ita huic ſit virtus quicquid pede preſſerit, non viuat. Veruntamen de hac nobis Etymologia nulla lis ſit; certũ eſt, Lupũ concluſis potius, quàm explicatis ambulare vnguibus, quod in Icone probè inſinuatur.

Lupus retractis vnguibus incedit.

Color etiam, ſi & hic aliquid nobis argumenti præbere valet, in hoc animali talis reperitur, qualem Lupis cõmunem magis eſſe omnes fatentur; canus nempè nigricansq. Nec mirũ fuluas huic aliquot maculas intermiſceri: Neq; enim Europæum, ſed Americanum hic animal deſcribitur. Et in Noruegia quoq; Moſcouia, Lithuania, Samogitia (ne quid de magis Septẽtrionalibus dicam prouincijs,) candidiſſimi lupi, vrſi, lepores, ac vulpes reperiuntur. Quare nec hoc cuiquam alienum videatur, quod pilis curtis, & non villoſa,

Qualis color ſit Lupis cõis.

vt in

vt in noſtris, cauda depicta appareat. Hæc enim rei naturam non mutant. Et Rubum ſine ſpinis; nec ideò minus Rubum, vidimus. Et Canes tam hirtis quàm mollibus, longis curtisq. pilis, imò excepta capitis aliqua particulà, toto corpore glabros & pilis nudos conſpeximus. Et ſi quis ad rem aliquid hoc quoque facere putauerit, addam, vero valde ſimile eſſe, cùm ſub præcedente Icone author libri huius Canem nobis Americanam depingeret, hic quoque non Europæum animal ſubiungere voluiſſe, ſub Canis tamen generica & laxiore latitudine comprehenſum. Aliud argumentũ hoc animal Lupum Mexicanũ eſſe.

Nunc Animalis huius mores partesque breuiter nobis perſtringenda reſtant. Capitis figura, quæ Canino haud abſimilis eſt, iam ſatis delineata patet. Oculi ſunt lucentes vt dictum; roſtrum quoq; pilis craſſioribus ceu ſetis horridum. Aures in Lupo multò quàm in Cane erectiores & longæ ſatis. Dentes in Lupa illa cicure, de qua ſupra, quadraginta numeraui, eodem ordine & loco ſitos, modoq. formatos vti de Cane iam ſcripſi. Canini tamen illi in Lupo quàm Canibus longiores & è labris erectiores eminent. Inciſores prægrandes: molares magni & fortiſſimi, vt non malè Oppianus dixerit Luporum quoddam genus eſſe, dentibus adeò validis, vt lapides ac metalla vincere & perfringere poſſint. Partes huius Lupi explicantur. Dentes deſcribuntur.

Hìc æquum omnino cenſeo, quid Galenus lib. 11. Capitibus 8. & 9. de vſu part. de numero & vſu dentium ſenſerit, minimè ſilere. Ait autem Naturam vnum tantum in Homine, in vtraque parte caninum dentem produxiſſe, quòd ſciret ſe animal ciuile ac manſuetum effinxiſſe, cui robur ac vires ex ſapientia, non ex corporis fortitudine eſſent. Cum Leonibus, Canibus, Lupis ac ijs quæ Καρχαροδόντα, hoc eſt ſerratos habentia dentes appellantur, multos vtrinque dederit. Quod Horatius innuere voluit, Lupo in dentibus, in calce Boui arma eſſe, Galeni opinio de dentibus examinatur.

. . . . . *Mirum*, inquit,

-- *Vt neque calce Lupus quenquam, neque dente petit bos.*

Ego verò, quod & cum de Cane agerem, inſinuaui, tam in hoc quam in Lupo, non niſi vnum vtrinque dentem caninum illumq. prælongum & exertum valde reperio. Sex autem inciſores, quorum duo illi caninis viciniores, paulò quidem reliquis ſunt longiores, quos ob id caninos ipſe forſan appellauit, non labra tamen egredientes, ſed eodem cum reliquis inciſorijs ordine ſiti, eandem quoque meo iudicio, vtilitatem præſtant. Superant igitur tam Canis quam Lupus hominem numero dentium, quod hic ad ſummum non niſi triginta duos; illi quadraginta poſſideant. Sex nempe in maxilla inferiore molares dictos in vtraque parte, totidem in ſuperiore ſerratim reſpondentibus oppoſitos. Caninos tam ſupra quàm infra vtrinq; vnum, & ſex inciſores, in vtrauis maxilla ſingulos. Cùm Homo tantum quatuor habeat incidentes, molares quinq; at plerumq. quatuor, etiã in adultiore ætate. Solent autem (vt plurimis amicis meis vſuvenit) vltimi illi molares ætatis anno vigeſimoquarto & octauo non rarò, erumpere cum ijſdem planè dolorificis accidentibus ac moleſtijs, quibus pueruli dentientes affliguntur. Hos in Caluarijs quibuſdã, ſuis in præſepiolis adhuc latitantes bene grandes conſpexi. Homo ad ſummũ triginta duos, Lupus quadraginta poſſidet dentes.

Ex quo patet falſum eſſe, quod libello de Anatomia viuorum, qui Galeno adſcribitur, memoriæ proditum fuit, Lupo multiplicem eſſe dentium ordinem conceſſum.

Ariſtotelis error de Lupi collo detegitur.

De collo Lupi facere non poſſum quin ipſiſsima Ariſtotelis verba 4. de Partibus Anim. 10. adducam: *Collum*, inquit ipſe, *Arteriæ* (ſcilicet aſperæ) *gratia habetur, quippe quòd eam atque etiam gulam protegat, amplexuq. ſuo tueatur, hoc cæteris animalibus flexile & vertebris compactum eſt, at Lupo & Leoni oſſe perpetuo riget, commodiùs enim ad robur quàm ad alios vſus collum ijs eſſe natura voluit.* Plinius lib. 11. cap. 37. Ariſtotelis veſtigijs probè inſiſtit. *Quibus Ceruix eſt* (inquit, nempe animalibus) *è multis vertebratisque orbiculatim oſſibus flexilis ad circumſpectum, articulorum nodis iungitur, Leoni tantum & Lupo & Hyænæ ex ſingulis rectisq. oſſibus rigens. Cætero ſpinæ annectitur.* Hæc Ariſtotelis doctrina adeò ipſius ſequaces commouit, ne dicam decepit, vt Ælianus hoc etiam figmenti addiderit: *Lupi collum in eas breuitatis angustias compulſum, atque vehementer compreſſum eſſe, vt retorqueri, retroq. verſari non queat, & ſi retrò velit aſpicere, totum corporis truncum retorqueat neceſſe eſſe.* Quæ ita veritati è diametro repugnant, vt vel ipſo Cane agiliorem ferme Lupam, collumq. in quamuis partem faciliùs vertere, & ludicris cum magiſtro ſuo geſticulationibus quaquauerſum ceruicem volutare in meo nuper Muſæo & viderim & riſerim plus ſatis. Collum quinimò arctè contrectaui & Ariſtotelem miſerè hic hallucinatum fuiſſe probè didici. Et cum à Lupæ huius heris plures exenterati Lupi fuiſſent, vbi hanc ipſis Ariſtotelis opinionem de ceruice rigida vnius continui oſsis propoſui, & ipſorum ſenſum exquiſiui, & me ac ipſum *petulanti ſplene cachinno* exceperunt. Sed quid hæc mirer aut exagitem? Cum idem Ariſtoteles in Caluaria Canis, vt ſupra monui, eundem errauerit errorem, illamq. oſſe continuo nullis contextam commiſſuris diu nobis perſuaſerit. *Atqui*, vt Lucianus ait, *ipſæ res melius loquuntur quã verba.*

Eundẽ errorem Plin. & Aelianus errarunt.

Ariſtot. lapſus in Canis caluaria.

Inter centena & plura animalium tam reptilium quàm volatilium, quadrupedum & aquatilium ſceleta, quæ ego partim domi aſſeruo, partim imperfecta reliqui, vnum ſolùm reperi, quod os continuum loco vertebrarum ſortitum eſt, nimirum Teſtudinis, ſiue hæc aquatica ſiue terreſtris fuerit. Os autem hoc rigidum nullis mobile vertebris in ſola dorſi & lumborum ſpina reperitur, peruium tamen æquè, & ſpinali medulla repletum. Collum interim & cauda æquè vertebris (vt reliqua omnia habent animalia) articulatis conſtant, quaſi Natura has collo minimè denegare debuerit, cuius motus ad vitam admodum eſt neceſſarius: Quòd caput nempè collo impoſitum, in vtrumque prorſus latus, antrorſum, retrorſumque verti debuerat, cum in hoc ceu in ſpecula quadam ſenſuum organa omnia collocata fuerint. Vertebris autem in dorſi ſpina eas carere voluit, vt ceu fornice ac domuncula, & vt Plinius vocat, putamine duriſſimo præditæ, ſub hoc tutæ lateant, nullo modo ſiue ingredientes, ſiue procumbentes incuruare & conglobare ſe valeant, id quod Erinaceis facillimum eſt, qui hoc etiam præter Naturæ rerum & aliorum quadrupedum animalium ſeriem obtinent, vt Clauiculas habeant, quæ ſoli alioquin Homini, & Simiæ, ſingulari

Sola Teſtudo vertebris in ſpina dorſi caret.

quo-

quodam priuilegio conceſſæ fuerunt. Et ideò forſan quod Erinaceus adeò in globum ſe colligat, vt nec caput nec caudam, principium & finem eius internoſcere queas. Hoc cum Teſtudo præſtare non valeat, neque vertebras in dorſo habere debuit. Id quod fortaſſis & ipſum Ariſtotelem præterijt 3. de Hiſtor. Annal. cap. 7. *Initium vero*, inquit, *in omnibus, quæ oſſibus conſtant, ſpina eſt, quæ compacta ex vertebris à capite ad coxas porrigitur. Vertebræ omnes foramine medio peruiæ ſibi iunguntur.* Vides quam omnia Natura ad *numerum, pondus*, & *menſuram* neceſſaria moliatur, nec quicquam fruſtra faciat. *Huic* ego me malim, quam *Authori* vlli aſtringere, hanc ſequi, cum hac inuenta mea omnia ſedulò conferre. *Qua duce*, vt Cicero ait, *nullo modo errare poßum*, & vt Iuuenalis,

Nunquam aliud Natura, aliud ſapientia dicit. Atqui nec ratio Ariſtotelis quicquam perſuadet, cum ait, ideò Lupo & Leoni, vnico rigens oſſe collum à Natura conceſſum fuiſſe, quod animalia hæc robore potiùs, quam alijs prædita vſibus voluerit. Neque enim facilè Ariſtotelem mihi aſſenſum prębiturum æſtimauero, ſi perſuadere ipſi conari velim, manum, vt probè ſuo fungatur munere, & fortiſſimè quicquid apprehendit, contineat, non viginti ſeptem, ex quibus compoſita conſtat, ſed tribus ſolummodò maioribus oſſibus contextam eſſe debere.

Galenus meherclè, acutius rem introſpexit, & colli partes vſumquè ſedulò magis nos docuit in libris *de vſu partium*, quos aureo dignos elogio cenſeo, cum in his Conditoris noſtri ſapientiam, ac prouidentiam in procreandis tam brutorum, quam humanæ fabricæ partibus diuinis planè, vt æquum fuit, hymnis celebrauerit. Libro itaque 12. Cap. 10. 11. & 12. hunc in modum philoſophatur: Spinam à Natura, ceu carinam quandam, animalibus datam eſſe, cuius nos beneficio recti ambularemus, illa ſuo quæuis modo ingrederentur. In qua duo erant neceſſaria: primum, vt intus excauata eſſet, hunc nempè in ſinem, vt ex cerebro, ceu fonte animalis facultatis, portio aliqua, ſpinalis medulla dicta, tanquam fluuius per ipſam ad motum ſubiectis partibus communicandum deſcenderet: Secundum, ne vno ſimplici & incompoſito oſſe rigeret, quanquam ad Sedem tutam id longè vtilius fuiſſet, neque enim tam facilè ſpina hoc modo luxari, ac diſtorqueri potuiſſet. Veruntamen Scopum Natura hic alium in conſtituendis partibus antiquiorem habuit. Non enim lapideum vel ligneum effingere animal, ſed vita motuq. præditum voluit. Si enim motu deſtituatur, parum abeſt, quin pro lapideo illud luteoquè habeamus. Quapropter cum motus animali ſecundum ipſius ſubſtantiam maximè inſit, ob id ſatius fuit, ex multis fuiſſe partibus conflatum. Si enim totius ſpinæ os vnicum fuiſſet, an non immobile, ac veluti veru quodam confixum aut palo affixum appareret? Miror profectò Ariſtotelem Lupo non cornua addi- diſſe, huic enim ad arietandum illa colli rigiditas, quàm ad venandum conferre amplius potuiſſet. Iam autem cur tam collum, quam Μεταφρένον ſeu dorſum, quam Lumbus, & os quibuſdam ἱερὸν hoc eſt Sacrum ſeu magnum, ab alijs verò πλατὺ id eſt latum nuncupatum pluribus ſpondylis & vertebris, non autem tribus quatuorve oſsibus maioribus ceu Tibiæ & Brachia, conſtent, & Gale-

Cornua Lupo conuenirent, ſi colli os rigidũ haberet.

nus loco iam dicto enucleatè ſatis explicat, & ad Medicorum potius, quam noſtrum forum hoc longius proſequi pertinet.

Ecce quantum poſſit præoccupata & diu nutrita de magni cuiuſdam viri doctrina, opinio! Nam

Deplorandum, quòd nos neglecta plerũq. rerũ magiſtra experientia, nudis Authorũ verbis declarãdis immorimur.

- *Cui quisq; ferè ſtudio deuinctus adhæret*, hunc laudat, hunc imitatur, præ hoc omnia aliorum dogmata ipſi frigent ſordentquè, & ſic *ſemper itur in antiquam ſiluam*. Quilibet denique ſequitur priores malè iter ingreſſos, & excuſationem mereri videtur, quod publica via errauerit. Vt enim Seneca ait, *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum; apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri*. Sed & idem Seneca: *Tritiſsima quoque via & celeberrima maximè decipit, nihil eſt magis præſtandum, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur*. Ac reuera nunquam tam benè cum rebus humanis actum eſt, vt optima plurimis placuerint.

Et quod deplorandum magis, res eò iam redacta eſt, vt temerarium æſtimetur, velle aliquem in naturalibus præſertim ſtudijs profiteri ſcireq., quæ alij hactenus ignorarunt, odioſum verò etiam, ea immutare conari, quæ longa iam conſuetudine recepta, & ceu legibus quibuſdam ſancita & optima iudicata vidẽtur. Hinc conſumimus plerumq. totum vitæ tempus, in aliorum ſenſibus (nunquã etiam forſan ab ijs authoribus penſitatis) eruendis & dilucidandis, Natura & rerum magiſtra experientiã longè interim valere iuſſa. Non certè Platonem Ariſtoteles interpretandum, aut hunc Theophraſtus explicandum ſolum ſuſceperunt, ſed vterque ſuo modulo philoſophari, vetera impugnare, & noua, quæ ipſis veriora videbantur, ſubſtituere voluerunt. Atqui *rationem rationem* conuincere, inclamant omnes; quam & ego ſi vera ſit, admiror & exoſculor.

Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam.

Quã rationẽ nos amplexari debeamus.

Verum & hoc ex communi Præceptore Ariſtotele 3. de Generat. animal. cap. 10. didici, *Rationi fides eſt adhibenda*, inquit, *ſi quæ demonſtrantur, conueniunt cum ijs rebus, quæ ſenſu percipiuntur*. Cuius ſi rationes eiuſmodi eſſent, proh Deum immortalem! quam tædioſis nos laboribus in rerum naturalium perſcrutatione liberaſſet? in qua & opes, & ſæpè vitam conterimus, antequam veritatem in puteo latentem expiſcamur. Sed audendum & nobis erit, vt adagio enim fertur, *Et Græci non niſi tentantes ad Troiam peruenerunt*. Sequamur hic Senecæ ſi libet, conſilium: *Faciamus*, ait, *bonum patrem familiæ, faciamus ampliora quæ accepimus, maior iſta hæreditas à nobis tranſeat ad poſteros, multum adhuc reſtat operis, multumq. reſtabit, nec vlli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adijciendi.*

Senecæ Cõſiliũ ſtudioſis omnibus cordi habẽdum.

Mãmarum ſitus ac numerus Canem Lupo ſimilẽ monſtrant.

Iam mammillarum quoque ſitus & numerus, quas in hac Lupa mãſueta conſpexi, certo mihi perſuadent cani valdè affinem Lupum eſſe, quod & os in genitali maſculi, pluries, vt in Cane viſum, oſtendit, & ab Ariſtotele quoque notatũ. Reliquum igitur eſt, vt & oſſium, coſtarum præcipuè & vertebrarum conformatio ac numerus cum Cane conueniat. Erunt igitur colli vertebræ ſeptẽ, quot in meo Canino ſceleto numerantur: tredecim verò dorſi, quibus totidem affixæ coſtæ tam veræ quam mendoſæ (clauiculis enim caret Lupus & Canis) hærent, & in lumbis ſeptem. Poſt has omnes os ſacrum ſequitur cum reliqua cauda, quæ ſimul ſeptemdecim vertebris ſeu oſsiculis abſoluuntur. Omnis igitur

Oſſium in Lupo enumeratio præcipuorum.

à ca-

à capite ad vltimum caudæ ossiculum numerus erit quadraginta quatuor separatarum particularum.

Accedit huc in pedibus etiam luporum cum canibus conformitas. Quinque enim in prioribus pedibus digitos, & quatuor in posterioribus eodem prorsus modo quo in canibus, vt Arist. 4. de part. animal. cap. 10. rectè scripsit inueni. Galenus etiam 3. de vsu part. 7. *Luporum, Leonum, & Canum pedes medios inter humanos & equinos facit quod nec planè articulati sint, vt humani, nec simplices adeò vt equiui, ad omnem apprehensionem inepti, sed vtiles illis feris ad venationem & cibationem, anteriores præcipuè manibus proportione quadam respondentes. Cum & natura in humano pede manum hominis imitari quodammodo voluerit, qui & ipse apprehensorij instrumenti loco inseruire possit.* Quod equidem verissimum esse in *Heluetio* quodam hìc Iuuene vidimus, qui brachijs destitutus pedum operà omnia illa perageret, quæ alius vix manibus perfeciset. Solebat autem pede cibum carpere & capere, ori poculum admouere, pileum deponere, taxillis ac chartis ludere, Tympanum ad numerum percutere, fuere & nere, & similia plura peragere. Eleganti etiam scripturam charactere ab alio simili pedum ope exaratam conspeximus, quos à multiplici pedum officio πωδούργους quis rectè appellare poterit.

Pedes Luporum ex Aristot. & Galeno.

Quidã pedum operà omnia manuũ opera præstitit.

Lupum Canis modo ventriculum sortitum, & quidem satis capacem esse, & vidi ipse & oculatorum testimonio didici, quorum aliqui pro certo mihi asseruerunt, nonnunquam Lupos terram deuorare & reuomere, cuius autem id gratia fiat, non ita planum est. An vt famem compescant? quod Plinius voluit, & ante hunc Arist. 8. Histor. anim. cap. 5. quod huic animali peculiare esse ait. Vulgus tamen Bufones quoque terra victitare autumant, de quibus alio loco. An vt Albertus arbitratur, Lupos famelicos non vt famem sedent, terra se replere, sed vbi grandia aggressuri sint animalia, boues, ceruos, equos, alces, id tentent, quo pondus sibi addant, & infixis dentibus hærendo bestijs, grauitate illos humi prosternant ac dilanient? Et cum certum sit tandem illos terram vomitu reijcere, credi vix potest hanc illis alimento esse. Retulit pro certo Amicus mihi, se non rarò lupos apertis faucibus rictuque hiante, in maximis frigoribus ambulantes aerem anhelantes auideque trahentes conspexisse, quod ipse eius gratia factum existimauit, vt ventriculum inanem saltem aere, cum carnes deessent, expleret. An vt longissimè distans cadauer olfaceret? odoratu enim vix Canibus cedunt. Quod in *Congiani* Regni descriptione docetur, vbi hæc verba habentur: *Lupi quoque eius regionis singulariter oleo palmarum delectantur, quod, cum vt canes sint sagaces, quamuis remotum indagant, & noctu nisi in tugurijs accuratè custodiatur, vel etiam in campis portatoribus ibi pernoctantibus & dormientibus, furantur. Oleum quod ex palmarum fructu exprimitur, crassum est & butyri in modum ductile, quod cucurbitarum corticibus excipitur, malè reseruatur, & mirum est, quam dextrè hi fures dentibus vasa comprehendant, & humeris, vt lupi nostrates oues furati inijciant, vt cursus tanto sit expeditior & persequentium verbera effugiant.* Alij in euiscerati ventriculo non nisi frustum ligni putridi sesquilibram pendentis, hoc enim in extrema fame sæpe vorant: alius caprinas vngulas ingestas, at non digestas: alius equina stercora, & alius demum non nisi

Lupi vẽtriculus.

Cur Terrã deuoret.

Quid in Lupi vẽtre repertum.

gramina

gramina quædam ſe reperiſſe mihi narrauerunt. Quamuis quod ad gramina attinet, hęc tantummodò Ariſtoteles ad purgandum vomitu ventrem Canes ingerere ſolere, loco iam dicto affirmauit.

Lupus ſtrenuè fame re poteſt.

Voraciſſimum autem vt hoc ſit animal, inediam tamen ſtrenuè tolerare poteſt. Recenſebant mihi Lupæ iam ſæpius nominatæ educatores, ſe ſingulis modò tertijs, imò quinquenis diebus (*Exſaturatus enim* inquit Aelianus *Lupus longum temporis interuallum inediam fert*) huic pabulum præbere, (interea tamen temporis ſæpius bibit) nec præter carnem aliud quicquam, cuius viginti duas libras vna vice eſſe poteſt.

Vigĩtiduas carnis libras Lupa vorat.

Attamen parciore longè illam portione cibant. Et ob id quidem fame macerant, quo obedientiorem illam ſibi habeant, & vlulare ſeu, vt ipſi dicunt *Cantare* cogant. Hac enim arte, dum populo luſum faciunt, collectis pecunijs, & ſe & Lupam, vel Lupa potius hos ipſos ſuſtentat. Licet Aelianus contrarium innuere videatur: *Lupum nempe, vt famem multo cibo depulit, ſimiliter occurrentibus, atque agnum manſuetum exiſtere*. Panem edere ipſam nolle addebant: alij tamen luporum catulos eundem, pulmenta, & farinam, & pleraq. quæ canibus proijciuntur deglutiuiſſe viderunt. Sed nec Canum carnes guſtare vnquam voluit, cum lupus tamen non ratò lupum deuoret. Quod Aelianus quoque fatetur; ſed hæc præ ſumma fame lupos coactos facere, cum venationis facultate deſtituuntur, vbi enim vt Poeta ait,

Quibus cibis Lupus victitet.

Viuitur ex rapto, nec hoſpes ab hoſpite tutus, – ibi
– – – – *Et fratrum quoque gratia rara eſt*.

Nec mirum hoc, cum in longis arctisq. obſidionibus homines etiam Anthropophagi euadant, atque in acerbiſſima fame aliqui morſu ſuismetipſis carnibus vim intulerint. Sic & Canum carnes à lupis in venationibus aut fame ingurgitari facilè crediderim. Nam & Canes à luporum carnibus (experimento vt audio ſæpius tentato) etiam ſale & fumo ſiccatis, coctisq. omnino abhorrent: Vbi tamen valde percoctæ fuerint, & ferinum illum depoſuerint fætorem, tum adduci demum poſſunt, vt comedant; cum homines interim ſæpius decipiantur pro bouina illas ſumentes. Tantum nos à beſtijs, quibuſdam in ſenſibus ſuperamur: Ita, vt dum Caniculæ meæ domeſticæ lupi ſtomachum à duodecim iam annis exiccatum olfaciendum proponerem, ſtatim hæc odore percepto retro ire cæpit.

Canes Luporum carnes niſi per coctas non deuorant.

Theophilus Molitor Lynceus induſtrius viuorũ & mortuorũ animaliũ perſcrutator.

Theophilus Molitor Lynceus Haſſus (cuius Animæ benè ſit) diligentiſſimus Naturæ animalium perſcrutator fuit, olim familiaris meus, à quo & lupi ſtomachum, Inteſtina, ſiniſtrum oculum & genitalis lupini portionem memoriæ, & ſi quid proſunt, etiam medelæ cauſa aſſeruo, cuius & induſtria manu omnia animalium, atq; hominũ quoque ſceleta fabricata poſſideo. Hic ſæpè mihi narrare ſolebat, in Haſsia contigiſſe, dum lupi ad caulas aliquot acceſsiſſent, magnãq. in ouibus ſtragem feciſſent, ac ſemieſas non paucas reliquiſſent, paſtores relictam carnium partẽ cuſtodibus canibus proieciſſe: Vnde factum, vt poſt aliquot inde dies Canes illi luporum more in cõmiſſum ſibi gregem irruerent, maximã illius partem occiderent, carnesq. lupina auiditate deuorarent. Ex quo rurſum colligo à Lupo Canem non multum diſtare. In America profectò referunt

ferunt Europæos iam canes adeò multiplicatos esse, vt horum plures siluestres effecti, homines non aliter ac Lupi adoriantur.

Ventriculus autem quem ego ex Lupo penes me habeo exiccatum, substantia sua Vaccinæ vesicæ omninò similis & liquoris septē librarum ad minus capax est. Quamuis vt verum fatear, eiusdem capacitatis, sed substantiæ tenuioris ex *Gallo Indico maximo* (cuius sceletum adhuc custodio) ventriculum habuerim iam situ planè detritum. Intestina superiora nempè a stomachi substantia parum variant, nisi quod subtiliora magis in substantia sint, & pedes nouenos superent. Ex quo clarè perspicitur, quam vulgus hallucinetur, qui vnico rectoque à ventriculo ad podicem vsque hoc animal esse præditum intestino credit, vocacitatem incusans, quæ faciat vt quamprimum cibum ingessit, recto tramite egerat, sicq. nouam semper ingluuiei materiam suppeditare nitatur. Si enim his tenuioribus sua quoque crassiora adderentur, non dubito quin ad pedes fermè viginti excurrerent. Humana certum est, viginti octo, triginta & plures sæpè pedes superare. Et cum Canes Lupis magnitudine pares reperire liceat, nec minus etiam forsan voraces, iterum clarum fiet, horum ventriculum non tam paruum esse, vt intestino maiori paulo amplior sit, quod in historia Canis Aristotelem credidisse scripsimus. Credo equidem fabulam hanc de simplici Intestino indè natam esse, quod *Olaus Magnus* de voraciſſimo quodam animali in partibus *Suetiæ* Septentrionalis scripsit, cui ob vorandi auiditatem *Gulonis* nomen datum fuit, magnitudine Canis; quod hoc nimirum, vbi cadauer reperit, tam violenter se cibo repleat, vt tympani instar venter extendatur, & ob id anguſtia inter duas arbores inuentà se stringat, & violentius, quod ingestum est, egerat, atque sic extenuatum, ad gulam & cadauer redeat, donec totum absumat. Sit fides penes Authorem. Nam qui in *Noruegia* fuerunt & eiusmodi animal precioſa munitum pelle viderunt, de hac re se nihil quicquam inaudisse pro certo mihi affirmarunt. Iul. Cæsar Scaliger Exercit. 203. aduersus Cardanum huius etiam meminit belluæ & *Rosomacham*, Vulturem quadrupedem, ac Germanicè *VVildfras* (potius ego *Vilfras* à plurimum deuorando) appellat. Atque vt omnibus pateat, quam libenter arrepta etiam vltrò occasione Vir bonus hic integras Nationes mordeat & calumnietur, concepta eius hìc verba subiungam. Non enim vult consequi, homines Indigenas similes mores animalibus habere, quæ apud ipsos frequentia viuunt, quod *Cardanus* crediderat; Siquidem *voraces esse Anglos* ait, licet hoc animal gulosum Anglia non alat. *Præterea vulpes in Italia paucæ*, inquit, *esse tamen Italos cautos, omnium consensus Nationum persuadet. In Germania nostra* (Germanis nempè Principibus sanguine iunctum se facit) *in Suizeris, in Allobrogibus infinitæ. Tuiscis nihil simplicius. Eluetijs nihil inconsideratius. Sabaudianis nihil stolidius, inertius, stupidius.* Hæc Scaliger: Quem tanti tamen hodieque plurimi faciunt, vt vltra hominum etiam sortem ipsum extollant.

Nec minus hoc fabulosum, quod plerique Lupum coxas & posteriora crura debilissima & fermè paralytica habere existimarunt, vndè illud forsan Plauti natum est: *Quasi Lupus ab armis valeo: clunes infractos fero.* Quod vel inde redarguitur, cum Lupi æquè ac Canes cursu valeant velociſſimo, quos nec facilè

Canes

Ventriculus Lupi exiccatus.

Ventriculus Galli Indici.

Intestina Lupi ficcata.

Humana intestina triginta pedes superant.

Gulo animal Suetiæ voraciſſimum.

Scaliger pater etiã integras Nationes libenter mordet.

An Lupi in coxis sint adeò debiles.

Canes assequuntur. Hoc egregij tamen quidam mihi venatores persuadere conati sunt, si quis non auribus, vt verbo fertur, sed cauda Lupum apprehendere queat, stringat ac trahat illam fortiter, tum vires Lupum omnes perdere, nec ad mordendum se posse vertere. Ego quidem hoc alios tentare, quam ipsemet subire periculum malim. Si tamen vera narrant, non ita in promptu forsan respondere fuerit. Hoc interim causæ afferre haud mihi incongruum videtur. Caudam extremum Spinæ esse, in qua nobilissima illa ex cerebro deriuata substantia, medulla nempè spinalis latet. Quare in consensum facile per hanc, neruorum principium ipsum videlicet cerebrum, trahitur & patitur, motus quoque animali consequenter imminuitur. Consensus iste tali experimento arguitur. Si enim ex equina cauda crines illi longiores sæpius euellantur, equi visu debilitantur, eoque non rarò priuantur. Felis etiam quæ diutius vi quocunque ipsi modo illatà moriendo cunctatur, vbi caput ipsi premitur, & cauda multùm trahitur, facilè mortem, vt audio, oppetit. Sic vbi grandioribus quibusdam bestijs acutus in nucham, vt spinalem contingat medullam, stilus adigitur, motum facilè & sensum omnem perdunt. Tantum momenti in vita & morte hic cerebri funiculus obtinet. Iam autem non est eadem in præcisa cauda ratio, animalia enim plurima, si ipsis hæc decurtetur, non ideò moriuntur. Atqui & punctos saltem neruos lethalia inferre symptomata videmus, cum penitus præcisi vix mali quicquam afferant. Et fors etiam in lumbis Lupus vertebras habet quam in collo & dorso laxiores. Verum omnium horum rationes & momenta afferre, quæ peritos non fugiunt Medicos & Anatomicos, nec locus nunc nec tempus permittunt.

Consensus caudæ animalium cũ cerebro.

Spinalis medulla in vita & morte maximũ momẽtum habet.

Quare cum & externa figura & interna structurà Canes & Lupi tam scitè conueniant, an non & Lupi latrabunt, & Canes vlulabunt? De his res certa est, nemo enim nostrum Canes persæpè non vlulare & eiulare audiuit. Latrare verò Lupos pleriq. negant: *Albertus* affirmat. Ego nuper domi meæ herum Lupæ suæ vlulatus voce præcinere, hanc eodem tenore sequi, cum voluptate percepi, latrare non audiui. Credo tamen Nobilibus Polonis amicis, qui Luporum catulos, quod & vulpes faciunt, latratus voces, non tam acutas tamen, sed rauciſonas emisisse, non rarò audiuerunt.

Vlulare & latrare quibus proprium.

Arbitror igitur à Deo & Natura Architecta vocis organa in vtroque animali non eodem prorsus modo fabricata fuisse. Latrantes enim Canes firmioribus longè pectoribus ac pulmonibus valere necesse est, cum aerem latratu fortissima expulsione percutiant. Lupi verò, vt vlulantem aspicienti manifestum fit, aperto rictu sine multa thoracis agitatione flebile illud carmen emittunt; & idem Canes, vbi ipsis ægrè est, facere assolent. Sit aliqua Laryngis itaque in vtroque differentia necessè fuerit. Dum olim enim recurrentem Cani neruum Laringi destinatum incideremus, latratum quidem posthac Canis, sed rauciſsimum & auribus vix perceptilem edidit. Ecce in quam angustam Isthmum vtriusque animalis, formæ essentialis discrimen concluſum latet, cum vna latret, altera vlulet bestia. Quibus accidentibus, seu proprietatibus imperscrutabilem formam philosophi discriminarunt.

De coitu partuque, eodem se res modo habet, vt de canibus. In coitu enim

hærent

hærent, quod viſum dum caperentur. Numeroſam prolem ſex nempè & nouem catulos eoſque cæcos pariunt, tenerè hos amant, & rumen cunctis præbent, decem enim mammillis fæmellæ ſcatent, quæ à canibus etiam ineuntur. Laudare poſſum hic Nobilem Polonum, qui *Grætij* paucos ante annos, Lupam trium annorum intra domeſticos in ea Vrbe, parietes educatam, & cicurem adeò, vt cum pueris quoque luderet, excuſſis tamen caninis dentibus, ex cane domeſtico concepiſſe vidit, quæ catulos ſeu lyciſcas ſeptem peperit, matri formà ſimiles, colore tamen variantes, qui omnes paulo poſt enecti fuerunt. Lupæ cum canibus coeunt & pariunt.

Ingenio Vulpibus vix Lupi cedunt, quod in nidis ſuis & cauernis in loco remoto ſub arbore quadam dextrè fabricandis & in venationibus maximè monſtrant. Ex compacto enim loca in ſiluis diuidunt: hic retrò hanc, ille aliam poſt arborem ſe abſcondit, tertius ceruæ inhiat, eamque curſu fatigat & eò propellit, vbi occultatos ſocios nouit, quam vbi in occurſu habuerint, prorumpunt ex latebris, inſiliunt miſeræ, quam proſternunt facilè & dilacerant. At ſi quæ flumina gelu obducta ibi nouerint, ſtudio omni addibito in glaciem adigunt: cum enim ibi cerua pedem figere non poſſit, ſtatimq. procumbat, præda petità potiuntur. Eſt & hoc ingenioſo matris amori adſcribendum, quod catulis ſuis hædos, porcellos, agnos aliaque huiuſmodi minuta animalia ore arrepta viua deferat, eoſque ad rapinas & latrocinia tyrones inſtruat, quæ omnia certiſſima eſſe noui. Ingenio lupi vix vulpibus cedunt.

Iucundum æquè ac mirum auditu eſt, homines reperiri *Luparios* dictos, qui luporum vlulatum non aliter ac ſi humana loquela vterentur, ad vnguem intelligunt, ipſisque vlulantes reſpondent (ſed interim laqueos & inſidias ponunt) ſiue illi ad prædam ſocios ſtimulent, & huic iam inſiliant ac lanient, ſiue ad coitum ſe prouocent, aut plurimi conuenticula & quaſi conſilia agitent. Nam & Illuſtriſsimus & Excellentiſſimus D. Princeps ſæpenumerò in oppido ſuo *Montis Calij* ex ſiluis ſubiacentibus huiuſmodi luporum ad plures noctis horas durantem conuentum, ac diuerſarum vocum conuentum, & vt cum Virgilio loquar, Homines luparij dicti.

\- - - - - - - - - - *altè*
Per noctem reſonare lupis vlulantibus Vrbem

audiuit, *lupinam muſicam* hanc lepidè appellare ſolebat. Muſicum hunc chorum ſi impunè ipſi liceret, voce ſua ornare poſſet infauſta illa auis, quam *Vlulam* & alio vocabulo *Huhu* vocant, ex funeſto Noctuarum genere oriunda. De qua Poeta, Muſica lupina.

Infelix Bubo dirum mortalibus omen.

Cum itaque Lupum & Canem adeò congeneres eſſe hactenus oſtenſum ſit, vt aliqui Lupum dixerint canem ſilueſtrem eſſe, quamuis reuera cum Scaligero aduerſus Cardanum cenſeam nec canem omninò lupum, nec hunc vlla metamorphoſi canē euaſurum: non verò miror à fatua illa Gentilitate paribus vtroſque & diuinis propemodum honoribus affectos fuiſſe. Quemadmodum enim Ægyptij Canem pro Deo, ſic Lycopolitana Thebaidos ciuitas, vt *Macrobius* Saturnal. lib. habet, lupum venerata fuit. Sed & Ægyptios olim lupos coluiſſe, ex Aeliano diſcimus. *Proximè*, inquit, *Nilum herba naſcitur, quæ non ſine* Lupus pro Deo à ſtulta Gentilitate cultus.

cauſa

causa Lycoctonos appellatur, quod eam Lupus calcans conuulsionibus moriatur. Propterea Aegyptij in terras suas eiusmodi herbam importari prohibent, quod hoc animal venerentur. Habeant quæso ipsi suos, & nostros etiam si velint, Lupos Aegyptij, & nobis ad exstirpandos nostros Lycoctonon remittant. Macrobij autem de Lycopolitana vrbe hæc sunt verba: *Quæ pari religione Apollinem itemque* Lupum, *hoc est λύκον coluit: In vtroque solem venerans, quod hoc animal rapit & consumit omnia in modum solis, ac plurimum oculorum acie cernens, tenebras noctis euincit. Ipsos quoque λύκους ἀπὸ τῆς λύκης hoc est à luce prima appellatos quidam putant, quia hæ feræ maximè id tempus aptum rapiendo pecori obseruant, quod antelucanum post nocturnam famem ad pastum stabulis expellitur.* Ex quo loco etiam clarum euadit, cur *Apollo* modo *Lycius*, modo *Lycophos* à veteribus appelletur. Homerus ipsum *Lycigenem* vocat, quod ex Latona in Lupæ speciem conuersa editus esse credatur.

Lupi comparantur Soli.

De rabie Luporum.

Præterire hìc nefas duxerim, nisi de Luporum rabie, (quam plurimi negant) eademque Canum aliquid dixerim, quod locus hoc ipsum permittat & Medicinæ studiosorum vtilitas efflagitet. Galenus 6 de locis affectis cap. 5. hæc habet: *Cum enim reliquorum Animalium nullum rabie capiatur, solus canis eo affectu corripitur. Atque tanta fit in ipso humorum corruptio, vt solum eius sputum si humanum corpus contigerit: rabiem excitare possit.* Hic Galenus duo dicit. Primò hominem à Cane rabido concipere rabiem posse, quod Aristot. 8. de Hist. an. 22. negat, *qui nec hominem à Cane rabido morsum, rabie infici, nec mori* (quod vtrumque falsum est) audacter scripsit. Secundo solum canem sua nempè sponte rabie corripi, quod & ipsum veritati repugnat. Nam nos Luporum rabientium non pauca apud authores exempla legimus & à fide dignis auditu accepimus. Reperio in meis aduersarijs siue obseruationibus Medicis & Anatomicis, (has quinquennio illo collegi, quo Medicæ praxi in Nosocomio S. Spiritus addiscendæ operam dedi & Principium Anno seculari M. D. C. feci) quas *Iuuenilia* mea appellare soleo, Anno Sexcentesimo nempè tertio supra Millesimum, Mensi Septemb. nobis relatum quendam in vicinia tertio post decubitum & hydrophobiam die mortuum fuisse, qui ante Sesquiannum à rabioso Lupo morsus fuerat. Vltimis hic igitur & extremis vitæ suæ diebus, cum reliquum à morsu tempus incolumis egisset, adeò à vino & aqua abhorruit, vt in maxima siti bibere non posset, nisi per canaliculum, (contecto poculo, ne liquida videret) trahendo & sorbendo. Hic iteratis sepè vocibus, vt Lupus vlulabat & mentis planè compos assidentes rogabat, discederent à lecto paululum, ne dentibus ab ipso impeterētur. Ante annos nondum decem *Velitris* (quòd à multis eius Vrbis incolis mihi relatum est) Lupus adeò rabie percitus sæuijt, vt ipsa Ciuitatis mœnia etiam interdiu ingrederetur, plurimosq; læderet, qui simili omnes rabie capti perierunt, præter vnum forsan & alterum, qui multorum spatio mensium Vulnera aperta tenuerunt, quò sanies illa & aura venerata paulatim exhalaret. Exempla plurima, ne longe abeas, apud *Ioannem Schenkium* reperies, quæ sunt *Fernelij*, *Petri Salij*, *Palmarij* & aliorum.

Aristot: negat sed male, hominem corripi rabie.

Mortuus quidam rabie à Lupo contracta.

Alia historia Lupi rabientis.

Ne & hic desit Canum Luporumq; Naturæ genericæ quædam Communitas: Præter rem minimè me facturum existimo, si, quæ tam mihi in praxi Medica & Anatome rabie correptorum, quam alicui meo Collegæ occurrerunt,

runt, hic breuiter enumerauero. Cum ante annos ſeptem ad plebeium quendam virum accerſerer, cui iam alius etiam Medicus operam præſtiterat, reperi ipſum hydrophobia laborare, & ſecunda poſt acceſſum meum die, ad plures è viuis abire. Fuerat hic ante quadraginta dies à Cane cuiuſdam Lanionis demorſus, quem rabidum fuiſſe non conſtabat. Quare vulnere, more ſolito, iam per conuenientia medicamenta à chirurgo probè conſolidato, reliquum temporis proſperè exegit, donec febricula quadam & ſtomachi dolore nauſeaque correptus, medicum vocaret: hic purgante potiuncula præſcriptà, cum aliud nihil aduerteret, eluuiem illam ventriculi ſe facilè expurgare ratus, ſanitati reſtituendæ inſiſtebat. Veruntamen, cum matutino tempore Pharmacopœus potionem in ſcypho vitreo pellucido ſatis, ipſi porrigeret, ſtatim concuſſo capite, & furenti ſimilis, (cum prius tale nihil quicquam in ipſo animaduerſum fuiſſet) Apage inquit, cum liquore iſto, quem nec bibere, nec intueri æquo animo valeo. Redit medicus, ægrum increpat, iuſculum carnis ſaltem adferri iubet, ſed ab hoc ſimiliter mirum in modum abhorruit. Tum demum aliquid diuini, (vt Hippocrates loquitur) in morbo hoc ineſſe ſuſpicatus, interrogare cœpit, vnquamne à Cane morſus fuiſſet? Annuit ipſe, & domeſtici: res itaque clara rabie ipſum detentum eſſe. Hic ipſe quoque, non rarò mentis compos familiares rogabat, ne ſi quæ forſan indecentia loqueretur, male interpretarentur: ſe enim aliter facere non poſſe, quin potum omnem auerſaretur, & mente non nunquam vacillaret. Gemebundam & vlulantem ſimul vocem per interualla edebat, quin & mordentis in morem, ora lodicibus admouebat. Creſcente demum febre, nec vllis proficientibus remedijs, intra triduum à concepta febre & ſecuta hydrophobia obijt. Voluerant autem prius fratres ipſius ad mare eum vicinum deportare, in illud bis terue mergere, hoc enim vnicum illi & præſentiſſimum reſtare remedium autumabant, quod tamen renuente ægro, & temporis inopia effectui haud datum eſt. Sed & non ita dudum eſt, quod Baiulus quidam hic eodem veneno & ſymptomatibus afflictus, vltimis tribus diebus, inuoluntarijs ac perpetuis pollutionibus, ſpiritum & ſemen effundendo, animam ſimul efflauit. Audio & rabioſum Canem hìc Nobilis fœminæ veſtis fimbriam ſolummodò trahentem, ſuum huic miſeræ & virus & mortem intuliſſe.

Hiſtoria à Cane rabioſo morſi & mortui.

Alia hiſtoria ſimilis.

Alia.

Aliam mihi Hiſtoriam ante annos viginti tres recenſebat *Angelus Colius Senenſis* Philoſophus & Mathematicus eximius, & primariæ dignitatis Romæ Medicus, quem tunc temporis in eodem S. Spiritus Noſocomio Collegam habui, ſtrenuum in Anatomicis meis exercitationibus ſocium, cùm ambo centena ibidem humana cadauera (vel propter illud maximè γνῶθι σεαυτὸν) ſecuerimus. Hic à Cane rabido plurimos morſos breui tempore interijſſe omnes, ſolam prægnantem fœminam quinquaginta quinq; dies ſaluam perſtitiſſe, tum peperiſſe, poſt duos à partu dies in ea omnimoda ſymptomata incidiſſe, quæ ceteri demorſi pati fuerant ſoliti, tertio porrò die obijſſe. Queſtio inter nos ciebatur: An Infans à matre hoc malum contraxiſſet? quamuis adhuc tale nihil quicquam perciperet. Videbatur nobis hoc argumento ſtabiliri poſſe, immunem

Alia curioſa.

Angelus Colius Medicus inſignis.

à rabie futurum puellum, quod venenum hoc animalem potius & vitalem, quam naturalem inficere facultatem ſolitum eſſet; Cum Plinius lib. 29. cap. 5. ipſum Canis rabidi Hepar naturalis fontem facultatis, ſiue coctum ſiue crudum, non aliter ac antidotum aduerſus hoc virus laudauerit. Attamen res in dubio relicta & Scepſis locum habuit, cum fæmina tunc nulla reperiretur, quæ puero huic lac præbere, ob contrahendi veneni metum, vellet. Quare (quod ſæpius vidi) ex Capra ad aliquot dies enutriri debuiſſe illum omnino exiſtimo.

Addam & hoc in Medicorum gratiam. Cum anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo & vndecimo, Menſis Octobris die vigeſima in Noſocomio ad *S. Ioannem Lateranenſem* à primario huius vrbis & eiuſdem loci Chirurgo *Proſpero Cichino* (cui & ego & Theophilus Molitor & Clariſſ. *Petrus Morettus* eiuſdem modò Noſocomij Medicus, aderamus) cadauer ex rabie mortui humanum ſecari iuſſum fuiſſet, hęc in ipſo animaduerſa & reperta fuerunt. Nigerrimus in dextro Cordis ventriculo ſanguis, quo omnino carebat ſiniſter. Erat autem hic per pulmones mirè accenſos & tumidos plurimus diſperſus. Ventriculus, Oeſophagus & Inteſtina ex inflammatione rubeſcebant. Contractæ rabiei, & ſuperuenientium accidentium hæc fideliſſima & memoria digna eſt hiſtoria. Cum hic triginta ſex annos natus robuſtæ habitudinis & pilis nigris, agricola ſummo mane verſus hoc ipſum Noſocomium in aliqua ibi vinea operaturus, pergeret, reperit in via Canem dormienti ſimilem, quem vbi vt ſibi cederet, pede percuſſiſſet, hic in faciem ipſi ſubito inſilijt, labrum apprehendit, ex quo particulam abſtulit. Manſit æger in hoc ipſo Noſocomio ex vulnere propemodum ſanatus. Poſt triginta demum dies ſitire maximè, timere tamen aquam & ad liquida omnia nauſeare cæpit, quare nec carnis iuſcula aſſumere voluit. Vehementer & ſæpè vomuit, aliquando mente motus fuit. Hoc ſanè mirabile eſt, cum ſpeculum ipſi vt intueretur, oblatum fuiſſet, vt vidit vt fugit, nec poſthac videre amplius voluit, Canem, à quo morſus fuerat, contemplari ſe in ipſo, exclamans. Hic quater toto vitæ ſuæ curſu à Canibus morſu petitus fuerat. Quare an hic vltimus rabie laborauerit, dubitare non pauci cæperunt, quod in hunc dormientem potius, quam furentem incidiſſet. Poſſe autem Felem non rabientem homini ſua ſaliua ſaltem, dum cutem lambit & forſan ſanguinem contingit, rabiem inducere lib. 11. cap. 37. ſcripſit his Plinius verbis: *Leonibus ac Pardis omnibuſque generis eius etiam felibus, imbricatæ aſperitatis ac limæ ſimilis* (videlicet lingua) *attenuanſque lambendo cutem hominis. Quæ cauſa etiam manſuefacta* (alij legunt manſuefactorum) *vbi ad vicinum ſanguinem peruenit ſaliua, inuitat ad rabiem.* De morſu ſanè Felis domeſticæ extat illa celebris in *Aede Diuæ Virginis ad Populum* de *Vrbe* ſepulchralis inſcriptio.

Hoſpes diſce nouum mortis genus: improba Felis
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

A Gallo gallinaceo mulieri Germanæ hìc vulnus illatum vidi tantæ malignitatis, vt ſecutum indè fuerit cacoethes; ac tantum non omnino lethale vl-

cus.

Proſper Cichinus Romæ primarius Chirurgus.

Quid in cadauere humano ex rabie mortui ſit repertum.

Hiſtoria huius.

Ex Felis morſu mortuus.

cus. Quare credere forſan non abs re fuerit, Canes nondum ipſa rabie infectos, ſed ad hanc iam diſpoſitos humano cruori ſuum facilè virus, ceu fermentum quoddam ac tincturam, vt Chymici loquuntur, communicare poſſe, quod paulatim vires acquirat eundo & ſpiritus vitales atque animales maximè petat. Diſce hìc pariter dormientem Canem non temerè excitandum eſſe. Eſt & hoc conſideratione digniſſimum, in eodem *Lateranenſi Noſocomio* mortuum fuiſſe, qui quidem olim ſemeſtri poſt morſum Canis ſpatio ab hydrophobia immunis fuit, vbi tamen interea temporis ab operis & laboribus diurnis veſperi domum redijt, vicini omnes Canes longè prius quàm ipſum viderẽt, latrare cæperunt ex ſolo eũ olfactu animaduertentes, ex quo latratu vxor ipſius certiſſimum ſignum aduentus mariti ſui capere ſolebat. De medicamentis quæ rabioſorum morſibus aduerſantur, tam multa Galenus præſertim & Plinius nobis ſcripta reliquerunt, vt ſi hic omnia illa referre atque examinare animus eſſet, iuſtæ magnitudinis mihi volumen exiret. Hoc dixiſſe ſuffecerit, plurimum hæc difficultatis includere, & plura opinionem potius, quàm veritatem ſapere. Sed de venenatorum morſibus & ictibus animalium, cum de ſerpentibus acturus ero, plura dixero. Hoc nunc monuiſſe ſatis fuerit, vulnera & vlcera hæc tardiſſimè conſolidanda & igne citiſſimè exſtirpanda, adeoque mihi Hippocratis hic Aphoriſmorum coronidem mirè arridere; *Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putare oportet.*

Canes olfactu rabie infectum cognoſcũt.

Medela vulnerum ab animalibus rabioſis inflictorum.

De Medicinis ſimiliter, quæ ex Lupo petuntur, nec hìc nobis animus eſt Iliadem condere. Videri poſſunt Animalium Hiſtoriographi. *Galenum* ſolum adducam, qui 6. de Compoſitione ſecundum locos ad Hepaticas affectiones Hepar Lupi tam per ſe ſumptum, quam cum Eupatorio mixtum prædicat. Qui tamen de ſimplicium facult. 11. ſcripſit. *Iecur lupinum ſæpè in medicamentum indidi hepaticum, quod ex Eupatorio conficitur, nec tamen quod mentione dignum ſit, amplius præſtare comperi, ad illud videlicet comparans, quod ſine illo componitur.* Quo in loco experientiæ magis, quàm friuolæ vt exiſtimo, rationi credidit, quæ plurimis iam perſuaſit, partes animalium quandam cum humanis ſympathiam & Antipathiam hoc eſt, iuuandi aut nocendi inclinationem & appetitum habere, vt Cor cum Corde, Pulmonem cum Pulmone, cum Hepate Hepar: qua de controuerſia alio loco diſceptandi occaſio dabitur. De ſtercore Lupino cholica paſſione laborantibus potando, vah quàm copioſus & propemodum odioſus eſt Galenus. 11. de Simplic. facult. Vbi longa verborum ſerie, quid & quantum in hoc affectu poſſit, commemorat. Vbi non deglutitum modo, ſed ſuſpenſum etiam iuuiſſe teſtatur. Et illud maximè laudat, quod terram haud attigit. Vtque admirationem augeat, etiam ex vinculo è lana ouis à Lupo laniatæ confecto, ſuſpendi illius ſententiâ, qui plurimos ex hoc Symptomate liberauerat, præcipit. Concludit demum non voces hìc aut characteres, verum ſubſtantias naturales ſuſpendi, & maiorem ob id fidem illi adhiberi debere cenſet, cum ipſemet etiam Galenus effectum non ſatis admirari potuerit. Eodem in loco ſtercora canum, humanum quoque ſuo modo vſurpatum, caprinum, bu-

Medicamẽtis ex Lupo petitis quæ fides adhibẽda.

Galenus ſtercora Lupinum præcipuè in vſu medico laudat.

bulum, ouillum, columbinum, gallinaceum, murium, crocodilorum & ſturnorum mirè celebrat, eſtque (ſit venia verbo) totus ibi in ſtercore. Matthiolus etiam commento ſuo in Dioſcoridis libri ſecundi caput trigeſimum ſeptimum, oleum ex oleto ſeu humano ſtercore (quamuis hoc ob fœtorem abominandum prius dixerit) & aquam vitreis elici organis dicit, quæ neſcio quas admirandas, tam intus quam extra adhibita, effectus præſtent. Sed *Coprophagis* his ſua nos balſama, aut maleolentia potius medicamenta relinquamus, qui ſi ex principijs chymicis intellexiſſent, qua ratione hæc omnia vim ſuam exercerent, Salium nempè & Sulphuris ope, quæ in alijs gratioribus & ſuaueolentibus quoque ſubſtantijs pretioſiora & efficaciora reperiuntur, iam abſurdis illis pharmacis longum vale dixiſſent.

Matthiolus etiam ex fimeto humano parat medica menta.

Inteſtina tamen Lupi recentiores quidam Medici in Cholico dolore plurimum prodeſſe vociferantur. Ego, quid in Medica mihi praxi & cuidam collegæ meo contigerit, recenſere hic minimè grauabor. Medebamur ante hos duos elapſos annos Illuſtri cuidam perſonæ in hac ipſa Vrbe, quæ ingentibus vexata cholicis ſimul & renalibus doloribus, ad inſaniam quaſi agebatur. Poſt varia medicamenta, cum dolor etiam ſecunda die non omninò ceſſare videretur, ab amicis propoſitus fuit hic ex Lupi Inteſtino & forſan cum ipſo ſtercore reſiccato, ab idiota paſſim offerri ſolitus puluis, quem, vt æger noſter aſſumere poſſet, anxiè à nobis efflagitauit; quod huic plurimum fidei idem ex aliorum commendatione haberet. Nos, vt voluntati ipſius ſatisfaceremus facilè aſſenſum præbuimus, quod periculum ſaltem ex hoc nullum timeremus. In vino itaque albo diſſolutus & ebibitus fuit, non grati certè odoris aut ſaporis, quod ego pitiſſando expertus fui.

Inteſtina Lupi, an adeò proſint in doloribus cholicis.

Poſtquam exhauſit, ſtatim ægrotus melius ſe habere & non ſatis Nepenthes hoc laudibus extollere valuit. Horæ enim vnius fermè ſpatio quieſcere ſibi viſus fuit. Redierunt poſtmodum ijdem & acerbiores dolores. Vnde ad alios clyſteres & olei Amygdalarum dulcium cum vino generoſo & calido mixti potum, fomenta anodyna & vnctiones denuo eſt deuentum, donec tertia die, exhauſta omnino ſentinà & arenulis grandioribus per vrinam emiſſis, ſæuiora illa accidentia mitigarentur, quæ poſt alui lenitionem ex leuioribus medicaminibus paratam, radicitus ſublata fuerunt. Hic, quin ſemel concepta fiducia de ſtupenda huius medicamenti & ab amicis decantata virtute, ſpirituum impetum & agitationem aliquomodo quietauerit, adeòq. dolorem remiſerit, nullus dubito. Hoc enim ego ſæpiſſime ægrotis meis vſuueniſſe obſeruaui.

Lepidam ſanè & minimè hic tacendam hiſtoriam, coronidis loco inferam: qua confirmatur, quantum in nobis imaginatio de medicamento habita valeat, quam *Ioannes Baptiſta Porta Lynceus* (vir ille, cui ſua iam immortalitatis famam ſcripta conciliarunt) Excellentiſſimo Principi Cæſio noſtro Neapoli enarrauit. Cum ibi Illuſtriſſima quædam fæmina partus difficultatibus plurimis iam horis moleſtata, ac penè debilitata eniti non poſſet, tentatis ferme omnibus remedijs, media tandem nocte ad ædes dicti *Portæ*, quem in arcanis remedijs ceu Oraculum quoddam ſuſpiciebant omnes, miſſum, importunè pulſatum, & remedium feflagitatum fuit. Ipſe Medicinam minime profiteri,

Ioannes Baptiſta Porta Lynceus ſcriptis ſuis celeberrimus.

Lepida hiſtoria docetur quantũ in morbis opinio poſſit.

& ſom-

& ſomnum ſibi turbari conquerens, abire famulum iuſſit. Hic magis magisq. inſtare & ſacram illam anchoram implorare. Quare, vt ea ſe *Porta* moleſtia, & portam ſuam à continua ſimul pulſatione liberaret, aquam neſcio quam, Capillorum puto Veneris, in chartula præſcripſit & ſubitò potandam parturienti eſſe, ſeruo præcepit. Ne autem à vento papyraceum folium agitatum, aliò tranſportaretur, in parte enim domus ſuperiore habitabat, obuias ex pauimento ſordes, ac quiſquilias collegit, chartæ inuoluit, vt pondus eidem adderet, & ex feneſtra deiecit. Famulus ratus, ſe medicamentum iam ab ipſo *Porta* præparatum domum ferre, iuſſit vt ebiberet Hera, quod attulerat. Quare mulierculæ aſſiſtentes ex vino puluerem illum ſordidum confeſtim ſorbendum præbuerunt, & bono ſimul animo parturientem eſſe iuſſerunt. Et ecce, quadrantis horæ ſpatio enititur illa pulcherrimum maſculum. Dum mane è lecto in Muſæum ſe recipit *Porta*, in ædibus ſuis plures Principis illius famulos ſiue Anteambulones vino nobiliſsimo Campano, carnibus, volatilibus, piſcibus, fructibus, ac menſæ ſecundæ bellarijs ac verè lautijs onuſtos reperit: miratur rei nouitatem. Atqui iſti, donaria hæc eſſe, quæ Princeps ipſorum ei mitteret pro arcano & quaſi diuino ſibi conceſſo medicamẽto, puluere nimirum illo, quem ante aliquot horas parturienti Dominæ vxori ſuæ tranſmiſiſſet, quo ebibito cum pauxillo vino, ſtatim illa feliciſsimè peperiſſet. Portarem ſimulare, gratias agi interim Principi iuſsit, ſe poſt meridiem illum acceſſurum & de fauſto vtrique euentu gratulaturum. Quod & fecit, ſimulque quantum opinio ſemel animo impreſſa de medicamento & Medico, ſiue bona ſiue ſiniſtra efficere poſsit, hinc diſci monuit. Cuius & ego gratiã hæc afferre (licet parerga alicui cenſeri poſsint) ſimulq. innuere volui, ſæpenumero nos effectum per ſe eſſe credere in noſtris medicamentis, qui tamen ex accidenti potiùs, vt loquuntur, prouenit, atque hinc regulas illas, contraria contrarijs curari, quamplurimas falsò poni, & à ſcholis approbari, non intellectis medicamentorum viribus. Sed manum è tabula: nam & hìc forſan nimius aliquibus fuiſſe videbor.

Quare ne nunc, quidem, cum poſſem plurima, de *Lycoctono* Luporum Veneno quicquam dicam. Nec de Hominum in Lupos metamorphoſi. cuius Plinius cap. 22. libri 8. meminit, fuiſſe, qui crederẽt, & Græcum authorum *Euanthem* hoc ſcribere, ad quod Plaut. in Amphit. alludit,

Nam verum eſt, quod olim eſt auditum
Fabularier, mutatos Anticos in Arcadia homines,
Et ſæuas belluas manſitaſſe, nec vnquam denuo parentibus cognitos.

Mirum eſt, inquit Plin. *quò procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium eſt, vt teſte careat.* Quod vt veriſſimum eſt, hominem neque corpore, neque Anima in beſtiam verti poſſe; Theologi tamẽ noſtri, inter quos primo loco nominandus ac venerandus D. *Auguſtinus* lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 18. ſano id modo explicat, ludificatione nẽpe dæmonum fieri poſſe, vt tam ſubiipſi phantaſia perſuadeat, quã alijs ita appareat, hominem Lupi, ſeu alterius beſtię corpus induiſſe. Et ſi forsã onera viribus ſuis maiora portet, hęc à Dęmonibus ferri, vt hominibus illudatur. Verũ hæc Theologis relinquamus, & finiamus.

TLATLAVHQVI OCELOTL, seu Tigris Mexicana.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

CAPVT, Felis noſtratis figuram quodammodo repræſentat, vti & reliquum corpus non multùm ab Animali hoc diſſidet. Caudam habet, quàm in Icone expreſſa fuit, paulò longiorem; aures curtas ac patulas, oculos conſpicuos & lucentes, rotundoſque. Oris rictum ſatis magnum obtinet; ſuperiores Canini bene eminent dentes ita longi, vt inferiorem ad latera maxillam excedant. Barbæ pili pauciores ſunt, quàm figura hæc oſtendit, & hi verſus pectus reflexi, nigricantes. Sunt & alij non multi ad rictum fixi, collum verſus retorti. Naſum craſſum valde habet: Tibias craſſas valde, & mediocriter altas: In pedibus anteriorib. vngues acutos, quatuor longiores, & quintum breuiorem. Vniuerſum corpus pulchro roſeoq. ſubrubet colore, excepto inferiore ventre, qui albicat potius. Maculis roſarum effigie, ſed grandioribus multò, quam præſens exhibet figura, nigricantibus omnibus intra ſuaue rubentem colorem, totum ita corpus, pedes & cauda ordine quodam diſtinguuntur, vt elegantem planè huic animali acu pictum tapetem, ſeu peripetaſma impoſitum crederes. Sunt autem maculæ hæ in dorſo & capite rotundiores, maioreſque; verſus ventrem verò pedeſque oblongiuſculæ, & multò minores.

Animaliũ maculoſorum controuerſa valdè nomina.

Non ſcio profectò an *Tigris*, *Pardalis*, *Pantheræ*, *Pardi*, *Leopardi*, *Thois*, *Variarum*, *Lyncis*, *Africanarum*, *& Chai* pluribus pelles maculis ſcateant, an horum natura animalium & nomina, plures nobis & maiores dubitandi cauſas ſuggerant. Ego Plinij conſilio & imitatione, Ariſtotelem Naturæ veſtigijs inſiſtentem, in hoc meo opuſculo libentiſsimè ſequor. *Alexandro enim Magno Rege*, vt Plinius habet, *inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegataq. hac commentatione Ariſtoteli ſummo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæq. tractu parere iuſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatuſq.*

Ariſtoteles Alexandri Magni liberalitate plurimum in Animaliũ Hiſtoria adiutus.

tuſq. alebant, quibuſque viuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria in cura erant, nequid vſpiam genitum ignoraretur ab eo: quos percontando quinquaginta ferme volumina illa præclara de Animalibus condidit. Hic igitur 6. Hiſtor. animal. 35. Panther an ſit Lupus canarius. πάνθηρ *Panther*, inquit, *parit cæcos Luporum ritu.* Theodorus Gaza *Panther* ſeu πάνθηρ *Lupum Canarium* vertit. Hoc Iul. Cæſar Scalig. commentario ſuo, ſæpè iam laudato, improbat, τὸ πάνθηρ *Pantheram* interpretatur, Gazæ interpretationem mirans & reprehendens. Hoc ait Gaza. Sed rurſum *Niphus* vtramque hanc verſionem, dum allatum Ariſtotelis locum declarat, refutare aggreſſus πάνθηρ, inquit, *à vetere interprete* (à quo Scaliger ſuam mutuatus eſt) *Panthera vertitur, ſed Theodorus Pardalin vertit Pantheram,* πάνθηρα *verò* (*ſeu Pantherem*) *lupum Canarium; Sed quid ſit lupus Canarius non ſatis conſtat.* Negat Niphus. Et rectè quidem Niphus; aliqui enim lupum Canarium putant eſſe animal voce vulpina, cum Leonibus congrediens: alij ex Cane & Lupa natum; alij genus Lupi longis aſperiſque pilis.

Quid igitur propriè ſit *Panther*, forſan ignoratur. Hinc Oppianus hunc inter feras ignobiliores vti Feles, Glires, Sciuros numerat. Dubitatur quid ſit Panther. Quare ſi huic credimus, neque Lyncem, neque Thoen, neque Pardalin, aut Pantheram eſſe patet, quod hæc non vilia & imbecillia ſint animalia: neque *Pardus* ſiue Panthera maſculus erit, cum aliam Pantheri ab hoc vocem, adeoque indiuidualem quandam (vt ita loquar) aſſignet proprietatem Author Philomelæ hoc verſu,

Panther caurit amans, Pardus hiando felit.

Et Ariſtoteles equidem, vnico ſolùm loco *Pantheris* mentionem facit, & quidem non vbi de Leonum (ad quos referretur, ſi *Panthera* eſſet) ſed Luporum partu loquitur. *Pantheræ* verò vocem Plinius latinitate donauit, quam Græcæ illi πάρδαλις, apud Ariſtotelem frequenti, ſubſtituit, quod poſt hunc Gaza quoque fecit: *Pantheræ* enim Ariſtoteles vocabulum nuſquam poſuit, ſed ſæpiſſimè *Pardalis*, quod ſemper Gaza *Pantheram* interpretatur, quod & ipſe Scaliger imitatur Coment. ſuo in 9. Hiſtor. cap. 8. ſed 6. in verſione Gazæ πάρδαλις inquit Ariſtoteles, hoc eſt Panthera, *deuorato veneno, quod idcirco vocant Pardalianches, quærit hominis ſtercus. Iuuat enim.* Eodem planè modo 2. Hiſt. 1. Panthera ipſi ex Pardale vertitur, dum ait Ariſt. *multifida quædam eſſe, vt Leonem Canem, Pantheram.* & 8. Hiſt. 28. Quando Leones potius in Europa, Pantheras vero in Aſia, in Europa nullas eſſe ſcripſit. Quin etiam, quando neutro genere παρδάλια *Pardalia* idem Scaliger *Pantheram* ponit 2. Hiſt. 14. dum Ariſtoteles *Chamæleontem pallore lacerti, & perinde atq; Pantheræ nigrore variatum* aſſerit. Hic tamẽ Gaza pro *Pardalia*, *Pardum* non *Pantheram* reddit; ſed nulla eſt differentia, vt iam videbimus. Concludamus igitur Ariſtotelem, quotieſcunq; *Pardalis & Pardalia* habet, animal velle maculoſum intelligere ferum, & ex Leonum genere. *Panther* autem ad Lupos potius, quam Leones pertinere videtur, nec an maculis careat, an illis aſperſum ſit, ex Ariſtotele patet. Non miror ideò quoſdam *Lupum Canarium*; alios *Canem Luparium* pro *Panthere* interpretari voluiſſe.

Pantheræ vox latina reddita ex Græca Pardali.

Pardalis & Pardalia apud Ariſt. à Latinis panthera & pardus vertuntur.

Panther ad Lupos potius, quam Leones videtur accedere.

Iam autem *Pardales*, *Pantheras*, *Pardos*, *Varias*, *Africanas* vnum idemque animal eſſe, luculento Plinij etiam teſtimonio docebo. Hic lib. 8. cap. 17. Cum de *Pantheris* ageret, dixit, Pantherarum mares *Pardos* appellari, & Pantheras ſimpliciter

Quibus nominibus Plinius Pãtheras appellet.

ſimpliciter *Varias* ob varium nempè & maculoſum colorem. Abſoluto etiam nomine Pantheras, *Africanas* appellabat, quod ex Africa nimirum adueherentur. *Senatuſconſultum fuit vetus*, inquit, *ne liceret Africanas in Italiam aduehere*. Locutus autem hic de *Pantheris* fuerat: propterea Varro dicebat, *ſi à Lybia Lucę boues dictæ eſſent, fortaſſe Pantheræ quoque & Leones non Africanę beſtiæ dicerentur ſed Lucæ*; quòd in Lybia nempe plurimæ tales naſcantur. Per *Pardalem* verò etiam Plinium intelligere *Pantheram* ex ſequenti fit capite clarum, vbi de *Camelopardale* ſermonem inſtituit, quod *Capite nempe ſit Camelino & maculis albis, rutilum colorem diſtinguentibus.* Maculoſum igitur cum ſit animal, Pardalis ſiue Panthera Latinis meritò nominis compoſitionem ingredi debuit. Eſt quidem & Tigris etiam maculoſum animal, verum hoc Plinio non orbiculatas, quales in Camelopadale ſunt, ſed oblongas ſortitum eſt maculas.

Câmelopardalis maculoſũ eſt animal apud Plinium.

Ac poſtquam huc pertigimus & *Camelopardalis* quoque meminimus, ſpatioſus ſe campus aperit de nomine ſaltem beſtiæ huius aduerſus *Vlyſſem Aldrouandum* diſputandi. Hic igitur, vt & *Cornelius Vteruerius Belga* ſucceſſor ipſius & rerum Naturalium *Bononiæ* olim Profeſſor, libro *de Quadrupedibus Biſulcis*, Cap. de *Camelopardali*, errare eos dicunt, qui *Camelopardalem*, quod ex *Camelo & Pardale* generata ſit, ita appellari cenſeant. *Illud autem longè eſt falſiſſimum*, inquiunt, *Cùm & Pardus ipſe, ſiue Pardalis qui Græcè παρδὸς dictus, generare non poſsit, eſt enim Hybrida, vt præter naturalium rerum ſcriptores, cultiſſimus Claudianus*:

Aduerſus Vlyſſem Aldrouandũ de Camelopardale diſputatur.

Obuia fulminei properent ad vulnera Pardi,
Semine permixto geniti, cum fortè Leænæ
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter.
Hi maculis referunt patres, & robore matres.

Paulus eſt Hybrida claudiano.

Hìc ferme tot dubia & hallucinationes, ne dicam errores, quot voces reperio. Et imprimis ſupra dilucidè iam probaui, longè ex Ariſt. & Plinij mente, *Pantherem* à *Pardo*, ſeu *Pardale*, aut *Panthera* diſtare, quæ omnia hìc ſub vno animali nomina confunduntur. Nam Ariſtoteles ſæpè *Pardalis*, ſiue *Pantheræ*, maculoſi animalis; *Pantheris* verò ignoti animalis, & quod neſcitur, vtrum atrum an album ſit, ſemel tantum meminit, quod Gazæ *Lupum Canarium* nominare placuit. *Pardum* etiam *Pătheræ* marẽ planè à *Panthere* diuerſum ex Plinij authoritate deduximus. Porro quomodo *Hybrida* eſt *Pardus*, & Muli inſtar generare non poteſt? Cùm Plinius tamen dicat lib. 8. cap. 16. *Odore Pardi coitum ſentit in adultera Leo, totaque vi conſurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longiùs comitatur*; Leæna nempè adulterum Pardum. Verùm, inquies, coibit cum *Leæna Pardus*, non ideo generabit filium ex matre alium. At quæram ego, cuius patris hic Pardus ſit filius?

Perperam Panther, Pardus, & Pardalis confundũtur.

Pardus nõ poteſt eſſe Hybrida Plinij authoritate.

Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter, inquit Claudianus. Et quis hic viridis adulter? Huic poëta nullum hactenus nomen aſſignauit. An Pardus ſimul pater & filius? vt friuola de pullo & ouo eſt quæſtio, *vtrum horum prius fuerit.* Atqui ego, ex eodem Pliniano loco, cum Leæna non coïre modo Pardum, ſed ex eadem etiam catulos Leoninos non iubatos tamen, Leonum more procreare, reperio. *Leoni præcipua generoſitas*, inquit, *tunc, cum colla armoſq.*

veſtiunt

vestiunt iubæ. Id enim ætate contingit, è Leone conceptis. Quos verò Pardi genera-uere, semper charactere hoc carent. Simili modo fœminæ. Magna ijs libido coitus, & ob hoc maribus ira. Africa hæc maximè spectat, inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus feris. Ideò multiformes ibi animalium partus, variè fœminis cuiusque generis mares aut vi, aut voluptate miscente, vnde etiam vulgare Græciæ dictum, semper aliquid noui Africam afferre. Hæc Plinius: qui mixtum quid ex *Pardo & Leæna* procreari non negat, *Pardos* tamen hos partus non vocat. Qui *Pardos* minimè ex permixto semine ortos, sed suę speciei determinatum animal & quorum fœminæ *Pantheræ* sint, appellat. *Solinus* etiam cap. 29. de Leonibus loquens. *At ij, quos creant Pardi*, inquit, *in plebe remanent iubarum inopes, pariter omnes parcunt à sagina.* Iam si hoc etiam *Aldrouando* donem, *Pantherem* cum *Pardo* siue *Pardale* aut *Panthera* vnum idemque animal esse, quod paulò ante negaui, nihil tamen *Vlysses* hic euincet. Nam *Panther*, etiam Aristotelis authoritate non infæcundus aut sterilis est, *fœmina enim cæcos parit Luporum more, numero vt plurimum quatuor.* Et, vt quid amplius concedam, *Pardos* scilicet à *Pantheris* differens animalium genus. Et hi tamen generant si *Solinum* cap. 20. his verbis loquentem audimus: *In his siluestribus & Pardi sunt, secundum à Pantheris genus, noti satis: quorum adulterinis coitibus degenerãtur partus Leænarum, & Leones quidem procreantur, sed ignobiles.* Non sum tamen nescius *Pardum* & *Leopardum* vocari aliquando ab Authoribus adulterinum hunc Leænæ fœtum, ex *Pardo* seu *Pãtheræ masculo* progẽitum, qui, vt *Philostratus* habet, maculosus est. & propterea non est mirum, si Claudianus hunc etiam *Pardum* appellauit poetica quadam licentiã, cum adeò Pardo seu Pardali maculæ propriæ esse videantur, vt etiam 13. Hieremiæ legatur: *si mutare potest Aethiops pellem suam, aut Pardus maculas suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Quamuis de maculis Plinius nihil dicat, solumque iubæ defectum in spuria hac progenie insinuet. Maluit itaque hìc *Aldrouandus & Vteruerius* elegantis ingenij poetæ *Claudiani*, quam solertium Naturæ interpretum *Aristotelis & Plinij* fide vti. Atque huius solius hæc gratiã adducere volui, vt demonstrarem *Pantherem* à *Panthera* longè differre. An verò Camelopardalis ex permixto sit semine genita & quale sit animal, vbi locorum reperiatur; hæc pertractare huius minimè sunt instituti. Videri potest *Petrus Bellonius* 2. lib. obseruationum, & apud hunc *Strabonis* verba, qui in colore describendo plurimum variant. Hic enim ait, cum Pardale similitudinem nullam habere, & coloris varietate Hinnulo simillimam Camelopardalim esse. Ille Pardi maculis varijs infectam adstruit. Ego saltem, aliquam nominum ambiguitatem è medio tollere volui, reliquam sequenti capite prosequemur. Nunc ad animalis præsentis Mexicani effigiem declarandam, & Naturæ eiusdem proprietatem enucleandam me confero.

Pardus coit cum Leæna & ex hac generat Leones nõ iubatos.

Panther si etiam cum Pardo idẽ esset, tamẽ generare ex mente Aristotelis potest.

Pardus & Leopardus quandoque pro quouis maculoso animali sumuntur.

Camelopardalis à Bellonio describitur.

Hoc autem priusquam exequar, *Tigridi* etiam examen subeundum est, cùm non leuis hìc dubitatio oriri possit, Tigridumne, an Pantherarum cohorti Animal hoc sociare se velit. Plinius equidem lib. 8. cap. 17. Cum Pantherarum considerationem instituisset, Tigridis pariter, maculosi animalis, recordatur. *Panthera*, inquit, *& Tigris macularum varietate propè solæ bestiarum spectantur, cæteris vnus, & suus cuiusque generis, est color. Pantheris in candido breues*

Tigridis examen.

macularum

Reprehenditur Plinius ab *Vterueio*, quod Tigres solas & Pantheras maculosas scripserit.

macularum oculi. Noui hìc non leuis Plinium lapsus ab *Vterueio* argui Cap de *Camelopardale*, quod solo Tigres & Pantheras macularum priuilegio gaudere scripserit, cùm *Lynces* tamen, *Leopardi*, *Vri* & *molossi* eodem fruantur. Atqui hìc ego Plinio suppetias fero, tùm quia non absoluto planè sermone à maculis bestias omnes excluſit, cùm *propè solas* dixerit, non *simpliciter solas* Pantheras & Tigres; tum quia forsan Canes ea macularum varietate ornatos minimè vidit; quales & nos, non multos ante annos, quacunque tandem ex regione primùm inuectos conſpeximus. Fateor equidem me talium insignes duos cum admiratione, Pantherarum maculas apprimè referentes ex molossorum genere Romæ vidisse, quorum vnum ante elapsi anni finem *Augustà Vindelicorum*, eiusdem Vrbis Episcopi Suffraganeus *Petrus Episcopus Adramyttenus* vir morum integritate ac suauitate, sacrarum literarum cultu & humanarum prudentia rerum conſpicuus: alterum Illustriſſ. D. Nicol. Danielouiz, Regis Polon. Thesaurarij Filius, vterque amicitia mihi iunctiſſimus in hanc Vrbem adduxerat.

Defenditur Plinius.

Canes Romæ pulchris maculis insigniti visi.

Petrus Episcopus Adramyttenus Theologiæ, & humanæ prudentiæ peritiſſimus.

Et quamuis Tigridem deſcribat Plinius *tremendæ animal velocitatis esse*, quales tamen maculas, oblongasne an orbiculatas habeat, ibi non declarat, quas alio ex loco eiusdem collegimus Cap. 16. nempe lib. 13. vbi de *Cedrinis*, an *Citreis* menſis hæc leguntur. *Menſis præcipua dos in vena crispis, vel in vertice varijs*. Non moror hìc siue alij legant, in *vertices sparsis*, in *vertice paruis* aut *prauis*, aut in *Cortice varijs*. Hoc enim quod ſequitur, ad rem noſtram facit: *Illud oblongo euenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur; hoc intorto, & ideò tales Pantherinæ vocantur*. Habebunt igitur Tigres non intortas siue orbiculatas, ſed oblongas maculas, ad quarum ſimilitudinem *menſæ Tigrinæ* appellationem acceperunt. De huiuſmodi *Seneca* menſis loquebatur libello de animi Tranquillitate: *Placet*, inquit, *menſa non varietate macularum conſpicua, ſed in vſum poſita, quæ nullius conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidia*. Et idem 7. de Beneficijs: *Video iſtas menſas & æſtimatum lignum Senatoris cenſu eò pretioſius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torſit*. Ex Citri nempe ligno, & quidem parte nodoſa, illæ maculæ in menſis elucébant. Hinc venuſtè Petronius Arbiter:

Quales in Tigride sint maculæ.

Menſæ Tigrinæ apud Plinium & Senecam.

Menſa Citrea.

Ecce Afris eruta ternis.
Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.

Hic ad Germanos noſtros nunc Luxus tranſlatus eſt, ſed ligneus verè luxus, cùm plurimas ex *Acere* & *Fraxino*, & ex harum quidem arborum frequenter radicibus venarum diſcurſu pulcherrimè variantibus, atque vt Plinius ait, *vndatim criſpis maiore gratia & fermè Pauonum oculos imitantibus* menſas elaborent, quæ vnguine ſeu pigmento, *Vernice* dicto mirè coruſcant. Nec apud Italos ex varijs & elegantibus *Indiarum* lignis menſulæ conſici deſierunt, verùm quæ Senatorium cenſum pretio ſuo haud æquent, in quarum locum lapideæ ſuffectæ, & ex verſicoloribus marmoribus, lapillis pretioſis, gemmiſque quas Orientales plagæ ſubminiſtrant, confectæ in delicijs habentur. Viſa nobis fuit ante paucos annos in Romani cuiuſdam Mercatoris ædibus lapidea eiuſmodi menſa, intertextis artificioſiſſimè lapillis nobilioribus, duodecim aureorum millibus æſtimata. Illuſtriſſ. tamen Princeps *Caſius* noſter, non luxus, quem

Germani Tigrinas & Pantherinas ex Acere & Fraxino menſas pulcherrimas cõcinnant.

Itali ex Indicis lignis idem faciunt. Sed pretioſiores ex verſicoloribus marmoribus conficiunt.

niſi

niſi in literis ſolis agnoſcit; ſed luxuriantis Naturæ Theſauri recludendi gratiâ, menſas nobis nuper *Vrbique* toti ad miraculum vſque ſtupenti ex ligno foſſili λιθοξύλῳ ipſi dicto, affabrè concinnatas fieri curauit. Hoc ipſe Primus non procul ab Vrbe ſua *Aquaſpartana* detexit & erui curauit, tam varijs venuſtiſq. vndarum maculis conſperſum, cęteriſque compactioris ſubſtantiæ dotibus ornatum, vt cum *Arundine* ſeu *Canna Indica* venarum elegantiâ certare, vel potius illam ſuperare valeat. Verè *Tigrinas* dicere menſas poſſis, cùm fuluo ferme colore & vndis diſtinctæ luceant. Nam *Solinus* de Tigribus. *Fuluo nitent*, inquit, *hoc fuluum nigrantibus ſegmentis interundatum varietate apprimè decet*. Sic

Princeps Cæſius inuenit lignũ foſsile pulcherrimũ.

Vſus & impigræ ſimul experientia mentis;
\- - - - - *veteres tellure recludit*
Theſauros

Vt Poeta ait,

Verum hæc omnia luculentius ex ſcriptis ipſius, propediem lucem aſpecturis (in quibus noua plurima ab ipſo detecta & obſeruata ſunt) curioſus Lector docebitur.

Hic idem Princeps *Therebinthini* ſimul ligni ad antiquorum morem elaborandi, ex quo menſæ, ſcrinia, capſulæ & varia ſupellex conficitur, vſum nobis reuocauit, ac denuo *Romanis* ſuis oſtendit. Abundant verò hac arbore montes ſub ditione ipſius gemini, *Scopuloſus* vnus in *Vmbria*; alter altiſſimus *Iani*, *Genaro* appellatus, in *Latio Albuneæ* illius *Tyburtinæ Sybillæ* olim ſedes, quem omnium niue primùm candentem, & vltimò eadem ſpoliatum ex VRBE contemplamur.

Ex Therebinthino ligno varia & venuſta ſupellex.

Proh quanta in hoc plantarum varietas! Quanta in eodem circa finem Maij florum amœnitas! Quæ auræ ibidem tum ſpirantis ſuauitas! Quàm ſpatioſa in ſũmitate eius adinſtar Amphitheatri cincta planities! Quàm copioſæ limpidiſſimarum aquarum ibi ſcaturigines! Apud hos *fontes Albuneos* ſic à Sybillę nomine dictos, ante XIV. annos, dum magnam diei partem non ſine dulci labore luſtrandis eruendiſque plantis, cum Principe noſtro, vti aliarum ſcientiarum penè omnium, ita quoque rei Plantariæ & amantiſſimo & peritiſſimo, operam dediſſemus, conſedimus veſpere, & *fracti membra labore* Anticenio nos refocillauimus *Ioannes Terrentius*, *Theophilus Molitor*, *Henricus Coruinus* & Ego, Herbarum ſtudio omnes addictiſſimi. Sub noctem tandem in Arce & Oppido Principis, quod dicto monti incumbit *Sancti Poli* nuncupato, vt corporis vires baſilica excepti epulatione collegimus, ita dulci animum pabulo, ſuauiſſima nimirum confabulatione, ac philoſophicis ſymbolis recreauimus.

Montis Iani *Genaro* dicti encomium.

Profectus eſt ad eundem nũc Montem eiuſdem *Principis Cæſij* Medicus *Ioannes Bapt. Vuinthierius Bauaro-Schonganus* ad *Lycum*, Vir prętер medendi artẽ, politioribus etiam litteris bene cultus, & Anatomes ac Herbarum ſcientiâ non leuiter tinctus; vt ſelectioribus & tam virtute quàm raritate præſtantioribus plantis Principis ſui penum & Hortos, ac noſtrum quoque Viridarium *Vaticanum* locupletiora & auctiora faciat.

Ioan. Bapt. VVinthierius Germanus Medicinę & politiorũ literarum bene doctus.

Porrò, vt in viam reuertamur, Ariſtoteles 8. Hiſt. Anim. 28. Cum non locis omnibus animalia quælibet aut naſci, aut translata viuere docuiſſet: Pantheras

in Aſia

in Asia potiùs reperiri, in Europa nullas. Tigrides verò Africæ & Lybiæ præcipuè tribuere videtur. Adiunxit in Asia bestias esse efferatiores, fortiores in Europa, & in Africa multiformiores; vndè prouerbium, quod ex Aristotele Plinius desumpsit *Semper aliquid noui afferre Africam*. Nam ex varia animalium commixtione nouæ animalium formæ videntur, vt *Canes*, inquit, *Laconici ex Cane & vulpe, Canes Indici ex Trigide & Cane*. Quæ si vera sunt, debet Cani Tigris similis esse, nec plus ab eo, quam Vulpes aut Lupus distare. Idem ipse enim Aristoteles 2. de Generat. Animal. cap. 5. concepta hæc verba habet: *Coeunt animalia generis eiusdem secundum naturam. Sed ea etiam, quorum genus diuersum quidem, sed natura non multum distat, si modo par magnitudo sit, & tempora æquent grauiditatis, rarò id fit, sed tamen fieri & in Canibus & in Vulpibus, & in Lupis certum est. Canes etiam Indici ex bellua quadam simili & Cane generantur*, siue, vt in Græco est ἐκ θηρίου τινὸς καὶ κυνός. Hanc autem belluam cani similem paulò ante dicto loco explicauerat Aristot. Tigrem esse. Ast ego hic non video, quæ Tigri cum Cane similitudo existat, nisi & Felem sic Cani similem dicas, à quo multum aberrat. Tigrem enim ad Feles, & minimè ad Canes pertinere, posterius probabo. Nemo siquidem inficiabitur facilè, Tigrem Leoni multò propinquiorem, quam Lupo esse: hic autem ad Canes magis, ille ad feles accedit.

Canes Laconici & Indici vnde nascantur.

Diuersorũ animalium coitus.

An Tigri cum Cane sit similitudo.

Leones & Tigres ad Feles potius, quàm Canes accedunt forma sua.

Tigres porrò à Pantheris raritate & nobilitate differre, vel ex Plinio discimus, cum enim Romę quadringentæ & viginti, vna vice *Populo* Pantheræ ostenderentur, non nisi in Cauea Tigris sola comparuit, libet ipsum Plin. 8. Histor. Naturalis cap. 17. audire: *Senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas* (hoc est Pantheras) *in Italiam aduehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Ausidius Tribunus plebis, permisitq. Circensium gratia importare. Primus autem Scaurus Ædilitate sua Varias* (hoc est Pantheras, siue mares siue fæminas) *centum quadraginta vniuersas misit. Deinde Pompeius Magnus quadringentas decem. Diuus Augustus quadringentas viginti. Idem Q. Tuberone, Fabio Max. Coss. IV. Nonas Maias Theatri Marcelli dedicatione Tigrin primus omnium Romæ ostendit in Cauea mansuefactam. Diuus verò Claudius simul quatuor*. Hìc noto Plinium Pantheras vocare, *Africanas, quòd creberrimum hoc genus* vt ait, *sit in Africa & Syria*. Aristoteles in Asia reperiri eas dixerat. An in Africa, nec ait nec negat: in Europa tamen illas produci negat.

Tigres à Pãtheris raritate & nobilitate differunt.

Inter quadringentas & decem Pantheras vna olim sola Romæ Tigris cõparuit.

Tigris à veteribus valdè negligẽter descripta.

Sed dolendum planè est, quod nec Aristoteles nec Plinius Tigridis nobis figuram coloremque exactius descripserunt. *Petrus Gillius* vir eruditissimus, Æliani interpres, ex suis ad hunc accessionibus à *Porphyrio, Heliodoro & Oppiano* desumptis, hæc nobis de Tigride scripta reliquit: *Tigride nihil*, inquit, *ex omnibus feris ad spectandum iucundius Naturæ solertia finxit. Nam formæ pulchritudine tam valde inter feras eximia est, quam longè ceteris auibus Pauo excellit. Leænæ omninò similis videtur, præter solam pellem, quam variam maculæ purpurascentes & efflorentes exornant. Ad cursum omnibus feris præstat. Megasthenes* scriptis mandauit, *in Prasijs Tigres gigni Leonibus duplo ferè maiores, eo robore, vt si de mansuetis vnus à quatuor hominibus ductus, Muli posteriorem pedem comprehenderit, ad se trahat.*

Quod inter Aues Pauo, hoc inter quadrupedes Tigris est pulchritudine, ex Gillij descriptione.

Tigres in aliquibus locis duplo sunt Leonibus maiores.

Hìc

Hìc ego duo obſeruanda exiſtimo. *Primum*, maculas purpuraſcentes non nigras deſcribi, quæ etiam an orbiculatæ, an oblongæ ſint, haud patet. *Secundum*, eius magnitudinis Tigres eſſe, vt vel Leænã æquent, vel in *Prasijs* Leones duos corporis habitu ſuperent. Quæ notæ faciunt, vt de illis, quas in Italia non rarò videmus Tigres, quarum non paucas ſemper Sereniſſimi Hetruriæ Magni Duces (apud quos admiranda Naturæ opera quamplurima alia conſpiciuntur) aluerunt, dubitare quis poſſit, Tigres potius an Pantheras nominare libeat, illas præcipuè, quæ Leonibus multo ſunt minores, & nigris orbiculatis non virgatis maculis colorantur. Scaliger Excercitat. CCVIII. aduerſus Cardanum non procul ab hac opinione abit, quamuis alia perſuaſus ratione. *Tigrem dicunt animal ferum Indi hi*, inquit, *quos equidem iure ac merito orientales voco. At eum ego Pardum puto, quandoquidem & curſu minus valet, & ex inſidijs victum quærit. Etenim ſaltu in arborem quampiam ij cum ſe dederint, in ea latitant; Vnde in viatores, aut in alias inſiliunt feras. Id quod de Pardo quoque prodiderunt. Eſt igitur Pardus Indus.*

Duo obſeruanda in prædicta Tigridis deſcriptione.

An omnes veræ ſint Tigres, quę hoc nomine in Italia appellantur.

Scaliger potius Pardos putat, quos in Italia Tigres vocamus.

In hac ipſiſſima Excercit. duo adhuc ſunt alia, quæ minimè mihi reticenda videntur. *Primum*, quod circa finem legitur, & hoc eſt: *Non eſt obſeruatio contemnenda ſi παρδαλις eſt Panthera, quid ſit apud Xenophontem in Commentario de Venatione, cum vtrumque ſtatuit ſeparatim παρδάλεις ϗ πανθῆρας.* Hic Scaligerum iterum confundere aduerto *Pantherem* cum *Panthera* ſiue *Pardale*, cùm tamen ſupra apertè docuerim, longè diuerſum animal eſſe, quod Ariſtoteli *Panther*, ab eo quod Græcè ipſi *Pardalis* ſiue *Pardalia* dicitur, quod Latini, Plinius præſertim, & poſteriores omnes Latinè loquentes *Pantheram* vocarunt, & ipſemet hic Xenophon inter *Pardales* & *Pantheres*, vt Scaliger monet, diſcrimen facit, quod huic ſolum ſufficere potuerat. *Alterum* quod moneam, circa principium legitur. *Duo erant* ait, *Neraci inter Clathros Regis Nauarræ Leones: horum vnus cum obijſſet, eius collum ab alijs viſum: à quibus accepi non oſſe vnico, ſed vertebris conſtare. Nunc nuper alterius effoſſo cadauere, idem nobis compertum eſt.* Macte tua virtute mi Scaliger, ſic itur ad ſecretiora Naturæ veritatiſq. adyta. Fateris tandem oculatis cõuictus teſtibus, magnum Ariſtotelem dum opinabatur collum Leonis vnico oſſe rigere lapſum fuiſſe, quod ego ſupra de Lupo aduerſus eundem longa quoque ſermonis ſerie pertexui, eiuſq. hallucinationem demonſtraui. Et forſan hinc *Iul. Solinus* Polyhiſtor errorem ſuum hauſit, cùm cap. 28. de *Hyena* hæc ſcribit *Hyenam quoque mittit Africa, cui cum ſpina riget collum continua vnitate: flecti nequit, niſi toto corpore circumacto.* Hoc ego enim, licet Hyenam nunquam viderim, aut viſurus ſim, ex animalium Anatome adeò non dicam incertum, ſed falſum eſſe æquè certus ſum, atq. nomen meũ calleo. Sed de hac controuerſia, dum de collo Lupino agerem, plura ante dixi. Sæpè etiam meo periculo didici, difficile eſſe aliquid probare,

Si ratio potius, quàm res perſuadeat ipſa,

Vt Lucretius optimè loquitur.

Duo notãda.

Primum.

Scaliger confundit Pãtherem cum Pardale.

Secũdum.

Bona fide Scaliger fatetur aduerſus Ariſtotelẽ collũ Leonis nõ oſſe rigido & vnico conſtare.

Hyenæ collum vnico oſſe à Solino conſtare perhibetur.

Atqui, dum in hoc dubitationum inuolucro hærerem, accedo Illuſtriſſimum Dominum *Ioannem Ciampolum Lynceum Florentinum* fautorem & amicum mihi colendiſſimum, vt ſi quid ipſi de Tigribus perſpectum foret, explorarem: cùm ſimilia ſæpius animalia in *Theriotropheio*, ſeu ferarum viuario, Sereniſ-

Ioannes Ciampolus Secretarius Pontificius.

simi Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ, sua nempe in patria, vidisset. Est autem vir hic non solùm in Historia sacra & profana excercitatissimus, Philosophiæ reconditioris, & verioris Matheseos Condus ac Promus, à Galilæo Galilæi V. CL. æstimatus, sed ea etiam Ingenij amœnitate ac felicitate præditus, vt in prosa versaque oratione, Ciceronis ac Pindari æmulatione, Latino & Hetrusco stilo ita polleat, vt vix hodie reperiatur facundior alter; summis proinde ob eloquentiam Pontificibus carissimus, cum iam secundò in scribendis ad Principes Christianos literis Apostolicis, quas *Breuia* dicunt, ab ijsdem adhibeatur: eius etiam domus ab omnis scientiæ & elegantiæ cultoribus, tam indigenis quàm aduenis, quasi Oraculum quoddam vel Eruditionis Templum quotidie frequentetur. Verum perspectis ipsi lectisque rationibus meis, eodem mecum in dubio mansit, an reuerà, quos hodie Florentiæ *Tigres* appellant, Tigres sint, an Pantheræ potius antiquorum existimandæ, si summo rigore & Plinij præsertim authoritate lis esset decidenda. Et ecce, dum sic hæremus, commodùm ipsum salutatum aduenit Reuerendus admodum Pater F. *Gregorius de Boliuar* Hispanus Placentinus, Ordinis S. Francisci de obseruantia dicti, qui annos XXV. integros in *America* vixit, Regnum vtrumque *Peruauum* & *Mexicanum*, plurimasque adhuc incognitas alijs, nec descriptas noui orbis prouincias peragrauit, verbo & exemplo infideli illi populo (cuius tres diuersas linguas optimè callet) CHRISTI Euangelium annunciando, & ad veram ac Catholicam fidem illum inducendo: cuius rei gratiâ ad *Molucanas* quoque Insulas & *Orientem* ipsum penetrauit. Hic nostram facilè diremit litem, eaque de animali proposito nobis enarrauit, quæ ad rem maximè facere videbantur; Tum ego, hoc inquam,

F. Gregorius de Boliuar Hispanus Ordinis S. Francisci verè Cosmopolitanus, qui veterem & nouum orbem omnẽ peragrauit.

Hoc placet, hæc dubiam vincit sententia mentem.

Hic mira nobis de nouo orbe & huius Animalibus retulit.

Mirabilia, & alia quàm plurima de nouo nobis orbe recensebat, quorum posthac nonnulla scriptis meis inseram, quæ tunc auidi, & ab ore ipsius pendentes excipiebamus. De *Tigribus* autem *Americanis* (inter quas istud animal, cuius hìc effigiem exhibemus, vlla absque controuersia collocabat) quæ dehinc sequuntur fideliter ab ipso nobis communicata, scribemus.

Hic breui Historiam Americanã editurus est.

Ne verò quis retulisse ipsum existimet, quæcunque in buccam ac mentem venerint, sciat industrium ac Religiosum hunc virum à *Generali* ordinis sui Antistite magni fieri, & Historiam *Americani orbis* non modo adfectam in scrinijs, sed penè iam confectam habere, qua, Deo volente propediem fruemur. Hic enim autopsia plurimorum mores animalium, proprietates ac membrorum constitutiones exactè adeò didicit, vt iustè ac meritò pluribus ipsum prætulerim Authoribus, qui

- - - Sapiunt alieno ex ore petuntque
Res ex auditis potius, quàm sensibus ipsis.

Hunc autem in sensum Tigrem nobis Americanam delineabat, eiusque proprietates describebat.

Tigris Americana à F. Gregorio Boliuar Hispano descripta.

Tigris ferocissima ac fortissima est omnium animalium, quas India occidentalis producit. Reperitur in plurimis Americæ regionibus tam *Nouæ Hispaniæ*, seu *Mexicani*, quàm *Peruani Regni*: Et ibi copiosiùs, vbi extensi magis,

gis, atque impenetrabiles montes sunt positi, qui, quò horridiores & magis asperi sunt, eò terribiliores & efferatiores hæ bestiæ reperiuntur. Rarò autem in planitie stabulantur vaganturque, exceptis tamen *Peruanis* prouincijs quibusdam, quales sunt *Chicas*, *Lipes*, *Atacama*, *Tucuman* & *Paraguay*. Et hanc maximè ob caussam, quòd siluæ passim hìc sint vastissimæ, densissimis consitæ arboribus ad plurimas Leucas extensæ, & asperrimis subiacentes montibus, in quibus vllo absque impedimento filiorum procreationi & educationi operam dare faciliùs possunt. Accedit, quòd prouinciæ istæ copiosissimis abundent animalibus, quæ Tigribus in victum & horum filijs in pastum cedunt. Sunt autem, *Vaccæ* & *Tauri* siluestres, *Equi* & *Equæ* feræ, *Alces*, *Cerui*, *Dorcades* seu *Capreoli*, *Gamos*, *Guanacos*, *Vicunnas* & plurimæ aliæ bestiæ, quæ in Tigrium sustentationem ibi procreantur.

Vbi reperiatur.

Pastus Tigridum in America.

Propter hanc pastus abundantiam, ac Climatis eius proprietatem maiores efferatioresque ibi Tigres generantur, quàm in vlla orbis vniuersi parte, & tales profectò, vt cum quouis etiam ferocissimo Africæ Leone duellum committere, & indubitatam reportare victoriam possint. Vnde iure ac meritò in *America Tigridi regale sceptrum*, quod apud nos *Leoni* debetur, & dominium in omnes omnino belluas assignatur.

Tigridi in America, & nõ Leoni sceptrũ regale debetur.

Magnitudo talis est, vt altitudine sua ordinaria quatuor aut quinque palmos attingat, facilè etiam excedat: longitudine ad sex vel septem extenditur. Formosissima, & colorem benè maturi Aurantij pomi referente pelle à Natura Tigris ornata est plena maculis, quarum extremus circulus punicei siue spadicei (*Lionato* dicunt Itali) est coloris: vicinior & interior albicantis; & centrum ipsum nigricat, & quò maculæ hæ, quæ tot oculos repræsentant, capiti dorsoque sunt viciniores, eò florent rotundiores; oblongiores verò reddantur, quò magis ad ventrem & crura belluæ accedunt.

Magnitudo huius.

Pellis formosissima.

Aspectu truci horrendum est animal. Oculos scintillantes ac penè ardentes ostendit. Pedes tam grandes ac robustos, anteriores præcipuè, quibus manuum vice vtitur, ob id in quinque vngues diuisos; vt ad reliquum corpus collati vix aliqua appareat proportio. Hinc mirũ minimè est, quod Taurum per medium ferme diuidere, armum eius certè, aut coxam vnica tantum percussione vnguibus suis acutissimis maximisque detrahere valeat.

Aspectus trux.

Pedes fortissimi.

Est animal agile valde seruato tamen in motu suo decore, & quadam vt dici solet, morũ grauitate. Vnde velocitatem suam vix aliter prodit, quam tribus primis in saltibus maximè præcipitibus: his enim, dum ad animal capiendũ collimat, vtitur, vt ferè quicquid gestit, capere possit; qui si minus ex desiderio ipsi succedant, ab incepto desistit. Verum hoc rarissimè contingit, vt quod intendit, non assequatur. Ac propterea, antequam aggrediatur, considerat opus, ac veluti consilio in arena capto, prius stationem certam, vnde possit ex insidijs erumpere, exquirit. Perspectas suas maximè vires & valorẽ habet: quare, vbi ex dictis animalibus aliquod occiderit, vt primum sanguinem omnem suxit, dentibus arreptũ humerisq. impositum, retorquendo versus animal caput, trium etiã spatio milliarium ad filios aut fæminam suam lactantem illud deportat; & si viuum sustollere possit, adfert, simulque venandi & bestias adoriendi filios ar-

Agile animal cum decore quodam.

Prædam quomodo ferat.

Docet filios suos artem venandi.

tē edocet, assistendo omnique procurando diligentia ne præda aufugere possit.

Ordinariò duos saltem catulos partu edit, nec pluribus fœmina lac præbet. Partum habet molestissimum. Et si ex filijs aliquem cum aliqua imperfectione & naturali defectu nasci contigerit, genitores illum vel occidunt, vel enutrire nolunt.

Duos saltem parit Catulos.

Est Tigris infestissima omnibus armentis, hominem, nisi prius ex carne eius comederit, timet potius. Huius autem vbi semel sanguinem & carnem degustauit, mirum, quàm palato ipsius arrideat; ita vt ab ea postmodùm abstinere non valeat; persequaturque ipsum ad quadraginta etiam milliaria, summa cum attentione, vigilantia, & patientia, donec tandem incautum, nocturno præsertim tempore, & dormientem adoriatur.

Imperfectos abijcit filios.

Humana carne valde delecta tur.

Hoc maximè animaduersione dignum est, si dormientem in cubiculo Canem simul & hominem offendat, occidet primò Canem, post hominem lacerabit: sin verò hìc Hispanus fuerit & mancipium aliquod ex *Nigritis* è *Guinea* secum habuerit, & hoc primò interficiet. Sin hominem Americanum, hunc primò similiter adorietur. Ita, vt hoc planè *Hispani* priuilegio ijs in partibus gaudeant, quòd his quàm maximè Tigres parcant, nec nisi vltimo demum loco deuorent. Quod si plures, omnesque Hispani fuerint, ex his primo illum, qui pusillanimis magis & excors fuerit, trucidabit.

Hispanis magis parcit.

Non est securior ab hac bellua se defendendi modus, quàm ignem ipsi opponere, hoc est, vel faculam ardentem, vel titionem accensum, & ego ipse (inquit F. Gregorius) altera manu gladium, facula tenens altera, Tigrem profugaui.

Igne terretur.

Modus verò capiendi & interficiendi eas, talis est. Ponuntur *decipulæ* ex fortibus compactæ asseribus, quibus intus Canis funiculo illigatus aptatur, sicq. vbi deprædatum Tigres Canem eiulantem accesserint, decidunt muscipularum instar asseres; qui, cùm impositum ex lapidibus pondus mille & quingentarum librarum habuerint, aut Tigrem occidunt, aut semiuiuam saltem relinquunt. Subinde retro aliquam se arborem Venator recondit, Tigrim sagitta aut plumbeo globo traijcit ac confestim arborem ascendit, ijsdem in bestiam armis denuo fulminaturus. Veruntamen, si arbor crassæ admodum sit magnitudinis, celerrimè in eam Tigris salit, & inimicum suum occidit. Quare Venator aut bipennem aut acinacem secum fert acutissimum, quibus salienti animali, vel manus vel truncum saltem cui vngues figit, detruncet, atque humi sic prosternat. Si verò arboris truncus nō sit crassior, quàm v.g. mediū hominis mediocriter crassi corpus, ascendere bestia minimè valet: sic enim, dum truncū amplexari satagit, vnius manus vngues alteri infigit, ac sibi ipsi impedimentum creat. Erit igitur securior venatori arbor tenuior, quàm crassior, dummodo satis alta sit; alioquin vnico in eam saltu, quo plurimum valet, prorumpet & vnguibus arreptum venatorem detrahet.

Modi Tigres capiendi.

Non potest nisi crassas admodum arbores ascendere.

Euidentissimum & hoc signum est, cæteris Tigrem bestijs in America dominari: quòd nimirum, si plurimarum detractæ pelles cum hac ipsa in arca quadam concludantur, facilè omnes reliquæ depilabuntur & eò citius illæ, quo huic iacent viciniores, solà Tygrinà pilum suum firmum fixumque retinente.

Pelles Tigriū cōsumunt alias iuxta positas.

Est Tigris tolerantissimum famis sitisque animal, hanc ad quindecim,

illam

illam ad octo facilè dies ſuffert. Leonis modo Tertianam febrim patitur, eamque ſex ſaltem diebus in qualibet Lunatione; tribus diebus nempe ante, & totidem poſt Lunæ coniunctionem. Tunc temporis ad remotiora loca recedit, & quaſi elangueſcens animi ferocitatem deponit. Ex rapina viuit, nec præter carnes quicquam comedit: quare indifferenter animalia quæuis adoritur, nulli parcit; quin arbores quoque dexterrimè conſcendit, & magnarum auium nidos vaſtat, pulloſque earum deuorat: verùm id ſumma præcauet diligentia, ne plumas deglutiat, quæ præſentiſſimum ipſi venenum forent. Quòd ſi aues illas deplumare non valeat, ſolum exſugit ſanguinem, auibus ipſis abiectis.

Suffertegre gie famem & ſitim.

Patitur Ter tianam.

Pinguedo huius animalis, nõ aliter ac Leonis aut Pantheræ ſubtilians valde, magnamque penetrandi vim poſſidet. Retractis inſeruit neruis, ſiue in collo illi fuerint, ſiue in manibus pedibuſue, & propterea niſi dextrè hæc vnctio applicetur, periculo non caret.

Medicamẽta ex Tigre.

Vtuntur *Americani* corollis ex dentibus Tigris confectis, quas filiorum ſuorum collis circũdant, eaſque aduerſus Anginam, deſtillationes ex capite & alia, quæ aſperam Arteriam infeſtare valent accidentia, plurimum momenti habere ſibi perſuadent.

Summà, hoc animal plurimas alias proprietates quin obtineat, nullum eſt dubium; quas nobis tamen cognoſcere minimè licet, quòd indomitum ſit, ac homini parum ſociabile, quodque domeſticum etiam quodammodo redditum, horrorem tamen intuentibus incutiat.

Nõ omnes Tigris proprietates adhuc perſpectæ.

Atque hæc hactenus F. *Gregorius de Boliuar* partim Hiſpanico, partim Italico idiomate non ſine voluptate auſcultantibus nobis recenſuit, latinè vtcunque à me expreſſa, eoquè libentiùs, quod maximam eorum partem cum veterum enarrationibus conuenire reperio.

Explicatur allata hiſtoria.

Et imprimis quidem eſſe Tigrem animal ferum, indomitum, ſæuum, atrociſſimum, ex his Ouidij verbis diſcimus.

Ferocitas Tigris.

- - - - - - Neque enim de Tigride natus,
Nec rigidos ſilices, ſolidumue in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit; nec lac bibit ille Leænæ.

Et Virgiliana Dido in maritum, vt fingitur, ſæuum ac crudelem Æneam.

- - Hyrcanæque admorunt vbera Tigres.

Nec mirum, quòd antiquis tantum in *Taprobane*, *Hyrcania* & *Armenia* maximè celebrarentur Tigres, cùm *Americæ* nulla adhuc notitia eſſet, in qua cum habeant Tigres, qua ſuam exerceant feritatem, magnam beſtiarum copiam, crudeliores etiam alijs perhibentur. Quamuis & Romanorum in ſpectaculis *Martialis* Tigrem introducat, qui Leonem laniauerat, quod in ſiluis, inquit ille, auſus non fuiſſet. Martialem ipſum audire libeat.

Romæolim in ſpectaculis exhibita.

Lambere ſecuri dextram conſueta magiſtri
Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo.
Sæua ferum rabido lacerauit dente Leonem,
Res ñoua, non vllis cognita temporibus.
Auſa eſt tale nihil, ſiluis dum vixit in altis,
Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

Maculæ in Americana Tigre non oblongæ.

formoſiſſima pelle ornatam eſſe ex noſtra, P. Gillij, & P. Gregorij deſcriptione patuit; qui tamen à Veterum maculis hac ratione diſtinguit, quòd hi in Tigribus ſuis oblongas & virgatas, nos orbiculares agnoſcimus. Vt partim ex Plinij menſis Tigrinis partim ex Oppiani 1. de Venatione verbis colligitur, dum *Equorum quos Orynges appellat, aliquos floridis decorari maculis multis, ſiue tænijs oblongis Tigrium inſtar; alios vero rotundis, vt Pantheræ, ſcriptum reliquit*. Et *Solinus*: *Tigres*, inquit, *beſtias inſignes maculis notæ, & pernicitas memorabiles reddunt; fuluo nitent, hoc fuluum nigricantibus ſegmentis rotundatum varietate apprimè decet.* Color hic fuluus cum noſtro valdè coincidit, maculæ diſcrepant.

Tigris animal, & flumen à velocitate dicta.

Verùm hæc macularum varietas (quæ tamen circa ventrem in noſtra quoque Tigre ſunt oblongiuſculæ) earum Naturam forſan nihil immutat, quemadmodum nec velocitatis defectus, cùm veterum Tigres velociſſimæ habeantur: vnde *Tigris* vocabulum, Armenæ originis, *Sagittam* ſignificans, quod huic beſtiæ ob agilitatem, & rapaciſſimo illi flumini ob curſus velocitatem fuit impoſitum. Quare celeritatem ſummam indicare volens lib. 5. Lucanus dixit,

Ocyor & cæli flammis, & Tigride fœta.

Idem animal indiuerſis regionibus natum poſſe differre in aliquibus.

Noſtræ autem Mexicanæ, non niſi primis tribus ſaltibus ſagittæ inſtar in beſtias inuolant. *Gonzales* profectò de *Ouiedo* in *Hiſtoria ſua Indiæ Occidentalis*, Carolo V. inſcripta, Tigrem deſcribens, non mirum eſſe ait, ſi eiuſdem etiam ſpeciei animal ſub diuerſo climate natum, non eoſdem planè mores & proprietates habeat: Hoc enim in plantis & quam plurimis alijs rebus ſæpè vſuuenire: ſe tamen non obſtinatè huic ſententiæ repugnantibus obſiſtere, nec Americanas has beſtias veras eſſe Tigres adſtruere velle.

Tigris Americana vera Tigris.

Aſt ego omninò veras eſſe Tigres arbitror, nam quod mox deſcribendum ſequitur animal, à præſente multum differens, Pantheræ vel Leopardi potius nomen & naturam exprimere videtur. Cuius hiſtoria hanc ipſam magis dilucidabit. Cæterùm in depingenda ſua non variat Ouiedus Tigride, à noſtra deſcriptione: ait enim, caput ei magnum eſſe Leonis inſtar, & hoc cum toto corpore maculis ſcatere nigricantibus, colore ſuauerubente eaſdem plurimo ambiente amæno adeò, vt picturæ reſpondeat pulcherrimæ; vel, vt mihi videbatur, periſtroma artificiosè elaboratum & acu pictum referente.

Flos Tigridis.

Mirari itaque deſinant curioſi plantarum cultores, quòd *Mexicani* flori venuſtiſſimo, quem ſtudiosè in Hortis ſuis alunt, lingua ſua OCOLOXOCHITL dicto, *Tigris* appellationem dare voluerint.

Hic enim *Flos Tigris*, (etiam à Dodonæo & Lobelio exhibitus, ſed nec viſus ipſis, nec bene ſatis delineatus) ruber eſt, magnus, ternis conſtans folijs, ſed circa medium pallens, albuſq. & Tigrinæ pellis more maculoſus; vnde & nomen traxit. Inſigniemus igitur Tigridis nomine hoc noſtrum animal, vtcunque Ouiedus ſe minimè repugnare dicat, ſi quis nec Tigrem nec Pantheram, ſed ab vtroque differens aliquod animal dicere malit. Splendorem in oculis, ignis inſtar rutilantem Oppianus agnoſcit: & pedum robur maximum, ſupra etiam inſinuatum, vbi dictum, quòd Mulum quamfacillimè trahere poſſit.

Alius interficiendi Tigres modus.

Præter dictos iam duos modos interficiendi Tigres, tertium Petrus *Martyr* addit in ſua *Occidentalis Oceani deſcriptione*, cùm meminit in excauata ſcrobe cratibus

tibus ſtrata, & ſudibus acutis in fundo fixis, Tigrem incidiſſe, ibique hæſiſſe, & quendam qui ex illa carne comederat, retuliſſe, quòd bouina non deterior eſſet. Improbat tamen Galenus 2. *de Alimentor. facultatibus* eos, qui Vulpium, Canum, Pantherarum ac ſimilium beſtiarum carnes vorant. Et fors non incongruum fuerit, cùm carniuora ſit beſtia, deleteriam herbã eſcæ ipſius immiſcere, quemadmodum Aconitum Lupos necat. Americanæ Tigres ardentibus facibus; Veterum illæ Tympani ſonitu abiguntur & ad inſaniam ferme adiguntur vt Ælianus & Plutarchus teſtes ſunt. De partu nihil ferè apud Antiquos: de Conceptu hæc fabula exſtat: *Curſu ſimilis eſt*, inquit Oppianus *Zephyro genitori ſuo, nam à vento eos concipere falsò creditur*. Putarunt nempe aliqui Tigres omnes fœminas eſſe. At nos ſupra ex Ariſtotele docuimus, ipſum credidiſſe Tigrem marem cum Cane fœmina coire, indeque naſci Canes Indicos.

Quem saporem carnes Tigrinæ habeãt.

Tympani ſonitu noſtrates Tigres terrẽtur.

An à vento Tigris concipiat.

Moleſtia, quam in partu Tigris experitur, forſan ad præacutos catulorum vngues erit referenda.

Partus cur moleſtus.

De ijs, quæ Plinius de raptu fœtuum habet, vbi raptor catulorum appropinquante matre abijcit vnum, quem illa tollens paululum moræ trahit, dein iterum conſequitur, donec in nauem ingreſſo raptore, irrita ſæuiat in littore feritas; Americani nihil ſciunt. Interfecta enim prius matre, aut abſente, facilè fœtus rapiunt.

Quòd autem Americana Tigris Canem priùs, aut mancipium, aut vilioris ſaltem animi hominem dilaniet; habet neſcio quid occulti Naturæ miraculi. An forſan quòd Canes impares ſint congrediendo, & repugnando, illi citius metuant, nam vt Virgilius,

Degeneres animos timor arguit.

Et ideo minus reſiſtunt. In hunc puto cenſum illa ſunt, quæ Scaliger exercit: CCVIII. aduerſus Cardanum de Tigre an Pardo? habet: *Indam fœminam, cùm inter duos Hiſpanos ſomnum caperet, neglectis illis ac relictis, in mulierem inuaſiſſe.* Contrarium in Leone docet, *hunc nempe dormientem Virum, & eius ſolummodo Cor ac naſum abſtuliſſe, relictis coxarum muſculis quibus pinguius paſci potuiſſet, & filiolo prope cubante.*

Cur Tigris vltimo cordatos deuoret.

Contrarios mores Leo dicitur habere.

Quòd huius pellis aliarum pellibus beſtiarum iuncta, eas depiles reddat; ſimile quid in Aquilarum pennis narratur, quæ Anatum pennis commixtæ, has omnino perdant.

Hanc ita egregiè famere & ſitire poſſe, forſan rapacibus omnibus commune erit beſtijs: certè in Lupis hoc ipſum vidimus, quòd vbi præda in promptu eſt, ita ſe ingurgitent, vt pluribus poſtea diebus habeat ſtomachus quod digerat, ſi victus, quod ſæpe accidere poteſt, deficiat.

Cur poſſit diu famem ferre.

De medicamentis non eſt quod addamus quidquam, cùm in Hiſtoria de his abunde ſit annotatum.

TLA-

TLACOOZELOTL. TLALOCELOTL.

Catus Pardus Mexicanus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

SI, quod nunc in Theatro comparet, animalis figuram ſpectemus, cum antecedente nonnihil corporis delineatio congruit: ſi colorem & maculas, quibus pingitur, plurimum diſcrepat. In hoc totius color corporis non rubicundus, ſed ſubniger aut obſcurè cinereus apparet, præter ventrem tamen, qui albicat. Maculæ nec ordinatæ adeò, nec ita rotundæ, roſeiue coloris & figuræ, ſed oblongæ, nigricantes omnes, in medio verò albicantes ſparguntur. Crura non ita fortia, pedes anteriores albent. Dentes exerti hic nulli terrent, & pili vt in prægreſſo, aut circa barbam aut rictum vix vlli conſpiciuntur. Caput quod Felinum eſt, in hac effigie paulo minus, quam in autographo repræſentatur.

SCHOLIA EIVSDEM.

Obſcura Antiquorũ ſcripta sũmam nobis difficultatẽ pariunt.

QVanto ingenio ac ſtudio Zoographi maculoſorum naturas animalium non penicillo, ſed calamo depingere conati ſunt, tanto mihi & ampliore forſan labore, eorum vel ſenſum indagare, vel vbi à via veritatis deflexerunt, intento, vt dicitur, digito ad eandem eos reducere euincendum fuit: Vt Augiæ ſtabulũ quis citius Herculeo planè labore expurgare anniti debeat, quã Veterum diſcordantes plerumque ſententias conciliare. Aliquid iam in *Tigre* præſtitiſſe mihi viſus ſum. Iam alterum, à priore non multum diſſimile animal ſequitur, quod *Pantheræ* fortaſſis nomine cuipiam inſignire libebit.

Iulius enim *Solinus* cap. 20. *Pantheræ quoque numeroſæ ſunt in Hyrcania*, inquit, *minutis orbiculis ſuperpictæ, ita, vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea vel alba diſtinguatur*

ſtinguatur tergi ſupellex. Cum paulo ante Tigris fuluum colorem, nigrantibus ſegmentis & non orbiculis interundatum obtinere ſcripſiſſet. Diſtinctio hæc Tigridis & Pantheræ è maculis, ex Plinio quoque clara eſt in menſis Pantherinis & Tigrinis, vt capite ſuperiore diſputauimus. Erit igitur hoc præſens animal Pantheræ multò, quam Tigri vicinius, ſi poſitam rectè deſcriptionem contempleris.

Animal hoc magis cum Panthera, quã Tigre conuenire videtur.

At enim hæc beſtia ferocitatem, quæ Pantheris æquè atque Tigribus innata eſt, vix vllam ex aſpectu minatur, cum ad Felis potius ſimilitudinem accedat, quam Tigris, à qua Panthera non multum abit. Et cùm, vt Petrus Gyllius in Aeliano ait, *velociſſimè currant & recta via ferantur Pantheræ, ita vt diceres ſagittam neruo expulſam*; Ventris profectò craſſities, quæ in hoc animali noſtro conſpicua eſt, agilitatem haud tantam arguit.

Cur nõ ſit Panthera noſtri orbis.

An igitur, quando hìc Americanum, & minimè noſtri orbis animal deſcribimus, Mexicanam Pantheram indigitabimus? Hoc autem ex ipſa deſcriptione exactiſſima, quam idem *F. Gregorius de Boliuar* Hiſpanico nobis idiomate communicauit, & Latinis ego totidem verbis expreſſi, manifeſtum euadet.

An ſit Panthera Americana.

Eſt itaque Panthera Americana, inquit ipſe, tam figura, quàm natura ſua Tigri valde adſimilis, niſi quod viuaciore & elegantiore macularum colore Tigrem longè ſuperet, quamuis multo ſint minores & rotundæ minus, quam in dicta Tigre. Caput huic minus eſt, & pili vbique delicatiores molioreſque. Oculos verò maiores, ſed minus ſcintillantes: collum & crura graciliora & magis cętero corpori, quam Tigris, habet proportionata.

Pantheræ Americanę deſcriptio F Gregorij deBoliuar.

Color in Panthera pulcherrimus.

Et, vt Tigre eſt longè velocior, ita minus ferox eſt Panthera. Altitudine ad quatuor palmos aſcendit, non rarò ſex longitudine ſuperat. Ventrem, à coſtis nempe vltimis ad coxas vſque gracilem habet, qualem in canibus venaticis curſoribus videmus: caudam etiam quam Tigris longiorem, vt ferme terram attingat.

Caput.

Corporis cõſtitutio.

Et quamuis animal ſit voraciſſimum, & homini, vbi huius ſemel carnes guſtauit, planè infeſtum, timidum tamen, & à quo citius quam à Tigre ſe homo defendat, abigat & interficiat.

Timida magis quã Tigris.

Non deſcendit ad plana & frigida loca, ſed in montanis plerumque & regione calidiore habitat, qualis eſt Braſilia, in qua plurimæ Pantheræ reperiũtur.

Locus habitationis.

Non audet cum Leone duellum committere, nec maioribus vt Tigris, ſed minoribus ſaltem animalibus inſidiatur. Timet plurimum Canes, & à parvo aliquo horum facilè in fugam vertitur, & ſubitis in arborem proximam ſe ſaltibus recipit, vbi à Venatore ſagitta vel globulo plumbeo traijcitur & deijcitur. Si tamen arbori Venator ſtat vicinior ad viginti etiam paſſuum diſtantiam, ſumma, quod mirum eſt, velocitate in hunc ſe Panthera præcipitem fundit, eum dilacerat & in arborem denuo recepta tamdiu ibi perſeuerat, donec à Canibus latratu feſſis liberetur.

Quæ animalia adoriatur.

Timet Canes.

Longiſſimè ſaltat.

Non patitur Tertianam vt Tigris, nec tanto famem ſitimque tempore ſuffert. Propter ſolam ferme pellem capitur, quæ aſpectu pulcherrima eſt, ideoque quæritur maximè, vt ea ornentur tam Ephippia, quàm ſedilia: Carnes tamen eorundem locorum Barbari deuorant.

Non patitur febrem vt Leo, Tertianam.

Pelliũ vſus.

Animal

Alacre animal.

Animal est valde inquietum complexionis calidioris. Visu ac facie sua alacritatem summam, quod in Tigre omnino est contrarium, semper spirat.

Non terretur ab igne.

Magis ipsi sanguis placet, quam carnes, quo sustentatur. Ab igne non terretur. Plerumque in spissis arborum ramis dimoratur, dormitque, in quibus etiam à venatoribus quæritur ac capitur: & non rarò cum fames ipsam stimulat, si in alijs arboribus *Simias* aut *Cercopithecos* conspexerit, se mortuæ similem in ramis hisce supinam componit, extensis omnibus leniter pedibus. Tum Simiæ illæ, prout curiosum est animalium genus, ex vna in alteram saliendo arborem, suisque indulgẽdo gesticulationibus, vbi periculosa sua ignorantia Pantheræ viciniores factæ fuerint, olfaciunt eam, & an spiritum trahat, exquirunt, quam si mortuam iudicant, iam metus omnis expertes corpori ipsius insiliunt & insultant. Hæc autem occasionem, famem suam abigendi, tam præsentẽ nacta ex inopinato veluti expergefacta, vnguibus suis modò hanc, modo illam Simiam corripiens & dentibus dilanians, ex arbore in terrã præcipites dat, descendit, viciniorem lacerat, quod vult vorat, reliquias verò vel socijs vel filijs affert. Et ita stolida Simiarum curiositas Pantherarum fami succurrit, ac nutrimentum optimum præbet. Summa, Panthera est animal astutum, velox, formosum & in illis regionibus ceu specialissimum quid æstimatum. Hæc ex F. Gregorij nostri accurata non minus, quam vera relatione.

Quomodo Simias capiat.

An noui & veteris orbis Pãtheræ conueniant.

Commodum hìc primo indagare fuerit, cõueniantnè noui orbis cum veteris mundi Pantheris? Et quidem quod dictum est, Pãtheram Tigri admodũ simi-lem esse, non abs re est, cum etiam in plerisque nostra hæc ambo animalia concordent, excepta macularum figurà, quæ in Tigribus virgata, in Pantheris orbiculata ab Antiquis describitur. Quamuis vt semel, quod res est, dicam, hodieque veræ Tigres ex nostro orbe allatæ in Aula Augustiss. *Rodulphi* secundi Cæsaris semper inuictissimi (quo seculi spatio nec curiosior, nec rerum naturalium intelligentior Princeps vixit) visæ fuerint, quæ magnitudine Leonem superarunt, pulchritudine Pauonem adæquarunt, suo nempe in genere quadrupedum eminentes. Tales non dubito, quin Serenissima & Florentissima *Medicæa* Domus sæpe etiam aluerit, vt vt fiat, sępe vt Pantheras minores Tigribus, harum nomine vulgus honestet. Nec refert multum, si oculorum potius circuli, quàm virgarum segmenta in his etiam nostris videantur; nec color vsquequaque cum antiquis congruat. In Canum etenim, Lyncum vulgò dictarum, Equorum & Leonum, quæ non varietas coloris & macularum pro regionum diuersitate quotidie à nobis conspicitur? Retulerunt autem mihi, qui ante hos triginta annos *Rodulphi* Imperatoris Tigres viderunt, quouis Leone illas maiores, insigni capitis magnitudine, pilis mundissimis, orbiculis ex fuluo nigricantibus ac pulcherrimis ornatas fuisse.

Rodulphus Secũdus Imperat. pulcherrimas aluit Tigres.

Posse Tigres dici, etsi non adeò in maculis cum veterum descriptione conueniant.

Discrepantia inter Pantheras nostras & Americanas.

Est & hæc inter nostras & Americanas Pantheras discrepantia: quòd Antiquorum Tigris, vt perhibent scriptores, pulchritudiue sua hoc inter quadrupedes existat, quod Pauo est inter volucres. Atqui Americana Panthera Tigrem suam colorum venustate longè superat, quamuis vtrumque animal speciosissima sit pelle prẽditum. Veterum certè Pantherarum pelles non illa amœnitate placent, cum dicat Aristoteles Chamæleonem habere pellem pallidam nigris

gris distinctam maculis vt πάρδαλις hoc est Pardus vt Gaza vertit, Pardus autem & Panthera Plinio idem sunt animal, sexu solo distincta. Et hunc quoque ab Aristotele dictum colorem in Pantheris nostris reperimus, minoribus nempè illis animalibus, quam sint veræ Tigrides, quæ certè & pilo, colore, figurà, statura, decorem longè præseferunt Pantheris nobiliorem.

Quæ de capite, oculis, collo, cruribus, ac cæteris membris maiorem ad reliquum corpus proportionem habentibus, in enarrata iam historia scripta sunt, inutili planè repetitione porrò recensere haud opus est. Operæpretium tamen videtur, hìc integrum Aristotelis locum ex cap. 8. physiognomicorum inserere, vt ex vtraque genuina descriptione, æquus Lector conuenientiam & differentiam inter vtriusque orbis Pantheras animo concipere queat. Sic igitur Aristoteles habet: *Pardalis autem inter ea, quæ fortia videntur fæmininæ formæ magis est, nisi secundum crura, his autem operatur, & opus aliquod fortitudinis facit. Habet enim faciem paruam, os magnum, oculos paruos albos, concauos ipsosq; circumuagantes magis. Frontem longiorem, versus aures rotundam magis quam planam. Collum longum valdè & gracile, pectus expers costarum, & longum dorsum. Coxendices & coxas carnosas. Quæ verò sunt circa ilia & ventrem, leuia magis. Color autem varius, & totum inarticulatum & incommensuratum est. Forma corporis talis est. In his autem quæ circa animam, pusillum est & furax, & in summa dolosum.*

Pantheræ delineatio ex Aristotele.

Et hæc de Antiquorum Pardale, quæ in quibusdam cum nostra Panthera congruunt, in plerisque discrepant. Et vt ea, quæ vltimo loco ab Aristotele allata fuerunt, primo dicam; benè hic monet, quod ex insidijs potius quàm aperto Marte cætera animalia adoriatur, quod Ælianus lib. 2. cap. 23. diligenter annotauit, & eundem ferme decipiendi Simias modum, quem in Americana recensuimus, enarrauit. In hoc tamen variat, quod dicat Pantheram non arborem conscendere, sed sub illa in qua Simias videt, se abijcere, nec supinam sed pronam. Cæterùm etiam remissè tibias porrigere, oculos claudere, spiritu compresso se se ab anhelando continere & vero mortuam videri. Tum Simias illas ex audacioribus vnam semel, bis terue, demittere, & ad Pardalis examinandum affectum præmittere, oculos mirari clausos, & vbi spiritum nullum persentit tractum vel emissum, iam propius omni sepositio metu accedere. Hoc vbi sociæ in arbore conspiciunt, fiduciam & ipsæ colligunt, frequentes ex arboribus decurrunt, saltant, ipsique Pardali ceu hosti suo insultant. Atqui tripudium hoc dui non durat, & caro ipsis nimium constat. *Nam vbi Panthera*, inquit, Ælianus *omnia sustinens, ipsas insultando & illudendo defatigatas intelligit, ex inopinato exiliens, earum partem vnguibus lacerat, partem dentibus distrahit atque opimum & apidale ex hostibus prandium sibi abundè comparat, & tanquam Vlysses ancillarum contumelias & procorum, sic diu multumque harum insultationes perpetitur, vt hostes vlcisci queat,*

Pantheræ fraudes in capiendis Simijs ex Aeliano.

Atque dum ex Aeliano hæc ita cum voluptate excerperem, animaduerti Aesopicam illam Vulpeculam apud Plutarchum libello *Animi an corporis deteriores sint ægritudines*. Et altero *de septem Sapientum conuiuio*, non tantopere suam aduersus Pantheram iactare versutiam debuisse. Cùm enim coram Iudi-

Aesopica Vulpecula cum Panthera de varietate litigat.

ce ambo

ce ambo hæc animalia de ſua diſceptarent varietate, & Pardalis pellem tot picturatam maculis oſtentaret, hanc Vulpes flocci pendens ſordidum id, nec aſpectu gratum eſſe dixit: *Me verò*, inquit, *ſi introſpexeris iudex præ iſta pelle variam magis videbis*, morum ſignificans verſutiam, multis modis pro re nata alternantem. Hoc inquam Vulpi parum ſuffragatur, nam veluti iam audiuimus, vt Pantheræ varia eſt pellis, ſic Vulpina non deeſt aſtutia.

Panthera Vulpi vafritie vix cedit.

Eàdem, vt idem Aelianus habet, vafritie vtitur Panthera in captandis Dorcadibus, Hinnulis, Capris ſilueſtribus. Nam admirabili quadam odoris ſuauitate, qua diuino quodam munere prædita eſſe dicitur, eiuſmodi animalia allicit, vbi ſub folijs aut arborum frondibus deliteſcit, ex quibus tanquam è latebris exiliens, ea poſtmodum capit. De hac odoris fragrantia Americani nihil ſciunt. Et mirum ſanè eſt, ſi vera modò ſunt, quę plures alij de hoc optimo narrant odore Authores, Pantheram per fragrantiam alias decipere beſtias, ſe ipſam tetro odore ac fætore quodam ineſcari, & capi permittere. Nam ipſemet Aelianus vltimo dicti Libr. Cap. hæc habet: *Pardales cum Mauri venantur, eiuſmodi inſidias collocant, vt intra ædificatiunculam lapidibus, quam primo ſtruxerant, putreſcentis iam carnis fruſtum ex longiore funiculo appendant. Deinde ex arundinibus ianuam raram ſtructura imponant, per eas vt fœtidæ carnis odor emanet, & longè latequè vagetur. Hunc incluſum fœtorem ferę beſtiæ ſentiunt, nam quodammodo tetris odoribus delectantur. Itaque huius cibi appetitione huc illuc circumferuntur, & tanquam quadam amatoria illecebra attractæ, & incidunt in laqueos, & infelici eſca conſtrictæ tenentur, atque ſic illaqueatæ pœnas dant liguritionis & helluationis importunæ.*

Fragrantia odoris in Panthera prędicatur quæ tamen ipſa per tetros odores capitur.

Verum & vino dulci admodum duci & inebriari is ipſe Aelianus docuit, quod venatores animaduertentes prope fontem, vbi bibere ſolitæ conueniunt, ſcrobem excauant, dulcique Lyæo replent, & miſeras ſuaui eſca fallunt. Sed quid mirum, ſi vino Pantheræ delectantur? (Quamuis vt vulgaris habet verſiculus,

Vina bibunt homines, animantia cetera Lymphas)

Vino dulci Pantheræ ineſcantur & capiuntur.

Cùm Baccho olim eæ ſacræ fuerint, Nam vt Philoſtratus lib. 3. de vita Apoll. habet, à Rege Armeniæ *Arſace* eidem dedicatæ fuerunt. Capta enim in *Pamphylia* fuit Panthera circa collum auream torquem habens, cum hac Armenica inſcriptione, *Deo Nyſæo Rex Arſaces*. Bacchus enim ab Indis *Niſæus* à Niſa quæ in India eſt, non ſolùm, ſed & à populis omnibus orientalibus ita appellatur, ſolent autem, eodem ſcribente Philoſtrato, aromatum maximè odore trahi Pantheræ, in India frequentiſſimorum. *Tales enim ferę*, inquit, *aromatibus gaudent & ex longinquo odorem ſequentes trahuntur: & ex Armenia per montes profectæ ad Storacis lachrimam feruntur, quotiens venti ab ea parte flant, & arbores liquore turgent.* Sed quonam modo hæc iterum cum illis, quæ ſupra Aelianus de tetro odore, quo eas delectari dixerat, conueniant; non video.

Pantheræ Baccho ſacræ.

Bacchus cur Niſęus dictus.

Pantheræ bonis aromatum etiam odoribus trahuntur.

Alia contradictio authorum ex toruitate & alacritate vultus Pantherarum.

Neque inſigni caret controuerſia, quod apud Solinum cap. 20. legimus: *Tradunt*, ait, *odore Pantherarum & in contemplatione armenta mire affici, atque vbi eas perſentiſcant, properatò conuenire, nec terreri, niſi ſola oris toruitate. Quam ob cauſam*

ſam Pantheræ abſtonditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, vt pecuarios greges ſtupidos in obtutu populentur, ſecura vaſitate. Plinius etiã lib. 8. cap. 17. *Ferunt odore Pantherarum,* inquit, *mirè ſolicitari quadrupedes cunctas, ſed capitis toruitate terreri.* Cùm tamen Petrus Gillius in Aeliano dicat: *Alacrem Pantheræ vultum eſſe,* & noſtra hoc ipſum Americana, vt iam relatum fuit, comprobet. Sed de bono animalium odore, in ſequente forſan capite diſputãdi locus dabitur. Panthera itaque, ex Græca Etymologia, à πᾶν & θηρίον vt aliqui exiſtimant, ita dicta erit, quòd omne animal ad ſe alliciat, ſiue hoc odore, aut corporis decore, qui Americanæ noſtræ mirus ineſt, ſiue aſtu demum & ſolertia quacunque eueniat. Atque hoc demum ſenſu à πᾶν & θήρα fortè melius dicentur: quemadmodum apud eoſdem Græcos πάνθηρον vocatur illud filamenti ſeu retis genus, quo animalia diuerſa concluduntur: θήρα enim ferarum capturam, ſeu venatum, ſignificat. Quæ de velocitate diximus, hæc vtriuſque orbis Pantheræ maxima ineſt. Etymologia Pantheræ.

Cæterùm de Antiquorum Panthera plura non adfero. Concludo enim, quod nos hic impreſſum exhibemus animal, *Pantheram* haudquaquam eſſe: non veterum quidem, cùm Ariſtotelis ex phyſiognomicis allata deſcriptio huic minimè competat, ſi caput præcipuè & ventrem in vtraque delineatione probè intueamur. Corpulentum hoc noſtrum eſt animal: Ariſtotelis autẽ *Panthera* circa ilia leuis, & gracilis, quod & in *Americana* animaduertimus, vt quaſi hoc ſignum pathognomonicum dicere poſſis. Multò minus *Americana Panthera* fuerit, quæ pelle adeò formoſa veſtitur, vt non minus homines in ſui admirationem, quàm Antiquorum illa beſtias, allicere poſſit. Præſens animal nõ eſt Panthera.

Exſtat quidem graphica huius, & viuis ſuis depicta coloribus Icon, in Nardi Antonij Recchi autographis: non quidem vt alia, quæ nunc exponimus animalia ſeparatim poſita; ſed maieſtatis Regiæ Motazumarum, Mexicani Regni olim Dominorum, imagini ſuppoſita. Horum enim Regum effigies, ſuis illuſtrata coloribus, in ijſdem libris repræſentatur, varijs rariſque indumentis condecorata. Regium ſolium integit Pantheræ pellis, & ipſum animal regijs pedibus ſubſtratum cernitur, eodem prorſus modo depictum, quo à F. Gregorio affabrè deſcriptum antea exhibuimus. *Salomonis* ſane ad exemplum, de quo 3. Regum cap. 4 cùm *Regina Saba* ipſum viſitaret, hæc legimus verba: *Fecit etiam Rex Salamon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo Leones ſtabant iuxta manus ſingulas. Et duodecim Leonuli ſtantes ſuper ſex gradus hinc & indè.* Credo equidem eùm Reges iſti argento auroque adeò abundarent, vt hæc, (quod de Salamone eodem loco legimus, *tantam fuiſſe* ipſi *argenti copiã, quãta lapidum*) vileſcerẽt planè pretioſiſſimis eos his metallis, venuſtiſſimã Pantheræ pellem, ſuæ adornãdæ ſedi regiæ, præferre voluiſſe. Nec defuerũt, qui Salamoni aurũ ex *Ophir* allatũ, ex nouo hoc orbe petitũ fuiſſe dixerunt; qui tamẽ multis argumẽtis, ſed hoc præcipuè refutãtur, quod veteribus magnetis vſus in nauigationibus omnino incognitus fuit, abſque cuius directione tam vaſtũ peragrare pelagus, quantũ inter noſtrũ & Americanum orbem interiectum eſt, tranſmittere tuto minimè potuiſſent. Effigies veræ Pantheræ Americanæ, qualis, vbi ſit. Motazumæ olim Reges Mexicani.

An hoc animal possit Leo Americanus dici.

Atque dum hæc anxiè ita perueſtigo, alia quædam animo dubitatio incidit: An ſcilicet *Leonem*, non *Africanum* quidem, ſed Americanum, hoc ipſum animal appellare liceat? Hic enim ab Africano non tam virium fortitudine, quam corporis ſtaturà plurimum ſuperatur, & Indis *Puma* appellatur. Hunc autem in mei, imò commodi publici gratiam, ita nobis *F. Gregorius* delineauit: Puma eſt Leonis ſpecies, & in aliquibus à Leone Africano rebus differt, quem communiter animalium omnium Regem nominare ſolemus.

Deſcriptio Leonis Americani à F. Gregorio de Boliuar nobis conceſſa.

LEO AMERICANVS

Reperitur *Puma*, ſeu Leo Americanus in omnibus fermè occidentalium Indiarum regionibus, exceptis tamen prouincijs (quarum non paucæ ſunt) vbi frigora plurimùm dominantur. In illis autem, quæ moderatè frigidæ ſunt, hoc animal minimè deeſt, & damna nõ exigua infert. In temperatis itaque locis præcipuè Pumę ſtabulãtur, vel quia à locis mõtuoſis calidioribus ad hęc ſubindè deſcendũt, vel quia deſerta & frigidiſſima fugiũt, & in hęc ſe recipiunt, quod hic non deſiderentur valles aliquæ, & loca auguſtiora ac concluſa, ob idque calidiora, in quibus prolem ſuam commodè ptocreare valent, & ad quæ hominibus vix vllus acceſſus patet. Ex his ſubindè ad terras habitatas ſe conferunt, & maximum armentis damnum inferunt.

Magnitudo qualis Cani maſtino.

Eſt huius ferę ea magnitudo, quę magni Canis Moloſsici, quẽ Maſtinum dicimus, ſed crura minus habet eleuata. Color eſt inter gryſeũ ſuluumq. medius.

Color.

Caput.

Caput obtinet craſſum ad eam ferme ſiguram, qualem in Catto Pardo maximo eſt cernere. Os magnum, & dentibus firmis, præcipuè quatuor illis caninis bene ſtipatum: Oculos paruos, ardentes, ac triſtes: naſum craſſum, naribus bene patulis: amplam frontem, rotundas ac curtas aures, barbam longam, in Thorace crines lõgiores quàm in reliquo ſint corpore: ſuperius labrum diuiſum aliquatenus; in aſpectu ferociam habet.

Crines.

Cauda.

Caudam gerit craſſam, & æqualiter piloſam: fortes craſſiq. tam anteriores quàm poſteriores ei ſunt pedes, & vnguibus armati fortiſſimis, acutiſsimiſque.

Vngues.

Rapacitas.

Vbi Mulam forſan (cuius maximè carnibus afficitur) aut aliud maius animal, ſiue Vacca, ſeu Taurus fuerit, reperit; dorſo eius inſilit, & vnguibus veluti tot harpagibus, carnibus affixus hæret, donec humi proſternat, dilaniet aut per medium nonnunquam diſcerpat, & quantum volet, rabidam hinc famem expleat.

Frequens eſt in America.

Et quandoquidem multò hic Leo in America communior eſt, quam Tigris; maiorem inde domeſtico pecori noxam infert. Quare omni adhibita diligentia earum prouinciarum incolæ ipſum occidere conantur. Hic igitur canibus circumuallatus derepente arborem quærit, quam velociſſimè ſcandit, ex qua ſclopetis aut ſagittis impetitus, vel viuus vel mortuus deturbatur.

Quomodo capiatur.

Medicamẽta ex hoc.

Poteſt itidẽ laqueis vel ſcrobibus in terra excauatis capi. In multis domibus pinguedo eius adſeruatur ad plurima vtilis, ad membra præſertim paralytica. Omnes mirũ in modũ obſtructiones aperit, & efficaciter relaxat, vti molliens & reſoluens medicamentũ.

Pellis vſus.

Pelle vtuntur incolæ aduerſus ſolis æſtum, & ſua ex his ſedilia exornant. Animal hoc calidæ naturæ eſt, ac valde vorax, quare ſuæ vix vnquam fami ſatisfacit.

Hæc F. Gregorius.

In hac verò deſcriptione licet nonnulla comprehendantur, quæ animali huic picto vtcunque conueniunt; capitis nempe Felini, & aliqua pedum conſtitutio, ac corporis ſtatura; plura tamen ſunt in quibus variant. Maculoſa ſcilicet pellis,

tot

tot ouatis, rotunduliſque maculis inſignita, quæ in Leone ſeu *Puma* non elucent. Nec ferocitas illa hìc, ſiue oculorum, ſiue dentium, eminet. Quare nec Americanum Leonem eſſe facilè ſibi quiuis perſuadere poterit. Hæſi aliquantiſper in ea dubitatione, an *Lyncem* ſeu *Lupum ceruarium* vulgò dictum appellare hoc animal rectius poſſemus? Vidi enim nonnullas ad viuum exemplar depictas Lyncum Icones, ijſdem penè coloribus, ac maculis, præditas. Caput in Lynce quoque, capiti huius belluæ non multum eſt diſſimile. Auxit ſuſpicionem, quod apud *Ouiedum* in *Summario Indiæ occidentalis* lego, animal ſub nomine *Gatto Ceruiero*; vocatur autem à pleriſque hodie Italis etiam Lynx *Lupo ceruiero*. Eſt igitur nominis aliqua ſaltem ſimilitudo. Atqui huius nos rei certiores fieri poterimus, vbi ex Veterum ſcriptis genuina *Lyncis* hiſtoria preſsius fuerit examinata. Quam tamẽ rem dum aggredior, magnis me iterum tricarum & opinionum difficultatibus inuoluo: cùm & nomen & figura *Lyncis* cõtrouerſa magis ſint, quam vllius alterius maculoſarum beſtiarum. *Lyncem* quidem non Itali modò, ſed Latinè plerique loquentes *Lupum Ceruarium* (Germani verò *ein Luchs* quaſi Luchſam à Lynce deriuantes) appellant. Atqui & Lyncis & Lupi ceruarij nomen, non idem paſsim apud ſcriptores animal deſignare videtur.

Cur noſtrũ hoc animal non ſit Leo.

An poſſimus Lyncẽ eſſe, aſſerere.

Res & nomen Lyncis plurimum controuerſa.

Vt à *Lyncis* nomine auſpicemur, hoc ter apud Ariſtot. quando ex profeſſo de animalibus agit, bis nẽpe 2. & ſemel 5 *de Hiſt. Anim.* reperio, quod æquè Latino, atque Græco eſt, *Lyncis* vocabulo ab Interprete exprimitur. Sed quale animal ſit, nõ ideò claret, cùm de hoc Ariſtot. aliud nihil habeat, quàm quod *ex auerſo vrinam reddat*, hoc eſt, nonfæmina ſolum (omnes enim beſtiæ fæminæ hoc faciunt) ſed mas etiam; quod & Leonem & Camelum, ac Leporem aſſolere idem docet. Secundò, quod *auerſi Lynces coeant*, hoc eſt admotis inter ſe clunibus, quod itidem Leones & Lepores facere ait. Et demum quod *Semitalum habeat. Talum* enim proprie biſulca habent Ariſtotelis authoritate, multifida nõ habent, excepta Lynce, quæ ſemitalum habet; & Leone, qui anfractuoſum poſsidet & tortuoſum; homo minimè habet. Ex quibus omnibus hoc ſolũ colligimus, ex multifidorum genere animalium Lyncem eſſe, hoc eſt, pedes in digitos diuiſos obtinere. Quid autem propriè *Talus* ſit, alio in loco exponemus.

De nomine Lyncis.

Ariſtotelis loca.

Ab Ariſtotele ad Plinium nos transferamus, videamuſque, ſi quod certius ab hoc argumentum eruere valeamus. Hic itaque lib. 8. cap. 21. *Lyncas*, inquit, *vulgò frequentes, & Sphingas fuſco pilo, mammis in pectore geminis, Æthiopia generat, multaque alia monſtra ſimilia*. Et lib. 28. cap. 8. *Peregrinæ ſunt Lynces, quæ clariſſimè omnium quadrupedum cernunt. Vngues earum omnes cum corio exuri efficaciſſimè in Carpatho Inſula tradunt. Hoc cinere poto* (fortaſſe legendum, *propudia*) *præpudia* (alij legunt præputia) *virorum, eiuſdem aſperſu fæminarum libidines inhiberi. Item pruritus corporum, vrinas, ſtillicidia veſicæ. Itaque eam potius terra pedibus aggeſta obruere traditur. Eadem autem & iugulorũ dolori monſtratur in remedio. Hactenus de externis. Nunc reuertamur ad noſtrum orbem; primùm cõmunia animalium remedia, atq. eximia dicemus*.

Plinij loca de Lynce.

Ex huius loci vltimis, & principibus prioris verbis, hoc colligo: Plinio Lyncẽ animal nõ modo non fuiſſe Italicum, ſed ne Europæũ quidem. Quandoquidem ſupra in Æthiopia dixerat generari; nunc alterius quàm noſtri orbis (Europam puto intelligit) facit, Africanum inſinuans, minimeque in Italia natum.

Plinio Lynces in Aethiopia naſcuntur.

Ouidio Lynces sũt Indicæ.

Ouidius etiam 15. Metamorph. Lynces his versibus Indicas facit:

Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho.
E quibus, vt memorant, quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.

Plinius certè Lyncum humorem, seu vrinam, glaciari in gemmas carbunculis similes, *Lyncurium* vocatas, lib. 8. cap. 38. scripserat, sed qua id in regione aut mundi parte fieret, non addiderat. Hic ipse lib. 37. cap. 2. fabularum de Succini generatione authores adducens, inter alia hæc habet: *Demostratus Lyncurion id vocat* (nempe Succinum) *& fieri ex vrina Lyncum bestiarum, è maribus fuluum & igneum, è fœminis languidius atque candidum. Alij dixere Langurium, & esse in Italia bestias Langurias. Zenothemis Langas vocat easdem, & circa Padum ijs vitam affirmat.* Quod si, vt non nemo autumat, *Langæ* & *Languriæ*, cum Lyncibus idem sunt, erunt & in Italia Lynces ex Plinij si minus, aliorum tamen, consensu. Huc etiam facit Virgilij locus Eccloga 5. In qua (vt Seruius existimat) Iulij Cæsaris mors sub Daphnidis nomine deploratur.

De Vrina Lyncum in lapidẽ cõcreta.

Ex Virgilio & Cõmentatoribus ipsius aliqua de Lyncibus.

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse Leones
Interitum, montesque feri, siluæque loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subiungere Tigres
Instituit.

Hoc, ait Seruius, *propriè ad Cæsarem pertinet, quem constat primùm Sacra Liberi Patris transtulisse Romam.* Et recentior Virgilij Commentator, eodem loco, *Mancinellus: Lynces*, inquit, *& Tigres currum Bacchi trahunt, vt & Statius scribit. Sed videntur Baccho assignari, teste Probo, vt per earum colorem, in vino varias esse hominum mentes intelligamus: vel, vt per eas sæuitia demonstretur, quod quidem poti infinitam excedant crudelitatem.* Ex quo rursum loco colligo Baccho Indis celebri, bestias Indicas Pantheras, Tigres, Lynces sacras fuisse.

Octauam porrò his verbis Ecclogam incipit.

Pastorum Musam Damonis, & Alphesiboei
Immemor herbarum, quos est mirata iuuenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine Lynces.
Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Vbi Poëta, vt Seruius explicat, quando non solum Iuuencas suauitate carminis ductas, vt mansueta animalia, à pascuis abstinuisse; sed feras admodùm etiam, quales *Lynces* sunt, & sensus expertia flumina obstupuisse, fingit, vim carminis horum pastorum insinuare voluit. Primo Aeneidos etiam Venus Aenææ filio & Achati in siluis, Venatricis sub habitu, ignaris,

Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes

Occurrit, hisque alloquitur verbis:

Heus, inquit iuuenes monstrate, mearum
Vidistis siquam hìc errantem forte sororum
Succinctam pharetrà, & maculosæ tegmine Lyncis,
Aut spumantis Apri cursum clamore prementem?

Vbi Seruius iterùm: *Lyncus Rex Scythiæ fuit, qui missum à Cerere Triptolemum, vt hominibus frumenta monstraret, susceptum hospitio, vt in se gloria tanta migraret, interi-*

interimere cogitauit; ob quam rem irata Ceres eum conuertit in Lyncem feram, varij coloris, vt ipse variæ mentis extiterat. Hæc fabulosa vt vt sint, aliquam tamen semper veritatis vmbram includunt, quam hìc signari autumo; & ferum hoc animal, crudele, ac technis plenum esse. Scio *Ascensium* hanc loci huius explicationem, quæ minime displicet, adducere, poëtam significare voluisse, Venatores & venatrices, pelles plerunque Lyncum, quas interfecissent, ab his detractas trophæi quasi loco circumtulisse; id quod hodièque faciunt illi, quibus

Insidijs cursùque feras agitare volupe est.

Veruntamen, vt peregrinum & exoticum hoc animal esse veterum testimonio credere propemodum cogamur, rarum tamen non adeò fuisse, vt monstri loco haberetur, vel ex Galeno *6. de Administratione Anatom.* cap. 1. discimus. Suadet is siquidem, si quis se Medicus in exemplo Anatomico exercere velit, vt accipiat Simias, si hæ desint, Cynocephalos, & *Lynces*, aut vno verbo, ea animalia quibus artuum extrema in quinque discreta digitos fuerint: Adducor etiam vt credam, ipsum non raro Galenum Lynces secuisse. Nam 11. *de vsu part.* Cap. 2. omnia examinat animalia, quæ paruos, magnos, neruosos, imbecilles habent musculos temporales. Vbi Lynces adducit; neque cum Lupis, Leonibus, Canibus, quibus maximi & neruosissimi sunt, sed cum hominibus & Simijs collocat, quæ debiles habent & exiles. Quo in loco de Lyncum etiam maxilla inferiore verba facit, atque nullum animal minorem hanc habere quàm hominem, maiorem quàm equum & asinum. *Cur autem*, inquit, *maxima omnino maxilla inferior, Porcis, Asinis, & Equis fuit, minima autem hominibus, Simijs, Cebis, Lyncibus; media verò magnitudine inter vtraque animalium aliorum fuit; antea diximus, cùm ostenderemus ijs animalibus nihil opus esse; vt prona cibum ore sumerent; quibus autem manus essent, quomodo hominibus, aut velut manus, quomodo Simijs; quibus verò hæ non essent, vt Equis; ea & collum maius, ob idque ipsam maxillam etiam habere maiorem.*

Lyncem vt ex Galenò discimus, nõ potuisse esse rarũ adeò inuẽtu animal.

Quales maxillas Lynces habeant.

Ex quibus Galeni dictis colligo Lyncem ex multifidis esse, quod Aristoteles quoque dixerat. Deinde vel Romæ, vel in Græcia, quibus in locis Galenus vixit, frequens hoc animal fuisse, quod Romam attinet, videtur forsan hoc Plinius laudato iam sæpiùs loco lib. 8. cap. 21. voluisse dicere, quando scripsit *Lyncas vulgò frequentes in Æthiopia generari*, quæ tamen verba: *vulgò frequentes*, non nihil ambigua sunt, cùm nesciatur an illhic vbi Plinius degeret, an in ipsa Aethiopia vulgaria essent. Magis tamen in illam sententiam inclino; cùm ea quæ alibi rara, Romæ, ciuium potentiâ & industria vulgaria essent. Galeni enim temporibus, qui sub Antoninis Principibus in Vrbe vixit, non infrequentes fuerunt: vt modò diximus. Et sanè quod ad huiusmodi peregrinorum animalium Romæ frequentiam spectat, vel vnicum insolentissimi Imperatoris Heliogabali exemplum nos doceat, qui vna in cæna *Sexcenta Struthionum capita, ex quibus cerebella tantum assumerentur*, conuiuis proposuit. Phœnicem etiam se appositurum pollicitus: vt nihil Romanis *διάφορον* tanquam orbis ac Naturæ Dominis, iactare pro fastu videretur. Et quoniam supra iam diximus, Lyncem à plerisque hodie Nationibus *Lupum Ceruarium* appellari; videndum porrò an

Ex Aristotele discitur Lyncẽ esse multifidam.

Lamprid. in Heliog.

De Lupo ceruario Plinij præsertim loca adducũtur.

rò an huius Veteres etiam mentionem aliquam fecerint, & idem planè animal, quod Lynx est, esse crediderint.

Ludouicus Dominichi, qui Latinum Plinij textum Italico, non infeliciter omnino, Idiomate traduxit, vbicunque in Plinio *Lyncis* fit mentio, *Lupi ceruarij* (*Lupo ceruiero*) voce exprimit. Qui meo quidem iudicio non leuiter errat, cùm Plinius de Lupo Ceruario & Lynce varijs vti Capitibus, sic diuerso etiam sermone pertractet.

Italicus Plinij interpres notatur.

Et libro quidem 8. cap. 22. de Lupis agens, quibus *Lupum Ceruarium*, ceu ex eodem genere (vt sibi persuadet) annumerat: *Sunt in eo genere* (Luporum nempe, inquit) *qui Ceruarij vocantur, qualem è Gallia in Pompei Magni harena spectatum diximus. Huic, quamuis in fame mandenti, si respexit, obliuionem cibi surrepere aiunt, digressumque quærere alium.* Et lib. 11. cap. 37. *Insatiabilia*, inquit, *animalium, quibus à ventre protinus recto intestino transeunt cibi, vt Lupis Ceruarijs, & inter aues, Mergis.* Et quandoquidem Plinius dicit, Lupum Ceruarium illum Pompei magni ex Gallia fuisse allatum, paulò ante dicto lib. 8. huius mentionem fecerat, verum non sub Lupi Ceruarij, sed *Chai* aut *Raphij* appellatione his verbis: *Pompei magni primum Ludi ostenderunt Chaum, quem Galli Raphium vocabant, effigie Lupi, Pardorum maculis.* Vbi obiter hoc noto: Italicum Plinij interpretem iterum lapsum fuisse, cùm hoc animal *Chaum* dictum, *Galliraphium* appellatum scripserit; cùm dicere debuisset, *Gallos* hoc *Raphiũ* vocasse.

Plinio Lynx & Lupus ceruarius non idem sunt animal.

Chai & Raphij nomina.

Erit igitur Plinij *Lynx*, minimè ipsius *Lupus Ceruarius*, non tam quòd hic Galliam, illa Æthiopiam pro patria agnoscat (poterat enim, dicet quispiam, ex Æthiopia ad Gallos, & ab his ad Romanos transferri; quamuis hoc si fuisset, Plinius non tacuisset:) quàm quòd nominibus discrepent; & hic semel tantum in Ludis Pompeianis visus, illa vulgò frequens fortè Romæ fuerit; hic à voracitate memorabilis, illa à vidēdi acumine celebris extiterit. In ijsdem Pompei ludis comparuerunt alia animalia *Cephi* appellata, ex Aethiopia allata, quorum pedes posteriores pedibus humanis, priores manibus fuerunt similes. Quod animal postea Roma non vidit, vt idem Plinius habet; quod si *Lupus Ceruarius* id ipsum natale solum agnosceret, non Gallia, cuius inquilinus saltem fuisset, sed Aethiopia, hoc in loco nominari quoque debuisset.

Cur Lynx Plinio non sit Lupus ceruarius.

An ab Aristotele igitur, quid Lupi Ceruarij sint, discemus? Hic lib. 9. cap. 44. *Histor. Anim.* de *Thoïbus* loquitur, quos Gaza Lupos Ceruarios vertit. Hæc sunt præceptoris verba à Gaza Latinè reddita: *Thões igitur*, quos Lupos Ceruarios diximus, inquit Gaza, *hominem diligunt, & neque offendunt neque metuunt valde; pugnant cum Canibus & Leonibus, quò fit, vt nè eodem loco sint Ceruarij* (*seu Thões*) *& Leones. Optimi Ceruarij qui minores sunt; genera huius alij duo, alij tria statuunt; plura ijs esse non videntur. Sed vt piscium, auium, quadrupedum genera aliqua, ita Ceruarij quoque per tempora immutantur, & colorem diuersum hyeme æstateue trahunt, atque æstate nudi, hyeme hirti redduntur.* Hic Gaza malè ait, *plura ijs genera non videntur*, sufficiebat dicere, *plura non videntur*, cùm reuerà nec sint diuersa genera, nisi quodlibet accidens statim speciem distinguere putaueris, qualia sunt pilosum, & depile esse.

An Thoes Aristotelis sint Lupi ceruarij.

Gazæ lapsus.

Hic singulariter ego animaduertendum censeo, cùm dicitur *Thões cum Leone pu-*

ne pugnare ferox & generoſum aliquod animal inſinuari, quod ex genere Luporum eſſe videtur, cùm *quia pilum*, quod etiam in prouerbio eſt, *non animum mutat*; & propterea plura eſſe genera videntur; videntur inquam, at non ſunt, vt iam dictum, cùm ſolo pilo & colore varient: tum quia idem Ariſtoteles lib. 3. cap. vltimo, Lupis annumerare Thoës videtur, cùm inquit: *Quin etiam Thos* (quem *Lupum ceruarium* appellamus ait Theodorus Gaza) *interna omnia ſimilia Lupi habet*. Ex quo iterum loco deduco, Thöem non poſſe eſſe illud animal, quod propriè à Plinio *Lupum ceruarium* vocari diximus. Hic enim ſuo Ceruario Lupo vnicum & rectum, à ventriculo ad podicem conceſſit inteſtinum, quod in Lupis quibus Thöes interiora omnia ſimilia poſſident, minimè verum eſſe ſupra in Lupi Hiſtoria demonſtrauimus. Niſi dicere velis, etiam Lupum habere vnicum non interruptum, aut ex varijs ſeparatiſque nexum, inteſtinum; quod quidem in omnibus animalibus & homine quoque ipſo veriſſimum eſt. At non iſtud hic agitur. Licet enim in omni animali varia nomina inteſtinis indantur, hæc tamen omnia non contiguitatem, ſed continuitatem habent, & ſola craſſitie ac tenuitate ſiue, vt Medici loquuntur, ſubſtantiæ modo, diſtinguuntur, ſuntque ſimul ſumpta longiſſima & anfractuoſa, non recto tramite (vt Plinius in Ceruario Lupo contingere ait) à Pyloro ad podicem deſcendentia.

Thos videtur eſſe ex genere Luporum.

Thoëm nō eſſe Lupū ceruarium ex inteſtinis probatur.

Sed quid coniecturis certare opus eſt? quando ipſum Iudicem, Plinium inquam, qui certò litem hanc dirimat, adire licet? Hic quæ de Thoïbus Ariſtot. habet, probe in ſuos retulit Commentarios lib. 8. cap. 34. *Nam Thöes*, inquit, *Lupōrum id genus eſt procerius longitudine, breuitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu viuens, innocuum homini; habitum non colorem mutant, per hyemes hirti, æſtate nudi*. Vbi minimè hic, quod Gaza auſus eſt, Thöem Lupi ceruarij nomine extulit, ſed *Thoïs* nomen Græcum relinquit, quale apud Ariſtotelem reperitur, quod alioquin Plinio inſolens eſt, cùm alibi ex *Pardale* voce Græca, *Pantheram* Latinam quaſi vocem fingat. Quin lib. 10. cap. 74. *de illis, quæ inter ſe conueniunt & diſſident, animalibus: Diſſident Thoës & Leones*, inquit, *& minima æquè ac maxima*, nempe animalia. Quid autem propriè ſint *Thoës*, non huc pertinet explicare, ſatis nobis eſt nec *Lynces*, nec *Lupos ceruarios* dici debere.

Ex Plinio ipſo deducitur Thoës nō eſſe Lupos ceruarios.

In his itaque anguſtijs conſtitutus, Iulium Cæſarem Scalig. conſilij petendi gratia adeo, & quæ Exercitat. ſua 210. aduerſus Cardanum adfert, diligenter lego; reperio eam ſubtilitatem, quæ cuiuis è triuio obuiam ſe præbeat: *Lynces* nimirum nihil formæ Lupinæ habere; *Lupos* vocari tamen, quòd Luporum ſint auiditate, & *Ceruarios*, quòd Oppianus ſcribat, eos maximè Ceruis inſidiari: cæterùm maculis inter ſe differre, quarum aliæ breues orbiculares, aliæ productas habeant. Sed id, quod nos quærebamus, & in quo rei cardo verſatur; an noſtræ nempe Lynces ſint Antiquorum vel Lynces, vel Lupi ceruarij, hoc tacet, & nos ſub cultro relinquit.

Iul. Cæſ. Scalig. nihil ſubtile pro hac lite affert.

Debemus tamen aliquid Scaligero, quod lib. 2. cap. 47. Commentariorum ſuorum *in Hiſtor. Animal.* Ariſtotelis hæc verba explicans. *At verò vtraque dentata maxillà vnicum ventriculum habent, vt Homo, Sus, Canis, Vrſus, Leo, Lupus. Quin etiam Thoës omnia viſcera Lupo ſimilia obtinent*. Debemus inquam, hoc Scaligero

Scaliger Thoëm Ariſtotelis etiam Thoëm, & bene vocat.

ligero quòd verbum verbo reddens pro *Thoë Thoëm*, & non *Lupum ceruarium*, vt Gaza facit, ſubſtituerit. Explicatio eius hæc ſequitur: *Ariſtoteles mentionem hic facit animalis, quod Thoëm vocat, de quo in Hiſtoria noſtra ſatis ſcriptum eſt, Lupum ceruarium vocat Theodorus, nos vulgò Lyncem ceruarium dicimus. Plinius in Capite de Lupis, ceruarij facit mentionem, neque eius figuram oſtendit nobis, cùm tamen ſpectaculorum memoriam proderet, vnius è Gallia Romam allati. Thoës verò, quaſi aliud animal; Græca voce appellat & alibi eiuſdem libri, & decimo.*

Modo ſui oblitus Lupũ ceruarũ appellat.

Sed ridiculum mehercle, quod tam ſubito ſuiipſius Scaliger oblitus, eodem vaſto ſuo volumine lib. Hiſt. Anim. cap. 35. prout ipſe ea diuidit, particulam hanc explicans: ἡ δὲ οἱ θῶες δὲ ὁμοίως κυίσκονται τοῖς κυσὶ. *Lupi Ceruarij* (inquit ipſe in tranſlatione) *implentur coïtu & Canes.* Pro *Thoës* non, vt prius, verbo verbum reddidit, ſed ipſum, quem reprehenderat tamen, Gazam ſecutus, *Lupos ceruarios* interpretari, contra ſuammetipſius & Plinij mentem, voluit. Audiamus tamen commentum ipſius: *Alibi docuimus*, inquit, *quare Lupi, cùm tamen nihil Lupi præter auiditatem habeant, vocentur. Ceruarij autem, quia ceruorum hoſtes acerrimi Lynces ſunt, & Oppianus Thoas vocat, quos etiam Plinius Luporum genus eſſe ait. At videtur neque Lupos ceruarios, neque Thoas, neque Lynces, niſi ex aliorum fide, nouiſſe.*

Ab Ariſtotele & Plinio ad alios tranſitur.

Cùm Ariſtotelis igitur & Plinij (quantumuis hi Anteſignani noſtri ſint,) authoritatibus nihil hactenus effectum ſit, inferiores æquum eſt ſcriptores conſulamus, & Solinum inter hos primùm cap. 7., qui *Lynces* inter Luporum genus reponit. Prima igitur in claſſe Lupos reponit ordinarios & vulgò notos, in quibus hoc eſt naturæ miraculum, quòd in cauda eius villus, vt ait, amatorius perexiguus reperiatur, quem ſpontaneo damno abijcit, cum capi metuit, neque enim hic potentiam habere, niſi viuo detrahatur, ſtulte creditur. Secundo ſuccedit loco, *Ceruarius Lupus*, qui hoc ſingulare obtinet, vt poſt longa, etiam ieiunia carnes mandens, ſi reſpiciat, obliuiſcatur præſentis copiæ, & quæſitum eat aliam, quam reliquerat, ſatietatem. Tertiò *in hoc genere animalium*, inquit, *numerantur & Lynces, quarum vrinas coïre in duritiem lapidis fatentur pretioſi.* Erant igitur teſte Solino Lynces in genere Luporum, in quo & ceruarij ſunt: ſed cum his non ijdem erunt, ſed ſuæ propriæ ſpeciei *Lynces*. Quare nec hoc euincemus Authore, Lupos *Ceruarios* & *Lynces* idem animal eſſe. Fuerit tamen hæc authoritas in cauſa, vt iuniores Scriptores Lynces etiam Lupos ceruarios vocare voluerint.

Quæ. Solinus de Lupis ceruarijs habeat.

Solino Lynx & Lupus ceruarius non idem animal.

Aelianus de Lyncibus nihil habet.

Ælianus Lyncum non meminit: *Petrus* tamen *Gillius* huius interpres ex *Oppiano*, ſed malè, *Lynces* facit *Pardalium*, ſeu *Pantherarum* generis, cùm inquit: *Pardalium duplex eſt genus, aliæ enim Lynces nuncupatæ, paruæ quidem contra Lepores comparantur, aliæ maiores in ceruos atque Oryges facilè inſiliunt; eiuſmodi ambo corporis figura ſimiles ſunt, & ſimiliter vtriſque oculi ſuauiter fulgent. Facies vtriſque alacris perlucet, paruum vtriuſque caput: Solus color diſſimilis. Minores quidem rubro, maiores verò croceo ſulphureoque flore diſtinguntur.* Quæ omnia vera, eſſe videntur ex mente poetæ Oppiani, præterquam quod Lynces Pardalium ſpecies facit. Sunt enim animalia ſui generis, & cum Pardalibus ſiue Pantheris nihil magis habent ſimilitudinis, quàm cum plurimis alijs differentiſſimis,

Gillius Oppianum non bene citat.

mis, pellem præbet maculosam. *Albertus* Magnus præter ea, quæ de Thoe scripta sunt, nihil singulare affert. Et *Isidorus* illa, quæ Lupo Ceruario conuenire diximus. *Lynx dictus est*, inquit, *quia in Luporum genere numeratur, bestia maculis in tergo distincta vt Pardus, & similis Lupo.* Data hic operâ etiam illa huc inferam, quæ in libro *Horti sanitatis* titulo, ex lib. de *Naturis rerum* citata reperio, & hæc sunt: *Lynx adeò perspicaces oculos habet, vt subtilitate visus etiam solida corpora penetret. Constat enim, quòd oculus in humido situs est, iuxta Philosophum. Tria verò sunt in aqua, scilicet aquea humiditas, diaphaneitas, & lucis perspicuitas, & hanc vltimam communicant cum natura cælesti. Lynx habet linguam serpentis similem, sed maiorem, quam in longitudinem porrigit, & collum circumagit: vngues habet grandes, vnicum fœtum facit, & vrina eius in gemmam dureſcit.* Ex qua descriptione liquet, quàm miserè non rarò decipiamur, dum nudis authorum verbis fidem habemus, nec res expendimus ipsas. Quod & hoc in loco vsuenit, cum *Lynci* serpentis lingua tribuitur, quæ Iyngi auiculæ & non Lynci quadrupedi à Natura concessa fuit. Est autem Iynx, si Bellonio assentimur, ex *Picorum* genere, & Aldrouando *Torquilla* vocatur: lingua huic longa est insigni cuspide præmunita. Hanc autem ferunt linguæ aculeo velocissimè exerto transfixas formicas venari. Eodem prorsus modo, emissa instar sagittæ prælonga lingua muscam transfigere Chamæleonem vidi, vti suo loco dicam. Iam similem velle sibi in Lynce quadrupede linguam imaginari, hoc potius somniare, quàm philosophari esset.

Liber de Natura rerum quæ dicat.

Iynx & Lynx confunduntur.

Iyngis Auis lingua serpẽtina.

Quid igitur? Lyncem in rerum Naturę Vniuersitate nullã reperiri, sed *Sphingis* instar, *Gryphis, Pegasi, Hippocentauri*, aut alicuius modo *Chimeræ* à poëtis fictã, ab otiosis hominibus pictam bestiam autumabimus? Eique non *Æthiopiam* cum *Plinio*, sed cum *Aristophane* νεφελοκοκκυγίαν, aut cum *Thoma Moro Vtopiam* pro patria assignabimus? Vel in solo mentis Intellectu, instar Entium rationis, vt Scholastici loquuntur, existentiam obtinere credemus?

An Lynx pro mera Chimęra sit habenda.

O quàm optarẽ ego nunc mihi *Icaro-Menippi* illius apud *Lucianum* alas dari! Non vt his ad Lunam eueherer, sed quò dextræ alæ, quæ aquilina erat, virtute suffultus, eam cernendi vim & acrimoniam acquirerem, quâ, vt *Menippus* in *Lunæ* orbe constitutus, repente factus *Lynceus*, cuncta quæ in terra sunt, dignouit homines, feras, ac propemodum etiam culicum nidos; ego *Aquilæ* instar *Lyncem* reperire meam, ac intueri queam; à qua *Lynceos* postmodum mutuando *oculos*, in cætero qui mihi restat Animalium labore, perspicax magis fiam, verequè LYNCEVS. Sapiẽter certò, *Plutarchus* opusculo *de Iside & Oriside* omnia bona à DEO petenda esse monet, sed præcipuè *Veritatem*, quòd nihil homo accipere grandius, vel largiri DEVS ipsâ possit augustius. *Cætera enim*, inquit, *DEVS hominibus quidem, quorum sunt indigi, donat. Hanc possidet ipse peculiarem, eaque vtitur.* Et quid ni?

Optantur Aquilę oculi ad Lyncem reperiendam.

Veritas apud solũ DEVM, qui ipsa est veritas.

\- - - - - - - - *DEVS omnia nouit,*

Quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura trahentur.

Siquidem DEVS ipsa est *Veritas*, cuius nos in rebus naturalibus præcipuè vmbram quandam possidemus, & ad eam contentis quidem oculis ceu sagittarij ad scopum collimamus, at sæpiùs aberramus. Id, siquando mihi euenire contige-

contigerit, minimè perturbor, cùm & illos *qui doctrina ſua nobis præluxerunt, adeoque Duces noſtri, ſed non domini* vt Seneca ait, *fuerunt*, tale quid ſæpius paſſos nemo Philoſophantium ignoret.

Etymon Lyncis.

Cùm igitur nomina ſint vmbræ rerum, & ſæpe vocis Etymon habeat neſcio quid reconditæ rei, non miror *Lyncem* à pleriſque recentioribus *Lupum ceruarium* dictum fuiſſe: videntur enim *Lynx* & λύκος, ideſt *Lupus*, aliquid in vocabulo conuenientiæ habere. Germani etiam multi *Lyncem* non *Luchs* modò, ſed etiam *Thierwolf* appellant, hoc eſt animalium quadrupedũ præſertim, *Lupum* ac deuoratorem; vt *Lucium* etiam *piſcium Lupum*, ſeu vaſtatorem, nominamus; quòd in ijs ſtragem non leuem facere ſoleat. Volunt aliqui etiam λύκον, hoc eſt Lupum, ἀπὸ τῆς λύκης id eſt à luce, vt in Lupi hiſtoria me explicaſſe memini, dictũ: quod Etymon, cui conuenientiùs quæſo quàm Lynci, animalium omnium perſpicaciſſimo, adaptari potuit? Sed relinquamus tandem has Veterum tricas, quas extricare non ita eſt facile, non in animalibus modò, ſed plantis quoque, ab illis adeò breuiter & obſcurè deſcriptis, vt in pleriſque quid voluerint, penè ignoretur. In qua *Fabius Columna Lynceus* ſpectata Generis Nobilitate & Doctrina conſpicuus iam triginta ferme annis deſudauit, eoque ingenij ſui acumine proceſſit, vt genuinæ *Theophraſti* ac *Dioſcoridis* inſiſtens menti, innumeras ab alijs perperam nominatas plantas, ſpeciei, loco, ac nitori ſuo non modò reſtituerit, ſed plurimas inſuper nouas penitus nobis antea incognitas, publici nunc iuris fecerit.

Fabius Colũna pluribus veterum plantis vitã reſtituit: plurimas nouas prodidit.

LYNX NOSTRA.

Ego itaque animal illud, quod hodie *Lupum ceruarium* nominamus, commodiſſimè *Lyncis* nomine inſigniri poſſe cenſeo. Præditum enim omnes fatentur oculis ſplendentibus, & igneo quodam fulgore coruſcis, cum longiſſimè diſſitam prædam oculis viuam ſpeculetur, non Vulturũ more putridum naribus cadauer olfaciat. Hinc ad venationem ſe accingit, Leporibus, Dorcadibus, ac Ceruulis inſilit; nè quid de minorum gentium animalibus dicam. Non igitur mirum eſt, ſi vtraque ex proprietate & *Lynx* ob Viſus præſtantiam, & *Lupus ceruarius* ob gulæ auiditatem & rapacitatem ſit dictum.

Lupus ceruarius Lyncis nomen optimè meretur.

Et quamuis ego hoc animal viuum nunquam viderim, tres tamen è viuis expreſſas Icones obtineo. Quarum prima ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. *Principem Caſium Florentià*: Altera ab Illuſtriſſimo *Ioanne Caſimiro Comite de Erbach*, ex Sereniſſimi Saxoniæ Electoris Theriotropheio: Tertia à *Theophilo Molitore* è Carinthia ad me tranſmiſſa fuit, quæ omnes corporis quidem figura & partium ſymmetria ſatis conueniunt, coloribus verò mirè variant. *Florentina* illa quæ magnæ ſtaturæ, vt ex membrorum proportione colligi poterat, fuit, colorem planè ferrugineum ad fuſcam rubedinem vergentem, habebat, nullis penè maculis, præterquam in cruribus & ventre (qui ſimul albicabat) raris ac fuſcis. *Saxonica*, non multo minor, colorem talem referebat, qualem nucum putamina viridia aquæ incocta exprimere ſolent, pectus tamen, venter inferior, & crura pedeſque omnes albebant, maculis vniuerſæ pelli interſperſis nigricantibus. Tertia *Grætienſis* minor ceteris apparebat, pellemſortita ſubruſſam ſplendicantem, pectus tamen & ventrem ac crura ex rubro albentia habebat, punctulis vndique tam in capite quam dorſo plurimis non nigris illis; ſed atrorubentibus commaculatam. Ad huius planè modum coloremque, nuper

Icones tres diuerſæ Lyncis ſeu Lupi ceruarij dicti.

Florẽtina.

Saxonica.

Græzenſis.

apud

apud Pellionem quendam Romanum decem pelles *Lyncum* non ita dudum detractas, ſanguine adhuc ſicco ſuffuſas & maxillæ inferioris ſuperioriſque dentibus etiam inhærentibus, conſpexi; quas in *Liguria* captas affirmabat.

Et quantum ex relatis Iconibus, viſis pellibus, & diligenti Lyncis deſcriptione quæ in *Theriotropheio Sileſiaco* extat, conijcere poſſum, *Lynx* ſiue *Lupus Ceruarius* noſter, animal eſt acerrimi morſus, quod dentes inſinuant, qui Leonini ſunt, vt poſtea probabo. Eſt oblongum ſatis, ſed cruribus breuibus, quod integræ detractæ pelles monſtrant, & Icones præſeferunt. Pellis plerunque eſt albicans, ex fuluo purpuraſcens, ſed maculis oculorum inſtar variata, vt plurimum nigricantibus. Hic tamen color, vt Italicis ferme ſemper eſt communis Lyncibus, ſic in alijs variat. Nec mirum eſt idem animal in Auſtralibus, occidentalibus, Septemtrionalibus aut Orientalibus locis natum colore plurimum differre, vnde Aſiaticarũ Lyncum pelles, noſtras quoque pilorũ pulchritudine, vbertate, longitudine, & maculis plurimùm ſuperare animaduerti.

Deſcriptio noſtræ Lyncis.

Diuerſorũ locorũ animalia colore variant.

Oculos etiam fulgentes & ferme radiantes, qui eos viderunt, ipſi attribuunt: Capite apprimè Felem repręſentat, atrocitate nequaquam formidabili. Auriculæ curtæ ſunt, curuæque, & ſigno quodam proprio Lyncem ab alijs omnibus quadrupedibus ſeparantes: ſuntque apices illi villoſi, conferti, inſtar holoſerici nigri ſplendentes, molles & venuſti ex ſummitatibus auricularum enati, ac ſurſum trium forſan digitorum tranſuerſorum longitudine elati, & acuminati. Linguam ego non vidi, quam ſpinoſam & aculeis refertam referunt, & ferme limæ ſimilem eſſe, quod obſeruantia dignum cenſeo, & in Felibus etiam cernitur. Dentes ipſe numeraui tres ex vtraque parte tam ſuperioris, quàm inferioris maxillæ molares, ſerratim ſe ſe recipientes. Duos ſaltem prælongos Caninos in vtraque maxilla, & inciſores ſex vtrobique intra duos illos Caninos comprehenſos.

Oculi.

Aures quid ſingulare habent.

Lingua.

Dentes.

Acutiſſimos etiam huius animalis luſtraui vngues, ex cinereo albicantes duros & recuruos, quinos in anterioribus quidem pedibus, & quaternos in poſterioribus. Caudam habet valde breuem; ſex forſitan tranſuerſorum digitorum longitudine, cuius plerumque extrema nigredine inficiuntur. Scribunt qui per Anatomen animalis huius interna ſcrutati ſunt, patellam oſſeam oblongam amygdali figura in poſteriore flexura ineſſe, anteriori verò deeſſe; in huius vicem ſubire oſsiculum minutum fabæ magnitudine & figura. Has ego patellas itidem reperio in meo Felis ſceleto (Feli autem iam dixi putare me ſimilem Lyncem eſſe) in cruribus nempe poſterioribus forma Cordis oſsicula, quorum acutior pars ſurſum, latior deorſum vergit; in anterioribus autem cruribus oſſicula nulla inuenio.

Vngues.

Cauda.

Crura.

Ventriculum quoque ampliſsimum ac rotundum Lyncibus aſſerunt: quod credi facilè poteſt, cùm voraciſsimum animal perhibeant, in cuius exenterati ventriculo aliquando repererunt Venatores Porcellorum ferorum, & Leporum carnes, quas pellibus ac oſsibus tantum confractis deuorarant Lynces. Hæ (vt dixi) non rarò inuadunt Ceruulos & Capreas, ſæpiſsimè Lepores & Porcellos ſilueſtres, aiuntque (quod etiam ſuo Lupo Ceruario Plinius attribuit) his inteſtina minus tortuoſa & anfractuoſa eſſe: ob id animalia hæc voraciora,

Ventriculus.

Cibus Lyncum.

ciora, quod ingesta citius transeant, meritò haberi.

Mores Lyncis. Vt vno dicam verbo, hæc bestia agilis est valde, & in longum saltus suos extendit: Rapax vt Lupus, sed multò eo calidior. Tam hominibus quam pecudibus pariter insidians, in quos ex arboribus, quarum vmbris furtim latitat, prætereuntes desilit, adiuuante maximo oculorum acumine: quò cæteris animantibus præcellit. Asseruerunt mihi fide digni, maximo in pretio apud Germanos Lyncum Vngues haberi, & auro inclusos à pueris aduersus Epilepticos insultus gestari: Verùm, vt certum huius rei experimentum non habeo, ita qui vngues, & ex quo pede capi debeant, ignoro.

Astutia.

Rapacitas.

Vngues alii quibus aduersus Epilepticos laudantur.

Pelles harum sunt magni pretij etiam apud Magnates, si præcipuè orientalibus sint Lyncibus detractæ, nostrates enim nõ illam habent speciem, & Luxus ostentationem · Carnes non eduntur, nisi ab ijs forsan, quibus Felium carnes arrident, quorum inter Italos nonnullos vidi (quas ego carnes vt non probo, ita ab ijs abhorreo valde) qui eas deprauato quodam gustu inter delicias habent. Axungiam conuulsis luxatisque conuenire articulis, haud improbabile est.

Pelles Lyncum orientalium cariores.

Carnes Lyncum & Felium in cibis reprobantur.

Olaus magnus, vt in eius Epitomes lib. 38. cap. 9. videre est, Lyncem vulgatam nostram pro Lynce item & Lupo Ceruario agnoscit. Et quoniam præter illa, quæ iam attuli, alias quasdam Lyncum proprietates insinuat, eius hìc verba recitare volui: *Lynces in septentrionalibus siluis non adeò frequentes generantur vt Lupi, licet impares haud sint in auiditate prædarum. Natura igitur Lyncis est, vt non respiciat retrò, sed continuo progressu & saltu præcipitet cursum. Cibus illi siluestrium catorum frequentior aut suauior est, quia sicut illis libentius vescitur, ita & eorum latibulis, vt rapiat, insidiatur. Pelles harum mollioribus plumis & pulchrioribus maculis præditæ satis carò venduntur, præsertim in asperrima hyeme prædatæ, tunc enim in virtute & colore sunt aptiores, vti æstate viliores, imò deteriores.*

Olaus magnus nostras pro Lyncibus recipit.

Sed quid ad Aristotelis interim & Plinij, grauissimorum Scriptorum authoritates respõdebimus? vel quomodo e dubijs eorum locis aliquã opinionis certitudinem, aut ex obscuris aliquam sententiæ lucẽ eruemus? Plinium tamen quod attinet, non adeò moror, qui pleraque ex Aristotele *de Animalibus* excerpsit, ipse autem Aristoteles in multis idem fecit, & obscurissima (quod & nos non rarò facere solemus) sicco pede transiuit, notissima verò, ne tempus inutiliter tereret, largiore descriptione declarare renuit; veluti si quis hodie nec lactucam, nec Muscas, aut Mures, longiore verborum serie depingere dignaretur. Atque hinc factum est, vt quæ vetustas tacuit, temporis progressio *dias in luminis auras* eruerit. Nec tamen veteribus subitò est succensendum, si quando ipsis, quod humanum est, labi contigerit: quin illud potius Eloquentiæ Magistri probis ac modestis Ingenijs semper ante oculos habendum: *Neque id statim legenti persuasum sit*, inquit, *omnia quæ magni authores dixerint, vtique esse perfecta, nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Modestè & circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent, quæ non intelligunt.*

Quid ad Aristotelis & Plinij prius allata loca dicendum.

Ad Plinium.

Ad Aristotelem.

Nec ideò succensendum veteribus si lapsi sunt, ait Quintilianus.

Optimè sanè Quintilianus. Quidam enim libidini ac prurigini sui ingenij indul-

indulgentes in rebus sæpe minutulis magnos viros carpunt: hoc est, dum singulis pene cum syllabis commorantur, nullum calumniādi finem faciunt. Quod idem alibi Quintilianus disertè sic improbat: *Omissa rerum (qui nerui sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt.* Si igitur rei studiosus res præ manibus ipsas habeat, consultius longè faciet, si verba rebus aptet, quam si extrinsecus res alias arcessat, quibus hæc verba conueniant. Notantur recētiores quidā Critici.

Nos interea Lyncem nostram habemus, quam hoc nomine ab VRBE & orbe hodie condecorari nouimus, nec tanti refert, si vel ab Aristotele minùs exactè descripta fuerit, vel ei de natali solo cōtrouersia moueatur. Hæc duabus maximè pollet facultatibus quæ in Lynce quoque laudātur, videdi acumine & voracitate. Nec nouum est Aethiopicum animal posse simul & Europæū esse, cùm plurima eadem animalia in nouo & vetere orbe nascantur. Ex Galeno profectò docuimus, non fuisse adeò rarum in Italia & Græcia Lyncem; vt monstri loco haberetur. Et quid, si forsan Plinius ignorauit, Lynces in Italia reperiri; certè non sunt adeò in hac mundi parte frequentes, nisi in *Liguria* Sabaudis finitima, & apud Rhætos. Et forsan quod animal Plinius *Chaum*, aut *Raphium* vocat, aut *Lupum Ceruarium*, Lynx fuerit Gallorum, ab Aethiopica non parum discrepans, cum & ego duas Germanicas iam suprà notatas ab eodem colore, differentes sufficienter ostenderim: Lynx nostra meretur hoc nomen. Lynx Galeni tēpore videtur frequens fuisse.

Hìc alias poteram, & plures subnectere causas,

Quibus *Lupum ceruarium* nostrum veram *Lyncem* esse, astruerem: quamuis supra propositis, ex Plinio præsertim, dubijs respondere, qui rem ipsam fortassis minus bene intellexit, non adeò de nihilo sit. Libet itaque totum negotium paucis verbis proponere, &, si licet, arbitrario etiam iure componere; auctoritate maximè, & sententia Illustris viri *Ioannis Bouar de Baliz Liberi Baronis* quæ in Gesnerianis descriptionibus Animalium exstat. Vbi idem Baro monet Lyncem Indicam vel Africanam, cuius Plinius meminerit, multùm à nostro Lupo ceruario differre. *Qui noster cùm sit maximus*, inquit, *vix attingit mediocrem Lupum magnitudine. Ista verò Constantinopoli depicta ferocem atque ingentem bestiam ostendit. Præterea istorum nostrorum Luxorum, qui in Moschouia, Lituania, Russia, Polonia, Hungaria, Germania capiuntur, rari sunt admodum insignibus maculis in dorso conspersi, sed in ventre tantum: Scotia tamen & Suecia mittit omnium pulcherrimos. Isti verò de quibus loquor, sunt maculis tam in dorso, quàm ventre, aliisque membris pleni; nec sunt adeò villosi & delicati, vti nostrates; cùm habeant pilos asperos, setorsos & breues. Insuper nostrorum maculæ sunt rotundæ: istorum verò triangulares & similes folio vocato Kleblat, hoc est Trifolio.* Respondetur ad Plinium.

Atque hæc, de dubijs concessa est optio nobis.

Si cui verò hæc minus arrident, virū se præstet ac meliora reponat; quæ tantùm abest, vt aspernaturi simus; vt grato ea nos animo acceptaturos promittamus.

Sed quando absolutis tricis tandē concludēdum est, in quā animantiū classe Lyncem ego collocandam existimem; more meo atque instituto ididem inceps explicabo. *Lyncem* plerique *Lupum Ceruarium esse*, & in *Luporum* genere reponendā audacter pronūciant & credunt. Ego tamen cū *Lupo Lyncem* non magis congenerem statuo, quam cū Cane Felem. Vt enim superius cū Cane Lupū coniunxi, In qua animalium classe Lynx sit ponenda?

Dentes mô ſtrant in quo genere animalium Lynx ſit collocâda.

ſic cum Fele nunc Lyncem. Congeneres, quin etiam animalibus hiſce & Leonem & Tigrem facio. Quò ita ferocia, dentium ſitus, numerus, figura inducunt, quod Achillæum mihi quoque in Lupo & Cane argumentum fuit. Eſt tamen exigua etiam in his dentibus differentia, alioquin Felem pro Leone, & Tigrem pro Lynce venditare poſſemus.

Dentes Felis.

Felis itaque, cuius exactum valde ſceleton habeo, tam in ſuperiore, quàm inferiore maxilla duos obtinet dentes Caninos, ſuperiores inferioribus paulò longiores: hoc ipſum apparet in Lynce noſtra, in Tigre, & Leone; amborum enim horum animalium vltimorum Caluarias politiſſimè à carnibus liberatas & filo æneo connexas nunc domi adſeruo, non meas quidem, ſed proprias *Philippi de Liano*, è prima claſſe Pictoris non modo Romæ, ſed & alibi ac præcipuè in Aula olim Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ Coſmi Secũdi, ob artem celebrati. Cui & hoc laudis debeo, quòd noſtra omnia animalium ſcelcta, doctiſsima pridem manu delineauerit, & in ære expreſſa naturalium rerum ſtudioſis publica facere voluerit. Intra Caninos, qui in Leone prægrandes ſunt, ſex inciſores reperiuntur; eiuſdem omnes magnitudinis in Fele; non ita in Lynce, & Tygre, atque Leone. In his enim tribus inferior horum ſex dentium ſeries paritatem habet, ſuperior verò duos Caninis viciniores paulò longiores & craſsiores oſtendit, Caninis tamen minimè annumerandos, quod ſuperius & in Lupo demonſtratum.

Philippus de Liano inſignis Pictor Romanus.

Dẽtes Leonis Lyncis & Tigris.

Quod verò tam viſu pulchrum, quam notatu dignum videtur, hoc eſt, quòd dentes Canini in Leone, & duo illi ex inciſoribus, Caninos quodam modo æmulantibus, ſunt omnino per longum fiſsi, & in duas æquales partes diuiſi, vti linea diuiſoria manifeſtè oſtendit. Hoc idem, ſed non tam euidenter, in Tigris dentibus quatuor verè Caninis, minimè vero in duobus illis ſuperioribus inciſorijs, obſeruatur.

Molares quomodo ſe habeant.

Poſt Caninos ac inciſores, molares veniunt, quorum tres, tam ſuprà, quàm infrà, in vtraque maxilla & latere exiſtunt, qui ſimul numerati ad duodecim pertingunt. In ſuperiori maxilla tam Tigris quàm Leonis vltimus molaris maximus eſt omnium, tribus eminentijs ac veluti cuſpidibus conſpicuus; ſecundus & is tribus eminentijs inſignis, ſed multò minor ſuccedit; demum verſus dentem Caninum eſt adeò paruus molaris, vt vix vnam ex minimis illis cuſpidibus æquet. His correſpondent tres inferni, quorum vltimus non tribus, at duabus tantum cuſpidibus, ſed fortibus planè, videtur, ſocio ſuperiori ſuo multò minori. Secundus eiuſdem cum ſocio ſuperno magnitudinis & figuræ. Tertius ſuo compari longè maior, tribus & ipſe eminentijs clarus. Nam hac ratione inferiores ſua mole æquant ſuperiores. Mirum eſt quam ſolida candidaque ſubſtantia, quam reciproca aptaque inſertione dentes hi ſuperiores & inferiores ſerratim ſe ſe excipiant, vt imaginari ſibi facile quiuis poſſit, nihil eſſe in animalium corpore ſiue cartilagines, ſiue oſſa ſint etiam, quod Leonum, Tigrium ac Lyncum morſus effugiat. Quæ de *Leone* iam dixi, ad Vnguem ita omnia in *Tigre* videre licet & *Lupo Ceruario*. *Felis* tamen aliquo modo variat. Quæ tres quidem in maxilla inferiore, duos vero tantùm in ſuperiore dentes molares, ſed adeò magnos obtinet, vt tribus

Quomodo Felis dẽtes ab alijs differant.

inferioribus æquales censeri possint.

In Caluarijs porrò horum animalium non eadem prorsus est proportio. Frontis ossa Leoni & Tigri, media inter oculorum orbitas sita, plana sunt omnino & depressa. Syncipitis ossa in medio elata, & ad latera caua. Occipitis os triangulare ordinem Caluariæ claudit, primæ colli vertebræ insidens; quæ omnia futuris affabrè distinguuntur. Felis caput tamen à naribus non plano & recto, sed curuo & gibbo, ad ossa syncipitis, tramite ascendit; cùm totum alioquin ad orbicularem figuram conformatum sit. Cætera persequi nimis tædiosum foret. In vnguibus tam Lynces quàm Tigres & Leones cum Felibus apprimè iunguntur, quas omnes vidi & probè examinaui, quinque nimirum in anteriores pedes, & quatuor in posteriores distributis.

Caluariæ etiam in his animalibus variant.

Vngues horum animalium conueniũt proportione quadam.

Cùm itaque in capitis structura, præsertim dentium numero, & figura, & pedum forma Lynces cum Felibus conueniant, ad harum certè classem, quam Luporum, iustiùs repositero. Nam si secundum internorum saltem viscerum similitudinem congenera sociare volueris, compones seiunctissima, segregabis coniunctissima. Feles enim, Canes, & Porci, Hepatis, Lienis, Ventriculi, Cordis, ac Pulmonum, nec situ nec figura multum discrepant; non ideò tamen eiusdem hæc sunt siue generis proximi, siue speciei bestię: manifestissimàm enim in dentibus differentiam demonstrabunt, si capitis horum anatomen probè excusseris.

Lynces non ad Lupos, sed ad Feles, Tigres, & Leones accedunt.

Vnde conuenientia & differẽtia animalium deducenda.

Est & hìc ex occasione, Galeni de dentibus Leonis doctrina sub incudem reuocanda. Is enim 11. *de Vsu partium*, cap. 8. de dentibus hæc habet. *Quod autem fortibus animalibus acuti multi dentes ac fortes sunt comparati, ne id quidem possunt reperire* (illi scilicet qui omnia fortuito ex atomis fieri putant, vt Democritus & Asclepiades, aduersus quos Galenus disputat) *cur motus temerarij opus sit habendum. Quod si Ouis & Leonis dentes vnquam vidisti, discrimen vt arbitror, agnouisti: verùm quod Caprarum dentes ouium dentibus sint similes, Pardaleon verò & Canum Leoninis, quo pacto id non est admirandum?* Hactenus Galenus, qui Pardalium siue Pantherarum (dicam ego Tigrium quoque) & Leonum dentes Caninis, adeoque Lupinis, similes facit. Si ad figuram, non ad numerum potius similitudinem referat, bene dicit: si hunc includat, fallitur. Superat enim Canis ac Lupus Leonem, rapacissimum ac fortissimum animal, duodecim dentibus: neque enim Leones, Tigres, Pantheræ, ac Lynces pluribus à Natura dentibus donati fuere, quàm plerique homines, viginti octo nimirum; quin homo, cùm sæpè triginta duos acquirat, mansuetum animal & sociabile, Leonem tamen, voracissimum & ferocissimum, in hoc superat; Ex quo discas velim, non dentium numero, sed maxillarum & musculorum temporalium robore mandendi valorem æstimandum esse.

Galeni doctrina de dentibus Leonis examinatur.

Sed audio non neminem mihi nunc nimiam in Lynce perplexitatem & moram exprobrantem. Posset quidem mihi iure quispiam succensere, nisi hoc me purgaret: Lynci nempe adeò me deditum esse, vt huius ferè solius gratia, totum hoc scriptionis opus & onus in me susceperim. Lynci profectò non minimũ debetur, quòd *Liber* hic *Mexicanorum medicamentorũ*, veluti alter Dioscorides noui Orbis, in lucem prodierit. Sum enim & Ego Studiosissimæ huic Lynceorum à

Lynci non parum debetur quod nouus & vtilissimus hic liber de plãtis Mexicanis lucẽ videat.

ſæpè laudato Principe *Friderico Cæſio* inſtitutæ Academiæ & Cõſeſſui iam dudũ adiunctus,& hoc vnum cum ſocijs annitor,vt Lyncis inſtar animalis perſpicaciſſimi,non præmeferam quidem plus alijs ſapere & videre; ſed conatum omnem adhibere,vt ſi quid forſan tot ſæculorum doctiſſimos viros, vel temporis iniurià,vel experimenti inopià impeditos præterijt; vel nimia de ſuperiorũ hominum auctoritate,cõcepta opinio credulos magis reddidit; ego ſaltem alijs indicium faciam,& ad Veri nucleum facilius eruendum,detectis & reiectis corticibus,aditum liberis hominibus; & nullo ſectæ alicuius Philoſophicæ præiudicio addictis,parem.

Quando Lynx(ſiue noſtra,ſiue Antiquorũ tandem ea ſit)clariſſima & acutiſſima videndi acie præditum animal,huic LYNCEORVM *Academiæ* nomẽ dederit;illa inquã,à qua perſpicaciſſimus is ſiderũ ſpeculator & ſubterraneorũ detector *Lynceus*,& cõplures alij nomẽ mutuũ cęperũt.Hoc enim *Academici Lyncei* ſolũ ſatagunt, vt non tã corporis,quàm mẽtis oculis eò progrediãtur, vt in Phyſicis præſertim ac Mathematicis ſtudijs nõ plus,ſed meliùs quid ſcire poſſint.

Qui olim oculorum acie plurimum valuerint.

Neſcio tamen an fabulis annumerem,an Veteres reuera credidiſſe mihi perſuadeã,quod Plutarchus *libello aduerſus Stoïcos* memorat, *Lynceum* illũ oculorum acie Quercus & ſaxa penetraſſe.Et Plinius,*Strabonem* quendã nomine ex Promõtorio Sicilię Lilybęo exeuntis è portu Carthaginis claſſis,nauium numerum vidiſſe,& dixiſſe. Qui & de *Callicrate* habet,quod ex ebore formicas tã paruas fecerit,vt earum partes à cæteris diſcerni nõ poſſent.De *Myrmecide* quoque,qui ex eadem materia quadrigam fabricarit,quam ala Muſcæ integeret. Ego quouſq. *Teleſcopio* ſuo *Galilæus Galilæi Lynceus* in nouis aſtris reperiendis penetrauerit, Elegia quadam mea olim cecini,quam hoc concluſi epiphonemate.

O audax factum, penetraſſe adamantina cæli
Mœnia, CHRISTALLI tam fragili auxilio!

Quæ verò *Microſcopium* præſtare poſsit partim dixi;partim iã dicturus ſum.Veruntamen hæc omnia oculorum adiumenta dici poſſunt. Habemus tamẽ & nos *Germani* noſtros *Myrmecides* & *Callicrates*. Rem memoria vti dignã, ita fide pene carentem hìc narrabo. Fui ante quatuor hos dies in ædibus Domini *Ioannis Caroli Schad à Mittelbibrach* antiquæ nobilitatis & priſcę fidei ac virtutis viri,Sereniſsimo Electori Palatino Duci Bauariæ Maximiliano, poſt Cęſarẽ Patrię cõmunis Germanię noſtrę Patri, à Cõſilijs & intimo Cubiculo; hic de nouo quodã *Myrmecide Oſwaldo Nerlingero Sueuo* Torni artifice,ea artis miracula narrauit, quę cùm ego audiui(vt verũ fatear)inter credendi temeritatẽ,& explodẽdi negãdiq. pudorem medius planè hæſi; donec manus meæ oculatæ factæ crederent tandem,quod videbant. Monſtrauit is nobis granum piperis, magnitudine ſua paruulum vix Piſum adæquans, innixum pediculo, & clauſum operculo artificiosè ex ebore laboratis. Erat autem poculi inſtar ipſum quoque granum ſubtiliſsimo ferro ad tornum excauatum. Et hoc vna ex parte menſæ ſtabat. Altera ex parte cumulus iacebat caliculorum ſeu ſcyphulorum ex ebore itidem per Tornum lynceorum acumine oculorum fabrefactorum, ad formam inquam calicum. Superior enim pars lata & caua, pes ſimiliter latiuſculus, pars inter hæc poſita gracilis ac tenuis. Horum aliquot caliculo-

Hiſtoria ferè incredibilis, veriſsima tamen de viſus acumine in quodam Germano.

Oſwaldus Nerlinger Tornator artificioſiſsimus.

Granũ piperis Torno excauatũ recipit mille ſexcẽtos alios caliculos ex ebore Torno laboratos.

rum

rum meo *Microſcopio* ſuppoſui, illi nempe tubo optico, qui res minimas, quaſi maximæ eſſent, apparere mentitur. Et quilibet horum ſcyphulorum ſub craſſitie & longitudine extremi articuli, auricularis digiti, qui in viro eſt mediocris ſtaturæ, nobis viſus fuit. Conſumpſimus duas integras numerando horas, donec ad mille ad ducẽtos caliculos peruenirſemus, quos omnes ad vnum grano iſti piperis excauato indidimus, nec cauitatem illam impleuimus, quæ proquadringentis alijs ſuffecit quos idem *Dominus Schad* poſtmodũ cõmodè immiſit.

Memini adhuc puero mihi hunc decantatum iocum, in nouo ſcilicet orbe Apes eiuſdem cum ouibus noſtratibus magnitudinis reperiri. Tum ego, & quanta, inquam, ibi aluearia eſſe debebunt? Eiuſdem, reſpondit fabulator, molis cum noſtris. At quì, inquam ego, egredi & ingredi Apes tantæ poterunt? Hanc ait ille, curam ipſis relinquo. Hoc ipſum nunc aliquis mihi forſan obiecerit diſquirens, quomodò mille ſexcenti caliculi, quorum quilibet minimi digiti articulum ſub microſcopio æquabat, aut imponi, aut extrahi potuerint. Verùm hìc hallucinatio viſus dubitationem excuſat. Nam reuera tam minuti ſunt hi ſcyphuli, vt aciem noſtram ferè effugiant; magiſtri verò & artificis illius Germani obtutui maiores patuerunt, cum omnibus his certam ac legittimam ſuam formam calicis attribuerit: imò (quod mirabilius) limbum ſingulorum auro etiam obduxerit. Confecit & aliud ſimile è grano piperis pocillum, pede & operculo ex auro ornatum, in quod indidit pocula alia parua, ſeu ſimiles caliculos ex puriſſimo auro ad tornum politos, non mille quidem, ſed trecentos; auri enim materia, non ſimiliter vt eboris artificioſæ manui & inſtrumentis obedit: quod ipſum Sereniſſ. Elector & Dux Bauariæ in Pinacotheca ſua, cum alijs Naturæ & artis theſauris, cuſtodit. Crediderim hinc facile, noſtrum *Microſcopium* rem ſibi ſubiectam pluſquam triginta mille vicibus, in triplici illa corporum dimenſione, multiplicare, & oculo noſtro ſpectandam exponere. Neque enim viginti grana piperis eius magnitudinis, quæ in hoc excauato fuerat, ſimul iuncta æquabunt illam, quæ oculo noſtro, ex minimo atq. vnico caliculo ſuppoſito illi *Microſcopio*, apparet. Hunc ergo *popularem* noſtrum *Tornatorem* non *Myrmecidæ* & *Callicrati* parem modò, ſed longe præferendum, & dignum planè cuius nomen immortali famæ conſignetur. exiſtimo.

Aliud granũ piperis, quo trecenti caliculi ex puro auro tornati claudebantur.

Microſcopium multiplicat rẽ obiectam tricies millies.

Germanus Tornator ſuperat Callicratem & Myrmeciden.

Et quoniam curioſum lectorem ſum nactus, non metuo, nè mihi ſuccenſeat, ſi rara quædam Naturæ (vt ita dicam) miracula, quæ in hoc nobiliſſimo viro *Iaanne Carolo Schad* obſeruaui, hic in Medicorum ſaltem gratiam recẽſeam. Agit hic ætatis ſuæ annum iam ſexageſimum & ſeptimũ; iſque ad annum ætatis ſexageſimum quintum vini abſtemius vixit, iamq. à duobus annis illud nec cũ voluptate, nec cum nauſea, bibit. Conſuetum huic eſt, vt integris ſæpe octo aut decem diebus, à potu omni abſtineat. Hoc mirum magis, cùm ante annos quinq. iterũ Romam veniſſet, & medio Septẽbris *Monachium* ab VRBE proficiſceretur, quò ad finem tandẽ Octobris peruenit, toto ipſum exacto ſeſquimenſe, nũquam omnino bibiſſe, nec ſitim quidem vnquã paſſum fuiſſe. Hoc autẽ ego fructibus, qui eo anni tẽpore frequentes ſunt, & quibus ipſe mirè delectatur, plurimùm eſitatis tribuo. Et, à vino etſi toto vitæ ſuæ curriculo ferè abhorruit, abſtinuitque; tam rubicunda tamen eſt facie, & ſanguine ita florido vegetus, vt ad

In Nobili viro rara quędã Naturæ dona.

annũ vſque ætatis ſexagemũ quintum, bis in anno, autumno ſcilicet ac vere ſemel à vena baſilica dextra, ſemel à ſiniſtra, ſanguinem ſibi extrahi curauerit; id quod nunc quoque facere aſſolet, verùm ſemel tantum in anno, & ad vnius libræ ferme ſemper quantitatem. Quæ eò magis mihi cognita ſunt & explorata, quod duobus hiſce poſtremis annis ipſi medicinam facio.

In America nullæ ſunt Lynces ſeu Lupi ceruarij.

At neque *Lyncem* ſiue Antiquorum, ſiue Recentiorum eſſe expreſſum hìc animal, ſole clarius eſt. Tùm quia enarratis, quæ in *Lynce* iam deſcripta fuerunt, ſignis & proprietatibus haudquaquam reſpondet; tum quia in *America F. Gregorius* huiuſmodi *Lynces* ſiue *Lupos ceruarios* (quorum ipſi, vt varias pelles, ita coloribus aliquot depicta ectypa commõſtraui) minimè reperiri, mihi prorſus affirmauit.

Animal de quo iã tractamus, eſt Catus Pardus Americanus.

Quo tandem igitur nomine hoc animal rectè nuncupabimus? *Arduum eſt*, inquit Seneca, *de ijs quæ coniectura ſequenda ſunt, aliquid certi promittere*. Ego tamen non eſſe aliud animal certus ſum, quam illud quod communiter nos *Catum Pardum* appellare ſolemus, qui Americanis *Catus montanus* nominatur: non paruum illum Catum ſilueſtrem ferumuè intelligens, qui illis ac nobis æquè frequentiſſimus; ſed corpore prorſus maiorem, & pelle differentem maculis item quamplurimis nigricantibus conſperſà, quem & *Pardum* ac *Leopardum* quamplurimi appellant. Habet is colorem talem, quem ſuo quoque Hiſpani idiomate *colorem Pardum* dicunt, & eſt ex griſeo, fuſco ruffoque mixtus; frequentibus etiam nigricantibuſque maculis diſtinctus apparet. Ea magnitudo plerunque ipſi eſt, vt altitudine duos ſuperet palmos, longitudine quatuor attingat, & rarò excedat. Hoc etiam à Pantheris Tigribuſque diſtinguitur, quod pilum non hirtum, ſed mollem ac lanoſum, noſtrarum inſtar Felium, ferme habeat, ex qua commodè hic confici manicas illas vidimus vtrinque apertas, brumæ tempore inſerendis ac confouendis manibus aptas (*manichotti* vocant Itali) quæ pretio ſuo ad pelles *Lyncum* Orientalium nunquam aſcendunt; quod colore minùs grato non adeò probentur.

Magnitudo maioris ſed non maximi Canis.

Pili lanoſi.

Animal hoc *Americanum*, cum *Africano*, quod in Italia non rarò viſitur, apprimè conuenit. *F. Gregorius* noſter *de Boliuar* ait, non illa eſſe crudelitate, qua *Tigres*, *Leones*, & *Pantheræ* ſunt *Americanæ*: nec maiores beſtias aggredi, ſed minores tantum; arbores etiam confeſtim aſcendere, magnis ibi alitibus inſidiari, imò ad villas & ruſticorum tuguria accedere, Vulpiumque inſtar gallinas ſuffurari. A lædendis verò hominibus, niſi incitatum, abſtinere: quos maximè potius timet, & ab his in fugam facilè vertitur. Frequens in ſiluis reperitur, & Cati, vt domeſtici quoquomodò effigiem, ita Felinos mores aliquatenus videtur imitari.

Non ea eſt crudelitate qua Tigres, Leones & Pãtheræ.

Homines timet potius, quàm offendit.

Leopardi Africani.

Inuenio in *Ioannis Leonis* nona *deſcriptionis Africæ* parte. *Leopardos* in *Barbariæ* ſiluis reperiri, & eſſe beſtias fortes ac crudeles (ſic enim Africani quoque Leones ferocitate Americanos ſuperant) homini tamen nequaquam nocere, niſi contingat (& rarius quidem) hunc aliquo anguſto loco beſtiæ obuium fieri, vbi ei non poſſit de loco cedere; aut ſi illam prouocet, aliamuè illi moleſtiam inferat; tunc enim humanam in faciem, quod noſtræ quoque Feles factitant, inſiliunt, & vnguibus tantum carnis abripiunt, quantum comprehendere il-

lis

lis possunt. Armentis vix damnum vllum inferunt, acerrimi tamen Canum hostes habentur. Fatetur in Itinerario suo *Ios. Barbarus Venetus*, se in *Ecbatana* Ciuitate maioris *Mediæ* Metropoli, nunc *Tauris* dicta, *Leonzam* catena vinctam à magistro suo ad spectaculum ductam vidisse, animal Leænæ simile, sed pilo purpureo, virgis nigris transuersim distincto, capite similiter rubro, maculis nigris albisque variegato, ventre albo, cauda Leoni simili, ferocia non vulgari: ita, vt cùm in eius præsentia *Leo* comparuisset, in hanc quin *Felis* instar alacri saltu prorumperet, à custode vix prohiberetur.

Leõza quale animal.

Ex hac descriptione eam forsan quis non ineptam coniecturam duxerit, *Leonzam*, Italico vocabulo sic dictam, Antiquorum Tigrem esse, cùm non *orbiculatis maculis*, sed *Virgatis* (quod Tigrium veterum proprium esse diximus) *fascijs Leonza* dicta pingatur.

Videtur cũ veterũ Tigre conuenire.

Leonzas etiam *Aloysius Cadamustus* à *Leopardis* separat, quando à Regno *Senegæ*, apud Nigritas, reperiri ait *Leones*, *Leonzas*, & *Leopardos*. Quid autem per *Leonzam* authores propriè intelligant, non ita manifestum est. Iam diximus videri Antiquorum Tigrem: *Americam* tamen incolentes *Europæi Leonzam* vocant, quæ proprie *Panthera est*, & non *Tigris*. Et si Leonzæ, seu Onzæ, vel Vnciæ figuram in Gesnerianis descriptionibus intuemur, videtur etiam illud animal esse, quod iam *Catum Pardum* diximus; si verò descriptionem *Ioannis Caij*, quæ ibi exstat, legimus, diuersum adhuc animal ab eo, quod in Icone deformatum, videbitur. Alij non dubitant *Lyncem* esse *Lonzam*, quasi hoc vocabulum barbarum ex Lynce sit deriuatum. Ita omnia confusissima apud varios auctores, nomina varia & vocabula pro arbitrio suo vsurpantes leguntur. Et Veteres quidem præter indagandi laborem, & sedulum posteros iuuandi studium, Lynceis vix aliud quicquam affirmati reliquerunt.

Pãthera vocatur Leõza ab Hispanis in America.

Videtur etiam ad *Catũ Pardum* posse reduci.

Alijs à Lynce videtur deriuari.

Huiusmodi Catum Pardum ante annos quindecim in *Cardinalis Cæsij Patrui* iam sæpè laudati *Principis Cæsij* Aula, eiusdem scil. *Principis* prope *Vaticanum* palatio, pulcherrimarum Antiquitatum, Inscriptionum & statuarum copia celeberrimo, conspexi magnitudine molossi Canis cauea minime inclusum, sed catenæ illigatum, quinimò non rarò eadem solutum cicurem adeò, vt prætereuntibus, ad ipsumque accedentibus nihil detrimenti inferret. Erat hic pilo pelleque (præterquam quod plurimis nigris maculis esset conspersa) & facie Felibus nostris omnino simili. Ludouicus Cescharinus ætate & aspectu venerandus, moribus amabilis, doctrina conspicuus, iudicio & longa medendi experientia præstans, quo ægrotans ego Medicus, Medico feliciter vtor, sæpe mihi narrauit, dum in Heri sui comitatu, Cardinalis scilicet *Sfortiæ*, Sereniſſimos *Medicæos* Principes non rarò in Venatione sequeretur, Leopardum, siue huiusmodi Catum Pardum vidisse adeò mansuetum effectum, vt eodẽ cum Magistro suo vel custode equo veheretur, qui cùm in siluis Capreolum aut Leporem obuium habuisset, demissum tribus maximis saltibus bestiam plerumque assecutum: vbi autem illa elapsa fuisset, perstitisse hunc, nec Canis instar vlterius progressum fuisse, sed ad equum ac dominum suum spe frustratum redire consueuisse.

Cati Pardi feritatem plerunque deponunt.

Ludouicus Cescharinus celeberrimus Romæ Medicus.

Catus Pardus Venationi inseruit.

De *Lyncurio* quin Corollarij loco aliquid addam, præterire minimè possum.

Lyncurij

Lyncurij itaque voce Theophraſtus & Diocles gemmam adeò duram nobis deſcripſerunt, vt exſculpi etiam poſſit. Apud Plinium *Demoſtratus* Succinum ita appellauit. *Lyncis Lapis* tertio eſt loco pharmacopolis omnibus hodie notiſſimus, qui fractus tanquam ex centro ad peripheriam deductos radios oſtendit. Alij demum *fungiferum lapidem* nobis pro Lyncurio venditant. Omnes hi ferme ex Lyncis vrina in terram defoſſa naſcendi principium ſumpſiſſe creduntur.

Andreas Cæſalpinus, lib. 2. Metallicor. cap. 45. Ex *Euace* lapidem Lyncis dicit illum eſſe, quem hodie fungiferum appellamus, cum Theophraſtus quoque dicat Lyncurium fungos ferre. Hunc Euax, vt ait Cæſalpinus, ex vrina Lyncis micta in montibus, & in lapidem coagulata originem trahere ſcribit: valere contra dolorem ſtomachi, Icteritiam, & fluxus ventris. De hoc *Hermolaus* ita habet: *Oritur fungus & e ſaxo, id eſt lapide Lyncurio ſiue Lynceo vulgari voce dicto, admirabili natura: præciditur hic in eſum, & alius ſubnaſcitur anno toto: pediculi pars duratur in ſilicem, atque ita ſemper creſcit lapis reſtibili fœcunditate, nec credidimus antequam domi natos ita manducaremus.* Idem Cæſalpinus plantarum lib. 3. cap. 45. *Fortè huiuſmodi lapis*, inquit, *ex corticibus Populi fit aliquid conferente vrina Lyncis. Tradit enim Dioſcorides corticem tam albæ, quam nigræ Populi, ſegetibus ſtercoratis inſperſum fungos vtiles innocenteſque toto anno ferre.*

Lyncurij lapidis vires.

De hoc quid mihi perſpectum ſit fungifero lapide, vel in Germanorum ſaltem meorum gratiam libenter ediſſeram. Eius generis tres mihi prægrandes donauit *Adamus Melſius*, ad Inſigne *Pineæ Nucis aureæ* prope Pantheon Romæ Pharmacopœus, annis iam & experimentis grauis, vir probus & frugi, & propter fidem & peritiam, qua in arte ſua præſtat, non tam vulgo quã Romanis quamplurimis Principibus cariſſimus. Hos ego in Hortulo meo domeſtico ad ſemeſtre ferme ſpatium cuſtodiui, terrę illos paucillo obruens. At, non niſi ſemel tantùm, fungos mihi protulerunt, & circa vernum quidem tempus ternos, ingẽtes, ſpatioſos, ex luteolo rubicundos, odore gratiſſimo, quorum maximus palmari diametro erat. Hos, vt verum fatear, nec in cibos aptaui, neć radicitus euellere volui. Quare, vbi plurimis fungi iſti diebus ibi perſtitiſſent, in lignoſam tandem ſubſtantiam tranſiere. Certior tamen ſum factus, in cella vinaria collocatos, & ſuperficie tenus terra opertas, aquà interim tepida irroratos, toto anni tempore ſaluberrimos, & qui difficultati vrinæ ſuccurrerent, fungos protuliſſe.

Fungi Lyncurij lapidis in lignũ abeũt.

Lælius Laurus Signinus celebris Romæ Iuriſconſultus, Lyncuriorum ſiue lapidum fungiferorum patriam & originem ad vnguem mihi declarauit. In monte nempe illo, qui in *Tuſculano* agro initium ſumit, ac verſus *Neapolin* porrigitur, circa *Sermonetam* præcipuè, ac Ciuitates *Coranam* atque *Signinam* plurimos eiuſmodi fungos ex Lyncurijs pullulare, eo maximè loci, vbi arbores iſtæ confertim reperiuntur, Quercus nempe, Aceres, Fagi, Ilices, Caſtaneæ; nullas tamen ibi Populos exſtare aſſeuerabat, nè ex harum corticibus, ad Dioſcoridis mentem quis, eos enatos forſitan ſuſpicaretur. Nec Lynces ibi vnquam viſas, quarum ex vrina lapidum illorum (ſi modò lapidum nomine ſunt digni) generatio fieri potuiſſet.

Et quamuis *Euax*, non contemnendæ authoritatis Scriptor, dicat eſſe *Lapidem*

pidem, ex quo fungi dicti consurgunt, & Hermolaus relictam pediculi partem ex fungo in *silicem* durari adstruxit; Pace tamen ipsorum nec siliceam nec lapideam hìc duritiem animaduertere potui, sed terream quandam ligneamque substantiam, communem, vtriusque tamen duritiem excedentem & tophi quodammodo naturam æmulantem. Friabilis enim horum est substantia, & quæ manibus facilè teri possit, vbi præsertim extra terram aliquot septimanis adseruantur. Hoc etiam mihi vsuuenit, cùm prædictos tres Lyncurios *Germano* cuidam Principi optimè reconditos, arboreoque musco ac terræ paucillæ inuolutos in capsa lignea transmisissem, post bimestre itineris spatium eò delatos, præter terram friabilem & infæcundam massam, aliud nihil ostendisse. Tophacea durities in his pediculis fungorum.

Posset itaque non nemo facilè credere, Lyncurios nihil aliud, quàm putrefactas arborum radices, terris obseptas esse: ex veterum enim arborum truncis non rarò fungos surgere videmus. Atqui hoc si esset, accidere nonnunquam posset, vt is Lyncurius, ex quo fungi pullulant, adhuc radici arboris aliqua saltem in parte non putrefactæ hæreret, cùm ex viuæ arboris etiam trunco quotidie fungi nascantur. Veruntamen Lyncuriorum tanta aliquando frusta è terra fuerunt egesta, vt vnũ Equo onerando suffecerit, absque vlla radicis vel substantia vel figura eminente. Accedit quòd rotunda plerunque, rarò longa figura Lyncurij reperiantur; & quòd hæ separatæ quoque ab arborum radicibus dissitæ, nec adeò profundæ delitescant. Lyncurij etiam in maxima mole reperiuntur.

Et vt semel dicam, videtur fungorum seminium eorundem, in certa sua terra latere, quæ eosdem protrudit; quemadmodum & *Tubera* terræ (*Taratufoli* Itali vocant) non omnis fert tellus, nec illa quæ fert, vbiuis locorum eos producit. Odore ea Porci deprehendunt, & rostro latentia eruunt. Sic vbi Lyncuriorum periti indagatores eiusmodi è terra surrectos fungos aduertunt, fossione facili Lyncurium subditum reperiunt, extrahunt, & aliò distrahunt. Fieri itaque ego autumo, vt vbi fungifera illa terra vnum atque alterum extruserit fungum, qui euulsus non fuerit, radiculas eiusdem terræ hæsisse, & in lignosam quandam substantiam cum ipsa sua terra coaluisse, quæ multiplicata ad maxima etiam frusta deuenire æquè potuerit, atque in minima sæpe portione inuenitur. Videtur huic meæ coniecturæ Hermolaus fauere, cùm inquit, *Pediculi pars duratur in Silicem*, duratur, inquam, sed non in Silicem; in hoc enim deceptus Hermolaus fuit, sed in lignosum quid. Habere autem fungos suas quoque radiculas nullum est dubium, quamuis vulgò dicatur, quod adeò quid imperfectum sit in natura plantali fungus, vt pro solo folio æstimari debeat. Seminium fungorum.

Verùm de fungis ego plura non addam; hos exactè satis in Rarioribus Exoticisque suis *Clusius* descripsit. Longè tamen his exactiora tam in Historia, quàm Theorice & Physiologia expectamus, ex Libris *de imperfectis Plantis* Illustrissimi & Excellentissimi Principis Cæsij, propediem lucem visuris.

ZIBE-

ZIBETHICVM ANIMAL AMERICANVM.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ALIQVALEM & hoc Animal, cum proximè præcedentibus duobus iam deſcriptis conuenientiam habere videtur, ſi maculas ſpectes. Veruntamen plures differentiarum notæ in reliquis ſeſe corporis membris offerunt. Caput imprimis non craſſum, ſed tenue, & acutum habet, vt roſtrum Caninum potiùs, quàm Felinum eſſe iudicares, quod cum labris ſuis ſubrubet. Orbitæ circa oculos, qui minus truces ſunt, nec magni admodum, albicant. Ceterùm ſubcineritij coloris eſt caput, & pili in barba vix vlli. Collum quoque longiùs, quàm in Tigre aut Cato Pardo, quod pulchro quodam ordine alternis nigriuſculis & albicantibus faſciolis, veluti totidem torquibus arte adpictis exornatur. A Capite ad dorſum, per colli longitudinem ſupernam ſimilium colorum lineæ excurrunt. Dorſi medium à collo ad caudam linea nigricans piloſa valde diſtinguit. Maculis in corpore cinereo minus obſcuro nigricantibus, rotundis, & oualibus ordinatim ſecundum lineam rectam, verſus caudam productis, inſigniter decoratur. Ita vt ſuperiores, dorſo quippe viciniores, ſint maiores, mediocres paulò inferiores, & quæ in imo ſunt ventre ſenſim euaneſcant. Caudam gerit alternis ſimiliter, vt in collo dictum, faſciolis nigreſcentibus ac cineritijs diſtinctam, ac ſatis longam. Sub cauda tria foramina eminenter viſui ſe præbent, anus ſcilicet, loculus ille, in quo Zibethum colligitur & extrahitur, ac vulua: medium tamen cæteris duobus maius apparet.

SCHOLIA

SCHOLIA EIVSDEM.

Animal Zibethicum à F. Gregorio describitur.

LIbet hic à *F. Gregorij* noſtri *de Bolinar* veridica non minus, quàm curioſa Animalis huius Zibethici hiſtoria auſpicari, quam ex Hiſpanico idiomate totidem hìc verbis latinis efferam.

In quibus locis reperiatur in India Orientali.

Hoc animal inquit ipſe, naſcitur in multis Indiæ orientalis atque occidentalis partibus, cuiuſmodi in Orientali ſunt prouinciæ *Bengala, Ceilan, Sumatra, Iaua maior & minor, Malipur* ac plures aliæ.

In Noua Hiſpania.

In *Noua Hiſpania* verò ſunt prouinciæ de *Quatemala, Campege, Nicaragua, de Vera Cruce, Florida* & magna illa *Inſula Sancti Dominici* aut *Hiſpaniola, Cuba, Matalino, Guadalupa* & aliæ.

In Regno Peruano.

In *Regno Peruano* animal hoc magna copia reperitur, In *Paraguay, Tucaman, Chiraguanas, Sancta Cruce de la Sierra, Yungas, Andes, Chiachiapoias, Quizos, Timana, Nouo Regno* & in omnibus prouincijs magno flumini *Maragnone* confinibus, quæ circa hoc ferme ſine numero ad duo Leucarum millia ſunt extenſæ. Multo adhuc plura eiuſmodi animalia naſcuntur in *Braſilia* vbi mercatura vel Cambium Zibethi ſiue Algaliæ exercitatur.

In Braſilia.

In Guinea.

Magna horum abundantia quoque eſt in *Guinea*, in prouincijs nimirum *de Loango, Congo, Manicongo*, circa flumina *Angolæ*, vſque ad *Cafres* & finem *Bonæ ſpei*, maximè autem in grandiſſimis & extentiſſimis montibus qui ibi proſtant quos *fragoſas Cuſpides* appellare ſolent. Et ex parte quidem *Cafres* montium de *Torea*, aut de *Luna* vbi maxima Algaliæ quantitas exſtat, quæ tali modo acquiritur & præparatur.

Quomodo Zibeth colligatur.

In hiſce montibus quos animalia hæc pererrant omni adhibita diligentia, Nigritæ ſiue Mori illi perquirũt veteres arborum aridoſque truncos, & vbi aliquas maculas magnas easq. oleoſas obſeruauerint, eò ſe conferunt, & globoſam quandam materiam truncis ijſdem adhæreſcentẽ, nuculas aut caſtaneas magnitudine æquantem inde auferunt, in aqua ebullire permittunt, id quod ſupernatat pingue & oleoſum remouent, mundioribus vaſis infundunt, vſuique reſeruant. Atque hæc eſt omnium optima ac puriſſima Algalia.

Quomodo ſincerũ ab adulterato dignoſcatur.

Iam ſi cui dubitandi animus eſſet, legitimumne an adulteratum id Zibethum eſſet, quod empturus eſt, infundat hoc in vas, in quo aqua bullit; & ſtatim quod heterogeneum & Algaliæ admixtum fuit, fundum petet, Zibethum autem ſincerum aquæ ſuperficiei innatabit.

Vbi humor hic in animali reperiatur.

Hæ autem pilæ ſiue globuli Zibethici arborum truncis adhærent, quoniam à tali humore hoc animal maximè vexatur, cum ex intimis corporis partibus ad emunctoria, vt vocant Medici, prorumpat & ſudoris inſtar ſub axillis præcipuè, & loculis intra clunes ſitis colligatur, non procul à genitali membro.

Quomodo Zibeth in cicuribus colligatur.

Alius colligendi Algaliam modus talis eſt. Ex huiuſmodi Animalibus aliquo modo domi cicuratis, quod nempe in caueis magnis adſeruentur, cum enim humore hoc quaſi oneratæ moleſtantur, tunc velociter per caueam ambulant, donec ferme ſudor ipſis prorumpat. Tum enim auriculario, ſiue minimo quodam cochleari loculos emundant, humorem illum abſtergunt & collectam

Algaliam

Algaliam in vasa appropriata reponunt.

Exigua huius animalis cum Felibus similitudo.

Habet hoc animal exiguam cum Felibus nostris, si corpus saltem spectes similitudinem, quibus tamen multo maius est. Altitudo ad tres palmos & longitudo ad sex pertingit. Elongatum habet & caput & collum, crura autem breuia omnia. Vngues quoque obtusos breuesque. Pellem obtinet cinericij coloris cum maculis tam rotundis, quàm longioribus tæniarum instar, sed coloris obscurioris ita, vt è reliquo totius corporis colore maximè eluceant. Pili pectoris ac ventris albescunt magis, sed non tot maculis consperguntur.

Corporis quæ sit proportio.

Pellis qualis colore prædita.

Mammillas sex habet.

Est hæc bestia Cholerica multum, ac inquieta. Sex habet mammillas vnitas ac minutas & totidem fœtus, mammillarum nempe pares numero edit.

Vbi habitet.

Enutrit suos Catulos in magnarum arborum cauernulis, vbi sibi suisque filijs tutam stationem esse putat, quamuis sæpè capiatur cum filijs, domique facilè educetur. Vorax est & ex aliorum animalium rapina viuit, auium præsertim; quarum captura gaudet, cum velocissimi sit cursus. Temperaturæ est calidissimæ. Pellis ventris ipsius est saluberrima in omnibus frigidis affectionibus: Ventriculum præcipuè roborat, si frustulum ex hac eidem imponatur & quotidie gestetur. Nigri illi *Guineæ*, & *Brasilienses* barbari, huius quoque animalis carnibus vescuntur, vtcunque sit pessimi odoris, & digestionis durissimæ, quam ad venerem tamen præstare maximum stimulum affirmant. Naturalium rerum Professores alias quamplurimas Animalis huius proprietates norunt, quarum ego minus curiosus indagator fui. Hæc ille.

Victus quales ipsi.

Temperatura. Et remedia ex hac.

Quidã huius carnibus victitant.

Miror profectò *F. Gregorij* nostri summam in Animalium perquisitione industriam & tenacissimam, eorum quæ vidit vnquam, memoriam. Iuro tibi mi Lector, hæc omnia quę hactenus ipsius ab ore & scriptis hausi, & posthac dicturus sum plura rariora que, absque vllius ipsum ope libri memoriter descripsisse & per compendium quodammodo (cum inter colloquia protractiora etiam plura afferat) tantùm contraxisse.

Hucusque F. Gregorius qui tenacissimæ est memoriæ.

Meretur sanè hoc animal, vt non minus diligenti, quàm in præcedentibus factum est, examine, Veterum de hoc thesauri, si quid modò de tam odorifero ipsis animali inoluit, excutiantur.

An Veteres hoc animal nouerint.

Admirabilem quandam odoris suauitatem olet Pardalis, inquit Ælianus 2. Hist. An. cap. 22. *quam bene olendi præstantiam diuino munere donatam cùm sibi propriam planè tenet, tum verò cætera animalia hanc eius vim præclarè sentiunt*. Et longè ante Aristoteles in problematis quærit, cur sola Pardalis siue Panthera inter animalia bene oleat? Ex his, nisi fallor, locis aliqui, atque inter hos *Petrus Gillius* Æliani Interpres, in hac olim opinione fuerunt, hoc nostrum Zibethicum animal Antiquorum Pantheram esse, cum alia huius apud Aristotelem ac Veteres reliquos memoria nulla exstet: & odoris quidem vnico argumento ducuntur.

Putant aliqui Pantheram Veterũ esse hoc animal.

Improbatur hęc opinio.

Sed enim haud certum est Antiquorum Pantheram gratum hominibus odorem, qualem nunc Zibethum spirat, præbuisse. Nam idem Aelianus hunc cęteris solum modo animalibus iucundum odorem, a quo veluti ab esca incitarentur,

rentur, fuiſſe, his verbis eodem loco inſinuauit. *Hinnuli, Dorcades, Capræ ſilueſtres, atque alia eiuſmodi animalia quadam ſuauis odoris illecebra attrahuntur & proximè accedunt.* Animaduertimus etenim, quod, quemadmodum homines, ſi bile ſuffuſos oculos habeant, omnia quæ vident flaua exiſtimant, & ſi eandem lingua imbiberit, quæcunque edunt amara arbitrantur, ita pro varia cerebri & mammillarium proceſſuum olfactus organorum diſpoſitione, modò gratum odorem ceu fœtentem abominari, modò peſſimum pro iucundiſſimo poſſe habere.

Homines pro varia organorũ ſenſus diſpoſitione varie de obiectis iudicant.

Vidi fœminam, quæ adeò à Caſei odore abhorrebat, vt ſi cultro ſaltem, quo Caſeus inciſus fuerat, improuidens panem ſibi diuiſiſſet, in Lipothymiam ferme incideret: vbi tamen hæc prægnans fuit, bis terue ita Caſei odore oblectabatur, vt abſentem etiam, veluti præſens eſſet, olfacere continuò diceret, & quod mirum magis, auidiſſimè ſemel atque iterum eundem comederet. Ex viris etiam plurimos, non niſi putrido cloacam ſpirante ollari illo Caſeo, quem alij ceu fimetum ſtomachabantur, veſci non aliter, ac ſi *Iouis* ipſis *cerebrum* appoſitum fuiſſet, & vidi & videndo nauſeam concepi. Poterit itaque beſtijs etiam aliquid in Panthera, quod nobis fœtet, bene olere.

Quæ Caſeum fœmina abhorrebat, grauida mire appetebat.

Ariſtoteles profectò lib. 9. de Hiſt. Animal. cap. 7. *Pantheram*, inquit, *ſeſe abſcondentem venari dicunt, propterea quod ſuo odore belluas delectari intelligat, propius enim ita accedunt, quas corripiat.* Vbi quidem Ariſtoteles beſtias ceteras Pantheræ odore capi, at non ideò iucundum hunc eſſe hominibus, affirmabat. Nam & eadem Panthera abominando humani fimeti fœtore, ceu ſuaui quodam odoramento capitur, & eidem veluti remedio, ſuum aduerſus venenum *Pardalianches* dictum, inhiat, deglutitque. Verba eius hæc ſunt: *Panthera cum venenum, Pardalianches ab angore dictum, ederit; quo Leones etiam intereunt, ſtercus hominis quærit, eo enim ipſo iuuatur, quocirca venatores ſtercus ibi propinquum ſuſpendunt ex arbore aliqua, ne procul bellua abeat petens ſuum medicamentum. Itaque inſiliens ibidem, & ſpe capiendi perſeuerans in ſe efferenda immoritur.*

Pantheræ odor beſtijs tantũ gratus.

Panthera fœtori humani ſtercoris inhiat.

Et licet ipſa hoc quærat, vt medicamentum, medicamenta autem (quod obijcere quis mihi poſſet) omnia ferme nobis ingrata ſint, probabile tamen exiſtimo DEVM ipſis animalibus medicamenta quoque ſub ſpecie quadam iucunditatis proponere voluiſſe, ad quæ naturali appetitu, illecebrà veluti ducta, non aliter ac nos ad pabulum, ferrentur. Neque enim ego ipſa bruta hoc intellectus diſcurſu vti exiſtimo, quod nempe velint etiam eligere medicamentum ſua natura ingratum quidem, modò gratiſſimam ſanitatem ſummum ipſis bonum recuperare valeat. Veluti & nos ſæpè hoc medio amariſſimo, medicamento inquam, ceu quid dulciſſimum eſſet, vtimur: quia finis, propter quem aſſumitur, hoc eſt ipſa ſanitas (ſine qua & diuitiæ & liberi, & Principum fauores & coniugum amores ſordent) dulcis & iucunda exiſtit.

Beſtiæ iucunditatis ſpecie ad ſua medicamenta feruntur.

Et propterea quando iam laudatum Ariſtotelis locum Iul. Cæſ. Scaliger explicans, *Mirum verò*, dicit, *Pantheram carniuoram, herbam* (pardalianches nempe) *deuorare, prudentia remedium noſſe, nocumentum non præuidere!* Duplex ipſi reſponſum

ſponſum oppono. Primum, animalia bruta inſitis quibuſdam, vt Scholæ loquuntur, ſpeciebus tam venena quàm auxilia ſua cognoſcere, vt fugit Agna Lupum,& pullus gallinaceus Miluum, quem prius nunquam conſpexerat. At-

Iul. Cæſ. Scaliger.

tamen hæc æquè vt nos decipi poſſe, quis dubitabit? Si quis enim voraciſsimo Lupo Lycoctonon, aut Cani famelico Nucem vomicam in puluere carnibus inſpergat mandenda, an non eodem prorſus modo fallentur, vt nos? quibus aliquando incautis per fraudem,loco ſalis aut Sacchari, *Arſenici* puluis in cibis offertur, aut per inaduertentiam & bona fide præbetur: vt contigiſſe memini erranti Seplaſiarij puero,qui loco farinæ ex oryza confectæ magnam *Arſenici* puluerizati copiam dedit, quod & cum lacte ceteriſque aromatibus coctum plurimos,qui ex pulmento hoc eſitauerant, è vita ſuſtulit; alios antidotorum ope, vix tandem ſemiuiuos, reliquit. Certus ſum vaccas, vt alias taceam beſtias, quamplurimas venenoſas herbas, ne olfactu quidem dignari, ſi ſolæ ipſis offerantur, incautas tamen ſæpe eas cum reliquis herbis, vti & *Bubreſtim* eſitare, vndè adeò inflantur, vt niſi faſcijs obuoluantur, per medium crepare videantur, plurimæ etiam moriantur.

Reſpondetur Scaligero miranti Pantheram herbas vorare.

Primò.

Incautæ beſtiæ æquè à venenis vt nos ipſi decipi poſſunt.

Secundum reſponſum tale eſto: Non abſurdum videri, carniuoram beſtiam herbis quoque ſubindè victitare, id quod ſupra in Lupo vidimus. Et ego domi Feles duas teneo, quæ Melopeponum, quorum hoc Auguſti menſis tempore eſus nobis frequens eſt, pulpà ſeu carnibus adeò afficiuntur, tam auidè è manibus meorum familiarium eripiunt, ac ſi animalium veræ carnes aut piſces eſſent. Domeſtica in Canibus ac ſuibus exempla quoque habemus varij cibi voracitatis,Iucundum certè ſpectaculum ſæpe mihi præbuerunt tria diuerſorum generum animalia,quæ domi olim meæ alebam;*Felis* ſatis magna, *Cuniculus*,& *Sturnus*.Hæc prandentibus nobis diligenter præſto erant,& quoſcunque è menſa ipſis cibos proijciebamus, gnauiter ore excipiebant. Vnanimes quinimò ex vna eademq. patina comedebant. *Cuniculus* tamen timidiſsimum animalculum creditum,reliqua duo morſu non rarò abigebat. Vt vel hinc diſcas, diuerſum cibum vt eadem animalia,ita eundem diuerſa ſumere. Plurima huiuſmodi omniuora animalia Græcis dicta παμφάγα tam aquatilia,quam terreſtria, cap. 32. libro doctiſſimo ſuo *de continentia, vel de ſanitate tuenda* recenſet *Marſilius Cagnatus* Medicus Romanus,quo olim ego Doctore & Medicæ Laureæ Collatore, poſtmodum collega,quà in docenda Medicina in Athenæo hoc Romano, quà in curandis ægrotis noſtris ſæpiſſimè vſus fui.

Secundò reſpondetur.

Marſilius Cagnatus eruditiſſ. Romanus Medicus fuit.

Et quandoquidem nunc euicimus Pantheram non eſſe Zibethicum noſtrum animal ſiue *Algaliam*, cum corporis totius figura, capitis cumprimis maximè reclamet, an *Petro Bellonio* aſſentiemur, qui Antiquorum *Hyænam* potius ſubſtituit? Hic enim lib. 2. cap. 20. ſuarum obſeruationum, ait ſe Alexandriæ *Ciuettam*, hoc eſt animal Zibethum fundens vidiſſe ita cicur redditum, vt cum hominibus colludens, naſum illis, aures ac labra ſine morſu prehenderet, quod ab ineunte ætate humano lacte enutritum fuiſſet. Hoc autem Antiquorum Hyænam eſſe. Non dubito quicquam feritatem ſuam eiuſmodi beſtias deponere ſolere, quod in Lupa quoque vidimus, ſed humano id lacti attribui debuiſſe aſſenſum vix præbeo. Niſi

Cum Panthera non ſit Zibethicũ animal an ſit Hyæna veterũ?

An lacte humano pa ſta bruta mãſueſcãt?

Lupinos

Lupinos confeſtim mores ex Lupino lacte *Romulo* ac *Remo* dare velimus. Quod enim alter horum Fratricida fuerit, non quidquam probat; Nam & *Caim Abelum* fratrem, optimo *Euæ* primæ Matris noſtræ lacte altus, occidit. Et catelli ſæpius mulierum vberibus applicantur deplentes abundantiam lactis, qui in ferino ſuo ingenio ob id nihil mutant. Solet feritatem hanc potius continua, quædam cum hominibus conuerſandi aſſuetudo mitigare. Memini mihi à *Franciſco Stelluto Lynceo* Fabrianenſi viro, vt ob animi candorem omnibus eſt cariſſimus, ita ob Matheſeos ſciẽtiam tam *Clauio*, *Valerio*, & *Magino* olim amiciſſimus, quàm à *Galilæo* nunc æſtimatiſſimus, oculato teſte narratum fuiſſe, cum Sereniſſimi *Ducis Parmenſis* Beſtiarius Leoni maximo Diaria præberet, & manibus ioculari ipſum palpo demulceret, auſum etiam fuiſſe caput ſuum Leonis rictui inſerere, quod ludibundus Leo leniter dentibus arrodebat, nec vllam ipſi noxam inferrebat. Dux, vbi hoc ipſum ſtupens pauenſque conſpexiſſet, globo plumbeo Leonem quam celerrimè traijci & interfici iuſſit. Ne iteratis vicibus tentaturæ idem beſtiæ, non iocandi, ſed laniandi ſubiret dira libido. Et Bellonius quidem certò ſibi perſuadet, vt dixi, ſi cum veterum deſcriptione, quam *Hyænæ* aſſignant, *Ciuettã* (vt ipſe hanc beſtiam Zibethicam nominat) conferatur, prorſus vnum idemque animal eſſe.

Franciſcus Stellutus Lynceus Vir ob animi candorem & Matheſin æſtimatiſſimus.

Et quandoquidem hic Veterum authoritatem implorat, Ariſtotelem ipſi maximè ſuffragari cenſere quis poterit. Hic enim de Hiſt. Anim. lib. 6. cap. 32. de Hyæna agens, Lupi colorem ipſi tribuit, qui etiam in noſtro eſt animali Zibethico. Secundo præter genitalia & excrementorum meatum, alium adhuc aſſignat loculum Ariſtoteles non peruium, qualis quidem omnino in *Ciuetta* conſpicitur, ex quo odoramentum Zibeth dictum, colligitur & extrahitur. Et hunc meatum ait Ariſtoteles, tam in maſculis quam fæminis reperiri, & hic in Zibethica beſtia eodem prorſus modo ſe habet. Atqui hæc non ſicco ſunt pede tranſeunda. Ariſtotelis enim teſtimonio Hyæna habet iubam per totum dorſum, quæ Algaliæ noſtræ deeſt. Vnde locum hunc paulò ſupra Ariſtotelis laudatum Scaliger declarans. *Iubam habet Hyæna quemadmodum Equus*, ait, *ſed ſeta duriore. Iubam autem in fronte tantum habet Hircus, in fronte & collo Equus, in collo & armis Leo, in toto dorſo Hyæna*. Quæ ex 8. de Hiſt. Animal. cap. 5. didicerat.

Bellonius confutatur Hyænam putans eſſe Zibethicã beſtiam.

Ad Ariſtotelis dicta contraria opinioni Bellonij.

Primò.

Eſt & aliud huic aduerſum opinioni, non parui momenti argumentum. Cum enim Antiquis perſuaſum fuiſſet, promiſcuum eſſe in eodem animali ſexum, ob tria nempe illa iam dicta foramina: Vnde Ouidius quoque 15. Metamorph. inquit - - - - - *& quæ ſit fœmina tergo*

Paſſa marem, nunc eſſe marem miretur Hyænam.

Secundò.

Ariſtoteles eos confutat, & vtrumque ſeparatim ſexum dari in Hyæna, vereq; fœminas ac mares eſſe, aſſerit. Deceptionis hanc cauſam aſsignans, quod ex tribus illis foraminibus vnũ perpetuo imperuiũ ſit, nec intra corpus, (quod in pudendis fieri tamen ſolet) penetret. Et quidem imperuium meatum, tam in mare quã in fœmina ſub cauda ſtatim collocat, ſub hoc excrementorũ exitũ, ſub quo genitale. Quæ Iul. Cæſ. Scalig. Cõment. ſuo in hunc locũ, optimè vidit & egregiè

Cur putetur Hyæna mas & fœmina eſſe.

explicauit, à ſitu argumentum capiens, meatum ſeu rimam illam imperuiam non poſſe eſſe pudendum, ſiue matricem, eſſet enim ſupra podicem collocata, id, quod animalium nulli contingit: Hæc ipſiuſmet verba ibi leguntur: *Eſt igitur inutilis meatus ille fœminæ naturæ facie, tum quia eſt imperuius: tum à ſitu. Quomodo enim matrix ſupra rectum inteſtinum ſub dorſo eſſet, ſi meatus excrementorum inter illam rimam & veretrum eſt?* Ingenuè ſatis hæc, verùm quæ minimè concordant cùm ijs pauculis, quæ de Hyæna aduerſus Cardanum ſcribit Excercitatione 217. particula ſeptima. *Negat*, inquit, *Ariſtoteles in maſculo* (Hyæna) *eam rimam, quæ ſub excrementorum exitu eſt, peruiam introrſum eße*. Dicere debuiſſet, *quæ ſupra excrementorum exitum eſt*, ſi Ariſtotelis mentem declarare, nec ſibiipſi contradicere voluiſſet. Sed labi humanum eſt, quod mihi, ſi aliquoties vſuuenerit in hoc ſcripto, vt culpam libens fatebor, ita non illibenter caſtigationem recipiam, vt poſteri meo errore etiam melius ſapere, & aliquid diſcere valeant.

Scaliger modò dextrè explicat Ariſtotelem de Hyæna.

Modò ſiniſtrè.

Atque his ita poſitis conceſſiſque, Zibethicum animal ab Hyæna differre planè colligimus, in Zibethica enim beſtia inuerſo quodammodò ordine rima hæc imperuia ſitum ſuum obtinet. In fœmina namque ſub cauda immediatè excrementorum exitus, ſub hoc rima, ſeu loculus Zibethi, & demum vulua conſpicitur. In mare verò eundem primum ſub cauda locum podex, poſt hunc rima & demum veretrum ſiue maſculinum genitale ſitum habet. Cum in Hyæna vtroque in ſexu, rima illa pudendum fœmineum mentiens imperuia illa ſtatim ſub cauda collocetur. Taceo nunc alia quæ ab *Ariſtotele, Plinio, Iulio, Solino, Alberto Magno* alijſque Scriptoribus de *Hyænæ* corporis conſtitutione moribuſque afferuntur, quæ cum *Algalia* noſtra commune nihil habent, quin potius aliqua monſtro ſimiliora & fabulis proximiora videntur. Quòd nempe ſpina ipſi dorſi adeò rigeat, vt collum continua vnitate flecti nequeat, niſi corpore toto circumacto, quod falsò etiam Leoni & Lupo Ariſtoteles attribuerat. Quòd voces item, ſingultus ac vomitus mentiatur humanos, vt tam homines quàm Canes fallat voretque. Quòd varietatem in oculis colorum omnimodam oſtendat, in quorum pupillis lapidem gerat *Hyœnium* dictum illa poteſtate præditum (ſi credere fas eſt) vt, cuius hominis linguæ ſubditus fuerit, prædicet futura. Quòd animal ter ab hac luſtratum amplius ſe mouere non poſſit. Quòd in Aethiopia cum Leæna coiens monſtrum generet aliud *Crocuta* dictum, cui adhuc magis monſtroſas affectiones affingunt. Quæ ſi vera eſſent, hactenus nobis innotuiſſent, cum Itali iam, Hiſpani, Germani, Galli, Luſitani, Angli, Belgæ, Poloni vniuerſum orbem, quà maritimis, quà terreſtribus itineribus paragrarint, & plurima alijs ἀδύνατα putata publicarint.

Quomodo Hyæna à Zibetho animali differat.

Aliqua de Hyæna à veteribus allata fabulas ſapiũt.

Sed hìc ad ſecretiora Naturæ myſteria penetrandi lata patenſque ſe via aperit. An inter animalia etiam Hermaphrodita reperiantur? habent enim neſcio quid reconditi ſenſus, hæc quæ ex Ariſtotelis lib. 3. cap. 6. de Generatione animalium verba ſubnecto: *Quin etiam de Trocho & Hyæna ſultè, magnoque errore narratur, Hyænam enim complures aiunt, Trochum Herodotus Heracleota ſcribit duplex genitale habere, maris ac fœminę, & Trochum ſeipſum inire,*

An inter animalia ſint Hermaphrodita?

Hyænam

Hyænam inire & iniri annis alternis: ſed viſa eſt Hyæna mas & altera fœmina ſui diſcrimine genitalis.

Quid Ariſtoteles per *Trochum* ſuum, quem nec deſcribit exactius, nec alio in loco eius meminit, intelligat, equidem cum ignorantibus pleriſque ignoro. Sunt qui ipſum Melem animal putent, quod Plinius lib. 8. cap. 38. illa ſolertia præditũ ſcripſit, *vt in metu agitatum, ſufflatæ cutis diſtentu ictus hominum & Canum morſus arceat*, quod nos hodie *Taſſum*, vel *Taxum* appellamus. Et *Melem* aliqui dictum volunt à melle, cui auide inhiat. Hoc enim nonnulli vtroque ſexu pollere crediderant, & Zibethum ſiue Algaliam dicebat Cardanus *Meli* ſeu *Taxo*, quod ad caput præcipuè, ſimilem eſſe. Sed hæ meræ coniecturæ ſunt; forſan enim Ariſtoteli nec *Meles* cognitus fuit, de Zibetho certè parum ſciuiſſe videtur, cum odorati liquoris circa pudenda colligendi nullam mentionem fecerit. Plinius lib. 8. cap. 30. *Hyænis inquit, vtramque eſſe naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri, parere ſine mare vulgus credit, Ariſtoteles negat*. Hic ego Ariſtotelem oſcitanter à Plinio lectum animaduerto, neque enim vnquam negauit Ariſtoteles Hyænas ſine mare parere, qui nec quemquam mortalium hoc docuiſſe voluit, nec vulgò hoc creditum fuiſſe. Hac enim ratione ſeipſam Hyæna inire debebat, niſi à vento (quod in alijs beſtijs fieri poſſe aliqui ſomniarunt) forſan concepiſſet. De *Trocho*, & non de *Hyæna* hoc ex mente Herodoti Heracleotæ ſcripſerat. Hoc ſolum negauit, alternis annis tanquam marem fœminas inire, & alternis à maribus ceu fœminam ſuperueniri, hoc eſt non eſſe Hermaphroditas, non habere nempe vtrumque ſexum; cum fœminæ æquè atque mares rimam quandam præter conſueta genitalia loca habeant, quæ ad conceptum ac initum nihil faciat, cum intra corpus non penetret.

Ignoratur quid Trochus ſit apud Ariſtotelem.

Aliqui putant Taxũ ſeu Melem eſſe.

Et hoc animal quidã Hermaphroditum credunt.

Plinius Ariſtotelem oſcitanter legit.

Ariſtoteles explicatur.

Hermaphroditos tamen in rerum natura exiſtere, viuæ reclamare, vt exiſtimo, experientiæ propterea non voluit. Siquidem lib. 4. cap. 4. de Generat. Anim. Vtriuſque ſexus genitalia membra in animalibus eſſe poſſe, his verbis admiſit: *Quibus autem gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ; ijs ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum ſubindè deliteſcat, quoniam præter naturam eſt. Agnatum eſt enim modo abſceſſus, nam & abſceſſus aſſumunt aliquid nutrimenti, quamuis poſt geniti ſint, & præter naturam.*

Ariſtoteles concedit Hermaphroditos.

Plinius ſimiliter lib. 11. cap. 49. Hermaphroditos conceſſit etiam in quadrupedum genere. *Hermaphroditos* ait, *quadrupedum generi accidiſſe primùm. Neronis principatu arbitror. Oſtentabat certè Hermaphroditas ſubiunctas carpento ſuo equas, in Treuerico Galliæ agro repertas, ceu planè viſenda res eſſet, Principem terrarum inſidere portentis.*

Plinius etiam conceſſit.

Ego quid in hoc portentorum genere, vt Plinianis dicam verbis, mihi vel viſum vel auditum, ingenuè fatebor. Eodem, quo ex patria mea cariſſima, nimirum *Bamberga* Romam proficiſcerer, hoc eſt Milleſimo quingenteſimo & nonageſimo octauo à Chriſti Natalibus anno, puerum ibi pauperculum quinquennem vidi, cui inter pudendi muliebris labra veretrum grandiuſculum propendebat, ex quo vrinam quoque profundebat, vt maſculus veſtiebatur, *Iacobi* nomen in ſacro Baptiſmate nactus.

Bambergæ Hermaphroditus viſus ab Authore.

Romę puella à natiuitate credita, in puerum transit.

Ante annos triginta Sedente feliciſſ. recordationis *Clemente Papa Octauo*, *Romana* puella mirabili Metamorphoſi in maſculum transformata fuit. Eſt autem hæc fideliſſima rei tranſactæ hiſtoria, quam ab ore *Antonij Belmiſerij* peritiſſimi Pharmacopoei, ad Beatæ Virginis Lauretanæ Aedem *Romæ* habitantis, excepi, qui eodem ipſo tempore, quo hæc fierent, in ædibus dictæ puellæ Hermaphroditicæ habitabat.

Hiſtoria dictæ Metamorphoſeos.

Poſſidebat hæc puella vtriuſque ſexus genitalia, veruntamen, cum mentula vix appareret, & teſtium rudimenta ſaltem aliqua adeſſent, ipſaque ex pudendo muliebri, quod ſub maſculino collocabatur, vrinam excerneret, ad ætatis ſuæ annum decimumtertium fæmina credita, acu pingere, nere ac flere muliebres edocta artes, fœmineo quoque habitu veſtita inceſſit, donec repente vrina per biduum ipſi ſuppreſſa dolores cieret ingentes; de quibus apud matrem conqueſta. Hæc locum muliebrem indagans, quidpiam cartilagineum intus enatum reperit, quod profundendæ ex ſolito foramine vrinæ remoram fecit. Hoc vbi Chirurgo perito indicaſſet, & hic ſimul virile membrum longiuſculum ſolito factum aduertiſſet, fomentis emollientibus adhibitis, illudque digitis ſæpiuſcule & leniter tractaſſet, effecit, vt maxima vrinæ copia per ipſum penem ſtupentibus omnibus profluëret. Quare ſuperiorum iuſſu & imperio, primarij VRBIS Medici & Chirurgi vocati, rem vbi probè totam exploratam habuerunt, poſthac veſtitu virili indui adoleſcentem iudicarunt. Hunc ego à viginti quinque annis noui, nam poſtremis his duobus annis, vt vir Cl. *Ludouicus Ceſcharinus*, qui ipſi medicinam facit; nuperrimè adhuc mihi retulit, domi ſe continet, cum in eam craſſitiem ac pinguedinẽ illi corporis moles excreuerit, vt vix ſe amplius mouere poſſit. Fuit autem fœminei ſemper habitus & complexionis pituitoſæ, imberbis, quamuis altæ ſatis ſtaturæ. Cælibem hactenus vitam duxit, neutro enim in ſexu quicquam valet. Apparent tamen adhuc pudendi etiam muliebris veſtigia labra vuluæ nimirũ, & maſcula vaſa productiora. Artem Pharmaceuticen à Patre didicit, & nomine eodem, quod in ſacro ipſi fonte donatum fuerat, adhuc gaudet ANNÆ nimirum. Atque hæc non prætereunda hoc loco, & in hac ipſa qua viuimus Romana vrbe, Hiſtoria mihi viſa fuit.

Dixerat Ariſtoteles *quibus gemina ſunt pudenda, vnum ratum, alterum irritum eſſe*. At hic noſter in neutro quicquam poteſt: An hunc non verè Hermaphroditum dicemus; ſed talem, cuius prædicto capite circa finem Ariſtoteles meminit his verbis? *Pueris etiam quibuſdam genitalis poſtremum, & meatus qua excrementum veſicæ tranſit, non eodem tetenderunt, ſed infra meatus ille tranſegit, quam ob rem demiſſis clunibus mingunt, qui teſtibus paulò in partem ſuperiorem retractis, videntur à longè ſimul & maris habere genitale & fœminæ*. Verùm vtrumque hic ſexum rectè habuit, cum per vtriuſque pudenda vrinam emiſerit. Aſt neque hoc verum Ariſtotelis decretum, Hermaphroditos vnum genitale ſaltem ratum, alterum verò irritum habere. Certorum enim mihi fide teſtimoniorum conſtat, fuiſſe egregia ſtaturà & venuſta facie iuuenem, qui modò gladium cingebat, modò colum tractabat & agere patique poſſet. Niſi Ariſtoteles intelligat, qui fœcundum virile profundit ſemen, concipere non poſſe aut vice verſa, quæ grauida ſit,

Ariſtotelis locus de quibuſdã, qui Hermaphroditi creduntur.

An verum ſit in alterutro tantùm Hermaphroditos ſexu pollere.

gene-

generare in alia fœmina nequeat. Quod an verum ſit, ignoro equidem.

Si tamen meis aliquam oculis fidem dare cogor, adducor ferè vt contrarium Ariſtotelis dictis credam. Exenterauit Theoph: Molitor domi meæ ante annos quatuordecim murem domeſticum maiorem illum quem *Rattum* appellare ſolemus, viuus autem hic captus fuerat, ne oſsa cõminuta ſceleti confectioni obeſſent. Et ecce rem miram! Hermaphroditus erat, & prægnans nouem muſculos in vtero concluſos gerens, non maiores, quam magna aliqua formica eſſet, viuos omnes, & in quibus cor manifeſtiſſimè pulſare videbamus. Erant huic omnia fœminam conſtituentia genitalia, & ſemen præparantia, conficientia, teſtes nempe, ac deferentia vaſcula cum ſua matrice. Altera ex parte aderant ſimiliter dicta omnia vaſa ſemen facientia & iaculãtia maſculina, cum ipſo veretro, teſtibus quoque ac veſiculis ſemine denſo & optimè cõcocto onuſtis. Vidit & obſeruauit mecum hęc omnia iam ſæpè laudatus *Princeps Cæſius* noſter, qui & Iconem ſtatim à pictore confici, ego ſceletum parari, iuſſimus, vtrunque adhuc domi meæ curioſorum voluptati aſſeruo, & ſingulis oſtendo. Cum itaque Natura nihil moliri fruſtra perhibeatur, quin *Mus* hic in vtroque pudendo ſexuque potens fuerit, facere non poſſum, quin aſſenſum præbeam.

Mus domeſticus maior verus Hermaphroditus ab Authore viſus & adſeruatus.

Iucunda & mira viſu in hoc mure obſeruata.

Vnico hìc & luculento, pace Lectoris mei curioſi, Naturæ miraculo & argumento probabo, quam facilè nos in diiudicandis Hermaphroditis ſubinde falli poſſimus, ſi externa ſaltem membra intueamur, nec diligenti poſt mortem animalium ſectione interna rimemur. Reperio in *Iuuenilibus* meis, hoc eſt quinquennalibus Medicis illis Obſeruationibus, quas in *Noſocomio S. Spiritus* olim collegi, ante hos viginti tres annos inter proiectitios illos infantes (quos veluti magnis locus hic ſumptibus educat, ita amore materno prorſus ſuſcipit) ſuſceptum & pro Hermaphrodito iudicatum puellum, vt Sacerdos de imponendo in baptiſmate, nomine etiam dubitaret, inclinauit tamen animus *Ioannem* appellare. Hic infans itaque in inguinum regione tres ſanguine ſuffuſos tumores oſtendebat, quorum medius erat productior & ſimilitudinem aliquam cum pudendis virilibus, quæ in Cynocephalo Simia illa maiore viſuntur, gerebat. Sub hoc vuluæ putatæ labra, ſed imperuio foramine concluſa latebant: Vnde an mas, an fęmina, an Hermaphroditus potius eſſet, exactius cognoſci nõ potuit. Plurima alia monſtroſa in hoc cernebantur corpuſculo, quæ alio loco, ſi quando DEVS otium, vires & ſuppetias dabit, vt poſt tot alios de *prima Hominis vita* aliquid mediter & Medicinæ ſaltem ſtudioſis promam, exactiſſimè deſcribam. Decimoquinto hic à natali ſuo die obijt: cum enim veſica careret, & anum clauſum haberet, atque ideo vtrumque excrementum ex vno illorum in inguine tumorum tertio die reſerato effunderet, viuere diutius non potuit. Hic Anatome à D. Angelo Colio Senenſi & à me ſubiectus, in ſtuporem ferme nos ambos egit. Reperimus enim tumores ſupra nominatos ſanguine ſuffuſos ex inteſtino Colo eo loci prolapſo erupiſſe, computruiſſe, fæces indè profluxiſſe. Ad eundem locum vnus vreter deſinebat, ſiquidem Veſica vt dictum, carebat, qui ſerum ſuum ibidem deponebat. Et cum genitalia membra & ſpermatica ſiue ſeminalia vaſa indagaremus, maſculina prorſus nulla reperire potuimus. Sed ecce mirabile dictu, duos intra ventrem concluſos offendimus

Docetur quã facile in diiudicandis Hermaphroditis fallamur.

Monſtroſus infans pro Hermaphrodito habitus.

Quid in huius cadauere repertũ.

Nec mas nec fęmina nec Androgynos, ſed duplex fuit fœmina.

vteros,

vteros, cum annexis vtrobique teſticulis, ſed vnico tantum teſticulo vnico ſuo vtero adhærente ac vaſis deferentibus ſemen, vti & præparantibus. Harum vna matrix intus penitus abſcondebatur, nec ceruicem ad externa porrigebat: altera in dextro nempe latere exterius collum ſuum producebat & vuluam dictam, (quæ viſa quidem, ſed haud penetrans iudicata) conſtituebat. Erat enim foramen, ſeu ductus ille adeò anguſtus, vt vix aciculæ caput admitteret. Et ſic, qui infans nec mas, nec fæmina, nec Hermaphroditus cognoſci verè poterat, duplex fæmina fuiſſe inueniebatur. Atque hæc eius gratia libentius adducere volui, cum legiſſem apud Clementem Alexandrinum eruditione varia & morum ſanctitate conſpicuum Scriptorem, Pædagogiæ ſuæ lib. 2. cap. 10. Hyænam nunquam mutare naturam, idem enim animal non habere ſimul ambo pudenda maſculi & fœminæ, quod nonnullos exiſtimaſſe ait, Hermaphroditos prodigioſè narrantes, & hanc ex mare ac fæmina naturam innouantes. Et quod ad Hyænam attinet, hanc habere ſub cauda quid ſimile quidem pudendo fœmineo, verum neutiquam in matricem deſinens, quoniam Hyæna nimirum, animal ſit ſalaciſſimum, & in hoc foramine tam fœmina poſt conceptum, quando auerſi ſunt meatus à Natura ad concipiendum deſtinati, quàm maſculus etiam, qui ſimiliter agat & patiatur, ſuam expleant libidinem. Vult igitur, vt concludam demum, Clem. Alexandrinus Hermaphroditos nondari aut produci à matre Natura, quod manifeſtæ tamen, quam modò produximus, experientiæ repugnat. Sed mittamus tandem Hyænam peregrinum ſcilicet animal, forſan hoc nobis tempore ignotum; vtcunque non deſint, qui Lupum putent eſſe Africanum, quòd hic villoſus ſit maximè, & veſpere, ſiue nocturno tempore ambulet (quod quidem Hyænę proprium eſſe ſcribunt) cum interdiu lateat ac Leonem tunc non minus, quàm ouis ipſum Lupum timeat. Et nunc ad Zibethicum noſtrum animal regrediamur.

Clemens Alexandrinus negabat dari Hermaphroditos.

Poſtquam igitur tam *Pantheram* quàm *Hyænam* Zibethicum animal eſſe negauimus: videndum porrò, à quibus tandem ſcriptoribus primò id nobis innotuerit. Sed antequam hoc agam, facere non poſſum, quin de Hyæna exploratiora & iucunda quædam ex *Augerij Busbequij* Epiſtola prima, quam de Legatione ſua Turcica ſcripſit, hìc afferam.

Busbequius de Hyęnis certiora quædã habet.

Hic igitur, cùm *Amaſiam* proficiſceretur, & *Ancyram* Galatię, Turcis *Angur* dictam, peruenisſet, ſcribit ibi locorum plura Turcarum ſepulchra ingentibus onerata ſaxis ſe offendiſſe, idque fieri duplici de cauſa. Prima vt ſi accuſante Dæmone & defendente bono Genio vitæ anteactæ rationem redditurus ſit mortuus, in eo ſepulchro commodiorem ſedendi & cauſæ ſuæ dicendæ locum inueniat: huic enim ridiculo, miſeri illi Turcæ figmento credunt. Secunda, vt à beſtiarum iniurijs, *Hyænarum* præcipuè furtis, quæ mortuis corporibus inhiant, cadaueribus ſuis proſpiciant. Ait enim *Busbequius* in ijs regionibus *Hyænas* frequentiſsimè ſepulchra ſuffodere, ad ſuas oſſa ſpeluncas congregare, tam humanorum, quam ferinorum cadauerum. Et ob id Hyænas facilè inueniri ex oſsium cumulo, ante harum ſpeluncas conſpecto.

Hyænæ ſepulchra ſuffodiunt.

Deſcriptio Hyænæ ex Busbequio Teſte oculato.

Deſcribit autem *Hyænam* (id quod à paucis oculatis teſtibus factum memini) Lupo aliquantò humiliorem, ſed nihilò breuiorem eſſe. Pellem habere

Lupi

Lupi ſimilem, niſi quòd pilo ſit horridiore, & grandiore, maculis quoque nigris diſtinguatur. Et (quod maximè hic notandum cenſeo) caput Hyænæ dorſi ſpinæ contiguum ſine vllis vertebris eſſe, vt cùm reſpicere velit, totam ſe vertere neceſſe habeat. Ex quo diſcere libet veriſſimum eſſe, quod iam bis terue ſuperius monui, fieri non poſſe, vt quod animal collum habet, non itidem in eo vertebras ſit nactum, quod de *Lupo* & *Leone* & *Hyæna* à veteribus fuit falsò proditum ijſdem illa carere. Ait enim *Busbequius* collum huic animali minimè eſſe, & caput dorſi vertebris immediatè adhæreſcere. Pro dentibus etiam os continuum habere, creditum eſſe. Quæ quidem omnia ſæpè ex aliorum relatione ſcribuntur, cùm in ipſa Anatome longè quid diuerſum ſubinde deprehendatur. Fidem tamen viro Nobili doctiſſimoque derogare minimè voluerim, cùm duas ipſe Hyænas Conſtantinopoli viderit. *In amatorijs*, inquit, *ei vim magnam Turcæ, vt etiam veteres, tribuunt: cumque eſſent duæ eo tempore conſtantinopoli, mihi tamen vendere grauabantur, quod ſe Sultanæ, hoc eſt Principis vxori, eas reſeruare dicerent, quippe quas philtris & magicis artibus animum mariti retinere, recepta in vulgus, vt dixi, opinio eſt. Fallitur verò Bellonius qui Hyænam putat, quem Cattum ſiue Felem Zibethum vocant.* Hæc Busbequius. Ex recentioribus etiam Ioannes Leo in Africæ ſuæ Nona deſcriptione, hoc ait ab Arabibus *Dabbú*, ab Africanis vero *Iele* appellari, eſſe forma Lupi, habere pedes humanis ſimiles, humanis maximè cadaueribus delectari, quæ ex ſepulturis auferat. Animal eſſe minimè aſtutum, & cum cantu ac Tympani ſono maximè recreetur, fieri, vt interea venatores adeò ad Muſicam attento, ſune pedes ambos innodent, atque ita è ſpeluncis ſuis extrahant, occidantque.

De vertebris colli in Hyæna quid tenendum.

Turcę Hyęna ad amatoria philtra fruſtra vtuntur.

Ioannes Leo Africanus huius quoque recordatur.

Redeamus igitur eò, vndè digreſſi ſumus, & dicamus *Ioannem Ruellium* de materia medica, plantis præcipuè, plurimùm meritum, Lib. 1. de Naturaſtirpium cap. 27. Cum de Moſco locutus fuiſſet, de Zibetho hæc ſubiungere: *Simile quippiam eruitur è genitalibus locis feræ animantis, quod Zibettum recentiores Græci nominant, peregrino ſermone. Ea autem Feli, quæ veteribus ædificiorum ruinis oberrat, non abſimilis; è cuius natura ſordes manat odoratiſſima, quæ ſolet præcipuè purgari, cum pars ea hac ſcateat vligine, tum vaſe vitreo, vel alio recipitur. Græci hoc animalis genus, ex quo odoratum id recrementum elicitur, Zapetion appellant.* Hæc ex *Ruellio* in ſuos dein commentarios ijſdem ferè verbis *Matthiolus* tranſtulit, niſi quòd Catos hos ex *Syria* allatos ſæpè Venetijs viderit. Ruellius quoque addere debuiſſet, qui eſſent illi recentiores Græci, qui primi Zibethicæ huius beſtiæ meminerint, apud quos nihil tale inuenio.

Ioannes Ruellius de re plantaria plurimum meritus.

Sed longè ante Ruellium, circa annum nempe Chriſti 1478. *Alexander Benedictus* egregium ſuo æuo Medicorum decus, Lib. de *curandis ſingillatim morbis* hæc de Zibetho reliquit? Eſſe animal nempe haud veteribus cognitum, in Felium genere haberi, lingua tamen haudquaquam aſpera, id quod mihi illud ex Felium genere eximit, pilo duro eſſe, atque odorato: barbam habere atque oculos noctu lucentes. Sunt autem & hæc eius concepta verba: *Odoramentum ex eo colligitur, fœminæ intra genitale & aluum, mari intra genitale membrum & teſtes, auriculario veluti inſtrumento oſſeo. Eſt autem excrementitius quidam lentor, primò butyri colore, qui mox liuidus redditur, ſingulis diebus drachmæ pondere.*

Alexander Benedictus inſignis ſuo tempore Medicus.

Hic Zibethicum animal deſcribit.

Carnibus

Carnibus duntaxat vescitur crudis, in siluis mures sectatur. Vix mansuescit Mas. Feri odoris atque ingrati est ipse liquor, & eò plus præsertim, cum propius iusto naribus subijcitur.

Quid Cardanus & Scaliger sentiant.

Nec Cardanus hìc nobis, & strenuus eiusdem Antagonista Scaliger indicti abibunt: Et Cardanus quidem lib. 10. Subtilitat. ait: Zibethicum animal ab Hispania mitti, dentibus armatum ac ferum esse, nunquam mitescere, pilo simili vt in Taxo animali. In huius tam masculi quàm fœmellæ genitalibus folliculum genitum esse, ex quo semen argenteo cochleari excipiatur, adeò odoris fragrantis, vt vel grana tria pondus librarum plurium cuiusque arboris vincant. Scaliger verò Exercit. 211. Liquorem hunc odoratum Smigma facie, minimè semen, sed strigmentum esse, nec ex loculis genitalibus exactum docet. Nec verum, quod nunquam mitescat, & quòd patriam habeat Hispaniam, cum India potiùs sit; sed nescio an Cardanus voluerit hoc in Hispania nasci, cum dicat Hispaniam illud nobis transmittere (siue Lusitaniam) quod verum est.

Cardani verba de Zibetho.

Scaligeri opinio.

Verum propius hìc accedendum, & non tam ipsum animal, sed pars illa corporis certa, ex quâ tam fragrantis excrementum odoris elicitur, indaganda. *Matthiolus, Gignitur*, inquit, *in exteriore testiculorum vtriculo cuiusdam animalis Feli, qui veteribus ædificiorum ruinis oberrat, non absimilis. Est autem Zibettum tanquam sudor inter huiusce animalis testiculos concrescens, calidæ humidæque facultatis.* Quæ si vera sunt, ex solo masculo hic liquor odoratus colligetur, soli enim mares testiculos extra pendulos, fœminæ intra reconditos habent, tam in brutis omnibus, quæ mihi videre contigit; quàm in humana specie. Colligitur enim Zibethum in parte exteriore &, ex Matthioli scripto, in Vtriculis testiculorum. Veruntamen in fœminis æquè atque maribus succum illum reperiri, non est vt quis dubitet. An igitur ex genitalibus loculis eruitur, vt Cardanus habet, & est semen potius, quàm quidquam aliud? Atqui hoc Scaliger improbat.

Ex qua determinata corporis parte Zibeth eximatur.

Matthioli opinio.

Quæ refutatur.

Cardani opinio.

Hanc litem (vt spero) facilè *D. Fabius Columna Lynceus* sedulus maximè rerum naturalium perscrutator diremerit, qui non modò in Iuris scientia plurimùm pollet, sed in Matheſi, Optica præcipuè, ac Plantarum Animaliumque cognitione, Neapoli nunc ab omnibus, ceu oraculum consulitur. Hic, vbi me operam quandam Mexicanorum explicationi Animalium dare resciuit; vltrò, vt Instituti nostri Lyncei fert consuetudo, iuuandi me occasionem arripuit, & quæ in Zibethico animali ipse oculis vsurpauerat, ea omnia hoc verborum tenore ad me perscripsit.

Fabius Columna litem hanc dirimit.

Quamprimùm Vir clarissime, & communium studiorum Collega, ab Illustrissimo & Excellentissimo nostro Principe *Cæsio* certior fui factus, te operi huic egregio insudare, & symbolam quoque tuam Mexicano isti libro conferre, gauisus non parum fui, opellà mea licet exiguà, tam commoda oblata occasione, te iuuari posse. Et cùm in Zibethico iam commentando te animali occupatum intellexissem, accessi statim hìc Neapoli *D. Bernardinum de Corduba*, virum, vt antiqua Nobilitate clarum, ita Musis amœnioribus, & Naturalium studijs rerum addictissimum, qui ob id plurimas tam bestias exoticas, quàm res Indicas alias adseruat. Hic licet lecto affixus, ac Podagræ molestijs distentus hæreret, ea tamen, (quæ viri est erga omnes benignitas)

Fabij Columnæ epistola de Zibetho ad Authorem.

gnitas animi)alacritate & promptitudine ſubitò famulis iuſſit,vt tam maſculum quàm fœmellam Zibethicam,viua animalia afferrent, & me inſpiciente illum odoriferum lentorem detergerent, vt ego nimirum rem totam oculis aſpicerem & ipſam ad te veritatem perſcriberem.

Primò itaque allatus fuit maſculus: qui,quãprimùm in cubiculo, in quo eramus,varios caniculos,Cercopithecum,prægrãdem & ruberrimũ pſittacũ,aliaq. animalia conſpexit,fremere quàm maximè,& ſetas pelli dorſi ſpinę infixas eleuare cæpit,quæ minimè erectæ quidẽ apparent,præterquã in cauda,niſi animal iracundià percitum illas commoueat ſuſtollatque, quæ caudã verſus magis magiſque vbertate ac lõgitudine creſcũt;& in quiete etiã manifeſtè apparent elatę. Maſculi Zibethici deſcriptio.

Affirmabat mihi diuerſorum hęc animalia morũ exiſtere,quod aliqua nempe cicurarentur,alia minimè; hæc videlicet,quæ non iuuencula, ſed grandiore iam ætate caperentur domiq.cuſtodirentur.Et fœmina quidem, quam humeris impoſitã ac mãſuetiſſimã famulus inferebat,iunior omnino ipſi donata fuerat. Mãſueſcũt vbi iuniores capiũtur.

Color varius eſt,plerunq. tamen cinereus ſubnigricantibus diſtinctus virgis, quamuis in fœmina albidior erat ad flauum tendens, & pluribus maioribus nigriuſculis Cati Pardi maculis notatus. Effigies ad Canum quàm Felium,aut potius Vulpium figuram accedit;quod roſtrum non harum ritu obtuſum,ſed illorum formà oblongum habeat. Aures ipſi ſunt paruæ ac rotundiuſculæ, pilus qualis in *Mele* ſiue *Taxo*, ſed nec mollis,nec aſper admodum. Corpus porcinum ferme apparet,& à dorſo ad imum ventrem palmaris diameter eſt; pedes potius parui quàm magni,breues quàm alti,& à Cane altitudine ſuperantur. Corporis proportio totius quaſi Muſtelæ,quæ Martes dicitur,reſpondet.Et cum cruribus valde ſit breuibus,nec vnguibus multum valeat,argumentari licet nec velocem admodum,nec rapacem multum beſtiam eſſe,quamuis morſu facilè irruat. Color animalis. Figura. Pilus. Pedes.

Cùm odoriferum liquorem illum ex maſculo detrahere pararent,ex famulis vnus lorum ſeu catenulam,qua ligabatur, trahebat.Poſteriores alius pedes tenebat.Tertius teſticulos ſiue vtriculos potius reuoluebat, qui medij inter anũ ac pudendum prominent,tã in mare quàm in fœmina.In mare tamen duplò grandiores apparent.Hi vtriculi interna ſui parte,vbi pili curti hærent,capacem ſatis cauitatem obtinent,in quam ingreſſus patet exiguus & cartilagineus. In hac cauitate ſcaturiginem ſuã liquor ille Zibethicus,cõſiſtentię prorſus melleæ,ſumit. Hic extrahitur immiſſo auriſcalpij maioris ſimili inſtrumẽto,quod per cauitatẽ quaquauerſum ſæpiuſcule reuoluitur. Hoc vbi in vno atque altero folliculo ſeu vtriculo(duo enim in quolibet animali Zibethico proſtant)præſtitiſſet,& liquorem illum extraxiſſet,goſſipio vtriuſq.pilos abſtergebat.Ac vbi ſexies forſan cochleari illo paruo vtrumq.vtriculum emundaſſet, tantum fermè Zibethi collegit,quantum auellanæ nucis cortici implendo ſatis eſſet. Addebat idem D.de *Corduba*,æſtate liquidiorem,quàm hieme ſuccum colligi, ita vt in caloribus illis,ſingulis binis diebus ſemiuncia corraderetur: hiberno verò tempore vix ſemel in ſeptimana ſuccum illum, nec tantam eius quantitatem acquiri. Ex fœmina poſtea minus Zibethi educebat,quæ nullatenus repugnabat, cicur ſcilicet facta,cùm mas tamẽ dẽtibus ſe defendere pararet,fremenſq.voce obtuſa aliquoties morſum in famulum vel in aera iaciens,*Chrach* ſonitum exprimebat eo modo, quo Modus colligendi Zibethum. Vtriculorũ in quibus hic ſuccus latet delineatio. Æſtate plus quam hieme colligitur. Minus liquoris ex fœmina educitur.

do,quo homo viſcoſam pituitam exſcreatu difficili è gutture & vi expellere ſolet. Dentes horum animalium ad Canum omnino dentes formà accedũt,& propriè illi Canini dicti duo,tam ſupra quàm infra ſatis manifeſtè exſeruntur. Carnibus, pulmentis, varijsq. horarijs fructibus veſcuntur. Et hæc ambo quidẽ ſua ſimiliter diaria, vt ipſi famuli Domus, carnes nimirũ & obſoniã, accipiebãt. In Hiſpania piſcibus veſci illa aſſerebant: inde maiorẽ ſucci prouentũ fieri. Hæc autem,quippe illi haud aſſueta cibo,à piſcibus abhorrebant. Matthioli figura, ſiue animalis huius Icõ *in Edit. Valgriſ. An.* 1581. melior eſt,quàm Geſneriana. In hoc tamẽ erratũ eſt, quod pedes nimis explicati pingũtur & roſtrũ nimis acutũ. Fœmina corpus caputq. craſſiora habet quam mas: tempora quoque latiora obtinet.

Dẽtes potius Canini quam Felini.

Victus.

Fœmina caput craſſius habet.

Sub dictis vtriculis, folliculis, ſiue teſticulis (nam alij teſticuli haud apparẽt) maris Genitale ſitũ eſt,qui illud retrò emittit, nec ſuperuenit in coitu fœminam, cùm huic inequitare non valeat,quod veretrum nempe ſuum antrorſum ſub ventre ex porrigere nõ poſſit. Fœmina fiſſuram ſiue vuluã ſuam ſub dictis folliculis collocatam habet, quibus immediatè adhæreſcit, ita vt coëant hæc animalia poſterioribus initis, *Bombicum* more.

Retrò ſiue auerſa coeunt.

Niſi ſuo & ſolito tempore liquor hic euacuetur,cauearum,quibus incluſa detinentur,lignis ſeſe affricant, & illis odoriferum hunc ſuccum illinunt,qui facilè euaneſcere & deperdi ſolet.

Niſi colligatur, perditur hic liquor.

Hæc *D. Fabius Colũna*: cui ob exactã ac fidelẽ planè animalis huius deſcriptionem non parũ etiã poſteritas debebit. Sed nõ omni nos ſcrupulo ideò liberati ſumus. Quid enim illa ſibi verba volunt,cũ ait *ex folliculis illis, vtriculis ſiue teſticulis Zibethũ eximi*? Habebũt ne igitur fęminę quoq. extra prominẽtes Didymos, vt aliquis forte inde cõijceret, quod prius nos audacter negabamus. Ex fæminis enim nõ minus atq. ex maribus odoramentum hoc corraditur. Sic ego aliquantiſper in hoc hæſitaui dubio,& interea (donec à *D. Colũna noſtro* rẽ accuratius per alium Nuntiũ intelligerẽ) F. Gregoriũ adij vtpote qui ſæpe ſæpiùs huiuſmodi animalia viderit & obſeruauerit. Hic igitur mares ſolos foras eductos & cõſpicuos teſtes, intus concluſos fæminas geſtare & ipſemecum ſenſit. Decipi autem omnes affirmabat,qui prominentias illas in fœmina ambas intra vuluã & anum ſitas,teſticulos eſſe ſibi perſuaderẽt. Hos enim tumores,ſolos eſſe illos folliculos & vtriculos a Natura eo loci fabricatos, in quibus Zibethũ paulatim colligitur, & indè euacuatur. Et cùm duo ſint (vt graphicè hos Doctiſs. Columna noſter deſcripſit) imponere facilè poſſent etiã valde gnaris, & Naturæ ſtudiorum non inexpertis, vt teſticulos eſſe ad credẽdum adducerentur. Qua ratione tamen è teſticulis,qui ſunt compacta corpuſcula,nec cauitate vlla prædita,ſtrigmentum ſiue ſudorem illum,vt vocant, quiſquam eliciet? Et quoniã ijdem vtriculi in eadẽ regione, vbi maris teſticuli hærent,poſiti vidẽtur,illoſq. veluti inueſtiunt & cooperiunt,hinc fieri poſſet, vt crederẽt aliqui teſtes eſſe. Ac propterea Colũna ſcripſit, vtriculos ſiue marſupiola hæc, in quibus ſuccus hic latet, in maribus duplo eſſe maiora, quã in fœminis,quod,vt ego cõijcio,præter hæc vaſcula,etiã ipſi adſint teſticuli, qui molem augent. Et hoc eſt, niſi fallor,quod Alexãdri Benedicti ſuperius laudatis verbis diximus, *Odoramentum hoc colligi in fœmina intra genitale & alnum, in mare vtro intra genitale membrum & teſtes.* Non autem ex teſtibus,ſed prope hos.

Solutio.

Fæminę nõ habẽt prominentes teſtes.

Vtriculorum ſitus tam in fœminis quã maribus.

Alteri

Alteri, nec minori ferè dubio ſatisfaciendum hìc reſtat. Ex *F. Gregorij de Boliuar* deſcriptione ſcilicet, Zibethicum ſuccum non tam ex his vtriculis elici, quàm ſub alis & inguinibus beſtiæ huius colligi aſſertum fuit: cuius rei nominati Scriptores nequaquam meminerunt. Non eſt leuis planè momenti hæc obiectio. Attamen audiendus imprimis ipſe *F. Gregorius*, qui ſæpius hæc, quæ de modo colligendi Zibethi ſcripſi, ſuis oculis vſurpauit. Veridicum etiam adducere teſtem poſſum, *Ioannem Leonem* in nona Africæ ſuæ parte, qui his verbis *F. Gregorio* probè patrocinatur: *Zibethi Feles naturæ ſiluaticæ ſunt, atque in Æthiopiæ ſiluis reperiuntur. Mercatores Catulos ſaltem comparant: quos lacte furfure ac carne nutrientes in caueis alunt: excrementum verò bis vel ter ſingulis diebus excipiunt, quod quidem animalculi ſudor eſt: nam virgula crebris ictibus percuſſum frequenter per caueam agitatur, donec erumpat ſudor, quem ſub coxis, brachijs, collo & cauda excipiunt: quod quidem excrementum vulgò Zibethum dicitur.*

Aliud dubium proponitur, an alibi quam in his vtriculis reperiatur.

Reſponſio pro F. Gregorio, ex Ioãne Leone Africano.

Non eſt mirum, inquam, ſi Zibethicæ Feles, quæ tamen malè ſic appellantur, in Æthiopia caueis incluſæ, verberibus agitatæ, in dictis locis ſub alis nempe, inguinibus &c. ſudorem hunc odoriferum exprimant, cùm idipſum in ſiluis magis, vbi ſua ſponte & libertate donatæ hinc inde diſcurſitant, facere ſoleant. Et cùm ſit nemo, qui moleſto eas excremento illo & dubio procul, acrimoniâ prædito, ob idque partes, quibus inſidet, vellicante ac titillante, liberet; vicinis ſe arborum ramis truncíſque applicent affricentque, neceſſe prorſus habeant. Nam & ex *Fabij Columnæ* relatione percepimus, hìc in *Italia* hiberno tempore parum, plurimùm verò æſtiuo Zibethi colligi, quod argumento nobis ſit, neceſſario natiuis ac calidiſſimis hæc animalia regionibus, vberrimo hoc liquore excrementitio, lociſque corporis varijs abundare.

Cur affricent ſe arborũ truncis hęc animalia.

In qua animaliũ ſpecie ſint collocanda.

Iam, in quanam Animalium ſpecie ſit reponenda hæc beſtia, diſquirendum. *Felem* & *Catum* Zibethicum plerique appellãt. Pellis etiam, tum ſuo hirtiore pilo, tum maculis nigricãtibus ad Pantherarum, nõ Americanarum quidem pulcherrimarum, ſed Africanarum pellem accedit: Pantheram autem ad Feles pertinere, prius docui. Verùm dentium figura ac numerus planè reclamat, qui Vulpium, Canum ac Luporum potius eſt. Hoc me docuit *Franciſcus Leo* Illuſtriſſimi ac Reuerendiſsimi *Odoardi Cardinalis Farneſij* à Cura ſupellectilis rarioris, apud quem & pellem integram huius animalis vidi. Solebat autem ipſe Cardinalis, prout eſt inter cæteras Heroici animi dotes rerum Naturalium ſtudioſiſsimus, marem & fæminam Zibethicam domi ſuæ tenere: vbi bis terue fœmina peperit, & tres ac quatuor adeò Catulos aliquantiſper lacte ſuo aluit: breuis tamen vitæ ſobolem ac caducæ. Solebant item hæc animalia cibari modò carnibus, modò ouis: quorum quadraginta ſingulis diebus vtrique ſimul præbebantur. Pellis, quæ fœminæ detracta ſupererat, palmos longa erat quatuor, maculis diſtincta pluribus nigris, cui cauda adiungebatur & ipſa palmari fermè longitudine. Totius pilus corporis horridior multò erat, quam in Catò Pardo: & tam colore quàm duritie ſuâ Luporum, aut Melis pilos æmulabatur. In dorſi ſpina quoque, manifeſtiſſima illa adhuc ſetarum ſurrectio (quæ tamen longè manifeſtior eſt in viuente & iracundia per-

Ad Canes potius quã Feles pertinent.

Illuſtriſſ. Card. Farneſius marẽ ac fœminã in palatio ſuo aluit.

Pellis mortuo animali detracta deſcribitur.

cito animali) conſpicitur. Eiuſmodi animal viuum, ſed Farneſiano hoc multo minus, in ceteris ſimillimum ante annos hos viginti in circo Agonali hìc mihi quoque viſum, ex quo ſubinde Zibethum eximebatur.

Occaſio de Moſcho Zibetho & Ambaro a Matthioli exẽplo deſumpta.

Cum Matthiolus in Dioſcoride commentando arrepta leui *Muſci* arborei occaſione, ad *Muſcum* ſiue *Moſchum* odoratiſſimas illas deliciarum potius illecebras, quàm medicamentum ſe cõferat explicandum, atque ab hoc ad Zibethum & Ambarum tranſeat: non mihi à quoquam vitio verti debere exiſtimo, ſi poſt Zibethicum animal, ad moſchiferum etiam deſcendam, ac de *Ambaro* demum aliquid dicam. Idque eo facio libentius & audacter magis, quod videam Antiquis *Moſchum* incognitum, Græcis inquam, illis proceribus noſtris: ab Arabibus dubiè tractatum: à Iunioribus litibus implicitum ac controuerſum adeò redditum, vt quid de hoc æquus Lector cenſere debeat, cum ignaris illis penitus ignoret. Nitar autem hac ego in re, more meo ſolito, fauore & authoritate *F. Gregorij de Boliuar* amici mei, oculatis cuius experimentis in Moſchi confectione fidem derogare, nefas duxerim.

Moſchi tractatio controuerſijs plena.

MOSCHVM.

Inter antiquiores, qui de *Moſcho* dilucidius ſcripſerit, reperio neminem præter *Serapionem*, non illum inquam, Empiricorum patrem, de quo *Cornelius Celſus* in proœmio ſuo: *Serapion*, inquit, *primus omnium nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeßus, in vſu & experimentis eam poſuit*. Verum illum, qui ex Dioſcoride, Galeno, Paulo Ægineta & Arabibus pleriſque, & ipſemet Mauritanæ ſcholæ non ignobilis ſcriptor, ſeptem de ſimplicibus medicamentis libros congeſſit. Inutilem prorſus laborem ſumplero, ſi quæ ipſe lib. 3. cap. 41. longa ſatis ſerie de moſcho pertexit, concepta nunc verba referam. Summa igitur rerum capita innuere libet. *Gazellas* itaque vocat animalia illa ex Caprearum genere, quæ moſchum pretioſiſsimum odoris genus ex vmbilici vomica quotannis expromant, in conterminis Tumbaſci ac Senitarum plagis. Gazellas haſce alijs Capreis omnino facit ſimiles, dentibus caninis ſolummodo, quod palmi nimirum longitudine *verrium* modo emineant, exceptis. Vomicæ folliculum, in quo nempe hæc ſanies reconditur, à Venatoribus ſagittis aut miſſilibus decuti (malunt hìc legere aliqui ipſas potiùs Gazellas miſſilibus decuti) aut Capreas laqueis capi, ſuſpendi folliculos, vt teter ille fætor, qui ſaniei ineſt, primum in aere exhalet, & ſuauis moſchi odor puri illi concilietur: nam & arborum fructus acerbos & maleolentes maturitate dulces & ſuaueolentes reddi. Alio accidere modo poſſe inſinuat, vt vomica ſua ſponte in animali matureſcat, lancinante illud humore noxio deinde titillatum, cotibus ac ſaxis ſe affricare, vomicam aperire, maturum humorem puris inſtar, in illa effundere: vlcus dein cicatrice obduci, denuò ſanguinis impetum eo ruere, nouum apoſtema fieri, rumpi, reſarciri, & ſic moſchum nullo artificio colligi. Ab indigenis effuſum hac ratione moſchum accipi, & in vtriculis earundem captarum ferarum aſſeruari.

Deſcriptio Moſchi ex Serapione.

Quę Ruellius habeat.

Ioannes Ruellius lib. 1. cap. 27. de Nat. ſtirp. de Moſcho plurima habet, & horũ quædã ex *Aetio* deſcripta laudat, quæ apud hunc tamen authorem non comparent, ſed Simeonis Sethi eſſe potius videntur. Quod Moſchus nimirum omnis in

vmbi-

vmbilico cuiusdam animalis gignatur Capreæ similis, vnico cornu armati; cum bicorne tamen hoc fecerit Serapio aliarum more Caprearum. Et quòd huic bestiæ vmbilicus intumescat eo tempore, quo in Venerem ruit, quo fæculento se liberet sanguine ac sanie, in terram crebrò se voluendo, quæ purulenta materies iucundum cum tempore odorem acquirat. Matthiolus præter ipsissima Serapionis & Simeonis Sethi ex Ruellio descripta verba nihil aliud noui affert.

Vlysses Aldrouandus copiosus magis est lib. 1. de Quadrupedibus Bisulcis cap. 9. & 20. qui videri poterit, ne & nos, quod in alijs reprehendimus, transcribere pleraque videamur. Tamen non dedecet, vbi dediscendum nobis est, veterum recentiorumque errores, totidem ipsorum verbis recensere, & medelam si fieri potest, adferre. Et vt semel dicam, totus est in hoc, vt animal id quod moschum præbet, ex Caprearum specie esse constituat. Hoc ex *Cardano* quoque & *Scaligero* deducit, quorum is *Mediolani* hoc animal mortuum Capreolo simile se vidisse scriptis reliquit: hic verò Exercit. aduersus Cardanum 21. simile Gazelæ animal moschum gignens depingit in *Regno Pegu*, cuius inferiore mandibula æquè dentes vtrinque singuli exerantur. Sub eius ventre sanguinis collectionem in tumorem, apostema vocatum, fieri. Nolo hic addere, quæ de collectione huius sanguinis ac saniei, vt sibi persuadet, odoriferi enarrat. Et Exercit. 203. partic. 3. sibi hoc animal Capreoli facie *Meßanæ* visum esse, ea planè formà, qua Arabes, Serapio & Auicenna describunt, affirmat. Ibidem tamen à suis didicisse affinibus, qui in Syria fuerant, memorat Gazelam penitus esse figurà Capræ, non autem Capreoli. Cum hi earum in Syria multos greges viderint. *Vbi vides*, inquit, *Cardane scribendi periculum, quando fides nostra ex aliorum sæpenumero pendeat mendacijs*.

Aldrouandus.

Cardanus.

Scaliger.

Brasauolus αὐτόπτης quoque testatur fuisse, qui Ferrariæ Duci *Alfonso* Gazelam vendere voluerint, moschum in ventre gerentem. Verum de dentibus aliqua apud varios authores se offert controuersia, quam hìc enodare inconueniens esse iudico, cum de ipso animali nondum quid certi constet. Poterit & *Bellonius* legi lib. 2. obseruat. cap. 51. Ne memorem hìc *Albertum Magnum*, *Isidorum*, *Alexandrinum Benedictum* & alios non paucos, qui *Serapioni* subscribunt. Recentissimum quoque adiungam testem *Franciscum Calceolarium* Iuniorem Veronensem, qui à Patre, quam opimam rerum naturalium creuit hereditatem, non ampliorem modò reddidit, sed ante annũ demum elegantibus tam Iconibus, quàm Latinis descriptionibus publici iuris fecit. Hic itaque primus soluso. quod equidem sciã, moschiferi illius animalis imaginẽ in ęs inciſam nobis delineauit libro illo, quem *Musæi Calceolariani* Titulo insigniuit. Hoc animal anno MDCXXI. Venetias aduectum, indeque Veronam transuectum, vt effigies exprimi posset, nunc vnicum in tota Italia, sed mortuum vt puto, exstat. Hoc Capreoli figuram staturamque satis æmulatur, duobus præditum corniculis erectis, nec ramosis, vt apparet, dentibus etiam duobus Caninis superioris maxillę oblongis, & infra maxillam inferiorem recuruè inflexis. Ceterùm qui pili, quisue horum color, ibi non explicatur.

Brasauolus.

Calceolarius Iunior.

Hi omnes enumerati Capreoli figurã huic animali tribuunt.

Disputat eo loci *Calceolarius* aduersus *Catelanum* primarium *Monspelienſium*

Lis inter Calceolariũ & Catelanum.

Pharmacopœum, quod hic *Scaligerum* increpet dicentem Moſchi animal Capreolum eſſe, cum Capra ſit potius, vt *Bellonium* teſtem laudat. Hic *Calceolarius* minimè Scaligerum erroris damnari, ſed *Catelanum* negligentiæ inſimulari debuiſſe potius cenſet, qui vel oſcitanter, vel non omnia illa, quæ Scaliger de Gazela habet, legerit: cum diſertè *Capram* eſſe profiteatur id animal, quandoquidem dicat hoc à ſuis affinibus, qui in Syria fuerant, inaudijſſe. Verum cum ego hunc Scaligeri locum probè examinaſſem; in ea ipſum potius ſententia hæſiſſe comperi, Capreolum eſſe, non Capram; licet hoc ipſi affines perſuadere conati fuerint. Subiungit enim, ſæpè ſcripta noſtra eorum fide, qui hiſtorias ſingulares nobis enarrant, ſuffulta de mendacijs periclitari: cum paulo ſcilicet, antea dixiſſet ſe animal hoc *Capreoli* facie vidiſſe, & reuera *Capreolum* eſſe. Et cum ipſe etiam Calceolarius Moſchiferam illam beſtiam ſuam, Capreoli effigie nobis depingat, & cum vna eſſe debeat veritas, quam Scaliger profitetur cum Arabibus, quibus illa beſtia nota eſt, erit ex mente Scaligeri Capreolus potius, quàm Capra; quicquid affines ipſius eum docere demum voluerint, quorum dictis videlicet minus credere, quam oculis ſuis debuit. Vide mi lector, quantum ego nunc pro hoc animali depugnem, vt ex Capreolorum genere illud eſſe demonſtrem, vt vel in tui gratiam bonam eorum partem, quæ ad me perſcribit *Ioannes Terrentius* meus, ex meditullio *Regni Chinenſis*, vbi modò commoratur hìc referre & tibi minimè inuidere velim, cum inter alia naturalia auditu iucunda ac rariora de *Moſchifero animali* mentionem quoque inijciat. Sunt autem hæc eius ipſiſſima verba.

Cõtra Calceolarium deciditur.

Excellentiſſime D. Faber. Pax Chriſti.

Epiſtola Ioãnis Terrentij ad authorem ex China ſcripta, in qua de plurimis naturalibus agitur.

Heri 21. Aprilis anni 1622. accepi primam ab E. V. epiſtolam bene longam, ſcriptam anno 1620. Menſe Ianuario, quæ me non parum exhilarauit, tam quod prægnans eſſet multis optimis nouis, quàm etiam quod diu deſiderata fuerit. Integrum biennium hæſit in itinere, quod hiſce temporibus tam turbulentis mirum videri minimè debet. Vnus enim annus abit antequam *Goam* deferatur, alter annus antequam *Amacaum*, & ad interiora Regni ad nos perferatur, & difficultas *Amacao* ad me non minor, quàm *Roma Goam*, ob difficultates itinerum, ac magnam diſtantiam. Nunc ad epiſtolam paucis tantum reſpondeo, forſan pluribus alia vice reſponſurus. Accepi heri literas ex *Manilia*, *Maluca*, *Goa* de varijs rebus, quas mihi curaui deferri. Amicus meus *Mozanha* Italus, qui *Goæ* moratur, ſcripſit in *Arabiam* ad quendam Regulum, qui illi tranſmiſit tres arbores *Thuris*, illarum duæ ſuccreuerunt *Goæ*. Ramus mihi mittitur, quem nondum accepi. *Mirrham* ſcribit ex *Æthiopia* haberi, nec in *Arabia* inueniri. Ex *Magor* expecto *Coſtum* verum, & *Aſam fætidam*. Miſerunt nuper mihi *Acorum* verum pro *Coſto*, legentes in mea epiſtola *Pacho*, ita *Magores* vocant *Acorum* pro *Pucho*, ita vocatur *Coſtus*. *Animal* illud *pigerrimum Malacæ* inuenitur, picturam expecto. *Sandali* albi & citrini flores & fructum habui ex Inſula *Solor*. Lignum *Aloes* expecto ex *Cochinchina*. *Rha* naſcitur in meo horto, ſed nondum floruit, putabam initio *Betam* eſſe

Cam-

Camphoræ folia iam alias miſi, fructum & florem expecto anno ſequenti. *Zedoaria*, *Zurumbet* inueniuntur in *India*, ſunt ſimiles *Gingiberi*. Flos *Gingiberis* nondum comparuit, vix inuenitur, puto eſſe congenerem *Acoro* vero. *Cubebe* in *Iaua* tantum creſcit, nondum vidi. *Benzoin* expecto ex *Borneo*. *Galanga* naſcitur copiosè in *Macao*, & in *India*, folia ſimilia vt & tota plantæ magnitudo *Cannacoro*, ſed flos ferè ſimilis *Digitali*, remanet fructus rotundus, ruber, magnitudine *Moſcatæ*, intus trifariam diuiſus, vt in *Aſphodelis*, ſemen ſapore *Cardamomi*. Iconem vnam habeo, nec eſt qui depingat iam, mihi enim non vacat cum vix habeam tempus ſcribendi hanc epiſtolam. *Animal*, in quo naſcitur *Moſchus*, eſt ex *Ceruorum* genere, vel *Capreolorum*, ſed in remotiſſimis locis. Vidi picturam in libris impreſſam, eſt ſimilis *Dorcadi*, ſed ſine cornibus. *Fabam Ægyptiam* quotidie edimus æſtiuo tempore, eſt congener *Nymphææ*, cui flos omnino ſimilis, fructus autem planè *Fabam* refert, & optimè quadrat deſcriptio *Theophraſti*, fortè iam accepit delineationem in alia mea epiſtola. Eſt quoddam genus febrium hìc, planè nobis inauditum, valde lentum, in quo moriuntur, qui aliquid edunt, dant illis pauxillum aquæ, in qua orizæ quid decoctum eſt, eſt inſtar Aquæ hordei, ſuſtentant per octo, imò quatuordecim dies, nec quicquam aliud guſtant, & ſic euadunt. Sit E. V. paucis his contenta, donec mihi plura naſcantur. Ex *Hiatim* prope magnam vrbem *Sutſchen*. 22. Aprilis Anno 1622. Hanc vnicam epiſtolam iam ſcribo in Europam.

Arabibus tamen, & horum omnibus aſſeclis intrepidè vnus ex iunioribus Medicis opponit ſe *Amatus Luſitanus*, quem virum bonum neſcio qua ratione fabularum conditorem plures indigitent. Hic itaque, vt *Vlyſſes Aldrouandus* ex *Fuchſio* ipſum adducit, Moſchiferum animal Capreoli minimè, ſed Leporis formà facit, quod viuum adhuc virgis cæſum necetur, & exenteratum contundatur, caro optimè piſta in globos redigatur, pelle occiſi animalis obuoluatur, & veſicarum illa forma (nos vtriculos appellamus) ad nos feratur. Idem Aldrouandus *Albertum Magnum* quoque & *Iſidorum* carnem totius animalis, præter apoſtema, quod odoriferum magis & præſtantius carne creditur, odore optimo præditam concedere affirmat. Amatus Luſitanus opponit ſe prædictis authoritatibus.

Sed quoniam plurimum hactenus fidei F. Gregorio noſtro tribuimus, qui Orientis & Occidentis Solis regna perluſtrauit, & lineam Æquinoctialem ſepties incolumis nauigando tranſiuit, rerumque naturalium curioſus non minus indagator, quam indefeſſus verbi DEI buccinator fuit: æquum prorſus exiſtimaui, ſi & huius de Moſcho veram ſententiam, vt quæ noſtram facile dirimere litem poſſit, huc adducerem, quam Hiſpanico ipſe idiomate hunc in ſenſum mihi communicauit.

Vt illas, inquit, iam diuerſorum, qui de Moſcho (Hiſpani vocant *Almiſqui*) ſcripſerunt, opiniones omnes recenſere ſuperſedeam, hæc certè conficiendi Moſchi veriſsima eſt Hiſtoria, quam oculis meis vt vidi, ita ſæpè experientia confirmata fuit. F. Gregorij veridica moſchi deſcriptio.

Quod in certis nimirum Regni Chinenſis Prouincijs, quales ſunt *Xantien* & *Quinzay*, aliæque, animalcula quædam reperiantur, quæ in ſilueſtribus locis, vbi Cuniculorum modo terram ſuffodiunt, generantur. Magnitudine & forma Forma moſchiferi animalculi.

ſua mediocrem Canem ex paruorum illo genere æquant. Colore ſunt pardo, vt Hiſpani dicunt, ſiue ex obſcuro rubro, ac cinereo mixto, aliqua tamen albis nigriſque maculis ſignantur: pilos raros, diſſitos ac duriuſculos habent. Pedes ipſi ſunt largi, vnguibus canis inſtar armati, ſed longioribus acutioribuſque, quibus facilè ſibi ſpeluncas in terra fabricant. Roſtrum oblongum, Caninum, dentibus probè munitum. Aures habent curtas & rotundiuſculas, oculos paruos & minimè alacres, ſimiles illis, qui morti vicini ſunt. Non quidem multum agilia, ſed vafra admodum ſunt, vbi abſcondendi ſub terra neceſſitas illa vrget His artibus autem ab illis, qui moſchi mercaturam exercent, hæc animalia capiuntur: circumdant loca, in quibus dimorari eadem norunt, vel igne, vel retibus ac canibus, atque in ſubterranea loca profugere compellunt, quæ poſtea ſubfodiendo, vel alia induſtria extrahunt, in tanto ſæpius numero, vt ad trecenta etiam capiantur. Hæc ſubitò iugulant, ſanguinem, qui in ipſis maximè abundat, in vaſe aliquo mundo (*Porcellanam* vocant) colligentes. Tanta autem, quod mirum eſt, ſanguinis copia in quouis horum animalculo inuenitur, vt ſæpenumero, quando extractus fuit ac concreuit, videatur totius reliqui corporis molem ſuperare.

Modus capiendi illa.

Modus parandi moſchi pretioſioris.

Poſthæc pelles ipſis abſtrahunt, exenterant, & ab omni illuuie inteſtina emundant. Quamuis aliqui, vt maiorem moſchi quantitatem nanciſcantur, impura cum puris relinquant. Qui verò priore modo procedunt, cum ſanguine meliorem & teneriorem armorum ac coxarum muſculoſam carnem, cor ac hepar ſimul in lapideo mortario vnam in maſſam contundunt, ex qua folliculos, ſiue ex pelle horum, ſiue aliorum animalium paratos inferciunt, loco vmbroſo ſuſpendunt, ſiccantque. Et vbi iam ſemiaridi fuerint, ſub terra defodiunt, ibi nempe, vbi quotidie vrina proijcitur. Poſt tres inde quatuorue dies refodiunt, omninoque in vmbra exiccari permittunt. Et hic eſt præſtantiſſimus moſchus, qui pro Rege ac Principibus ſaltem conficitur.

Modus cõficiendi minus nobilem moſchum.

Sed ille, qui communiter circumfertur moſchus, craſsiore Minerua elaboratur. Contunditur enim totum ſimul animal cum omnibus ſuis partibus, oſsibus, inteſtinis, & pellis quoque portione, donec ad maſſam tenerrimam redigatur, ex qua vtriculi illi ex eiuſdem animalis pelle confecti implentur, & inteſtini aliqua parte obuoluuntur, pauliſper ſiccantur, loco vbi vrina effunditur, ſub terra per paucos dies reconduntur, & denuo in vmbra ſuſpenſi exiccantur.

Odoris in moſcho deperditi recuperatio.

Et ſic quoque, ſi quis veſiculas illas moſchi plenas, quæ ob temporis diuturnitatem odorem perdidiſſe videntur, haberet, has linteolo prius obuolutas eo loco ſepeliat, quo ab hominibus vrina reddi ſolet, poſt quatuor aut quinque dies refodiat, vento, non Soli exponat, redibit priſtina odoris præſtantia. Atque hæc veridica confectionis moſchi eſt Hiſtoria, cum aliæ omnes fabuloſæ mihi videantur. Velim & hoc ſciri, maximam inter primum ac ſecundum moſchum eſſe differentiam, cum tanta prioris ex ſanguine ac carnibus cum Corde & Hepate confecti ſit odoris præſtantia atque fragrantia, vt vnica drachma plus virium habeat, quàm vncia tota alterius. Quare prior ille Regni Chinenſis Proceribus tantum cedit; poſterior extra regnum per varias regiones à mercato-

Differentia inter primum & ſecundum moſchum.

ribus

ribus distrahitur, & maximæ loco gratiæ habendum, si ex primo quis à Chinensibus aliquid extorquere valeat.

Narrant aliqui de nescio quo alio animali, quod eodem in Regno Chinæ, ac nouo quoque Mexico inueniatur, figura *Mustelæ* altius longiusque paulò, quàm sit *Sciurus*, testiculis oneratum adeò enormibus, vt suspensos minimè gerere, sed terram contingentes trahere cogatur, quique æquali cum toto reliquo corpore sint pondere, quibus oppressum, cum à Canibus agitatur & euadere non potest, ipsosmet dentibus illud mordicus detruncare & liberrimè postea aufugere. Hos vero à Venatoribus colligi ac contundi testiculos, qui optimum ipsis Moschum præbeant. Hoc ego, cum nunquam viderim, nec quicquam propterea de eo certi affirmatique afferre possum.

Alij animal aliud moschiferum describunt.

Ex huius testiculis moschum confici dicunt.

Alij non desunt, qui animal quoddam ex Ceruorum genere prædicant, ex quo folliculi illi moscho pleni auferantur, quod pro mera similiter fabula habeo. Atque sic denuo primam moschi, quam attuli historiam, confirmo, quippe quam oculi mei, quibus credere possum, conspexerunt. Hucusque F. Gregorius noster.

Alij aliud esse credũt ex Ceruorum genere.

Atque dum huic opusculo meo ita inuigilarem, nonnunquam me visum venit Rochus Ezechiel Bauthschner. Hic decennium integrum in Hispania exegit, qui ex milite quem in Africa egit, Medicus effectus, Salamanticæ Hispaniarum illis Athenis non contemnenda Galenicæ doctrinæ fundamenta iecit, & Arte, quàm Marte clarere maluit. Hunc ego percontatus sum, quid de Moscho sibi apud Africanos & Lusitanos innotuisset, Qui cum ea mihi respondisset, quæ cum F. Gregorij historia valde conueniunt, hìc adscribere illa non grauabor.

Hæc F. Gregorius αὐτόπτης.

Animalcula illa, inquit, ex quibus Lusitani suum conficiunt moschum, ego ipse in certis Lusitaniæ locis desertis, quæ peragraui, non semel tantum vidi, quæ paulo sunt maiora, quàm illa, de quibus supra F. Gregorius historiam suam pertexuit. Figura sua non Cani tamen, sed Feli sunt persimilia. Habitant in locis saxosis plerumque ac siluosis, vbi Oleastri præsertim & Quercus consitæ viuunt, quæ glandes ferunt dulciores castaneis nostris, quæ ob id ab incolis magni æstimantur, diligenter colliguntur, ac vicinioribus amicis dono mittuntur. His se animalia ea libenter sustentant, & vbi necessitas premit, in ijsdem arboribus etiam se abscondunt; quibus laquei ac pedicæ ex filo æneo parantur, & cuniculorum modo illaqueata capiuntur. Horum sanguinem Venatores extrahunt, carnes separant & loco perflabili, vbi nec Sol, nec humiditas dominantur, resiccant.

Animalia ex quibus Lusitanicus Moschus fit, Felibus sũt similia.

Aues deinde capiunt quasdam, ab ipsis Aquilas vocatas, Aquilæ tamen minimè sunt, sed Accipitribus nostris forma similes quidem, mole verò duplo maiores. Harum itidem carnes ac sanguinem reponunt siccantque, & ad Aprilis mensem vsque reseruant; quo tempore viret, vigetque maximè herba quædam, ab Incolis *Pico di Grulla* dicta, hanc quoque tunc demetunt. Est autem planta hęc tam fragrantis moschati odoris, vt certò affirmare possim, me longinquis è locis eandem crescentem olfeciſſe, euulsisse non rarò, & pro mea recreatione in itinere mecum detulisse; Ab hac planta odorifero plena humore

Auium quarundam caro & sanguis ad moschum adhibetur.

deter-

Moſchi cõfectio Luſitanici.

determinatam quandam ſucci quantitatem exprimunt, & cum prædictis carnibus ac ſanguine commiſcent, in marmoreo tundunt mortario, & reliquam, vt memorauerat F. Gregorius, ad vnguem adhibent operam. Tum in loco, in quo ſæpe vrina euertitur, bene inuolutam paſtam ſepeliunt; vel vtriculorum aliquot horum in vaſe illo, θηκίον vocant Græci, in quo (ſit auribus honor) humanorum tam ſiccorum, quam liquidorum colluuies recipitur excrementorum, ſuſpenduntur, ad tres quatuorue dies detinentur. Exemptos inde & in vmbroſo cubiculo bene ſiccatos externis mercatoribus diuendunt. Locus animalium horum natiuus eſt in Portugalliæ Confinibus, imò magna pars in ipſa eſt Portugallia ſita. Termini Luſitaniam attingentes vocantur *Serra de Gatta*. In ipſa autem Luſitania exiſtens locus dicitur *Serra de Stela*. Atque hæc eſt ſuccincta moſchi Luſitanici parandi narratio. Moſchi quidem opificium ipſe ego non vidi; animalia tamen & plantam moſchatam ſæpius vidi. Reliqua curioſitatis gratia ab Incolis didici, quibus fidem denegare piaculum duxi. Hæc Rocchus Ezechiel Bautſchner Medicus.

Odor ex fœtore ipſi conciliatur.

Apprimè hæc omnia cum F. Gregorij enarrationibus congruunt, quæ ſi vera ſunt; non erat, quòd tantopere Amatus Luſitanus à pleriſque ſcriptoribus illis, qui ex libris, quàm rerum vſu & magiſtra experientia diſcere malunt, explo deretur. Neque enim Arabum de Moſcho ſcriptis tradita documenta eam vim & energiam habent, vt nullum dubitandi locum relinquant, neque ea veriſimilitudine mihi videntur, vt omnium ſubitò animos capiant, & contrarium ſentientes refellant.

Quid in hac controuerſia ſtatuendũ.

Quid igitur in hac nobis controuerſia ſtatuendum? Certitudine forſan omni deſtituti in ambiguo hucuſque verſabimur? Aut conuenire putemus, vt tot clariſſimis animalium Scriptoribus vnicum tandem *F. Gregorium* noſtrum, & *Amatum Luſitanum* opponamus? Atqui nec aduerſariorum argumenta Hercu lea mihi penitus eſſe videntur. Legat cui placet, *Aldrouandi* cap. 20. de Quadrupedibus Biſulcis. Reperiet miram eorum, de ortu moſchi varietatem: quandoquidem horum aliqui vmbilicum huius animalis moſchum faciunt; aliqui veſicam circa eundem; alij in inguine abſceſſum: *Scaliger* ſanguinis collectionem ſiue apoſtema in ventre: alij folliculum certum eſſe in hoc animali conſtituunt, qui ſi ſemel excindatur, non producat amplius moſchum: alij vt *Alexander Benedictus*, ſimile quid euenire, quod in mulieribus menſtrua patientibus opinatur. Et ferme quot homines, tot ſententiæ.

Qui moſchum ex Capreolo petunt, nõ ſatis ſibi conſtant.

Non miror itaque *Fuchſio* apud *Aldrouandum* ſuſpectum eſſe *Arabum* hoc decretum, quoniam in moſchi deſcriptione plurimum variant. Hic itaque moſchifero animali tumores tales eſſe autumat, quales in *Caſtore* & *Leporibus* reperiri inquit, quos vulgus teſtes nominat, & ob id Lepores omnes ſimul mares ac fœminas eſſe credit, à quibus ipſe odoratum illud pus emanare arbitratur. Sed & hunc non minus erronea duci opinione exiſtimo. Cum enim moſchi animal capreolum æmulans, tam rarum ac peregrinum ſit, ex quo illud extrahi tam nobile odoramentum creditur, vt in hodiernum vſque diem à quoquam vix rectè deſcriptum aut depictum videatur (neque enim æquè notum eſt atque Zibethicum, familiare iam penè nobis effectum) vnde quæſo tanta

Cur moſchum nõ poſsit eſſe tumorum excrementum.

odora-

odoratiſſimi huius ſiue puris, ſiue ſaniei, ex vno atque altero tumore, ſiue ſanguinis coagulati quantitas eximatur, vt cunctæ non modo *Europæ*, *Aſiæ* & *Africæ*, ſed *Americæ* etiam toti ſufficiat? Cum in ſolo *Peruano* Regno *F. Gregorius* mihi certò affirmet plus moſchi in cibis, potu, dulciarijs, veſtibus, alijſque delicijs conſumi, quam in Europa vniuerſa. Neque enim in ſingulis ferme poculis potus ſui moſchum tantummodò ſoluunt & abliguriunt, ſed in integris quoque vinorum dolijs compoſitionem ex charyophyllis, Cinamomo, Citri & Aurantiorum corticibus, cum plurimo moſcho in ſacculos congeſtam ſuſpendunt. Quam & ad Epithemata cordis confectionem in ſtillatitia florum Citri atque Aurantiorum aquis macerant, & in virium debilitate applicant, intingentes pexum, ſed nondum in fila contortum, in hoc ipſo liquore ſericum, & cordi admouentes.

In ſolo Regno Peruano plus moſchi cõſumitur quã in tota Europa.

In cibis potu & medicamentis maxima moſchi copia in Peru abſumitur.

Cibus etiam ſine hoc vix parari poſſe cenſetur, ſiue pulmenta fuerint, ſiue illinctus, intrita aut panis dulciarius, cruſtulata, liba, placentæ aut artocreæ coquantur. Addebat *F. Gregorius ex China* lociſque vicinis vbi Moſchus paratur, quotannis mille *Arrobas*, hoc eſt viginti quinque librarum millia vehi vẽdique, ac per varias orbis partes diſtrahi, ſed maiorem huius portionem in *Nouam Hiſpaniam* ac *Peruanum Regnum* portari, vbi cum minoris argentum æſtimetur, quam alijs in regionibus, plus ibi Mercatores propterea lucrantur. Tantam autem moſchi copiam quomodo vix nomine etiam nota beſtia nobis ſubminiſtrabit?

Vltra viginti quinque millia librarum moſchi ex China quotannis extrahuntur.

Fauent huic non coniecturæ, ſed veritati, noſtri Vnguentarij & Chirothecarij Romani, qui mihi certiſſimò atteſtãtur, moſchũ ſibi aliud nihil videri, quàm ſanguinem & carnes tuſas, ſe enim dum in aquis illum odoriferis ſoluunt, fila menta sæpius reperire, ac veluti neruoſa & carnoſa quædam corpuſcula, pelliculas quoque, quæ vbi diutius aqua fuerint maceratæ, etiam in tumorem aliarum inſtar membranarum attolluntur. Nec mirum adeò videri debet, carnes ac ſanguinem moſchum olere, cum alui retrimenta etiam quorundam animalium, illius præcipuè quod *Martes* ſiue Martorellus dicitur, moſchum odore planè æmuletur, id quod ſæpiſſimè in Germania expertus fui, vbi animal hoc non cicuratum quidem, ſed ſua ſponte per domorum tecta, gallinarum oua ſuffurans ſorbenſque vagabatur.

Argumentũ efficax pro F. Gregorij ſententia.

Excremẽta Martorelli moſchum ſpirant.

Ne autem *F. Gregorium*, omni quis deſtitutum ſcriptorum authoritate exiſtimet, laudare hic poſſum *Odoardum Barboſam* Luſitanum, qui in *Summario ſuo Regnorum ac populorum Orientalium*, , verba faciens de Regno *Aracam* inter *Bengalam* & *Pegu* poſito, his vicinos ait montes *Capelangam* dictos, cuius habitatores inquit, ferre Rubinos & Moſchum ad magnam ciuitatem *Aua*, ex qua in *Pegu* & hinc in *Bengalam* & *Narſingam* & *Pacem* per *Malacam* tranſportantur. *Moſchus*, addit ipſe, *ex animali ſimili Capræ conficitur. Animalia hæc excoriantur & caro cum ſanguine contuſa in veſicas ſiue vtriculos ex eadem pelle confectos aptatur, quos nos vocamus Papos. Et hæc eſt veritas moſchi, & non eſt apoſtema ſicuti communiter fertur, & qui bene examinat moſchi maſſam, in illa oſſa contuſa reperit.* Hæc ſuffragari *F. Gregorio* & *Amato* plurimum poſſunt, vtcunque dicat Barboſa, Caprarum formà animalia illa, & non Catulorum aut Felium figurà reperiri.

A varijs authoritatibus F. Gregorij relatio cõfirmatur.

Odoardi Barboſæ de moſcho verba pro F. Gregorio.

Verun-

Veruntamen hunc quoque ex auditu potius hauſiſſe, quàm oculis perluſtraſſe planè mihi perſuadeo, cum hic ipſe alio in libro eodem hoc primo Nauigationum volumine collectoris *Ramusij*, de ijſdem agens locis *Aracam*, & *Pegu*, contraria quodammodo dictis ſuis afferat proprijs. Quæ ſingula penè verba in ſuas aduerſus Cardanum Exercitationes Scaliger tranſtulit, Exercit. nempe 21. non facta *Barboſæ* tamen mentione, cum eo tempore liber hic nondum impreſſus quidem, per doctorum tamen hominum manus iret. Huiuſmodi hiſtorias Indicas cum plures prælo nondum commiſſas Scaliger poſſideret, & in ſuos ſubindè Commentarios aliquid rari nouique, quod Cardanum latuiſſet, inſereret, magnam ſibi nominis inde celebritatem conciliauit. Ait autem vterque, Animal moſchi in Regno *Pegu* ſimile eſſe *Gazelæ*, album, dentibus Elephanti ſed paruis, ſub ventre & pectore ei apoſtema naſci, quod vbi ſectum fuerit, hirudines pro reliquo extrahendo ſanguine, animali admoueri, has poſtea ſiccari, contundi, prioris ſanguinis per apoſtematis ſectionem extillati, & viribus efficaciſſimi pauxillo, hos pulueres vigorari, & adulteratum ita moſchum præparari. Hæc inquam, omnia quanto auritis minus, quam oculatis fidendum ſit teſtibus, indicium non leue facere poſſunt. Vt verum ſit, quod ſupra etiam ex Scaligero monui, ſcribendi periculum ſæpenumerò ex aliorum pendere mendacijs.

Vnde Scaliger non rarò Indica noua afferat.

Sed lepidum mehercle eſt, non deeſſe, qui iam cauſas repererint quoque, cur Natura tumores illos Moſchum cõtinentes in Capreolo vel Capra fabricauerit, vt videre licet in Calceolarij Iunioris muſæo impreſſo, has nempe quod animal hoc páruo Liene præditum, in huius ſubſidium eiuſmodi tumores nactum fuerit, vt per eoſdem humor ille fæculentus expelli poſſet. Cùm tamen, qui eo modo philoſophantur, nec animal viderunt, aut ſi viderunt, an illud verum moſchum fundat, anatome certè an magnum, an paruum habeat Lienem, experti nunquam fuerint. Scilicet adeò in procliui eſt Rationalibus dictis Medicis, ad quodlibet propoſitũ problema ſæpenumerò etiã data operà fictum, rationibus reſpondere, atque imber quãdo pluit: ſed rationibus profecto plerumque plumbeis & elumbibus. Adſtipulantur & *F. Gregorio* hæc in Geſnerianis deſcriptionibus *Roderici Luſitani* verba: *Moſchi verò compoſitio ex multis potius, quam naturalis res eſt, cui baſis animalis cuiuſdam Dapſico, id eſt, Cuniculo ſimilis, ſanguis eſt, qui ex India præcipuè Pegu prouincia ad nos, tanquam pretioſiſſimus odor affertur.* Nec recentiſſimi deſunt nobis fauentes authores. *Aldrouandus* dicto loco, cum Denominata moſchi recenſet, & circa finem hæc verba adiungit: *Regnum præterea Chinæ animalia generat magnitudine Canum, quæ moſchum producunt. Incolas aiunt, ea occidere atque ſepelire, vt ſic putrefactorum carnem ſanguinemque in puluerem redigant. Aiuntque & alia in India generari animalia moſchi plane odore, quibuſque hic adulteratur.*

Nimis faciles quidam ſunt in cauſis reddendis.

Authores quidam F. Gregorij ſententiæ fauentes.

Rodericus Luſitanus.

Aldrouandus.

Et demum quid clarius his *Petri Iarrici* Ieſuitæ verbis? qui è poſtremis vnus eſt, qui res Indicas deſcripſit Lib. 2. cap. 17. *Theſauri ſui Rer. Indic. Eſt in China* inquit, *aut non procul inde animal, quod moſchi materiam ſuppeditat, quod odoramenti genus veteribus tam Græcis, quam Latinis incognitum fuit, nares tamen quam iucundiſſimè afflat: & ſanè Chinenſe moſchum ceteris præfertur. Animal eſt Vulpis magnitudine*

Petrus Iarricus Soc. Ieſu.

gnitudine, ſiluas incolere ſolitum: hoc aſſiduis virgarum fuſtiumque verberibus enecant, vt toto ſanguis diffundatur corpore. Cadauer putridum & iam aridum fruſtatim, non detracta pelle diſcindunt, ſacculoſque inde parant, quos Luſitani Papos nuncupant. Pantoia verò è ventriculo animalis cuiuſdam feri, quod Fele paulo grandius, educi moſcum credit, nec in China ipſum, ſed in regione proxima reperiri. Cibettam haud dubiè intelligit: vel ſi idem omnino animal cum eo quod deſcripſimus, credendum nobilius ac pretioſius moſcum ventriculo aluoque educi, vtque maior illius ſit copia, verberibus ipſum, quo ad cetera membra diffundatur odor, enecari; Chinenſes tamen Luſitanis ipſum, quamuis alio eductum loco, diuendunt.

Is, qui extremam porrò manum Chinẽſis Regni deſcriptioni addidit, eſt *Nicolaus Trigautius* amicus meus, qui duos integros in illo Regno dimoratus annos, Romam poſtea veniens, non ſemel me tantum inuiſit, & Ordinis ſui Societatis Ieſu ſacerdotes ad idem nunc Regnũ plures reduxit. Hic libro, cui *Chriſtianæ Expeditionis apud Sinas* titulus, capite illo, quo deſcribit res naturales, quarum ferax eſt Sinenſis ager, inter reliqua hæc habet: *Medicas herbas alit, quas aliæ regiones non niſi importatas norunt, maximè Rhabarbarum & Muſchum, quæ ab occaſu Saraceni Aſiæ vniuerſæ, & exinde Europæ inferunt incredibili commercij lucro: cum hic viliſſimo pretio diſtrahantur. Nam Rhabarbari libram obolis decem emptam, Senis ſeptenisque aureis in Europa diuendes.* Hoc ipſum mihi *F. Gregorius* confirmabat, moſchi ibi vnciam quarta parte aurei venire, quæ hic Romæ ſedecim Philippicis, ſiue Scutatis venum datur. Verum hoc non ſatis capio, quod *Trigautius Muſchum* inter medicatas herbas reponit, nec ex animali delumptum meminit, quod ipſum fugiſſe tamen vix credi poteſt. Neque enim per *Muſcum*, tomentum illud arboreum, quod veteres non ignorarunt, intellexiſſe putare illum quis poſſit, quod à Sinis ad nos deferri nemo vnquam commemorauit. His itaque verbis quid dilucidius dici potuit? Licet enim prædicti nobis aſſentientes authores exactam moſchi confectionem, qualem ex *F. Gregorio* habemus, nobis non dederint, in id omnes tamen inclinant, nõ *Capreoli*, ſed aut *Canis*, aut *Felis*, aut *Vulpeculæ* effigie moſchiferum animal eſſe. Ne tamen tot Arabibus & Latinis iunioribus pertinacius obſiſtere velle videar, non abſurdum duxerim, poſſe & hoc odoramentum ex Dorcade, ſiue Capreolo etiam aliquo colligi. Veruntamen, cùm omnes, qui de ſimili animali monimentis aliquid ſuis conſignarunt, ex aliorum potius relatione, quam propriâ nixi experientiâ & visâ moſchi ex apoſtemate illo extractione ſcripſerint: ego ſanè reprehendi minimè debeo, ſi illi magis fidem adhibeam, qui moſchi ipſemet fabricam pluries vidit, & clarorum authoritate ſcriptorum teſtimonijs defendere ſe poteſt, quàm qui ex varijs quidem libris, ſed omnibus vnum tantum authorem ſequentibus, diſcere maluit. Neque enim abſurdum eſſe ſibi quis perſuadeat, iucundiſſimum moſchi odorem tam herbis quàm animalibus, & fors etiam mineralibus communicari potuiſſe. Plantæ notiſſimæ ſunt inter plures *Geranium moſchatum* & *Iua muſchata*, & *flores bulbi* illius, qui Vomitorius Dioſcoridis aliquibus eſſe creditur & *Dipcadi, Muſcari & Moſchio Greco* ob id Italis dicti. Inter fructus numerare licet *Pyra moſchatellina & moſcharola* dicta, *vuas* quoque *moſchatellas*, quamuis à ſapore potius, quam odore hoc nominis acquiſiuerint. Ex animalibus *Po-*

Nicolaus Trigautius Societ. Ieſu.

Poſſe forſan etiam concedi ex Capreolo aliquo moſchum peti.

Odor moſchi in varijs rebus reperitur.

In plantis.

In animalibus.

lyporum

lyporum ſpeciem vidi Moſchum apprimè referentem. Sunt & *Cercopitheci*, & *ſerpentes* quidam, & *Muris* quoddam genus, cuiuſmodi ſibi à Ludouico Gozadino donatum ſcribit Aldrouandus, Moſchi odorem fragrantia. Qui idem, *D. Hieronymum*, dum *moſcum peregrini muris pelliculam* eſſe dicit, huius odorati muris pellem intellexiſſe arbitratur: vtcunque alij interpretentur, potuiſſe S. Hieronymum intelligere potius folliculum illius animalis moſchiferi, ex cuius pelle adhuc piloſa vtriculi fiunt & moſcho implentur, qui muris pellem quodammodo imitari videntur, vnde forſan *Moſchi, ſeu Muſci Etymon* a *Mure* nempe deriuatur. Sed de huius Etymologia plura leges apud Aldrouandum.

Iucunda narratio de Elephãtorũ ſudore Moſchum olente.

Deeſſem hic partibus meis, niſi, quod cum animi delectatione mihi auſcultanti idem F. Gregorius narrauit, recenſere pergerem. Ab Elephantis nempe in Indijs Orientalibus ſuauiſſimum moſchi odorem exhalare, quem cum voluptate quis percipiat, ſi cubicula eorum, vbi in vmbra detinentur, ingrediatur. Quotieſcunque autem operis adhibiti in ſole verſari coguntur, ſudor ipſis erumpit tam ſuaueolentis moſchati odoris, melleæque conſiſtentiæ, vt à longè muſcas omnes ad ſe deprædandum alliciat, quæ turmatim confluentes, miſerum malè animal diuexant. Cum enim nec cauda breuiore, nec proboſcide ſe ſatis defendere queat, extendit quàm poteſt maximè & explanat pellem ſuam rariſſimis & longè à ſe diſſitis pilis conſitam, adeoque glabram planè, ac moleſtiſſimis muſcarum ſuctibus expoſitam: ac vbi ingentem beſtiam muſcarum Myriades obſident & moſchatum melleumque depaſcuntur ſudorem, Elephas momento temporis totam corrugat pellem, & in rugis plicisque illis ebrias veluti beſtiolas ex inopinato comprimit, occidit, ſicq. earum ſeſe moleſtia liberat. Si quis autem ſudorem illum cõchyliorum teſtis, quod Indis facere conſuetum eſt, detergat, & in vaſcula corriuet, moſchi odori minimè cedentem & ſuaueolentem naribus ſuccum lucratur.

Ariſtoteli plurima animalia ignota fuerunt odorem optimum ſpirantia.

Hæc, ſi Ariſtoteles nouiſſet, cui Elephanti ignoti nequaquam fuerunt, non quæſiuiſſet Sect. 13. problemate 4. *Cur animalium nullum ſuauiter oleat, excepta Panthera?* Iam enim plura odorem optimum fundentia, non beſtijs tantùm alijs, quod in Panthera ipſe fieri putauit, ſed hominibus etiam gratiſſimum ſpirantia animalia deſcripſimus, Et quod mirum quidem eſt in ſudore & fæcibus earum illum reperiri, quæ tamen ceu excrementa & cruditatis aliquid participantia, ex mente Ariſtotelis eodem loco, fœtere potius omnia deberent. Sed nunc non libet ex Ariſtotelis, in Problematibus, placitis odorum eſſentiam cauſaſque rimari & examinare, quod alio commodiore fiet loco. Nunc igitur impoſito, *Algalia* & *Moſcho*, fine ad *Ambram* odoratam griſeam & *Ambracani* plurimis dictam, me accingo.

Hucuſque de Zibetho & mocho.

AMBRA GRISEA ſeu odorata.

Multorum, Diſquiſitio Ambræ, clariſsimorũ Naturæ Profeſſorũ, Medicorũ ac Hiſtoriographorum ingenia hactenus torſit. Quare, ne actum agam, pleraſq. horum cõtrouerſias præteribo, vel ſumma ſaltem rerũ capita delibabo: vbi tamẽ quod F. Gregorio de Boliuar & mihi probabilius videtur, propoſuero prius: cũ rectũ & ſui & obliqui regula rectè dicatur. Hic igitur meis inductus precibus hãc ſuã patrio, vt ſolitus eſt, ſermone de *Ambra* griſea ſeu odorata, non de *Succino* in-

quam,

quam, antiquorum *Electro* ſententiam mihi ſcriptis conſignauit.

Et de Ambra inquit ille, non deſunt qui diuerſimodè opinantur. Aliqui ſemen eſſe ſtatuunt Balænæ, qui falluntur. Alij quid vomitu reiectum, qui & ipſi errant; cum non doceant, qua ratione, aut quibus expleta cibis eum beſtia patiatur. Quod æquè illis vſuuenit, qui excrementa eſſe alui credunt. Et licet aliquando quod dicunt, verum eſſe contingat, tam exigui tamen Ambra illa excrementitia eſt momenti, vt decem huius libræ, valore & viribus ab vnica veræ Ambræ vncia vincantur.

F. Gregorij verba & mens de Ambra odorata.

Errant qui putant eſſe Balænę excrementũ.

Hoc igitur certiſſimum eſt, Ambram non eſſe aliud quam Bitumen & quoddam veluti terræ excrementum, quod ab eiuſdem viſceribus in maris abyſſo vi mineralibus innata, expellitur. Experientia enim conſtat, immenſam huius quantitatem ibidem generatam & expulſam non tam terræ ipſi, quam ſcopulorum & cautium radicibus ſpongiformi quidem, ſed molli admodum ſubſtantiâ adhæreſcere. Huius autem ſubſtantiæ mixtura talis eſt, vt cuncti omnimodò piſces magis illam, quam vllum alium cibum eſcamue appetant.

Ambra eſt Bituminis ſpecies.

Piſcibus lautus cibus eſt.

Aſt quoniam hæc vt diximus, in mari imo ſtabulantur, quò omnibus indifferenter piſcibus, propter frigiditatem & profunditatem penetrare haud eſt conceſſum; hinc fit, vt non niſi Balænæ eò pertingant. Quemadmodum enim inter greſſilia ac reptilia, alia arbores altiſſimas & montium culmina conſcendunt, alia in ſuperficie terræ gradiendo corio eius adhærent: curſus aliqua ſunt velociſſimi, & alia tardiùs incedunt: & inter volatilia vix humo ſe aliqua tollunt, vt *Hirundines*: alia etiam ad ſupremam aeris regionem contendunt vt *Aquilæ*, & alia media volant via: ita in mari prorſus euenire putandum eſt, vt piſcium aliqui in ſuprema dominentur huius regione, alij mediam ſulcent, & Balænæ demum infimam attingere valeant. Eſt autem inter *immania Cete* ſpecies quædam, quæ corporis mole reliqua vt omnia ſuperat, ita in profundiſſima pelagi deſcendit, ibique hac bituminoſa viſcoſaque materia, ſiue Ambra veſcitur. Eſſe autem pinguem Ambræ aliorum inſtar bituminum ſubſtantiam, vel hinc diſces, quod nec aqua nec aceto, ſed oleo diſſoluitur, cum ſimile ſimili gaudeat, eique libenter adhæreat.

Ad maris profundũ non omnes piſces penetrant.

Balænæ ad maris ima deſcendũt.

Ambra pinguis eſt.

Cum ingens igitur hæc belua ad imum ſe maris fundum demiſit, tanta in Ambram gulæ auiditate inuolat, vt cum maximam eius partem vorare tentet, partim roſtro, partim caudà ſe hinc inde motitando, & fors etiam toto ſe corpore cautibus, quibus Ambra adnaſcitur incumbendo, ne à mari interea dum appetitui ſuo ſatisfacit, ſurſum pellatur; immenſam eius molem ſeparet ac diſtrahat, quæ ad centena aliquando librarum millia aſcendit. Hæc vbi iam ſuæ ſatisfecit voracitati, ſuperiora petit, & non rarò vbi maiori quam ferre poſſit, ſe onerauerit copia, eius partem reuomit, quæ ſi ita confeſtim haberi poſſet, ſatis adhuc præſtans Ambra foret. Alui autem excrementa nauci ſunt & Ambram parum redolentia.

Balæna maximã Ambrę molem à terra & ſcopulis ſeparare valet.

Balæna vomit aliquãdo Ambræ partem.

Perfectiſſima verò Ambra illa eſt, quam Balæna non deglutiuit, ſed

Optima Ambra quę ſit.

quæ ſua ſponte ad maris ſuperficiē eructauit, id quod ipſi haud difficulter euenire poteſt, cum naturà ſuà pinguis ac leuis exiſtat. Vbi itaque ad ſupremam illam maris regionem emerſit, eiuſdem incolis piſcibus præda fit optatiſſima. In hanc enim maximà illi copià ſe accingentes irruunt, maſſam diſcerpūt, & quilibet ex tam opiparo ſibi cibo particulam abripit, eam tam diu agitant, donec ad maris littus adiuuante ipſo vndarum reciprocantium motu, propellant. Fieri tamen non rarò ſolet, vt procellarum æſtu & ventorum propulſu maxima etiam fruſta antequam piſcibus eſca fiant, extra mare proijciantur. Vbi autem iam littori vicina aliqua maſſa reperitur, ibi minorum gentium piſces turmatim congregantur, & quantum volunt poſſuntque, exſaturantur. Quod vbi in ſicco iam collocata Ambra demum firmatur, nec adhuc à prædatoribus tamen Cancris auibuſque tuta remanet, quæ tam diu huic inſiſtunt, vorantque, quamdiu à ſole non penitus exiccatur. Et niſi his ſubiaceret periculis, iam maior huius copia inueniretur, viliorique pretio diuenderetur.

Ab omnibus indifferenter piſcibus comeditur.

Nec à Cācris & Auibus tuta eſt.

Quid ſit Ambra griſea propriè.

Solent verò Cancri illi magis *Ambræ* portioni inhærere, quæ *griſea* dicitur. Eſt autem hæc nihil aliud, quàm partes Ambræ magis fibroſæ. Videtur enim hæc per neruos ſeu venas ac quodammodo radices ſuas ſcopulis ac ipſi ſub mari terræ adhæreſcere, per quos neruulos ſeu denſiores particulas Ambra ſuum ex terra originem & incrementum adipiſcitur. Et hanc ob cauſam griſea Ambra denſior, grauior adeoque efficacior etiam exiſtimatur.

Vbi F. Greg. illam repererit.

Atque hæc vera & realis Ambra eſt, qualem ego vidi in oris & littoribus *Braſiliæ* & *Moſambigue*. In Oriente quoque in littore *Angolæ*.

Et præter hanc relationem reliquæ omnes ſunt abſque fundamento, ob id dubiæ, & nihil cauſarum afferunt, cur ijs credatur. Quod ſi tamen nonnemo meis velit fidem verbis denegare, ſua ipſimet libera maneat phantaſia & opinandi poteſtas, hunc enim ego certum ſecurumque redditum velim, a nemine mortalium ob id, vllam hæreſeos ſuſpicionem ipſi impingi debere. Atque hæc volui ex F. Gregorij mente ac præſcriptio ſtatim meis prælibare Lectoribus, ne in hoc Ambræ pelago controuerſiarum vndis pleniſſimo, dubitabundi diutius fluctuarent, ſed certum in proſpectu portum haberent, ad quem vela dirigerent. Reperio autem à diuerſis ſcriptoribus, Ambram tam Plantarum, quam Animalium ac Mineralium in claſſe collocari, ex his enim tribus omnem Galenus & ceteri Medicorum ſilij materiam medicam deriuant.

Hucuſque F. Gregorius.

Scaliger Ambram plantale quid facit.

Plantis *Ambram* Scaliger accenſet Exercit. 104. cap. vel particula 10. his verbis: *Facilius inclinat animus Ambram eſſe fungi ſpeciem. Cortice ſiquidem obductam maſſam vidimus, nec ſine ſquammularum veſtigijs vt in Fungo vetulo. Intus globulorum cohæſionibus potius accedit ad Tuberum naturam quorundam, quæ papillatim concreta ſunt. Si quid ad perſuaſionem facere poteſt, aliud huc adducendum. In Rutenis fungillos naſci perpuſillos, valde odoratos, ad Pyrenæos etiam odoratiores, quos Moſſerones vocant.* Verum hæc, quæ vltimo affert loco de odore argumenta, parum perſuadent. Iam enim ſupra Moſchi odorem

quoque

quoque tam in Plantis & Mineralibus, quàm Animalibus reperiri probauimus, Spongiformis ſubſtantia etiam, cum è viuentis cranio & cerebro læſo hominis, vt planta ex terra creſcit. Quin è metallicis tam Naturæ ſponte, quàm artis induſtria elaboratur. Vidi argentum viuum ad hanc ſubſtantiæ formam arte adductum, & exiguo labore in Mercurium currentem reductum.

Scaligeri Libauius impugnat.

Fungus Scaligeri puerile figmentum eſt, inquit, *Libauius* in ſuo de Ambra tractatu. Videtur autem ipſi hæc opinio duplici de cauſa explodenda: tum quia videndum eſſe iubet, an ſub mari fungi planta naſci poſsit? tum quia in tãtam molem, quanta reperta fertur trecentarum librarum, imò Inſulæ magnitudine, non videatur poſsibile excreſcere fungum poſſe. Veruntamen priori Libauij obiectioni facilè ſatisfit, cum videamus non paucas in fundo maris imperfectas, aliaſque perfectas plantas viuere. Imperfectarum à ſe in mari obſeruatarum, in ſuo de *Imperfectis plantis* Lib. mentionem faciet *Princeps Cæſius noſter*. De perfectis hæc habet *Pigafetta* ex *Odoardi Lopez* nauigatione ad Congianos inſtituta: *In parte Inſulæ Loandæ continenti oppoſita, naſcuntur in locis humilioribus ſub aqua arbores poſt defluxum maris conſpicuæ, quarum radicibus magnæ adhærent oſtreæ, carne pugnum humanum æquante, ſapore iucundo.* De mole ingenti huiuſmodi fungi reſpondendum foret, maris vaſtitatem non dedecere vaſtiſsimam plantam imperfectam, & fungoſam præſertim, quæ minerale terræ excrementum videatur, informe veluti & telluris inutile pondus; ſi organorum & partium diſtinctionem ſaltem intueri velis. Conſiderare quoque poterat, nullum vnquam terreſtre animal marinas belluas mole attingere, cum Plinius memoret *Balænas* quaternum iugerum, & *Priſtes* ducenum cubitorum. Idem Alexandri Magni claſsium Præfectos retuliſſe ſcribit, huiuſmodi beſtiarum oſſa, quadragenum cubitorum longitudinis reperta fuiſſe. Quare minus mirum, ſi etiam marinus, quam terreſtris fungus maior exiſtat.

Reſpondetur Libauio pro Scaligero.

Maris vaſtitas vt ingentes beſtias, ita maximos fungos producere poſſe videtur.

Andreas Baccius, quem inter claſſicos iure ac merito ſcriptores collocare poſſumus, quo ego primo vt *Romam* veni ſeſquiennio, magiſtro vſus, ſecundo vix elapſo Cathedram ipſius in rerum naturalium profeſſione adeptus ſum, in opere ſuo de *Thermis* celeberrimo, lib. 5. credidiſſe viſus fuit *Ambram* eſſe Animalis excrementum. *Non diſsimile autem veri fit* inquit, *quod relatum ab Indis audiui a viro Principe: Ambar piſcis quoddam eſſe excrementum, vt Zibethum Catti Indici, & Moſchus & Caſtorium, qui quarundam adnaſcentium herbarum pabulo ſatur, gignat aliquando abſceſſum in ventre intimo. Quo dirupto tria habentur Ambaris genera. Aut liquor emanans ſupernatat aquis, idque optimum: aut à piſce ſponte euomitur, quod vilius, nec ſatis digeſtum: aut piſce mortuo ac eiecto ad littus inuenitur promiſcuum partim candidum partim nigrum.*

Andreas Baccius Medicus Rom. celeberrimus Ambram animale quid cenſet.

Huic opinioni valde illa quadrant, quę *Carolus Cluſius* in Annotationibus ſuis ad *Ambari* caput *Gaziæ ab Horto*, adfert: intellexiſſe nimirum ſe à *Seruatio Marel* Burgundo, qui Ambari, Moſchi & Gemmarum cognoſcendarum cauſa plurimas peragrauerat regiones, *Ambarum* nihil eſſe aliud, quam recrementa in veræ Balænæ ventriculo collecta. Plurimos autem in hoc decipi, quod pro *vera Balęna orcas. Phyſeteres* & ſimiles Cetaceos magnis dentibus præditos piſces habeãt, cum vera Balæna dentibus careat, piſces integros voret, inde viſcoſa in ſtoma-

Alia argumenta ex Cluſio quod ex Animali ſit Ambra.

Quæ vera dicatur Balæna esse.

cho & indigesta massa congeratur, in qua sæpius deuoratorum rostella Polyporum inueniantur. Non mirum itaque, cum in magnorum Cete ventribus Ambram nullam repererint, si hanc ideo opinionem, Ambar animale quid esse, reprobauerint, quandoquidem veras nunquam Balænas secuerint.

Opportunissimum nunc accidit, vt de hac vera putata dentium experte *Balæna*, vel in *Romanorum* nostrorum gratiam ea hic scribam, quorum partem ipsi mecum viderunt, partem ex fide dignorum auditione ego accepi, cum ea præcipue ad hanc nostram aliquid facere controuersiam, & lectorem ipsum non parum delectare videantur.

Veræ putatæ Balænæ descriptio.

Circa Februarij mensem elapsi sexcentesimi vigesimi quarti supra millesimum anni, eiusmodi Balæna non procul à Castro *S. Seueræ* maritimo trigesimo, forsan ab VRBE milliaribus distante, inter duos scopulos sed iam exstincta appulit. Erat hæc bellua longa palmos LXXXXI, crassa L. Os longum XVI. latum X. in quo aperto & trabibus suffulto, commodum equo insidens homo spatium habere poterat. Lingua longa XX. palmos, quæ ex neruosis crassissimisque fibris carne rubra intertextis componebatur.

Mirabilis dentium forma in hac Balæna.

Dentes hic nulli, sed horum loco videre erat corneas laminas nigriusculas, splendentes & oblongas, veluti si tot retortorum gladiorum, quos Acinaces appellare solemus, vaginæ coriaceæ essent, eo ordine positas, vt fistulę illæ stanneæ in Musicis disponi organis solent. Harum breuissima (quarum duas ex recentibus gingiuis, si modò gingiuæ dici merentur, abscidi, domique conseruo) semipalmari lõgitudine erat, cęteris paulatim accrescentibus, vt longissima sex palmos etiã superaret, sed crassitie vix digiti minoris vnguẽ attingeret, latitudine verò ad quatuor vix digitos ascenderet. Hæ omnes subtiliore & tenuiore sui parte secundum totam earũ longitudinem pilos etiam semipalmari longitudine adeò hirtos promittebant, vt meras porcinas setas esse iurasses. Quæ tamen, vt probè ego examinaui, aliud nihil erant, quam mera fila siue productæ fibræ ipsissimam illam materiam corneam (si tamen corneam appellare licet) constituentes. Vbi enim alimentitio glutine hæ cõpingebantur, ibi cornea siue coriacea illa substãtia resultabat, & vbi hæc finiebat, pili ijdem soli lõgius excurrebãt.

Cur dentes hi cornei potius quam ossei esse debuerint.

Et quoniam Natura non voluit, vt hæc tam mirabilis dentiũ forma ac series, instar aliorum ossea tota ac durissima esset, quippe cum dentes hi sub palato fluctuarent, nec alueolis vt alij comprehenderentur, ideo debuerunt superiore quà palatum cõtingunt parte, molliores ac veluti pilosi esse; inferiore dura, cornea, coriacea ac quodámodo ossea, vtcũque appellare libeat, substãtia prædita, vt alimẽtum, quod deuorat bestia, aliquam ibi saltem resistentiam reperiat. Sunt enim hi dẽtes diuerso planè modo situque, quam in alijs contingit, ordinati per oblongum videlicet palati fornicem porrecti, & minimè ex imo sursum erecti.

Rondeletius in huius Balænæ dentium descriptione videtur lapsus fuisse.

Aduertendum hic tamen moneo Doctissimum *Rondeletium* lib. 16. cap. 11. de Piscibus, vel hallucinatum fuisse, dum Balænas huiusmodi describit inquiens: *Dentes in ea nulli, sed horum loco in vtraque maxilla corneæ sunt laminæ nigræ, sensim in pilos suillis similes, desinentes: quæ anteriore & posteriore siue interiore oris parte breuiores sunt, in media longiores: ab interioribus lingua intus continetur & coercetur, inde educta, vel abscißa ita diffunditur, vt in eundem locum recipi postea non possit.* Vel reue-

ra Balænas tales inueniri, quæ in vtraque maxilla eiuſmodi dẽtes ſortitæ ſint, id quod vt credam, difficulter adducor. Noſtra enim iã deſcripta in ſolo palato ſiue ſuperiore maxilla mirabilẽ illum dentium ordinẽ, figurã & cõſtructionẽ monſtrabat. Inferioris verò maxillæ labrum oſſeum, nigrum, obrotundum, maximæ craſſitiei, ſertis illis reſpondebat, quibus murorum ſummitates coronari ſolent.

Oculorum orbita maiori alicui vmboni ſiue parmæ, pupilla verò tornato ex finiſſimo Ebeno globo ſimilia cernebantur. Cutis mollitie & colore Anguillæ pellem æmulabatur. Circa corporis medium duæ ſiue alæ, ſiue pinnæ palmorum X. vtralibet, prominebant; vbi corpori fixæ hærebant, trium erat latitudo palmorum, quæ finem verſus ſemper decreſcebat. Cauda bifurcata lata X. & longa VI. palmos; circa hanc caro mera neruoſaque nec pinguis: ſuperiora autem verſus lardum potius quàm caro apparebat, ex quo magna olei copia lucernarum vſui ſeruiens eliquata fuit. Sub hoc tamen lardo vera ac rubicunda caro latebat. Oſſium, propter horrendum putrefacti cadaueris fætorem, non potuit tunc temporis examen inſtitui.

Deſcriptio oculorum. Cutis. Pinnarum. Caudæ. Carnis.

Tota illa dentium ferme compoſitio ſuis adhuc connexa ordinibus Romam delata, ac Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Principi *Franciſco Cardinali Barberino* (cuius felicibus auſpicijs huic operi iam incumbimus) oblata, à Nobiliſſimo Equite *Caſſiano Puteano Lynceo* cum admirandarum alijs theſauris rerum naturalium, ſtudiosè conſeruatur.

Dentium hãc ſeriem conſeruat Nobiliſſ. Caſſianus Puteanus.

Similis, ſed ingentior bellua Anno MDCXX. circa *Corſicam* & ipſa iam mortua reperta fuit, longa pedes centum. Solum lardum, ſiue carnea pinguedo pendebat librarum centum & trigintaquinque millia. Pro extrahendo inteſtino recto niſu maximo & coniunctis viribus ſeptemdecim viri fortes operam ſuam impendebant. Hoc eius erat capacitatis, vt inſidentem caballo ſuo equitem facillimè admitteret. Triginta duabus ſpiña dorſi vertebris conſtabat, ex quibus varia ſedilia conficiebantur. Et cum hæc fæmina eſſet, vtero fætum concluſum gerebat, pedes longum triginta, pondere mille ac quingentarum librarum. Ex huius menſura etiam præcedentis, quæ paulo minor fuit, proportio ſi cui minus accuratè eam deſcripſiſſe viſi fuerimus, facilè æſtimari poterit.

Alia ſimilis Balænæ delineatio maioris.

Erit igitur hæc vera Balæna, cum dentibus eiuſmodi, quos nos plerunque dentes oſſeos alboſque alueolis ſuis infixis dicimus, careat, ſi *Seruatio* illi apud *Cluſium* credimus, & ex hac ſola pretioſum illud odoramentum *Ambra* ſcilicet extrahetur. Verumenimuerò hanc belluam minimè antiquorum Balænam eſſe, rectè quidem meo iudicio Rondeletius autumat. *Ariſtoteles* enim lib. 1. de Hiſt. an. cap. 5. *Alia animal gignunt*, inquit, *perfectum, alia ouum, alia vermem. Procreant animal homo equus, vitulus marinus, & reliqua quæ pilis integuntur, atque in genere aquatili, quæ Cete appellamus, vt Delphini & quæ cartilaginea vocantur. Quorum alteris fiſtula data eſt, branchiæ deſunt vt Delphinis & Balænis. Habent Delphini fiſtulam in dorſo, Balęnæ in fronte.* Et *Plin.* lib. 9. cap. 6 *Ora Balęnę habent in frontibus, ideoque ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflant.* Huic autem iam à me deſcriptæ beluæ, cum branchiæ adſint & fiſtula deſit, qua ratione eſſe Ariſtotelis & Plinij Balænam aſſeuerabimus? Confirmauit autem mihi *D. Bernardinus Radi* Eques & Centumcellarum (Vulgò Ciuità Vecchia) Architectus, fiſtulam in hoc Cataceo piſce

Cõtrouertitur an deſcripta bellua ſit vera Balæna antiquorũ.

In hac Balæna noſtra nulla fuit fiſtula.

ſe nullam reperiſſe, cum diligenti tamen examine cadauer beſtiæ perluſtraſſet, & deſignatum ære quoque euulgaſſet. Exiſtimat igitur Rondeletius hoc noſtrum Cete, cum Balæna neutiquam ſit, potius Ariſtotelis & Plinij Muſculum eſſe, quē Græci μυϊκητον dicunt. Et Plinius quidem lib. 11. cap. 37. *Muſculus marinus, qui Balænam antecedit, nullos habet dentes, ſed pro ijs ſetis intus os hirtum, & linguam etiam ac palatum.* Ariſtot. verò lib. 3. de Hiſt. An. cap. 12. *Muſculus etiam piſcis* ait, *pilos in ore intus habet vice dentium, quibus omnino caret, ſuillis ſimiles.*

Videtur Antiquorū Muſculus eſſe.

Cur non ſit Muſculus hęc Balæna.

Rectè hæc omnia Rondeletio adſtipulari videntur, Balænam neganti & Muſculum eſſe affirmanti. Et tamen non leuem mihi ſcrupulum inijcit: quod Ariſtoteles nempe & Plinius dicere velle videntur, ex palato animalis hos pilos enaſci, cum in noſtra hac beſtia ex corneis illis laminis, quæ probè à palato ſeparari poſſunt, originem ſumant. Accedit Plinij authoritate credi debere, Muſculum non magnum piſcem, ſaltem non ex Balænarum claſſe eſſe, cum dicat lib. 9. cap. vltimo: *At è contrario amicitiæ exempla ſunt præter illa, de quorum diximus ſocietate Balæna & muſculus, quando prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur.* Hunc *Oppianus* & *Ælianus Ducem Balænæ* appellant, & *Claudianus* his verſibus parui corporis facit:

Si ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Bellua, ſulcandas qui præuius edocet vndas,
Immenſumque pecus paruæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monſtro.

Et Oppianus lib. 5. conceptis verbis paruum appellat, cum enim de immanibus illis & cetaceis piſcibus loqueretur, qui tardè mouentur, ductorem ipſis paruum hunc piſcem attribuit:

Pondere magnorum membrorum tarda feruntur,
Et lentè æquoreo circumuoluuntur in æſtu.
Hac ratione comes cunctis ductorque viarum
Muſculus eſt paruus viſu, ſed corpore longo,
Et tenui cauda, paulo ſemotus ab illo
Præcedit, monſtratque viam, ducitque per æquor.

Aſt quoniam idem *Plinius* lib. 32. cap. vltimo Muſculum non inter paruos piſces ſed belluas marinas, vt *Phyſeteres, Balænas, Priſtes, Orcas* & ſimiles numerat, putat Rondeletius eundem lapſum fuiſſe, dum priore citato loco, pro Balænæ duce Muſculum aſſignauit.

In huiuſmodi Balænis aliquando Ambra reperta fuit.

Scribit quidem *Rondeletius*, in huiuſmodi edentulorum muſculorum, ſiue Balænarum malè creditarum, ventriculis non rarò Ambram inuentam eſſe: ſed hoc, vt ego opinor, minimè conuincit, ibidem hanc ex malè digeſtorum piſcium viſcoſa maſſa enatam fuiſſe, cum idem ipſe affirmet in eorundem ſtomachis nihil præter aquam, ſpumam, mucum, & fætentem Algam ſine vllis piſcibus, aut piſcium fruſtis reperiri, vt vel hinc clarum euadat, eam minimè carniuoram beſtiam eſſe. In noſtra certè belua, quam ad noſtrum hoc mare mediterraneum appulſam iam ſatis delineauimus, noſtri homines præter malè olentia & naribus vix toleranda retrimenta, nihil quicquam offenderunt.

Et

Et hanc quidem beſtiam, & quæ in ipſa continebantur pleraque, exacta diſquiſiuit diligentiâ ex famulis quidam Illuſtriſſimi *Principis Cæſij* noſtri; quem, cùm ipſemet (quod maluiſſet hic rerum Naturalium curioſiſſimus Spectator & Obſeruator) ob negotiorum & longioris viæ incommoda *Aquaſpartæ* in vrbe ſua retentus, coram adeſſe non poſſet, eò ex *Ciuitella Cæſia* Caſtro ſuo à Maioribus Cęſiæ Gentis in Tuſcia ędificato, nec longè à *S. Seuera* diſſito, ablegauerat. Qui cum exquiſitam partium omnium proportionem menſus eſſet, dentes etiam aliquot ſecum abſtulit, qui in Principis Muſæo hodieque inueniuntur.

Princeps Cæſius per famulum miſſum Balænam hâc perluſtrari curault.

Non defuerunt tamen noſtra quoque memoria aliæ Balænarum ſpecies, dentibus non coriaceis aut corneis, ſed veris ac oſſeis prædítæ, quarum vna *Aſturæ* loco non multum ab antiquiſſimo *Neptuni* maritimo oppido diſtante, in maris littus proiecta occubuit. Hoc cum littus eodem tempore animi & obſeruandarum ſimul quarundam maritimarum gratiâ raritatum, fortè fortuna idem Princeps Cæſius legeret, vertebram ex cauda, & dentem ex eadem Balæna nactus eſt, non abſimilem planè illis, quibus *Hippopotamos* hìc *Romæ* inſtructos vidimus.

Prope oppidũ Neptuni alia Balæna veris dentibus inſtructa reperitur.

Et pauculos ante annos demum, ſimilis cetaceus & dentatus quoque piſcis, ſed paruus & , vt apparebat, iunior prorſus *Maccareſium* Arcem mari contiguam, Illuſtriſſimi *D. Hieronymi Matthæi Marchionis Iouij* propriam, vndis iam & maris æſtu confectus appulit. Hic etiam Marchio; qui non tam nobilitate & diuitiarum, quibus affluit, quàm bonarum literarum, Mathematicarum præcipuè ſcientiarum laude clareſcere diſcupit, & ob id *Principi Cæſio* amiciſſimus, mihi beneuolentiſſimus; Coſtam huius piſcis Principi trãſmiſit, quę cũ rarioribus plurimis Naturæ artiſque donis, atq. inter alia cũ Vaſculo quodã ex ipſiuſmet Cetacei piſcis Vertebræ cuiuſdã interiori ſpõgioſa & medullę cõtigua parte faberrimè elaborato, in Muſæo ſuo ab eodem *Illuſtriſs. Principe* aſſeruatur.

Alia huiuſmodi dentata Balæna Maccareſium appulit.

Hieronymus Matthæus Marchio Iouiſ.

Caſtagneda in Orientali Hiſtoria ſua friuolam adhuc magis opinionem fouet, excrementum hoc Ambarinum in Balænis repertum ſtercora eſſe auium quarundam, quæ in Arcipelago illo interiori odoriferis veſcantur herbis, in rupes & ſcopulos Inſularum earundem ſua retrimenta deponant, quæ mari innatantia à Balænis deuorentur & necdum concocta vomitu poſtea reijciantur.

Caſtagneda vult Ambram eſſe auium ſtercora.

Garzias ab Horto verò loco iam ſupra dicto, Terram quandam eſſe putat: *Ceterùm hæc mea eſt opinio*, inquit, *veluti pro regionum natura terra interdum rubra eſt, vt bolus Armenus, interdum candida vt Creta, nonnunquam nigricans: ſic veriſimile eſt aut inſulas, aut terras ſimilis cum Ambaro formæ inueniri, quod terra ſit aut fungoſa, aut alterius generis. Quod verum eſſe teſtatur magna eius, quæ reperitur, quantitas. Siquidem inuenta ſunt interdum fragmenta humanæ magnitudinis, interdum nonaginta palmorum longitudinis, duodeuiginti verò latitudinis. Affirmant nonnulli ſe integram ex Ambaro inſulam vidiſſe, quam cum poſtea requirerent, nunquam comparuiſſe.*

Garzias ab Horto ait Ambram eſſe Terræ ſpeciem.

Verum de inſulis eiuſmodi Ambarinis *F. Gregorius* nihil ſibi vnquam viſum nec auditum fuiſſe ſanctè mihi affirmauit. Poſſe ingentia Ambræ pondera interdum mari innatare non abſurdum putamus, quæ hyperbolicè Inſulæ dici queunt. Nam & illi, qui iam deſcriptam vulgò Balænam ſeu potius Muſculum

Ingentes Ambrę moles aliquãdo repertæ.

appel-

appellatum ante ſeſquiannum ex Turri maris, vbi aduerſus pyratas excubiæ aguntur è longinquo conſpexerunt, inſulam primo rati eſſe fuerunt. Et cum, vt experientiâ clarum eſt, Ambra quaſi integra ſit pinguedo quædam, iam autem nec auium fæces, nec Balænarum ſtercora aut viſcoſus earum in ventriculis humor adipioſa ſint, nec vlla vnquam inſula quæ plantas & animalia alere queat, pinguedo fermè mera, qualis Ambra quæ oleo & non aqua vt terræ ſolent, ſoluitur, fuerit; conſequens erit vt in nulla horum claſſe Ambræ locum dare valeamus.

Ambra quaſi tota eſt pinguedo.

Multò noſtræ ſententiæ vicinius accedit *Nicolaus Monardes* de medicam. noũi orbis. Cap. 7. *Varia eſt crica Ambari originem*, inquit, *opinio: ſed veriſſimum eſt, Bituminis genus eſſe ex fontibus in alto mari manans, quod aëri expoſitum illico denſatur, vt ſolent pleraque quæ ſub marinis aquis tenella & mollia ſunt, & aqua exempta durantur vt corallium & ſuccinum*. Et paulo inferius: *Verum eſt meo tempore Balænam circa Canarias, quas Inſulas Fortunatas putant, captam in qua inuentæ ſunt plus quam quatuor Ambari arrouæ* (ponderis apud Hiſpanos genus, quod viginti-quinque libras pendet) *ſiue centenæ libræ: poſtea tamen infinitas Balænas cum ſuis Catulis interfecerunt, ſed nihil Ambari in eis inuentum eſt*.

Nicolaus Monardes magis noſtræ ſententiæ fauet.

Matthiolus titubat, & quid certi determinet, ignorare ſe ingenuè his verbis fatetur. *Ceterùm ex antedictis quæ ſit Ambari hiſtoria vt verior accipienda, non equidem auſim decernere, quod nihil adhuc certi atque explorati habeam.* Adfert tamen *Simeonis Serbi* & *Serapionis* (quamuis hunc non nominet) opinionem & ipſiſſima ferè verba, quorum ille *Ambræ* non minus ac ſulphuris & Bituminis fontes in terra ſtatuit: hic ipſam in maris alueo non ſecus atque in terra fungos oriri exiſtimat. Nos poſtremæ huic ſententiæ libentius, quam vlli alteri ſubſcribimus. Non ob id tamen in plantarum, ſed mineralium potius genere Ambram collocari volumus.

Matthiolus de Ambra ignorantiam ſuam fatetur.

Quæ noſtra ſit ſententia.

Poſſe autem mineralia non in Fungi tantum forma ſiue in rudimenti illius modo, in quo Natura veluti ſtirpes fabricare addiſcit, ſed perfectioris etiam alicuius plantę figurà è terra germinare, varij varia documenta authores adferunt, quæ ſummatim collegit *Fortunius Licetus* acerrimus Peripateticæ ſectæ propugnator Lib. 4. cap. 72. de Spontan. viuent. Ortu, vbi ex *Petro Martyre* in noui Orbis *Hiſpaniola* Inſula Aurum è terra ſurgere, & vitis modo circa arbores ſerpere. Ex *Fulgoſio* apud *Firmium* Pannoniæ vrbem, interdum in vitibus Capreolos ineſſe repertos verè aureos, ex ijs auream cuſam monetam fuiſſe. Ex *Ariſtotele* de *Admirandis*, Aurum defoſſum, aut in terram proiectum excreuiſſe, Æs comminutum & ſeminatum, vbi aquæ illud irrigarunt, aucta extitiſſe, adducit.

Aurum aliquãdo plãtarum inſtar germinaſſe.

Fortunius Licetus optimus peripateticus.

Poterat igitur vitalem quis in metallicis ſibi ſpiritum facile imaginari, & à plantarum anima vegetante non longè ſeponere. Seminari enim, creſcere, germinare non poſſe videntur, niſi quæ ex vegetantium ſunt genere. Veruntamen *Licetus* huic illico ſatisfacit dubio, vt pleriſque facillimum eſt Ariſtotelicis ad quodlibet propoſitum problema, & ad eius contradictorium ſi placet quoque, rationibus reſpondere. Ait igitur ſupponendo ea omnia vera eſſe, quæ de auri æriſque vegetatione allata fuerunt, vel primò dici poſſe non verè

An mineralia vegetentur.

Reſponſio Liceti ad hoc dubiũ.

Capreo-

Capreolos ſed æquiuocè fuiſſe; vel eodem modo creuiſſe, vt cornua in ceruis, in quibus vita nulla ſit, imò veros etiam in vitibus Capreolos ſe habere vt vngues & cornua, hoc eſt, ſine vita; vel vites per radices ſuas è terra attraxiſſe humorem metallicum, in quo humore fuerit auri prius geniti aliqua portiuncula, metalla autem à prædominio eſſe aquea & generationis eorum materiam humorem eſſe fluidum, adeoque facilè obſequentem. Vel demum hoc fieri poſſe ex natali mollicie, ab anguſtia loci, materiam vi pulſam è terræ finibus contorquente. Si aurum vitis in morem arboribus adhæreat, hoc illi accidere ob lentorem, ac molliciem facultatemque rigendi extra natale ſolum. *Quod ſi verò*, inquit, *aurum defoſſum alicubi, poſſe renaſci concedamus; dicimus id renatum fuiſſe, non quia vetus aurum, plantarum more, nouum metallum ſibi conſimile geminauerit: ſed quia vetus illud aurum materiam ſibi propinquam, ad quam auri naturam diſpoſitionis quomodocunque, & vndecunque adeptam in nouum aurum commutauerit, ea ratione prorſus, qua ignis ligna in ignem nouum conuertere conſueuit, & aqua vetus aerem in aquam nouam phyſicè tranſmutare ſolet.*

An valida ſit Liceti reſponſio.

Atqui hoc mihi modo dubium obſcurum per obſcurius ſolui videtur. Metallicarum gnari rerum philoſophi & artifices, hæc non ſicco ita pede tranſirent. Cum enim in minerarum puteis ac metallorum venis, ſeminium quoddam latitare certa ſciant experientiâ, per quod metalla certis determinatiſque locis maturantur, fæcundantur, ſe inſtaurant ac propagant, adeoque ſuo quodam modo creſcere & germinare dici valeant, id omne operis ſine vegetatione aliqua non poſſe accidere videtur. Sed hæc alterius loci fuſius explicare fuerit.

Ambra videtur quid medium inter plantã & minerale.

Et quid ſi Ambram forſan inter minerale & plantale medium quippiam aſtruamus? An Naturæ hoc inſolens erit? quæ ab vno ad alterum extremum non niſi per medium tranſire eſt ſolita. Vt enim inter Angelum & brutum animal Homo eſt medius, ita inter hunc & abiectiſſimam beſtiam Simia interiacere videtur. Inter perfecta bruta & plantas perfectiſſimas ſe interponunt Zoophyta, *Plantanimalia* philoſophis appellata. Certè quid ſupra plantarum naturam *Spongiæ, Lorica, Vulua* & *Mentula* cuncta marina & informia prorſus animalia, præter obſcurum conſtrictionis & dilatationis motum habeant, non video. Huc referri poſſunt plantæ, quæ verè plantarum facie terræ infixæ immobiles manent, niſi quod homine accedente ipſaſque contrectare tentante, ramos contrahant, quarum vna apud *Malabaros*, altera in *Pudefetania* eſſe à Recentioribus memoratur: quæ ob id *verecundæ arboris* nomen meruit: His tertia accedit mirabilior in Inſula propè *Cimbubon*, cuius folia in terram lapſa humi repunt, & ſub tangente manu diffugiunt. Quibus ſi placet *Agnum* adde *Scythicum*, animalis formâ, plantali carne, terræ hærentem & herbas vicinas veri animalis inſtar depaſcentem, quem etiam Scaliger deſcribit. Iam *Tubera* terræ cum nec radices nec folia nec flores ramoſue habeant, quis in plantarum claſſe facilè repoſuerit? vegetante tamen anima prædita eſſe, quis dubitabit? Non igitur adeò abſonum fuerit *Ambram* inter mineralia & plantalia mediam collocare: quod ſi ſubſtantiam ſpectes, bitumen ſit; ſi pullulandi è tellure morem, plantas imitetur. Hanc inter Plantas & mineralia mediam Naturam primus inuenit & detexit Illuſtriſſimus & Excellentiſs. *Princeps Cæſius* noſter:

Natura ab vno extremo ad alterum per media incedit.

Mirabiles plantę ſenſu tactus præditæ.

de qua

de qua ex professo in suis libris de *Metallophytis* inde à se cognominatis agit, quorum specimen & species diuersas anno præterito ad Illustriss. Principem *Franc. Card. Barberinum*, Aquasparta Romam transmisit.

His ita stabilitis, quid ad Scaligeri opinionem, qui fungum esse Ambram voluit, dicendum sit; iam liquet: non esse plantam nimirum veram, quales reliqui sunt fungi terrestres, horum enim nullus pinguedine tanta, quanta in Ambra est, pollet. Dici tamē fungus potest, tum quia fungi facie germinat, cum quia inter stirpem & terræ excremētum minerale fortassis intermediat. Quod autem fungus hic immensus, si quando maris turbulenta ingruit tempestas, & vt Serapio loquitur, *Seuientibus procellis agitatum pelagus, cum prouolutis impetuosè saxis expuatur in littus Zing vocatæ regionis: tum homines, quæ præsentiunt maris insultus, ad vada se quam citatissimo cursu conferant, vnde & apud illos Michere seu veloces cursores ue appellantur, & quod eructatum est Ambarum, congerant.* De hoc inquit F. Gregorius, à neutris quicquam *Indis* compertum haberi. Quin falsum esse, si ventorum etiam turbine adeò mare intumescat, vt cælum terræ misceri videatur, aquam in fundo maris vllo modo conturbari, multo minus quæ ipsi inhærent terræ, Ambræ inquam & ingentia saxorum volumina è mari exturbari. Placidissimam enim in fundo stationem Vrinatores, siue illi qui margaritarum piscationi operam dant, tunc experiuntur, cum maris superficies etiam inquietissima furit.

Fungiformem hanc Ambram non à maris agitatione cum saxis eijci.

Mare supra agitatū infra quietū est.

Et qui in Naui illa, admirabili *Cornelij Trebelij* Hollandi ingenio excogitata, & *Londini* in Anglia, vbi hodieque visitur, fabricatà sub mari nauigarunt, sanctè mihi iurarunt, furentibus æquore ventis, nullam in imo maris molestiam percipi. Recipit autem hæc nauis viginti quatuor homines, quorum octo remos agunt, reliqui suis in cubiculis persistunt, qui viginti quatuor horarum spatio aere alio nullo indigent, soloque illo in naui concluso contenti viuunt, quibus exactis, superficiem maris petunt & referato nauis operculo ac paulisper aperto nouum aerem hauriunt, quo postea clauso operculo sub aquam denuò tam profundè merguntur, quam nauis Rectori ad Orgias etiam si vellet quinquaginta, visum fuerit. Et quod mireris magis, ibi quoque magnetico indice cursum dirigunt, vbi locorum sint norunt, remisque facillimè nauem agitant. Quodque fidem ferme omnem subleuat, est, quod eo loci vbi remigantes morantur, nauis absque fundo est, vt aquā ipsi continuò aspiciant, ab ea verò minimè sibi timeant: cum in scamnis suis paulo altius sedentes pedibus haud quaquam ipsam contingant. Sed non libet nunc omnia persequi, quæ ab ipso Artificis Genero mihi non ita dudum relata fuerunt.

Describitur mira quædā sub aquis nauigatio.

Nec verò simile mihi videtur *Azelum* maiorem, aut alias etiam minores pisces deuoratā Ambrā, ab ingesto veluti veneno interire. Præterquam enim, quod experientia hoc minimè constat, ratio etiam reclamat, cum Ambra non aliorum instar Bituminum nauseoso & acri chalchantino spiritu ac sale, sed ex suauiore quadam minerali tamen, pinguedine componatur, quæ non dicam piscibus Pamphagis illis Neptuni pecudibus, sed nec hominibus exitio esse comperitur. Pinguia autem terrestribus quibusdam particulis mixta, ab animalibus & appeti valde, & eadem nutrire multum, in carne maximè porcina

Ambram piscibus nō venenū sed cibū optimum esse.

& caseo

& caſeo pinguiore Ruſtici experiuntur. Nec abſurdum eſt, mera etiam minera lia noſtræ licet minus congrua Naturæ, à piſcibus tamen deuorata digeri poſſe, cum viderim ſæpius in exenterâtorum ventriculis piſcium maiorum, minores piſces modò integros adhuc, modò ſemiliquidos contabuiſſe, & conchyliorum teſtæ in humorem quoque chyloſum abeunt, non vt vulgus Medicorum ac Philoſophorum credit à magno ſtomachi ipſorum calore, noſter enim longè potentior nunquam hoc efficeret, ſed ab alio principio, à quo videmus & vniones & corallia duriſſima in limonum ſucco & aceto, frigidis ab ipſis creditis humoribus, facilè liqueſcere: Quis enim intenſus ſit in ventribus piſcium gelidis in vndis ſemper degentium calor? cum multis ego vicibus in Teſtudinum tam aquaticarum quàm terreſtrium etiam viuentium ſanguine, & corde palpitãte extracto, nullum non dicam calorem, ſed ne teporem quidem quin merum frigus ipſo Iulio Menſe, & Syrio ardente ſenſerim, quod & in piſcium mihi ſanguine, in quo præcipuus animalis calor ſitus eſt, vſuuenit. Sed hæc altiori & quam hæc tempora non capiunt, ſpeculationi reſeruantur.

Piſces nobis indigeſtibilia cõcoquunt, non à maximo calore.

Teſtudinũ & piſcium ſanguis & cor ad tactum frigida.

Neque hoc ſilere debeo: *Monarden* in *Ambra* ſæpe Auium roſtra, ac conchylia, & oſtrearum teſtas reperiri ſcriptum reliquiſſe. Veruntamen *Cluſius* hæc non Auium ſed *Sepiarum* roſtella, aliorum ex mente eſſe annotauit. Non eſt omnino de nihilo hæc dubitatio. Vidi enim hìc Romæ non rarò, vbi ſepiæ quam plurimæ venduntur, earum roſtella Auium adeò roſtris ſimilia, vt incauto facilè auium illa fuiſſe imponere potuiſſent. Et Cluſio quidem ego libens aſſentior, ſæpius hoc accidere poſſe. Attamẽ nec hoc diſſimilare volo, me verũ & genuinum Auiculæ roſtellum oblõgum, anguſtum, & acutum, integrumque in magna ſatis Ambræ odoriferæ optimæ maſſa, quã iam ſæpe laudatus Eques noſter *Puteanus* Lynceus (vt pretioſorum huiuſmodi medicamentorum, quà naturalium, quà arte paratorum inſtructiſſimam habet ſupellectilem) *Venetijs* tranſportari huc curauerat, vidiſſe ac manibus tractaſſe. Solent autem, quæ ex *Sepijs* ſumuntur non oblonga & tenuia ac compreſſa, ſed craſſa, breuia, ac lata valde eſſe, qualia vel in *Piſce Orbe* Nilotico meo, vel in Auicula *Coceotrhraußle*, & ob id ab Italis *Friſone* & *Groſſobecco* vocata, inueniuntur: vt affabrè hanc cum plurimis alijs in ſuo *Auiario* æri inciſis & euulgatis *Ioannes Petrus Olina* I. V. Doct. egregius, ſub fauſtis *Puteani* noſtri auſpicijs delineari curauit, luculento ad omnes addito commentario, qui ſi ita perrexerit, herbam ipſi, vlla abſque controuerſia, ornithologi alij omnes & Aldrouandus porrigent. Atque hæc de ſepiarũ & Auium roſtellis adducta ſint, vt magis *F. Gregorij* ſententiam cõfirment, qui non tam maris beſtias, quam cæli volucres Ambræ eſui maximè inhiare teſtatum voluit. Quod ſi tamen vllam ex *Ambræ* paſtu Balænam vnquam interijſſe contigit, id copiæ potius ingeſtæ, quam deleteriæ pretioſi huius odoramenti facultati tribuendum arbitror. Nam & *vini* ac *panis*, quorum hic corpus, illud Animæ vinculum ſpiritus maximè refocillat, nimia quantitas veneni vicem ſubit.

Auium & ſepiarũ roſtra in Ambra reperiuntur.

D. Caſſianus Puteanus pretioſiſſima medicamenta aſſeruat.

Atque hucuſque candide Lector, *Zibethi Moſchi* & *Ambræ* diſquiſitio, longiuſculum forſan, quam voluiſſes, teque meque tenuit. Sed cum incerta illa Authorum varietas, qui vt *Lucretius* ait:

Cur protracta fuerit longius hæc diſquiſitio.

Sæpiunt

- - - Sapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditu potius, quam ſenſibus ipſis.

Hactenus nos cæca caligine merſos omnes traheret, puto aliquam ſaltem per me, diſputatione hac lucem controuerſijs illis allatam fuiſſe: nempe

Sic vnumquodque paulatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit auras.

Cum itaque tam Moſchi quam Zibethi exoticorum Animalium, dilucidam, vt ſpero, hiſtoriam dederimus; contraria verò iuxta ſe poſita magis eluceſcant, poteram his admirabile animalculum quoddam adiungere, in quo Natura omnem mundi corriuando veluti fætorem commiſcere voluiſſe videtur *Anna Tuya Peruanis* dictum, à *F. Gregorio* graphicè mihi deſcriptum. Veruntamen cum & *Nardus Ant. Recchus* noſter in hoc ipſo opere ſuo, ſimilis propemodum meminerit *Mexicanis Yzquiepatl*, nobis nomine *Vulpeculæ, quæ Maizium torrefactum æmulatur colore*, vocatum, eò vel lectorem nunc remittimus, vel vbi otium nobis ſupererit, in eodem commentando capite, aliquid de noſtro addemus.

Anna Tuya fætidiſſimũ animal Peruanum.

De Electione *Ambræ* & quid aliud dicã faciamuè, quam vt Nobilibus his Medicorum Collegijs, *Romano* inquam meo, ſubſcribam & *Auguſtano*? Quorum hoc in *Germania*, illud in *Italia* ceteris facilè præcellit. In hoc autem concordant ambo voce ac calamo, probari odoratiſſimam, leuem, ſordibus carentem, griſei coloris, venis modò cinereis, modò albicantibus & notulis quibuſdam ruſis, croceum colorem imitantibus diſtinctam, ac pinguem ita, vt ſi acu candenti perfodiatur, olaginei aliquid ſucci reſudet. *Romanum* Collegium griſeam ac nigram tantùm agnoſcit: hanc verò reijcit, & vnguentarijs ac Chirothecarijs relinquit. Aſt neque hi, ſi griſeam nanciſci poſſunt, nigram emunt fragrantià à griſea longè victam. *Auguſtanum* tamen etiam albam nouit & reijcit, quæ & ipſa noſtris Chirothecarijs nõ eſt ignota, ſed ob odoris debilitatem griſea ignobiliorem repudiant. Scio à pleriſque hanc Struthiocameli ouum candore æmulantem, ceu quæ impoſturam ſapiat, reprobari: volunt autem aliqui hanc gypſo admiſto talem concinnari, quod vix crediderim, ponderoſior enim, quam eſt, inueniretur.

In Ambræ electione, probatur Romani & Auguſtani collegij medici aſſenſus.

Griſea ceteris præfertur.

Ludouicus Coltrius exercitatiſſimus & rerum naturalium maximè gnarus Pharmacopœus, qui è regione *Panthei Agrippæ* ad inſignia *S. Georgij*, inſtructiſſimam quà factis, quà infectis pharmacis tabernam habet, & *Theriacæ* præſertim ac *Mythridati* confectione cæteris facilè palmam præripit, ſibi non ſemel tantum contigiſſe affirmauit, quod griſea illa optima Ambra, vbi ſenio confecta fuiſſet, albeſcentem colorem, id quod & mihi in *Ambra* octo annorum quam domi detinui, vſuuenit; acquiſiuiſſet, euanidi prorſus ferme odoris. Hoc multoties nos in cæruleo Vitrioli experti fuimus. vbi diutius aeri exponeretur albedinem planè contraheret. Attamen & albam quæ recentior apparet, inueniri certus ſum, ſicut & nigram recentem, quod quidem in plantis & mineralibus non eſt ab earum natura abſonum, ne de animalibus quicquam dicam, etiamſi eſſe partes prorſus homogeneæ eſſent, poſſe tamen in aliquibus particulis colore differre. Quid igitur mirum, ſi in maſſa ingenti adeò, quantà fungorum more è terra, cautibus, rupibus, ac ſcopulis maris emergit Ambra,

Ludouicus Coltrius materię medicæ experiẽtiſſimus pharmacopœus.

Griſea Ambra ſenio albeſcit, ſicut & vitriolum.

In vna & eadem magna maſſa Ambræ poſſe eſſe differẽtes colores.

color

color ſimul ſit albus, nigricans, & cinereus ſiue griſeus, cuius differentiæ rationem ſupra etiam F. Gregorius aliquam rationem probabilem attulit. Quod *Auguſtanum* verò Medicum Collegium illam etiã, quæ auium roſtris, conchyliorum & oſtreorũ teſtis permixta cernitur, refutat, id demum non omnino admittendum iudico, niſi ſordes aliæ terreſtres cõiunctæ ipſi hæreant. Supra enim in Ambra optima auiculæ roſtellum me reperiſſe monui.

Ambra auicularũ roſtris immixta non eſt omnino reijcienda.

Fungitur autem digniſſimè iam laudati Collegij *Romani* Medici hoc anno M.DC.XXV. Archiatri ſiue *Protomedici* munere *M. Antonius Lucianus*, acutiſſimus prẽter medendi artem Philoſophus, & Medicinæ, quæ Theoremata explicat, Profeſſor publicus, ac meus ante hos XXV. annos in *Noſocomio S. Spiritus* collega & amicus. In edolanda verò ac promulganda, quà Galenicis quà Chymicis medicamentis locupletiſſima *Auguſtana* Pharmacopœia, primariam contuliſſe ſymbolam ſuam mihi videtur *Raymundus Mindererus*, qui ea in ſcribendis libris ſuis, quorũ complures vtileſque edidit, & praxeos Medicæ felicitate donatus fuit, atque *Cæſari* ob id *Matthiæ* acceptiſſimus, vt ſuum *Sueuia* prẽcipuè *Auguſta Vindelicorum* amœniſſima Ciuitas *Hippocratem* iure ac merito appellare poſſit.

Raymundus Mindererus Sueuiæ ſuæ Hippocrates.

De optimi Moſchi ſignis Lectorem ſimiliter conſulere iubeo vtramq. pharmacopœiam ſiue *Antidotarium Romanum & Auguſtanum*. Eſſe debere nimirum ſiccum ac perodorum, ſubſtantiæ mandendo friabilis facilè, & fragrantiæ cerebrum nonnihil ferientis, colore modó ſubflauo, aliquando ſubnigro, & ferè ferrugineo. Quod non eſt mirum, cum ſanguinem cum carnibus contuſum ac torrefactum, ex quibus conſtat, imitetur. De Zibetho demum medicamentis rarius addi ſolito, plerique qui de Animalibus commentati ſunt, authores videri poterunt. Nobis ob temporis anguſtiam (plurima enim adhuc dicenda reſtant) non licet ſingulis his diutius & minutius immorari.

Electio Moſchi.

De Zibetho alij videantur.

O quam ego nunc vellem per ſuaueolentes illos odorum campos latius expatiari, odorumque naturam penitius explorare! Cur fœminarum præſertim vterus cum gratis odoramentis *Zibetho*, *Moſcho* & *Ambra* tantam habeat cõuenientiam ac ſympathiam, cùm fætoribus verò tam inſignem diſcrepantiam atque antipathiam; vt his reluctari, illa animalis alicuius viui inſtar amplexari velle videatur? quę hyſtericas interim, ſi harum naribus percipiantur, tanto faſtidio mulieres afficiunt, vt & animo linqui & mortuis ſimiles iacere videãtur. Vidi eiuſmodi fœminam de *Ambræ Moſchique* odore delibutis Chirothecis grauiſſimè conquerentem, cum & ignara eius qui illas gerebat, aduentus viri eſſet, & multis ab ipſo paſsibus remota in ſuprema domus parte reſideret, cum per inferiores hic interim gradus aſcenderet.

Variæ fieri poſſent de odoribus ſpeculationes.

O quàm itẽ optarẽ ex interiore Principiorũ Phyſicorum medulla, non calidi inquam, frigidi, humidi & ſicci miſcela, quæ omnia ad hanc rem nihil aut parum faciunt, rationes diſquirere! Cur odorifera illa bene olẽtia, cordiq. vt aiunt, proficientia adeò, balſamica pharmaca, vigorem, gratiam ſuam ac fragrantiam à fætidiſsimis tamen hominum recrementis, vrinis ac peſtifero latrinarum halitu recipiant, illamq. diutius conſeruent? Et quomodo ſpiritibus noſtris odores conſociari, & per hos illos nutriri dici queat? ſi quando ad nares admotis odoriferis rebus in ſyncopẽ lapſi refocillamur. Cuiuis gratia ex Ambra, Moſcho, Xyl-

An odores ſpiritus nutriant?

aloe, Cinamomo, Zibetho & ſimilibus pilæ *Poma Ambræ* vocatæ, concinnantur, quæ Peſtis etiam tempore circumferũtur. De hac enim ſpirituum nutritione dubitandi anſa illis præbetur, qui frigidæ in vultum aſperſione aquæ, eoſdem Syncope affectos reſtitui, abſque vlla ſpirituum nutritione vident. Sic, qui tactu molliore, ac Muſices ſono longè ſpiritus magis exhilarari noſtros animaduertunt, vt ſono etiã à nobis grato percepto, inuiti quaſi ad tripudiãdum incitemur.

An odores per ſpecies intentionales propagentur.

Eſt & hoc occultum non minus: an per ſpecies vt vocant, intentionales, tam longè ſe Moſchi odor diffundat, vt vnica huius drachma decem duret annis, & decem ſufficiat ciuitatibus odore ſuo imbuendis, ſi ab vno ad alterum continuò locum deferatur? quemadmodum fieri videmus, dum lumen à lumine accenditur, abſque prioris ſubſtantiæ deperditione, vbi non rarò patrem filij, ſiue progenita genitores ſuos ſuperant. An ſubſtantia potius verè ſpirituoſa & corporea, licet admodum exigua, adeoque exilis à corpuſculo illo Moſchi prodeat, vt ponderi ſenſibile nihil dematur? Veluti & ex *Antimonij Vitro* ac *Regulo*, vt vocant, non qualitates intentionales, ſed veri ſpiritus corporei, aluum laxandi ac ſtomachum ſubuertendi obtinentes potentiam, in vinum aliumue liquorem quibus infunduntur, iteratis ſæpe vicibus abeunt, ſine vlla, quæ ſenſu percipi queat molis ac ponderis diminutione. Et ſi per ſpecies intentionales vix intellectu comprehendendas, odores dilatantur, quomodo hæ tam fixæ hæreant, vt ſolo canes odoratu non ferarum tantùm, quæ ante horas plurimas tranſcurrerunt, veſtigia inſequantur: ſed aliquot etiam poſt dies, viæ inſiſtentes, qua patroni ipſorum inceſſerunt, locum vbi ipſi commorantur, ad vnguem inueniant? quod fieri poſſe aliter haud videtur, niſi quod odorata corpuſcula per ipſas quoque calceorum ſoleas, & corneam vngularum ferarum ſubſtantiam, ipſi impacta diutius perſeuerent telluri, quæ noſtro olfactui quidem ſtatim obliterantur, Canum verò odoratui ceu recentia odorum ſemina inſinuantur. Nam neque *Mures* per obſcuram nos noctem contuemur, quos *Feles* & vident & captant, argumento certiſſimo, plurima animalium ſenſibus eſſe obuia, quæ nobis occultantur, cum ſenſuum organa conſtructione partium & tẽperamento plurimum varient. Sic multis diſtantia paſſuũ millibus cadauera *Vultures* odorantur, & prædã quam capturæ ſint, *Lynces* longiſſimè diffitam oculorũ acie ſpeculãtur.

An per ſpiritus potius corporeos ſe diffundant.

Nõ ſi quid nos non videmus aut olfacimus, idem fit in beſtijs.

An odoratiſſima ideo ſint calidiſſima.

An ſummus præterea & acutiſſimus odor in mixtis inſignem, leuem, aut nullum etiam ipſis ineſſe calorẽ arguat? cum Moſchum certè & Ambra tam acrem, amarum, aut ſalſum ſaporẽ caloris latentis maximi ſobolem & ſigna, linguę non communicent, quæ odore tamen præ reliquis maximè pollent mixtis. *Camphora* quin etiam & *Opium* ſi vulgo Medicorum credimus, frigida ſunt, & ſimul tamen odoratiſſima. An vice verſa calidiſſima vehemẽtem vibrare odorẽ debeãt? quod in *Mercurio* ſublimato ac prẹcipitato, plurimiſq. alijs metallicis & Cauſticis haud quaquã ſuccedit axioma. Eſt autẽ ex Ariſtotele & Galeno odor caloris ſoboles.

Quomodo res quæ ſeparatim poſitæ ſint in odoræ cõmixtæ vero fætidiſſimæ.

Quomodo demum fieri poſſe autumemus, vt res duæ, ſi ambę ſeparatim examinentur, prorſus ſint inodoræ, quamprimum autem commiſcentur abſq. vllo humore, calore, & igne externo, tam horrendum fæteant, vt illis nemo aſſiſtere valeat? Huius autem rei experimentum non ſemel cæpi in *Calce viua*, ac *Sale Armoniaco* in puluerem redactis, quorum vtrumlibet ſibi relictum, fatui eſt & nul-

lius

lius odoris, manibus verò commixta, mirum est, quam dirum & in momento temporis quidem iaculẽtur fætorem. Quod si hos *Retortæ* vt vocant Chymici, vasi destillatorio indas, ac per ignem vrgeas, tam pestilentis putoris aquam elicies, vt præ hac Cloacæ omnes, ac latrinę ballamum tibi spirare videantur. Quę si naribus admoueatur, cõtinuò cerebrum penetrat, eiusdemque menynges ita ferit ac vellicat, vt cum imprudens puer meus attracto vehementer spiritu illam olfeciſſet, clamore furentis instar sublato, in terram præ dolore concideret.

Quæ quidem omnia, an per quatuor primas illas adeò in Medicorum ac Philosophorum Scholis decantatas qualitates, quibus se problematibus qualibuscunque physicis satisfacere promittunt, expediri possint, auidus audire desidero. Nisi forsan quintam illam incognitam & occultam qualitatem adiungant, doctæ ignorantiæ asylum, & à sexto, si placet, sensu perceptibilem. Si enim eiusmodi Philosophus aut Medicus quidam fossorem aliquem interroget, cur purgantia medicamenta exempli gratia, humores, eosque determinatos è corpore deturbent, vt in fide parentum credimus; hicque se ignorare hoc statim ingenuè fateatur; tum philosophus: atqui, parum philosophus es, inquit, nescis hoc esse à qualitate occulta? à proprietate totius substantiæ, à Forma rei? Et à philosopho fossor denuo petat, quid sit illa occulta igitur qualitas? quæ facies illi sit proprietati totius substantiæ, & quæ forma rei Formæ? ille verò musset, nec quid respondere possit inueniat, nisi hoc vnicum, formas rerum nobis ignotas esse: an sibi non poterunt ambo coniungere dextras, & cæcus cæcum ducere? Non quod ego nunc plurima in Natura latere, & nobis ignota diffiteri velim; hoc ipsum enim est, quod sæpius reprehendendo inculco, nos nimis esse in reddendis rationibus faciles, quæ non rarò nullæ aut friuolæ sunt. Sed quod hìc aduertendum censeam: non si quid quatuor illarum potestate qualitatum, nobis non subito in soluendis quæstionibus naturalibus ex animo succedit, ideò ad occultas confestim fugiendum qualitates esse. Neque enim, si inuenire non possis, ex quatuor elementis & horum calore, frigore, humiditate ac siccitate, neq. ex secundis appellatis qualitatibus, ortum à prædictis sumentibus, cur res duæ frigidissimæ, diu prius in niue nempe refrigeratæ, quamprimum se contingunt, absque vllo actuante externo & alieno calore, ignis instar, temporis monumento incalescant? Cur duæ res insipidæ prius, coniunctæ postea sapidissimæ, & separatæ ambæ inodoræ, similiter odoratissimæ fiant? Cur *Aqua* stygia siue fortis dicta, rem mollissimam, ceram nempe laminæ æneæ aut ferreæ inductam, minimè consumat, sed subiectũ potius metallũ durissimum erodat? Cur eadem illapsa in librum aliquem ex atramento scriptorio maculas emaculet, ipsos tamen impressos characteres minimè deleat? Et cur argentum viuum mollem, chartaceam aut ligneam capsulam in qua asseruatur, non perforet: argenteam tamen, auream, plumbeamue vllo sine igne non perforet tantùm, sed ferme deuoret? Horum inquam, & similium problematum, etsi tibi per vulgaria principia solutio nõ succurrit, non ideò ad arcana statim Naturę mysteria, quæ Angelis ferme solis nota sunt, confugiendum. *Non omnia nouimus omnes*, inquit ille, & multa alijs patent, quæ nos latent. Sed manum iterum è tabula.

Atque hìc tandem finis mihi odoriferis illis tribus, siue ægrorum medica-

Parum differunt ab Idiotis qui pleraque, quasi quæsita per occultas qualitates soluunt.

Nõ si quid per primas & secũdas qualitates non solui potest subito ad formas rerum est fugiendum.

Difficilia, problemata quædã.

Nò omnia nouimus omnes.

Icones Animalis Zibethici Masculi & fœminæ à Fabio Colũna trãſmiſſæ.

mentis ſiue delicatulorum blandimentis ſit imponendus. Verùm dum ego in hoc ſum, aliæ ecce ab eodem *D. Fabio Columna Lynceo* literæ mihi *Neapoli* adferuntur, & ipſæ ad viuum vtriuſque Zibethici animalis, maſculi ac fœmellæ expreſſæ icones; quas niſi hìc inſererem, putarem me in ſtudioſorum naturalium rerum commoda peccare, cum præſertim ſciam, á nemine geminas has adeò graphicè depictas fuiſſe. His autem me verbis iterum *D. Columna* compellat.

Noua Columnæ ad Authorem epiſtola de Zibethico animali.

Noſti amiciſſime *D. Faber* quantum te amem, quanti æſtimem, & quàm tibi gratificari cupiam. Quamprimum igitur reſciui aliquod tibi ex vltimis meis literis dubium de loculis illis, ex quibus Zibethum extrahitur, hæſiſſe, eſſentne teſticulorum nomine dignandi? teſticuli autem in ſolis maribus promineant, in fœminis tamen Zibethicis ex ſimilibus quoque locis, vtriculis ſcilicet teſticulorum more apparentibus humor ſiue ſuccus ille odoratus eximatur: volui denuo eadem reuiſere animalia, illa ipſa diligentius inſpicere, fidelemque eorundem à *D. Bernardino de Corduba* antiquæ Hiſpanæ nobilitatis, ac viro humaniſſimo promptè exhibitorum delineationem tibi tranſmittere.

Animalis Zibethici Maris Icon

D. Fabij Columnæ Lync.

Mitto icones expreſſas, & illà qua potuere diligentia, exceptas, cum animal ſit inquietum, ſemperque in clathris ſuis ligneis deambulet, niſi defeſſum humi quieſcat. Maculæ in mare, quia nigriore pilo eſt, minus conſpicuæ & minores ſunt, quam in fœmina. Teſtes ex lateribus folliculorum cum manibus euerſi, tam magni eos attrectanti manifeſtantur, quàm ab ijſdem folliculis contineri poſſunt. Humoris illius verò odoriferi ſeu liquoris ex mare plus extrahitur quàm ex fœmina, quod ſeſquidupla magnitudine folliculos maiores, eoſdemque liquore hoc non minus turgidulos & refertos atq. fœmina poſſideat. Alternis diebus eximitur liquor æſtiuis temporibus: hieme verò, quia minus eſt fluidus, bis in hebdomade. Figura iuxta adpicta deſcribit regionem, vnde humor exhauritur, folliculoſq. ipſos manibus inuerſos ſpectabiliùs proponit, quibus folliculis ad latus foraminum (quà inſtrumento humorem exempturo ingreſſus datur) in externa parte teſtes adhærent.

Quæ copia Zibethi colligatur ex his animalibus.

Ani-

Animalis Zibethici Fœminæ Icon

D. Fabij Columnæ Lync.



In fæmina teſtes illi perquiſiti, non inueniuntur; molliores enim ſunt illi vtriculi ſeu folliculi, nec vt in mare grumoſitas illa & durities oblonga teſtium percipitur. Aſſerit D. *de Corduba* ſe olim in ædibus *Illuſtriſſimi Card. Farneſij* fæminam Catulos duos enixam vidiſſe. Mammillæ in noſtra quatuor inuentæ ſunt, plures enim, quamuis adhibita ſumma diligẽtiâ, horum animalium Cuſtos non potuit obſeruare: quia animal euerti ſe non patiebatur, nec in ventre manuum attactum admittebat, vtcunque alioqui in clunibus & ſub brachijs, ſine vllo moleſtiæ ſenſu ſe palpari permitteret. Cætera fæmina cum Mare communia habet. Partus & mammillæ huius animalis fœminæ.

Oculorum pupilla nigricans oblonga, parum ſupernè rotunda, infernè in acutum terminatur. Oculi verò nec albidi ſunt, vt Felium; ſed nigriores ex colore caſtaneo & flaueſcente mixto: nec hilares, ſed potius triſtes, & depreſſi magis, quam eminentes. Roſtrum pilis denudatum, & nares nigricantes vt Canum, fiſſura ſatis infra rictum. Pedum digiti quinque omnes ſimul cum paruo pollice internè ſito, nec longe diſtincto vt in Fele. Vngues nigricantes, breues, craſſoſque obtinet, ſed parum aduncos. Si animal gradiens in conſpectum veniat, potius depreſſum apparet, ob pedum ſiue crurum breuitatem, quæ non excedunt ſemipedem, cùm totum animal ad dorſum vſque non excedat altitudine ſeſquipedem, ſed ſatis longum. Quare depreſſius eſt Cane plebeio & Vulpe, ac magis Fele, ad *Martis* ſiue *Melis* proportionem ſatis accedens. Corpus ſine collo dupla longitudine altitudinem ſuperat. Oculorum deſcriptio. Roſtrum. Vngues. Crura breuia valde. Corporis proportio.

Quantum hæc icon ab illa *Mexicana* & ab alijs noſtri orbis differat, ipſa pagina oſtendit. Ego regionis & climatis differentiam plurimum poſſe non nego: cum & hominum facies Orientalium & Occidentalium, vt vocant, *Indiarum* plurimùm varient. Noui tamen & hoc: non leuem ſæpenumerò à Pictoribus errorem committi, quod & ego aliàs expertus ſum, & Plinius quoque retulit lib. 25. cap. 2. *Verum & pictura fallax eſt*, inquit, *& coloribus tam numeroſis, præſertim in æmulatione Naturæ multum degenerat tranſcribentium ſors varia.* Hęc tamen noſtra, cùm aliarũ iampridem impreſſarum cõparatione exiſtimari omnino exactior poteſt. Atque hæc tantùm notare amplius potui: quæ boni vt conſulas precor, & optimè vt valeas, voueo. Neapol. Calend. Octob. Anni M.DC.XXV. Cur icones horũ animalium ab Americana noſtra non parum varient.

QVAVHTECHALOTL THLILTIC.

Sciurus Mexicanus.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ANIMALIS huius color ipſam ferme nigritie fuliginem refert, & noſtratem apprimè Sciurum repræſentat. Si tamen ex icone aliquid conijcere licet, grandiuſculus hic magis eſt noſtris. Caudam habet pilis valde obſitam & villoſam, latamquè à dorſi poſtrema parte ad collum vſque reflexam & protenſam. Inferiores caudæ pili minus nigricant. Vngues erectos & plurimùm acutos quinque poſſidet. In auribus ac barbula cum noſtratibus conuenit.

SCHOLIA EIVSDEM.

HOc vbi *F. Gregorius de Boliuar* animalculum, tam in lignea tabula ſculptum, quàm in Autographo coloribus ſuis expreſſum vidit, ſtatim *Sciurum Americanum* eſſe pronuntiauit, quod Hiſpanis *Hardilla* dicitur, & his mihi id verbis delineauit.

F. Gregorij de Boliuar deſcriptio Sciuri Americani.

Sciurus eſt quoddam animal paruulum, viſui valde gratum pulchrumquè, magnitudine parui *Cuniculi*. Proueniunt communiter hæc animalcula in omnibus *Indiæ Occidentalis* ſiue *Americæ* regionibus. Et illa quidem, quæ locis valde frigidis nec admodum montuoſis generantur, coloris inter cinereum ſub rufumque ſunt, ac minus pulchra; ea verò, quæ in ſolo calidiore & montano ſimul procreantur, formoſa ſunt, colore aurum imitantia. Cauda horum pilis maximè abundat, aſpectu placens, tam longa & larga, vt totam corporis molem cooperire poſſit; ſiue enim ſtet, ſiue ſedeat, erigit illam ac verſus caput reflectit.

Color pro regione variat.

Cauda.

Vtuntur anterioribus pedibus pro manibus.

Tam ſunt agilia & ad motum prompta hęc animalcula, vt vix ea vnquã quieſcere conſpicias. Dum comedunt, cibum tenent manibus, ſiue anterioribus pedibus

dibus Simiarum more. Cicurari facile, ac domi asseruari pro recreatione possunt, & placent præcipuè propter munditiem. Caput vsque ad collum *Muris* maioris capiti haud est dissimile. Digiti manuum ac pedum longiores quam illi in muribus, qui ad quoduis arripiendum facilè inflectuntur. Vngues, quales in *Noctua* sunt, similes. Catulos suos vel in rupibus, vel in altissimis educant arboribus, quos si transportant aut ad victum quærendum educunt, dorso lumbisque suis imponunt, cauda tegunt velantquè, ne videantur: illi interim vnguibus suis parentum pellibus leuiter in fixis, ne decidant, firmiter adhærent. Sunt animalia venerea valde & calidissima, ideoquè ferme nunquam quiescunt, nisi quando dormiunt. Hæc omnia apprimè cum Europæis nostris concordant.

Caput.

Vngues similes illis in Noctua.

Catuli.

Calidissima & venerea sunt animalia.

Alui ego triennio integro *Romæ* eiusmodi animalculum nigri similiter coloris, & cicur adeò effectum, vt quouis illud modo manibus tractarem, iram tamen interim valde pronum, vt me non rarò etiam morderet, nec ab alijs quam domesticis meis tangi se permitteret, adeoque verè cicuratum, vt Feles aut Canes solent esse, dici non potuit. Reperio tamen in *Theriotropheo Silesiaco Genitale* mari osseum esse: *Lienem* ruboris sanguinei; *Hepar* pallidiusculum, in cuius sima parte hæreat vesicula fellis subflaui exigua. In *Ventriculis* dissectis repertos nonnunquam fungos fuisse, quos credi potest depellendæ famis causà (cùm consueti cibi, qui sunt Castaneæ, Nuces Iuglandes & Auellanæ, Amygdala, Piceæ & Abietis strobili ac Pineæ nuculæ deessent) ingessisse. Meum etiam fructibus horarijs vescebatur & pane: carnes respuebat. Dicunt etiam aliqui *Glires* & *Sciuros* cæcum intestinum tantùm habere, quod magnitudini ventriculi facilè respondeat, idquè *Vesalij* authoritate probant. Mihi hoc difficulter creditur, qui tale quid in nullo animali viderim, licet & de Lupo hoc ipsum asseratur voracissimo Gulone, quod supra tamen falsum esse demonstraui. De dentibus hoc habeo: non dissimiles esse illis, qui in muribus reperiuntur, superiores nempe & inferiores vtrinque anteriores duos, prælongos latiusculos & acutè incidentes. Vnde non est mirum, quòd durissima Nucum & Amygdalarum putamina tam facilè erodat. Caro huius non est insuauis, quam ego in *Germania* & quidem in *Franconia*, vbi rufi coloris frequentiores sunt *Sciuri*, quàm nigri (licet contrarium alij asserant) assam comedi. Galenus 3. de Compos. med. secundum locos, *mirabiliter in excellenti aurium dolore prodesse*, asserit, *Sciuri adipem in Strigili tepefactum instillatum*. Alia, quæ ego sciam ex hoc animalculo remedia peti, nulla sunt: nisi pellicularum ope ventriculo humano applicatarum calorem eiusdem foueri dicamus, quod aliæ plurimæ quoque animalium pelles præstant.

Hucusq; F. Gregorius.

Interna viscera qualia.

Victus eorum.

Dentes quales in muribus.

Caro nõ est insuauis.

Medicamenta ex Sciuro.

Inuenio in Epitome *Olai Magni* Cap. 13. lib. 18. contrarium asseri illi, quod *F. Gregorius* dixerat. Hic enim in America animalcula hæc colore formosiora esse dixerat, quò degerent in locis calidioribus, vt pelles etiam auricomæ viderentur: *Olaus Magnus* verò & ipsorum copiam, & colorem amœniorem frigori maximo tribuit his verbis: *Vna adiecta infallibilis sit regula, quod quantò magis tractus terrarum vergit ad Septentrionem, tanto pulchriores (frigore causante colorem) sunt harum bestiarum pelles, sub eleuatione Poli scilicet, 77. graduum inci-*

Controuersia de coloribus Sciuri.

Olaus Magnus de Sciuris Septentrionis.

incipiendo, versus supremum Polum: in quo spatio venatores magis fatigantur, quam satiantur, hac infinitâ prædâ vbique in arboribus veluti grege piscium in aquis, abundante, ea præsertim commoditate, quod arbores non sint sublimes, in quibus hæc animalia ludunt. Sed reflectendo ad Meridionalem regionis situm, quantò magis reditur ad Austrum, tantò deteriores, & magis fuscæ occurrunt pelles. Caro huius bestiolæ assa venatoribus est pro esca suaui.

Eadem animalia in Germania & Italia colore variât.

Et videtur sanè de coloribus res ita se habere. Nam *Italia*, quæ regio est calidior, ferme *Sciuros* omnes educat nigriusculos; frigidior *Germania* verò rutilos plures, pauciſsimos nigros, quæ & vaccas habet plerunque rufas, & porcos albicantes, paucos nigros, qui tamen sunt frequentiſsimi in *Italia* vbi paucæ quoque vaccæ rufæ, pleræque grisei & nigrioris coloris, quicquid iam de *Americanis* animalibus sit dicendum.

Proprietates Sciuri.

Notat Olaus tres præcipuas *Sciuri* proprietates. *Prima* harum est, quòd exiguo insistens ligneolo, caudâ villosâ pro velo expansâ facilè amnes tranare possit, quæ si alioquin aqua imbueretur, natationi impedimento foret. *Secunda*, quod miros in arboribus & super congelatis niuibus ludos, pulcherrimo spectaculo ostendat. *Tertia*, quod sagaciſsima bestiola caloris tempore, longæ metuens hiemi, in nidos varios & sufficientes cibos reponat, quos claudat dextrè & aperiat nidos, pro flatus asperitate. Ego natationem nunquam conspexi, sed in siluis iucundam in arboribus agilitatem, & varias domi gesticulationes cum voluptate sæpè contemplatus sum. Et prouidum simul animalis ingenium risi & admiratus sum, vbi ciborũ copia ipsi oblata fuit, quam auidè amygdalas exempli gratiâ, non deuoraret quidem, sed vtrasque adeò buccas ac genas infercire, vt plurimùm tumerent, & in capsulam quandam vicinam, pro vsu suo reponeret.

Ioãnes Demisianus Lynceus Græcè & Latinè doctiſsimus. Philos. & Theolog. insignis.

Ioannes Demisianus Lynceus Cephallenienſis, vir Latina & Græca poesi facundus: Platonicæ, Aristotelicæ, Sacræ veræque Philosophiæ Christianæ apprime gnarus, & ob id Romanis Purpuratis quampluribus Principibus charus, inter doctorum colloquia virorum, ceu Polyhistor magni æstimatus: & ipse, post seueriora studia, miris animalculi huius, quod ipse cicuratum planè ita assuefecerat, Natura & lusibus delectabatur, quod postmodum Excellentiſsimæ Principi Cæsiæ *Principis nostri* Coniugi, ex Illustriſsima illa & antiquiſsima Saluiathorum familia prognatæ donauit. Hoc tamẽ certis temporum interuallis (vt referebat Illustriſs. Princeps) Epilepticis insultibus corripiebatur, id quod post coitum (quæ parua nonnullis Epilepsia dicitur) Cuniculis non rarò vsuuenire scimus; quare *Sciurus* ille Epileptico eo tandem symptomate perijt.

Ad quod genus animaliũ pertineat.

Nunc more nostro ad quodnam animalium genus *Sciurus* sit reponendus, disquirendum. *Georgius Agricola* in suo de *Animantibus subterraneis* libello, videtur *Gliri Sciurum* associare. Eodem enim capite de vtroque agit, & post *Glirem* hæc verba subiungit: *Ab eo differt bestiola paulo minor, quam alij Græci hac de causa* Agricola ad Glirem videtur referre.

Καμψίουρον *vocarunt, quod vertat & sursum versus flectat caudam: aliqui vero* Σκίουρον, *quod cauda sua villis vestita & conferta, quasi flabello corpus soleat inumbrare: aliqui* Μῦς-σκίουρον, *quod præterea similitudinem quandam gerat, speciemque muris.* Et nescio, an non hæc quoque *Plinij* verba *Agricolæ* faueant, Cap. 38. lib. 8. *Præuident tem-*

pestatem

peſtatem, inquit, *& Sciuri: obturatiſque, qua ſpiraturus eſt ventus, cauernis ex alia parte aperiunt fores: de cetero ipſis villoſior cauda pro tegumento eſt. Ergo in hiemes alijs prouiſum pabulum, alijs pro cibo ſomnus*. Ex hoc loco aliqui voluiſſe Plinium etiam *Sciurum* dormire hieme, coniecturam fecerunt, vt Glires etiam Ariſtotelis teſtimonio 8. de Hiſt. animal. cap. 17. in eo maximè genere recenſentur, quæ latent, dormiunt & pingueſcunt. *Glires etiam latent in ipſis arboribus*, inquit, *pingueſcuntque per id tempus* (hiemem nempe) *vehementer*. Nec facie multum à *Gliribus Sciuri* diſcrepant. Non defuere etiam, qui hunc ipſum Ariſtotelis locũ ad *Sciurum* potius, quam *Glirem* vi vocabuli Græci ελειὸν torquere maluerunt. Aduerſus quos tamen rectè quidem Scaliger 210. partic. 4. inſurgit ſequentibus verbis: *Sciurum Gliremque temerè quidam confudere. Nihilo verius quod aiunt*: Ελειὸν *ab Ariſtotele dici, quem nos Sciurum, quod caudam inuertat; hoc enim eſt* Κάμπτειν, *id eſt flectere, non autem* Ελελίζειν, *id eſt vertere aut voluere; ſed quia in cauis arborum inuoluit ſeſe, vbi dormiens pingueſcat. Sciurus autem ab vmbra caudæ & a flexu* Καμψίουρος. Addo ego, nec *Sciurum* de ſe illud Martialis affirmare poſſe,

Tota mihi dormitur hiems & pinguior illo
Tempore ſum, quo me non niſi ſomnus alit.

Cum æquè hiberno atque æſtiuo tempore, diurnis horis vigilet, & vix aliquot paucis nocturnis inquietiſſimum animal dormiat.

Coniecturæ pro Agricola.

Non pertinere ad Glirem bene Scaliger.

An ſit ex Muſtelarũ genere.

An potiore igitur iure *Muſtelarum* generi *Sciurum* accẽſebimus? Vnde & non pauci Animalium Scriptores (cum *Sciuro* Latinum nomen nullum ſit hactenus conceſſum) *Muſtelam Quercuum* illum appellãt, quod & Germanica vox nominis ipſius dicere videtur, dum vocãt *Eichhermlein*; cum corruptè poſtea alij *Eichhornlein* dixerint. Nam *Hermelein* aliquæ *Germaniæ* prouinciæ *Muſtelam* domeſticã (Italis dicitur *Donnula*) vocant: hinc *Armelini Muſtelæ* illæ omni niue candidiores, excepta caudæ extremitate: quæ nigra ſemper reperitur. Huiuſmodi pelles pretioſiſſimæ cum *Zebellinis* ex *Moſcouia* & gelidiſſimo *Septentrione* ad nos mittuntur. *Armelinorum* enim pelliculę (quarum ego quam plurimas integras oblongas & anguſtas, vt Muſtelæ ſunt, Romæ vidi) ad tam altum honoris faſtigium penetrarunt, vt non tam Imperatoris & S.R.I. Principum Electorum, quàm Summorum Pontificum & S.R.E. Cardinalium Epomides condecorent. Non parum huc facit, quod Ariſtotelis etiam teſtimonio, oſſeum maſculo Muſtelæ, non aliter, atque *Sciuro* genitale eſt.

Armelinorum pelles pretioſæ.

Suadent, ſed non perſuadent prorſus hæc argumenta. In hoc ego enim vim maximam facio ad reperiendam animalium affinitatem, vt dentium ſcilicet conformitatem in agnatis inueniam beſtijs. Atqui, Muſtelæ non habent anteriores dentes binos in ſuperiore, & totidem inferiore maxilla latos & longos, ſed breues, quod ſignum tanquam inſeparabile & infallibile, *Sciurum* ab ipſis diſtinguit: hic enim quatuor illos admodum longos & recuruos obtinet, quales in muribus planè omnibus obſeruaui; veluti Sceleton meum oſtendit, quod habeo probe confectum & diligenter cuſtoditum, magni illius Muris Androgyni, de quo in Zibethico animali aliquid dixi: quem *Rattum* etiam vocant & falsò *Glirem* antiquorum eſſe (quo nomine à pluribus audit) exiſtimant. *Glires* enim, qui ſiluas incolunt, & hieme in excauatis arboribus dormiunt,

Non eſſe Muſtelam quia dentes repugnant.

non

non rarò *Romæ* venales & cibis aptos exponi vidi: *Rattos* autem ferculis inferri absurdum omnino est. Est præterea Mustela adeò Muribus infesta, vt tam maiores quam minores, & tam domi quam foris venetur Mures, cauernas etiam subeat & Talpas occidat, maioremque vtilitatem rusticis in frumentorum horreis, quam Cati solent, præstet. *Sciurus* autem Mures nec aggreditur, nec illis vescitur. Et *Carolus Figulus* quidem Mustelæ nomen Græcum ob id fecit, ex Μῦς, id est Mus, & στέλλω surripio, quasi *Mustela* fur sit Murium, quamuis hoc alijs non placeat: vt nec illud, quod alij à Μῦς & τῆλε, hoc est longè, quasi dicas *longus Mus*, deducunt. Quin igitur, si cuiuis in re obscura coniecturà licet vti; nos *Goropiano* more ex *Germanica lingua* totam vocabuli essentiam & genuinam significationem deriuamns. *Mus* enim Latinis, idem Germanis animal eadem voce, vel *Maus* aliquibus signat: *Stelen* furari significat. Vtramque si vocem in vnam *Mustelæ* contrahas, habes *Murium furem*, quæ huic bestiolæ essentialis est proprietas.

Mustela capit mures vnde forsan ipsi nomen datum.

Sciurus nõ vescitur muribus.

Mustelæ Etymon ex lingua Germanica.

Lis pendẽs in hoc animali.

Quid igitur in hac controuersia determinandum? Ego profecto non tantas ausim componere lites. Lupus, Vulpes, Canis, Mustela ossea habent ex Aristotele & rei veritate genitalia; at cum nullo horum in dentium seu figura, seu numero & structura congruit. Accedit magis ad Mures, Lepores, Cuniculos, Erinaceos & Histrices, quibus oblongi illi dentes conspicui, omnibus sunt, incisores nimirum, in molaribus tamen non parum discrepant singulæ species. Nisi itaque interna probè viscera examinauero, certi nihil statuere valeo. Hoc tamen silere non debeo, Muris speciem pulcherrimam, quæ Romæ non infrequens est, & *Moscardinam* vocant, cuius memini, dum de Moscho agerem, *Sciuro* in colore, figura & cauda villosa plurimum assimilari. Est autem paruus valde musculus, vix medium manus digitum longitudine æquat, rutili & pulchri coloris, adeò cicur, vt sinum etiam & hominum caligas libenter subeat & planè sit φιλάνθρωπος. Quare si cui interea placuerit *Muribus* (nam & in ciborum quibus delectantur, ferme qualitate conueniunt) *Sciurum* annumerare, quod & Matthiolus facit, cum ipso nolo nunc tædiosius rixari. Atque de *Sciuro* tam *Europæo* quam *Americano* hæc satis sint. Neque enim plura ex Veteribus Græcis adferre libet. Aristoteles nusquam huius meminit: semel Galenus & Oppianus inter antiquiores Græcos: Plinius semel inter veteres Latinos. Cetera iuniores Græci & Latini adiunxerunt, quæ à quouis videri possunt.

Mus Moscardinus.

TAVRVS MEXICANVS.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

TERRIBILEM Animalis huius Icon, & feri quidem Tauri alicuius ſpeciem repræſentare videtur: licet in autographo nec Latinum nec Mexicanum nomen compareat. Totum corpus fului ſiue rufi illius, quem Itali *Lionato* dicunt, eſt coloris, exceptis cornibus quæ albeſcunt, & in cuſpide nigricant. Vngulæ cinerei ſunt cum nigricante mixti coloris. Villis denſis longis & in cirros magnos conglobatis tota beſtia horret, propendente longà è collo ex ijſdem cirris ad tibias implicatà iubà. Tibiæ quæ humiles ſunt, ſiue quatuor crura in poſteriore ſui parte, & ipſa villis eiuſmodi veſtita; in anteriore glabra apparent. Tota capitis anterior pars glabra eſt, præterquam in intercilijs, vbi piloſa quædam congeries prominet. Oculi non multùm truces, ſed viuidi potius & alacris aſpectus. Aures magnas valde non erectas, ſed ad latera protenſas ac piloſas gerit. Maxillæ longis admodum pilis collum verſus vergentibus, veſtiuntur. In ventre inferiore, qui pilis omnino denudatus eſt, prope genitale, quod maſculinum eſt, aliquid, quod nolarum aut tintinnabulorum aliquot formam refert, coxæ internæ ſiniſtræ alligatum conſpicitur. Caudam longiſſimam, eamque oblongis adeò denſam pilis obtinet, vt Equinam potius, quam Bouinam dicere queas. Tantæ gibbum magnitudinis habet, vt Camelum prorſus imitari videatur.

SCHO-

SCHOLIA EIVSDEM.

Cur longior in hoc animali author quam proposuerat, esse cogatur.

PRorsus iam cum animo meo, in his quæ sequuntur, conscribendis Animalium historijs breuiloquum me fore constitueram: quòd in antecedentibus prolixior iusto non nemini visus fuissem. Ast vbi eorum qui ante me Animalium naturas explicarunt, Iuniorum dico scriptorum, & inter hos *Vlyssis Aldrouandi* Polyhistoris illius ingentia volumina inspexi, infans præ istis planè ego mihi visus fui. Ea enim, quæ de solo Bubulo hic pecore habet, de quo & nobis modò aliquid dicendum incumbit, si separatim edidisset, iustæ molis librum conficere poterant. Quid igitur restat? inter clamores soli ne mihi silendum? an mei quoque Bouis mugitibus aer verberandus? Verum ego hìc Romanorum doctissimum *Varronem* & re ipsà si potero, sin minus, verbis saltem, quæ sequentia sunt, imitabor: *Quare dicam de bubulo pecore, quam acceperim scientiam, vt si quis quid ignorat, discat; si quis scit, vbi nunc labar, obseruet.*

Prima causa quod prolixior sit author.

Et quid ni hoc faciam? An non prægnantissimæ mihi quoque præ ceteris rei huius causæ suppetunt. Scribo hęc in *Italia*, cui *Bos*, quod ipsi nomen præbuerit, maxima certè æstimatione vt sit, omnino par est: quod idem *Varro* de *Re rustica* docet. *Nam Bos in pecuaria, in maxima debet esse authoritate*, inquit, *præsertim in Italia, quæ à bubus nomen habere sit æstimata. Græcia enim antiqua, vt scribit Timaus, Tauros vocabat Ἰταλοὺς à quorum multitudine & pulchritudine & fœtu vitulorum, Italiam dixerunt. Alij scripserunt, quod è Sicilia Hercules persecutus sit eò nobilem Taurum, qui diceretur Italus.* Quam ob rem, cum idem *Varro* dixisset *Gallicos* boues ad opus, *Ligusticos* ad iugum adhiberi; voluit *Italicos* his amplitudine præstare, & ob id ad victimas farciri, atque ad Deorum seruari supplicia. *Qui sine dubio*, inquit, *ad res diuinas propter dignitatem amplitudinis & coloris sunt præponendi.*

Italia à bubus nomen habet.

Secunda causa.

Altera causa est, quòd hęc ROMÆ scribam; cui, vt *Vrbs Vrbium* clueret, & Orbis tum cogniti ferme vniuersi Dominatrix euaderet, vna *Vacca*, vt stolida illa sibi Gentilitas persuadebat, in *Auentino* monte *Dianæ* olim immolata effecit.

Cęca Gentilitas Romæ à Vacca dominiũ orbis sibi spondet.

Libet ipsum Romanum Patritium *Valerium Maximum*, patria & elegantissima sua lingua hac de re orantem audire. *Seruio Tullio regnante*, inquit, *cuidam patrifamiliæ in agro Sabino præcipuæ magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata est, quam Oraculorum certissimi authores in hoc à Dijs immortalibus editam responderunt, vt quisquis eam Athenienſi Dianæ immolasset, eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret. Lætus eo dominus, bouem cum summa festinatione Romam actam, mactandam in Auentino ante aram Dianæ constituit, Sacrificio Sabinis regimen humani generis daturus: de qua re Antistes templi certior factus, religionem hospiti intulit, ne prius victimam caderet, quam proximà se aquà abluisset, eoque alueum Tyberis petente, vaccam ipse immolauit, & vrbem nostram tot ciuitatum, tot gentium Dominam pio sacrificij furto reddidit.* Hæc eadem à *Plutarcho* in *Quæstionibus Centuriatis Romanis* memoriæ prodita fuerunt. Cum enim quæsiuisset, cur in ceteris *Dianæ* templis Ceruorum cornua, Boum verò in Auentino figerentur? id ob iam dictum ibidem peractum vaccæ sacrificium, quod Romæ in reliquas orbis gentes, *Italiam*

præci-

præcipuè totam imperium ſpondebat, contigiſſe affirmauit.

Accedit huc maximum, quo ad vberiorem de *Boue* ſcribendi materiam inſtigor, momentum. Quod eodem nempe *Varrone* authore, *ex Boue putrefacto naſci dulciſſimas Apes mellis matres, à quo eas Græci* βουγόνας *appellant*, didicerim. Vnde & indubitata nos ſpe lactamur, Rempub. Chriſtianam bonis auibus, imò felicibus *Apibus*, gubernatum nunc iri ſub VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX. *Vrbis & Orbis Arbitro*, ac militantis in terris Eccleſiæ CHRISTI *Præſide*, quem nobis *Paſtorem*, qui *Popello* ſuo *Mel* præbiturus eſſet Euangelicum, Gentilitijs ipſius Armis tres *Apes* inſidentes iam dudum augurabantur.

Tertia cauſa.

Ex Boue Apes naſcuntur.

Felicitatem Orbi Apes Barberinę pollicentur.

Et quarto demum loco: proxima, quam animo concipio & voueo, de Illuſtriſsimo *Principe* meo *Franciſco Barberino* Cardinale, reditus in VRBEM, *Lætitia*, quæ mihi currenti etiam calcar addit, vt obſequentem ipſi voluntatem demonſtrem in enodanda *Vituli Bicipitis* Anatome, cuius benigniſsimè mihi prouinciam ante ſeſquiannum delegauerat. Cum idem Vitulus primo ab VRBE lapide in Villa quadam Illuſtriſs. D. *Marcelli Sacchetti* Apoſtolicæ Cameræ Quæſtoris, menſe Aprili anni M.DC.XXIV. natus, ac veluti inſolens quoddam Naturæ molimen, ipſi (vt haberet quod miraretur) Principi Cardinali, à Villæ Domino oblatus fuiſſet. Liceat mihi cum *Goropio* meo 4. *Hermathenæ* lib. ſerijs nunc ludere iocis, & ridentem dicere verum: *Vitulum* nimirum, à *Vita* dictum, & non diminuentium more formatam ideo hanc dictionem fuiſſe, quod minus vitæ hoc animal; ſed quod gratiorem & delicatiorem illam, minoribus nempe omnibus animalibus communem habeat: vt dum corculum, ocellos, baſiolum, & ſimilia longè, quam ſint voces primitiuæ, gratiora nominamus. Vnde & *Vitulor* exultantis, geſtientis ac tripudiantis vox, vt ab os oſculum & oſculor deriuantur. *Vitula* etiam pro *Lætitiæ Dea*, quam alij non bene *Victoriam* interpretantur, iam olim ſumebatur. Tunc enim nobis iucunda peragitur vita, dum gaudijs indulgemus. Si quis tamen etiam pro *Victoria Vitulam* habeat, ego minimè moror, qui vtramque, & *Lætitiam* & *Victoriam* Illuſtriſs. Cardinali huic noſtro exopto: quibus ambabus ſe vt *Pax* quoque iungat, ipſum bonum ſimul DEVM veneror; *Pax* illa *Italiæ* nunc tam ardentibus votis, imò *Europæ* vniuerſæ deſiderata, quam ipſe inter duo illa præcipua Regnorũ potentiſsimorũ, in hoc Orbe Chriſtiano, *Capita* ſtabilire omni conamine tentat. Vt eo modo *Lætitia* populorum, *Pax* Principum Chriſtianorum, & *Victoria* ſanctorum Pontificis noſtri deſideriorum, tres illæ *Apes* ſint *Barberinæ* immortalitati conſecrandæ, quæ ex Vitulo natæ, originis ſuæ memores, gaudeant, lætentur, & quàm diutiſsimè ac feliciſsimè vitulentur.

Vitulus biceps non procul ab VRBE naſcitur.

Vituli Etymon ſpem lætitiæ promittit.

Vitula olim lætitiæ Dea.

Authoris votum de tribus Barberinis Apibus.

Eſt tanta profectò *Apis* ac *Bouis* intrinſeca quædã & cognata ſympathia, atq. ſocietas, vt nõ modò in rebus eluceat ipſis, & ex mẽte Plinij lib. 21. cap. 14. adeò *Apibus* etiã *fimum bubulũ* prodeſſe cõſtet, vt illo ſuffiri aluearia ſępe cõueniat, quod innaſcẽtes beſtiolas necet, *Araneos*, *Papiliones*, *Teredines*, ipſas verò *Apes* mirè excitet: ſed in voces illa quoq. conueniẽtia trãſierit. Quod *Apis* nempe *Bos* ille apud *Ægyptios* vocetur, quẽ illi cũ multis alijs abſurdis & ridiculis maximè rebus, quas ſupra in *Canis* hiſtoria inſinuaui, Numinis vice colebãt, & vafris Cacodæmonis artibus deluſi, auguria ab hoc ipſo & reſponſa capiebãt, dum è manibus conſu-

Apum ac Bouis ſympathia in rebus iſis.

In vocibus quoque.

lentium ille cibos capiebat. *Germani Cæsaris manum auersatus est*, inquit Plinius, *haud multò post exstincti*.

Magni fiebat Bos apud Romanos.

Non ea dementia *Romani* erant, vt Aegyptiorum more *Bouem* adorarent, tanti ipsum tamen faciebant, prioribus illis temporibus, in ipsa VRBIS adolescentia, vt Plinio teste *fuerit inter exempla damnatus, qui occiderat Bouem, actusque in exilium tanquam colono suo interempto.* Est enim, vt *Aristoteles* ait 1. *Politicor.* cap. 1. *Bos pro seruo pauperibus*. Et *Varro* iam supra laudato loco. *Hic socius hominum in rustico opere est*, inquit, *& Cereris minister. Ab hoc antiqui ita manus abstineri voluerunt, vt capite sanxerint, si quis occidisset*. Neque hoc absque iustissima, vt ego iudico, ratione factum: cum *Populo Romano* & honores, & diuitiæ, & vectigalia à cultis per boues bene agris tunc tēporis solummodo prouenirent. Nā vt Cato refert: *quem virum bonum colonum dixissent, amplissimè laudasse existimabant*, Et *locupletes* dicebant *loci*, hoc est agri plenos: veluti à *pecore pecuniam* appellabant, quam in ære primus *Seruius Rex* ouium, boumque effigie signauit.

Causæ cur æstimauerint Boue Romani.

An exiguo sibi Boues quoque honori ducere poterant, quod ab ipsis Imperatoribus, hoc est Triumphalibus exercituum Romanorum Ducibus acti, laureato terram vomere proscinderent? *Aranti* inquit Plinius, *quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato viator attulit Dictaturam; & quidem vt traditur, nudo plenoque pulueris etiamnum ore.* Romanis ita ex agris sæpissimè per viatores suos, siue nuntios Senatum Ducesque arcessere mos erat.

Honorificum Bobus quod in arando ab Imperatoribus Rom. ducerentur.

De Animali hoc in autographo nec Latinum, nec Mexicanum nomen exstat: nostrā igitur coniectura hic merā vtemur; adiuti tamen non integrā quidem, vt in præcedentibus factum est, *F. Gregorij de Boliuar* descriptione, sed aliqua saltem, & conformi ex libris Nauigationum Americanarum desumptā, quæ nostræ opinioni faueat, attestatione: *Taurum* autem nobis potius, quam *Bouem* appellare libuit. Tametsi enim *Bos* communi quadam notione omne bubulum genus adultius maximè, designet: qui tamen accuratius loqui voluerunt, inter Latinos Authores *Valla* præcipuè, hoc inter Bouem Taurumque discrimini posuerunt: quòd Bouem voluerint dici, qui castratus est; vt ideo aptior aratro fieret, aut opimiùs saginaretur. Taurum verò, qui procreationi reseruaretur, dux & maritus vaccarum. Quam etiam differentiam *Columella de re rustica* cap. 20. agnouisse videri potest, dum ait: *Neque enim alio distat bonus Taurus a Castrato, nisi quod Tauro torua facies est, vegetior aspectus, breuiora cornua, torosior ceruix, & ita vasta, vt sit maxima portio corporis, vētre paulò substrictiore, qui magis rectus, & ad ineūdas fœminas habilis est.* Quæ verba aptissimè Tauro nostro congruere mihi videntur. Quamuis non sim nescius, etiam Boues grandes aratro commodos à *Virgilio* Tauros vocari 1. Georgicorum, cum ait:

F. Gregorius hoc animal nobis non descripsit.

Cur Taurus potius quam bos nobis vocetur.

Taurospro Boue & Bos pro Vacca aliquando accipiuntur.

- - - - - - - - - *Ergo age terræ*
Pingue solum primis extemplò à mœnibus anni,
Fortes inuertant Tauri.

Et Boues pro *Vaccis* ab eodem acceptos esse, me mouent sequentes 3. *Georg.* versiculi, in quibus docet quæ Vaccæ sint eligendæ pro Iuuencis ad aratra gignendis: *Seu quis velit*, inquit,

Fortes ad aratra iuuencos,

Corpora

Corpora præcipuè matrum legat, optima torua
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullo lateri modus, omnia magna,
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & albo
Aut iuga detrectans interdumque aſpera cornu.
Et faciem Tauro propior, quæque ardua tota
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.

In quibus poſtremis verbis *Tauri* ſignificatum propriè pro *Vaccæ marito* ſumit, cuius faciei aliquatenus Vaccæ προσωπον ſimile eſſe debet.

Quatuor gradus ætatis in bubulo genere.

Cum autem *Varro* loco iam ſupra dicto, quatuor in bubulo genere gradus faciat ætatis; Vitulorum, Iuuencorum, Boum nouellorum & vetulorum: in tertio ac quarto Taurum ac Vaccam reponit. *Et caſtrare non oportet*, ait, *ante bimatum, quod difficulter, ſi aliter feceris, ſe recipiunt. Qui autem poſtea caſtrantur, duri & inutiles fiunt. Quæ ſterilis eſt Vacca, Taura appellatur: quæ prægnans, Horda: ab ea in Faſtis dies Hordicalia appellantur.*

De Ludis Taurorum apud Veteres.

Videor in præſenti hac noſtra icone talẽ mihi Taurum, viua veluti ſub imagine repræſentari, qualem vitæ ſuæ prodigus *Theſſalorum* aliquis è gente olim in pugna exoptabat; vel nũc audaciſſimus *Iberus* quiſpiã in ludis Taurorum, etiamnum apud *Hiſpanos* vſitatis expeteret, & qualẽ inter alios his Plinius verbis depingit: *Tauris in aſpectu generoſitas torua fronte, auribus ſetoſis, cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus. Sed tota commotio prioribus in pedibus ſtat, ira gliſcente alternos replicans ſpargenſq. in altum arenam & ſolius animalium eo ſtimulo ardeſcens. Theſſalorum gentis inuentum eſt, equo iuxta quadrupedante cornu intorta ceruice Tauros necare: primus id ſpectaculum edidit ROMÆ Cæſar Dictator.*

Romanorũ ſpectacula à feris & hominibus exhibita.

Et ſpectacula quidem ferarum, quæ inter ſe committerentur matutinis horis *Populo Romano* exhibita fuiſſe, ex Senecæ Epiſt. LXX. veluti crudeles hominum pugnas meridianis agitatas fuiſſe, ex eiuſdẽ Epiſt. VII. diſcimus: illa ad voluptatem, hæ ad omnem tollendam humanitatem præparatæ. De his ille vltimo hoc loco. *Caſu in meridianum ſpectaculum incidi*, inquit, *luſus expectans & ſales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant. Contra eſt: quidquid ante pugnatum eſt, miſericordia fuit. Nũc omiſſis nugis mera homicidia ſunt: nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra manum mittunt.* De priorioribus verò in fine lib. 3. de *Ira*, hæc quæ iram cuiuſuis indomiti animi compeſcere valeant rectiſſimè, dicta leguntur. *Quid ſeruo? quid Domino? quid Regi? quid clienti tuo iraſceris? ſuſtine paulùm, venit ecce mors, quæ nos pares faciat. Ridere ſolemus inter matutina harenæ ſpectacula, Tauri & Vrſi pugnam inter ſe colligatorũ: quos, cum alter alterum vexarit, Sus cõfector exſpectat. Idem facimus. Aliquem nobiſcum alligatum laceſſimus: cum victo victoriq. finis æquè maturus immineat.* Scio quid hìc *Iuſtus Lipſius* ſeculi noſtri eruditorũ Lumen, coniecturæ moueat, pro *Sus, ſuus* legendo: at mihi *finis* magis arridet, quod *finis* nẽpe *cõfector* ſiue *mors* animalia hęc nõ minus poſt diuturnã pugnã exſpectet, ac victo victoriq. homini *finis æquè maturus*, quem mors excipit, immineat: vt ibi quaſi ſeipſum Seneca explicat. De pugna &

Senecæ loca.

Iuſtus Lipſius.

natura Taurorum plura habes in Æliani lib. 4. cap. 37. ex Gillij acceſſione.

An ad Biſontes hoc, animal ſit referẽdum.

Nunc examinandum an rectè *Taurum* hoc animal & quidem *Mexicanum* appellauerimus. Poterat nonnemini videri ad *Biſontes* potiùs ablegandum eſſe, de quibus *Solinus* cap. 22. *In omni Septentrionali plaga Biſontes frequentiſſimi ſunt*, inquit, *qui boues feris ſimiles ſetoſi, colla iubis horridi. Vltra Tauros pernicitate vigentes capti aſſueſcere manu nequeunt*. Horridus & villoſus noſtræ beſtiæ habitus, & iuba cirroſa nonnihil perſuadent. Sed reclamat *Gillius* in *Æliani* prædicto libro, vbi ad Ceruorum potius ſimilitudinem accedere illos ſcribit, & cuius à media fronte inter aures vnum cornu in excelſitatem magis dirigatur, quam ea, quæ nobis nota ſunt cornua.

Verumenimuero hæc Gillium non ſatis conſideratè de *Biſonte* pronuntiaſſe, quæ ex *Cæſaris* lib. 6. nulla huius facta mentione tranſcripſerat, & bene monuit *Aldrouandus* & ante ipſum Germanus Zoographus, qui Cæſarem non *Biſontem* ſed *Rangiferum* potius deſcripſiſſe eò loci affirmauit. Eſſe tamen villoſum animal & Seneca in Hippolyto ſcripſit.

Tibi dant variæ pectora Tigres,
Tibi villoſi terga Biſontes,
Latiſque feri cornibus Vri.

Putauit etiam *Aldrouandus* à *Calphurnio* Æglog. 7. certiſſimo *Biſontem* his verſibus deſignari, quamuis nominis Biſontis nullam ibi mentionem faciat:

Vidimus & Tauros, quibus aut ceruice leuata
Deformis ſcapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Iactantur per colla iubæ, quibus aſpera mento
Barba iacet, tremuliſque rigent palearia ſetis.

Tamen quale nã hodie, & vbi terrarum id animal ſit, nõ facile demonſtratur, & id eo mirum magis; quod Romanis olim in ſpectaculis indomitũ & ferox vt vnquam fuerit, ab Orbis domitrice penè vniuerſi, Roma in quã, tamen productũ, & Equi inſtar ad currũ adhibitũ fuerit. *Martialis* id docet lib. 1. Epig. quos verſiculos animalia varia cõprehendentes hìc referre elegantia & neceſſitas ſuadẽt.

Dubium valdè vbi veri hodie ſint Biſontes.

Roma orbis domitrix etiam feros Biſontes domuit.

Picta quod iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbæque Tigres
Indulgent patientiam flagello,
Mordent aurea quod lupata Cerui,
Quod frænis Lybici domantur Vrſi,
Et quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis Aper Capiſtris,
Turpes eſſeda quod trahunt Biſontes,
Et molles dare iuſſa quod Choreas,
Nigra bellua nil negat magiſtro.
Quis ſpectacula non putet Deorum?

Et quamuis hæc noſtrę beſtię imago aliquam cum *Biſonte* ſimilitudinem, ſi gibbum dorſi & iubam colli aſpicies, habeat; diſcrepat tamẽ in alijs, quod in noſtra nempe tota corporis pellis vndique ſit villoſiſsima & cornua ſatis exigua, quæ à *Laurentio Surio* Carthuſiano, cuius authoritatẽ *Aldrouandus* laudat, tã deducta

Non eſſe Biſontem hãc noſtrã beſtiam.

& por-

& porrecta deſcribuntur, vt in ijs tres bene corpulẽti homines inſidere queant. Nec facilè *Vrum* eſſe mihi perſuadere poſſum. De *Vris* autem duo apud *Plinium* (apud Ariſtotelem nihil) exſtant loca lib. 8. cap. 16. *Pauciſſima Scythia gignit* (animali nempe) *inopia fruticum, pauca contermina illi Germania: inſignia tamen Boum ferorum genera, iubatos Biſontes, excellentique & vi & velocitate Vros, quibus imperitum vulgus Bubalosum nomen imponit, cum id gignat Africa, vituli potius Ceruiue quadam ſimilitudine.* Et lib. 28. cap. 10. *Nec Vros aut Biſontes habuerunt Græci in experimentis, quamquam Boue fero refertis Indiæ ſiluis, portione tamen eadem efficaciora omnia ex his credi par eſt.* Ex *Cæſaris* commentarijs diſcimus *Vros* eſſe quidem Boum ſimilitudine, verùm Elephantis paulò minores. Et cornuum eorundem amplitudinem figuram ac ſpeciem, longè à noſtrorum boum cornibus differre. *Solinus* ait *hæc ob capacitatem dempta inter regias menſas potuum gerula fieri.* Meminit & *Virgilius* 1. Georg. eorundem his verbis.

An ad vros potius referatur.

Cui ſuper indiguas hiemes, ſolemque potentem
Silueſtres Vri aſſiduè capreæque ſequaces
Illudunt.

Et 3. Georg. de peſtilentia boum

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis; & Vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Dubitatur an veros hoc vltimo loco *Vros* Virgilius, an magnos quoſlibet Boues accipere voluerit. Certum eſt *Vros* non habere illum, quem in noſtro conſpicimus Tauro gibbum, & incertam valde huius animalis, tam apud recentiores noſtros, quam veteres Scriptores hiſtoriam & delineationem eſſe, quod niſi ad neceſſaria magis pergerem, & diſcordantibus eorundem verbis hìc liquidò demonſtrare poſſem, ſed alteri loco reſeruo.

De Vris etiam dubia plerague.

Nunc an *Bubalis* potius accenſeri debeat, & ipſum nõ inutiliter planè examinandum. Cornua aliquam cum *Bubalorum* cornibus conuenientiam habere apparet. Et cum peregrini animalis iconem hanc oſtenderem cuidam Reliſo viro *Familiæ S. Franciſci* Hiſpano quidem natione, verum qui annos triginta integros in *Peruano* Regno vixerat, & maximam quidem partem in Ciuitate illa ampliſſima *Quito* ſub Aequinoctiali linea ſita ſanior longè & minori cum caloris moleſtia, vt mihi affirmabat, quam nunc Romæ tranſegerat, interrogaremq. quo ipſe hoc terrificum animal nomine inſigniret? Hoc ſolum reſponſi accepi, *Bubalũ* ſibi videri. Cũ enim ſimile animal in *Peruano* Regno nunquam conſpexiſſet, neque ad *Mexicanos* vnquam, quemadmodum *F. Gregorius* fecerat, penetraſſet, *Bubalis* quam maximè aſsimilari exiſtimauit. Aſt neque in *Hiſpania*, neque in *Orbe Nouo* toto vitæ ſuæ curriculo, ſeptuagenario iam paulò minor, Bubalos prius viderat, quàm in nuperrimo itinere VRBI vicino, quod ipſe ex *Centum cellis* (*Ciuità Vecchia* vocant Itali) *Romam* eundo conficiebat. His enim in locis, in quibus celebre illud *S. Spiritus* Romanum *Noſocomium* non pauca oppidula poſsidet, Equorum ac Bubalorum ad amplificandam eorundem procreationem, centena aliquot vagantur & ſuſtentantur eam quidem ſolã ob cauſam, vt *Domui* huic verè piæ, plurimumque Charitatis operibus intentæ

An ad Bubalos pertineat hoc animal.

In Quito ſub Aequinoctiali optimè degitur.

Nec Hiſpania nec America Bubalos alit.

Vectigal vberimum ex his pro Noſocomio S. Spiritus.

In hoc Nosocomio duodecim millia ægrorum vno anno fuerunt.

vberius inde vectigal proueniat, ad tot millia ægrorum, puerorumque proiectitiorum alenda. Memini enim, nos toto *Anni Secularis* M.DC. curriculo, quo ibi manſi, vltra duodecim millia ægrotorum ſuſcepiſſe, & neceſſaria alimentorum ac medicamentorum ope cunctis ſuccurriſſe.

Cur non ſit Bubalus.

Veruntamen *F. Gregorio* maiorem ego fidem habeo renuenti, qui certiſſimè, neque in *Peruano* neque *Mexicano* Regnis *Bubalos* vllos reperiri mihi aſſeruit. Et licet cornua in hac noſtra beſtia non teretia omnino, ſed latiora & preſſa aliquantulum vt in *Bubalis*, ſe habere videantur, reliqua tamen corporis, capitis maximè proportio *Bouem* perbellè refert. Eſt & hic *Taurus* noſter villoſiſſimus: Bubalorum pellis ferme depilis & *Elephantorum* inſtar glabra, aut raris certè pilis conferta.

Et quandoquidem Romanus ager præ ceteris Italiæ locis hoc animali fertilis & nobilis eſt, ex quo non minora forſan commoda, quàm ex ipſis Bobus incolæ capiunt, & de his locus ac tempus me aliquid dicere adhortantur.

Non rectè Bufalum noſtrũ Bubalum vocari.

Inter Europæ Nationes *Italis* præſertim, nec his omnibus tamen notum eſt animal illud, quod hodie quidem *Bubalum*, ſed neſcio qua authoritate ducti omnes appellamus. *Buffelum Itali* vocant, & vulgari voce *Bufala* tam marem quam fœminam comprehendentes. An ab Italico Etymo Latinum, an ab hoc illud deſcendat, æquè ignotum. Et ſi à Latinis etiam *Bubalus*, & à Græcis βούβαλος efferatur, aliud tamen & longè diuerſum à *Buffelo* animal deſignari volunt, qui ante me animalium hiſtorias noſtri æui ſcripſerunt. Ego quidem ſuperius monui à Plinio imperitum Vulgus carpi, quòd *Bubalorum* nomine & *Vros* & *Biſontes* ferorum illa boum genera vocet, cum *Africa Vituli* vel *Cerui* facie, *Plinio* teſte, *Bubalos* gignat. Hanc ipſam *Bubali* dictionem apud *Ariſtotelis* interpretes tam *Iul. Cæſ. Scaligerum*, quàm *Gazam* inuenio 3. de Hiſt. Anim. cap. 16. vt Scaliger textum ſecat, cuius hæc ibi verba leguntur: *In plurimorũ animalium inſunt ſanguine*, (fibræ nimirum) *in Cerui, Damæ, Bubali, aliorumque quorundam non inſunt*. Vbi in Græco non τοῦ βούβαλου, ſed τῆς βουβάλιδος Bubuli voci reſpondet. *Bubalis* igitur potius, quàm *Bubalus* dicendum foret. Et eò miror magis, *Scaligerum* in verſione hac *Bubalum* pro *Bubali* aut *Bubali* deſcribere voluiſſe, cum differentiam hanc tamen minimè ignorauerit. Exercit. 206. enim, tacitè *Plinium* reprehendit, quod vſus voce *Bubalus* pro *Bubalis* fuerit: ait enim ibi *Scaliger*, quod *Plinius* legiſſet aliquando *Bubalin* eſſe Africæ peculiarem, quando ſcripſerat vulgus *Bubalorum* voce *Vros*, ac *Biſontes* efferre.

Bubalis & non Bubalus ex Græco vertendum erat.

Quid Bubalis veterũ fuerit, forſan adhuc neſcitur.

Quid autem propriè ſit *Bubalis*, nolo modò anxius inquirere: cum in veteribus, *Ariſtotele*, *Plinio*, *Oppiano* explicandis Iuniores noſtri haudquaquam conueniant. Aliam ſibi fingit *Scaliger*, aliam *Bellonius*, aliam *Horatius Fontana* apud *Aldrouandum*, alij aliam: vt ferme quot capita, tot ſententiæ ſint. In hoc tamen probè omnes concordant, vulgarem noſtrum *Bubalum*, *Bufalum* aut *Buffelum*, expreſſis nuſquam verbis ab antiquis deſcriptum fuiſſe, niſi quis ſub his *Ariſtotelis* cap. 1. lib. 2. de Hiſt. anim. deſignatum putet, quando ſcribit: *Apud Acharotas etiam Boues ſilueſtres ſunt, qui differunt ab vrbanis, quantum inter Sues vrbanos & ſilueſtres intereſt. Sunt colore atro, corpore robuſto, rictu leuiter adunco, cornua gerunt reſupinatoria*. Quæ non malè in *Bufalis* noſtris ſigna elucent. Cornua

Buffelus noſter non videtur expreſsè ab antiquis deſcriptus.

nua enim ita reſupinata ac retrò reflexa gerunt; vt, cùm tantum illis non poſsint in hominem, cui infeſti ſunt, impetum facere, quantum Boues eorundem cuſpidibus, qui etiam abdomen alicui lacerare ac inteſtina extrahere valent (id quod hìc miſero cuidam lanioni ante hos duos menſes contigit) non fruſtra tamen illa ſibi à natura conceſſa norunt, ſed & illis depugnant, tundunt, contunduut, ac iteratis calcium preſsionibus etiam quem ſub pedibus hominem habent, conculcant donec trucident. An autem *Martialis* hoc verſu ſuo.

Plus valent cornibus Boues quã Bufali.

Illi ceſſit atrox Bubalus atque Biſon.

Intellexerit vulgarem noſtrum, illis etiam *Romanorum* temporibus hìc frequentem, quod non improbabile eſt: an *Vrum* potius Boum maximum ſilueſtrium, vt alij credunt, nolo iam importunius diſputare. Ferocitate mehercle nec *Vris*, nec *Biſontibus*, nec feris vllis quicquam beſtijs concedunt, vbi ad intuitum rubrarum fortefortuna veſtium exaſperantur. Tum enim tantá furoris rabie abripiuntur, vt eorum incurſum aliquando vix purpurati etiam Principes declinari potuerint. Quamuis *Gillius* ex *Oppiano* idem factitare *Boues* ſcribat, cum ait: *Qui ad Boues accedunt, rubram veſtem idcirco non ferunt: neque item ſplendidam qui ad Elephantos appropinquant, quod certè eiuſmodi colore conſtet eas beſtias efferari.* *Seneca* quoque lib. 3. de *Ira* hoc nouerat. *Quod accidere vides in animalibus mutis*, inquit, *idem in homine deprehendes: friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad vmbram Aſpis exurgit, Vrſos, Leoneſque mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad vana.*

Martialis iocus de Bubalis.

Bubali & Boues rubrarum veſtium obiectu exaſperantur.

Senecæ locus de ira cohibenda.

De hoc eleganter in *Metamorph. Ouidius*:

Haud ſecus exarſit, Circo quam Taurus aperto,
Cum ſua terribili petit irritamina cornu,
Puniceas veſtes, eluſaque vulnera ſentit.

In circo olim veſtes rubrę obijciebantur Boui.

Obijciebantur enim in circo ad irritandos Boues veſtes rubræ fæno ſuffultæ hominum formà, *Fænei homines* & *Pilæ* appellatæ, quod ceu *Pilis Boues* illis luderent & cornibus impoſitas in aerem proijcerent. Hinc Martialis:

Iactat, vt impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Lipſius hìc *oppoſitas* legit, & meo iudicio conuenientius. Et vt ferociſsimi ſint etiam *Bufali*, *ductorum* tamen atque magiſtrorum ſuorum imperio facile audientes ſe præbent, fæminæ præſertim; quibus nomina ſua imponunt propria. Vbi enim à Curatoribus ſuis nomine quæuis ſibi indito ad mulctra vocatur, hæc dicto obediens, ex numeroſo etiam grege diſcedens, accurrit illico, & ſe mungi permittit. Ex quo lacte, pilæ luſoriæ aut ouali forma moleque, caſeoli concinnantur ſapidiſsimi (*Prouatura* vocant *Itali*) nec alio loco quam *Romæ* frequentiores. His miram lactis copiam, ſi à nutricibus eſitentur, generari fæminæ noſtræ experientiá, vt aſſerunt edoctæ, ſibi perſuadent.

Bufalæ ad muliebra vocatæ accurrunt.

Caſeus Bufalinus.

Portandis in curru ingentibus oneribus, bigis quadrigiſque facilè, & nauibus quoque trahendis, difficilius aratro tamen aptantur. Vidi & *Equi* inſtar ſolum traxiſſe currum, & equitatum fuiſſe. Vt autem facilius cicurentur, ferrei vitulorum ætate, annuli naribus inſeruntur cum funiculis, quibus à ductoribus ſuis trahuntur & reguntur. *Saturnaliorum* quoque diebus, vt ludicra Populo

Onera ingentia trahunt.

Cur ſu decertant.

recreatio

recreatio exhibeatur, post Equos, Equasque & Asinos, ipsi quoque Bufali cursu pro præmio decertant non liberi tamen, sed funibus ab Equitibus tracti.

Alexander Petronius Romanus Hippocrates æstimatus.

De *Bufalina* carne hoc habeo quod addam ex *Alexandro T. Petronio* de *Victu Romanor.* quem fama hodieque ceu *Vrbis* huius *Hippocratem* commendat aliquem, hæc sunt eius lib. 3. verba: *Bubali Caro visu pulchra, albida, tactu lenta & crassa, ægrè concoquitur. Recens comesta, præter id quod ingrata est, alui fluorem mouet: salita minus lædit, magis sapit: Iudæorum cibus est: lumbaris eius musculus, hepar, lingua, & mammæ in fœminis adhuc lactantibus mirificè commendantur. Neque solum apud Hebræos, sed apud Romanos Nobiles pleroſque in pretio esse videntur.* Ex

Caro Bufalina.

Cornuum Bufalinorũ quis vsus sit.

cornibus *Bufalorum*, quæ in alias etiam longinquas regiones distrahitur, mirum est, quàm varia politissimaque *Romæ* supellex præparetur, *Annuli, Globuli precarij, Cruces, Capsulæ* variæ, *Pectines, Auriscalpia*, cultrorum *Manubria* & similia, quæ nitore & valore finissimum *Ebenum* superant, vt etiam his solis elaborandis sui opifices & tabernæ hìc instructissimæ inueniantur. Qui flatuoso illo *Spasmo*

Spasmo flatuoso dicũtur aduersari.

ac conuulsiuis motibus detinentur, annulorum eorundem gestatu se ingens beneficium percipere affirmant. Vidi principem virum eiusmodi molestis symptomatibus etiam nocturno tempore tentatum, qui hoc solo se remedio liberari mihi fatebatur, quando in ipsa Spasmi accessione & paroxysmo, integrum *Bufalinum* cornu exactissimè politum, quod sub ceruicali continuò eum in finem seruabat, manu statim amplexatus fuisset.

Restat igitur vt Taurum & Mexicanum quidē vocemus hanc bestiam.

Iure igitur ac merito *Tauri Mexicani* nomine hanc bestiam condecorabimus. Tametsi verò *Petrus Gillius* in *Æliano* ex aliorum mente Boues ad ferenda onera haud idoneos ait, cuius hæc sunt verba: *Quid inquit Cicero de bobus loquar? quem ipsa terga declarant, non esse ad onus suscipiendum figurata: ceruices autem natæ ad iugum, tam vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda.* Is ipse tamen paulò ante de *Bobus Scythicis* hæc habet: *Scythici,*

An Boues ad ferenda onera sint conditi.

in quorum dorso gibber est, & proceriſſimi & ex omni parte albi perparuis cornibus sunt & minimè acutis: similiterque vt Cameli eminenti dorso existunt, simul & cum dorso clitellæ imponuntur, perinde vt Cameli genuflectunt, rursumque suscepto onere surgunt, quod ipsum hominum, qui ijs ad grauissimorum onerum vectiones vtuntur, disciplina facere solent. Hæc eadem cum in Gesnerianis Aldrouandus historijs legisset, quærit ex quo Authore descripta hæc fuerint, qui si *Ælianum* à Petro Gillio latinum factum vidisset, vt videre potuerat, sciuisset. Nec difficultatem negotio facit, quod, vt ipse inquit, *Iulius Pomponius Sabinus* in Comment. Virgilij ad Georgica de Scythicis bobus loquens, nullam gibbi faciat mentionem. Nam & ipse fatetur *Aristotelem* 6. Histor. 28. scribere: *Boues Syriacos more Camelorum nodos flectere scapularum.* Cum Ælianus absque gibberis mentione eos ipsos describat.

Aldrouandi gibbosus Taurus non est noster.

Vlterius hoc indagandum: an, quam gibbosi Bouis *Aldrouandus* proponit Iconem, ad nostram sit referenda? *In Madagascar*, ait, *insula, tantam boum esse copiam tradunt nauigationum in nouum orbem Authores, vt bouem cochleari, aut alia re viliori commutarent. Gibbum habent in dorso ex mera puraque pinguedine.* Iconem *adieci ex Diario nautico Batauorum in Indiam Orientalem.* Atqui nostrum qui cum illo bouem conferet, reperiet præter solum gibbum, similitudinis nihil appa-

rere.

rere. Nec cornuum figura eadem est, nec animal villosum est, nec vsqueadeo gibbus respondet. Quæ *Scaliger* habet de Gibbosis Bobus Exercit. 206. cap. 6. Sunt eadem ferme ipsa, quæ paulò superius ex *Gillio* citaui, solis immutatis verbis, & quos *Gillius* in Scythia, hic in agro *Comanduano* Tartarorum reperiri scripsit, & nouo ipsis indito nomine *Bocamelos*, veluti *Camelobones* diceres, appellauit. Verisimile tamen est, ex M. Poli lib. 1. cap. 17. hæc ipsum descripsisse, qui & Ciuitatem nominat *Comandu* in regione *Reobarle*, vbi eiusmodi boues gibbosi pilo albissimo, exiguo & plano nascuntur, & Camelorum more Agasoni obediunt.

Veruntamen hęc omnia aliena adhuc à nostro *Tauro Mexicano* existunt. Propius accedit *Petrus Hispalensis*, qui Boues ait esse in *Quiuera* Orbis noui prouincia, gibbum in humeris habentes ad ferenda onera, & anteriora horum villis prælongis obtecta esse. Adhuc vicinius appropinquat icon illa, quam ego perlustrando noui orbis nauigationum volumina, inueni in *Hieronymi Benzonis Americæ* parte quinta, & quidem in Tabula Chorographica *Nouæ Hispaniæ* in India Occidentali: vbi ære incisam hanc nostram bestiam ad vnguem nostræ respondentem videre est: hoc solo tamen discrimine addito, quod nostra figura *Taurum*, vt ex genitalis masculini signis conspicuis patet, illa vaccam cum luculenta vberum ostentatione repræsentat. Huius bestiæ gibbo auis insidit cum *Psittaci* inscriptione. Recte igitur & ordine factum est, vt huius historia præclaro huic operi de *Nouæ Hispaniæ* plantis, Mineralibus atque Animalibus insereretur, *Mexicanus* potius, quam generali vocabulo *Americanus Taurus* vocitaretur.

Petrus Hispalensis magis consentanea nostra Tauro dicit.

Adhuc magis consentit figura Hieronymi Benzonis.

Sed proximè omnino, & vt verbo fertur, rem acu tangit, *Theuetus*: & ex hoc *Ambrosius Pareus* lib. 24. cuius hic libet verba recitare. *Proditum apud Theuetum legimus*, inquit, *in noui orbis Florida ingentes cerni Tauros, Butrol Barbarorum linguà dictos, pedalia cornua gerentes, gibbamque in dorso Camelinæ similem, pilo promisso & fuluo, cauda Leonina: non est ferè aliud magis ferum animal, nunquam enim cicuratur, nisi matri ereptum. Pellium tegminibus Barbari aduersum hyemis inclementiam, cornibus verò velut alexiteriam vim habentibus aduersum venena se muniunt.* Exstat hoc ipso *Parei* libro *Tauri* huius tam ferocis satis ferox imago, in qua hoc quod reprehendam, habeo, quod rictum nimis apertum versus aures Pictor produxerit, qui in nostra figura nostratium boum oris diductionem minimè excedit. Reliqua membrorum proportio, & crinium colli, ceterorumq. corporis pilorum promissio cum nostra satis congruit. Ex hoc iam iterum, quod supra monuimus, luce clarius patet, non *Peruanum*, sed *Mexicanum*, siue *Floridanum*, siue *Nouæ Hispaniæ*, hoc est illius noui orbis partis esse animal, quæ à *Peruano* separata & suos olim separatos Reges siue *Motazumas* habuit.

Omnino cum nostro Tauro conuenit Theueti icon descripta.

Est tamen in rictu peccatum.

Non possum, quin vel curiosi Lectoris gratia non contemnendam hic quæstionem expediam: Sitne hæc bestia *Nouæ Hispaniæ* indigena, an ex *Europa* eó delata? Audiamus *Ioseph. à Costa* in sua generali Indiæ Occident. historia, an nodum hunc nobis dissoluturus sit. Certa animalia ait ille, *Nouo orbi* sunt soli familiaria, nobis æquè peregrina, atque orbis ipse incognitus olim fuit, vt erit exempli gratia Canis, quem primo loco descripsi: alia cum nostris conue-

An hæc bestia sit Nouæ Hispaniæ aduentitia?

niunt,

Hoc ex ipso à Costa enodatur quæsitum.

niunt, vt Vrsi, Leones, & similia. Alia illis incognita planè gentibus, à nostris primum eò delata fuerunt. Qualia inquit Iosephus lib. 4. cap. 23. sunt *Oues*, *Vaccæ*, *Capræ*, *Sues*, *Equi*, *Asini*, *Canes nostrates ac Feles*. Boues & Vaccas ait, mirum in modum propagatos fuisse & ita multiplicatos, vt millenario persæpe numero in montanis diuagentur. Hæc à seruis æquè ac liberis petuntur, occiduntur, excoriantur, & commercia inde coriacea in *Noua Hispania* celeberrima agitantur. *Tergorum enim*, inquit ille, *innumerus numerus in Hispaniam effertur. Anno 87. ex Sant Domingo 35444. corijs bouinis, vaccinisque naues onerabantur. Ex Noua Hispania autem 60350. iungebantur, quæ pretio æstimata 96532. pesos siue Regales octonorum reddunt. Merces has, qui in Seuiliæ littoribus expositas lustrat, eo spectaculo in stuporem datur.*

Mirum vectigal & prouentus ex corijs vaccarum boumque noui Orbis.

In hunc sensum & hæc sunt, quæ lib. 1. cap. 21. habet. *His adde*, ait, *quod ante hæc tempora nec vtilium pecorum greges inibi fuerint, qui tamen postquam Hispani has Insulas (Cubam nimirum, Hispaniolam, Iamaicam, Margaritam, Dominicam) occuparunt, nunc numerosis gregibus oberrant: siue Tauros, siue Equos, siue Porcos velis Canesue. Vaccarum greges tot tamque frequentes sunt, vt nullo dominio priuatim adictæ quoquouersum cumulatè vagentur, & ab incolis ferarum modo indiscretè figantur capianturque saltem corij causa, quod detractum exiccant, & merce istiusmodi negotiationes suas agitant.*

Bubulum pecus innumerabiliter creuit in nouo Orbe.

Volui hæc Authoris plusculà licet, verba recitare, vt quid in hac controuersia decidendum lector velit, ipsemet iudicare possit. Videtur is bubulum pecus ab *Hispanis Americæ* illatum fuisse, concludere velle. Ast, vt ego *Mexicanum* nostrum *Taurum* prius *Hispanicum* fuisse credam, nulla ratione adduci queo. Reclamat peregrina animalis facies, nec *Asiaticis*, nec *Africanis*, nec *Europæis* visa prius in Vrbibus aut saltibus. Vt enim, quos supra proposui diuersimodos Boues aliquam cum hoc Tauro partem similem habeant, siue iubam, siue caudam, siue cornua, siue colorem pilorum rutilum, siue gibbum aspicere velis; nullum tamen reperies, qui omnia hæc coniuncta obtineat. Nec nisi temerè credi potest, nostratium aliquem Bouem ab *Americano* siue solo, siue cælo, post plures etiam prolium propagationes tam mira metamorphosi mutari potuisse.

Quæstionis decisio.

Dicendum potius illi regioni natiuum hunc Taurum esse.

Huc facit, quod *Indicæ* titulum *Vacca* illa *Tauro* nostro persimilis in Chorographica, vt dixi, tabula expressum habeat: quasi Scriptor ille dicat, genti isti *Indianæ* hoc animal proprium ac natiuum esse; cum & *Theuetus Taurum* hunc *Floridæ* veluti incolam, & natiuum adscribere voluerit. Nisi *Iosephus* non omne forsan bubulum pecus, sed illud solummodo ab *Hispanis* ad *Indos Occidentales* transportatum voluit, non quod ferum & siluestre, sed cicur & vrbanum fuit, multiplicatũ tamen ob regionis fertilitatem opima pascuà, cælique clementiam, innumera prole siluas postea repetere coactum fuerit. Maneat igitur hic *Taurus* verè *Mexicanus*, & forsan *Iosepho à Costa* minus cognitus, quod in *Peruano* potius hic Regno vixerit, cui regioni hæc bestia minimè familiaris est.

Explicari tamen potest Iosephus.

Potuisse Indos etiã harum siluestrium vaccarum lacte viuere.

Existimo quoque, vt ferociissimum sit animal, Indos tamen, priusquam nostræ *Vaccæ* eò transferrentur, siluestrium harum lacte vaccarum victitare potuisse, & adhuc ibi viuere, quò nostræ nondum peruenerunt; quod distenta quæ in icone tabulæ chorographicæ illa apparent, vbera insinuant. Et matri-

bus

bus ereptos vitulos domari potuisse *Theuetus* quoque meminit. Ac nescio quam argumenti huius speciem mihi præbet subligaculum illud coxæ annexum, cum sex rotundis pilis inde dependentibus quasi nolis sonantibus, ac tintinnabulis aut alijs quibusuis ornamentis nolarum defectu studiosè illis Tauris vacciſque alligatis, veluti & nostris campanulas in collo vaccis adaptamus. Nam quòd nonnemini, qui hanc mecum in autographo picturam bene miratus est, viderentur esse verrucæ eiusmodi, quales sæpe in Equis innasci ac Mulis cernimus, non habet multum verisimilitudinis. Sunt & ijdem illi *Americani* non omnes adhuc ab *Hispanis* domiti, semiferi & agrestes homines, eodem quasi cum bestijs domicilio gaudentes, quos sibi vt pareant, difficili haud negotio conficere possunt. Atque hæc de Tauro hoc Mexicano, quæ mihi dicere licuit: siue paucula, siue nimia æqui bonique lector consulat.

Occasione Bicipitis Vituli aliqua de Vitulis dicétur.

TAVRVM tollet, qui vitulum sustulerit, antiquum erat prouerbium. Et ego qui Taurum iam tuli, an vitulum non sustulero? An qui de Boue non pauca dixi, de Vitulis non plusçula etiam commentaturus ero? Et quidem cum tam opportuna se offerat occasio *Principi* meo *Cardinali Barberino* me sistendi, & Anatomen monstrosi ac *Bicipitis Vituli*, quam benignissimè mihi prouinciam iniunxerat, enodandi: & *Summi* simul *Pontificis* VRBANI. VIII. nutui subiectissimè obediendi. Cum enim *Sanctitas* sua eiusdem *Vituli* partium ichnographiam, & breuem earundem explicationem sibi à me exhibitam vidisset: rem non indignam censere visa est, quæ publicis etiam typis committeretur. Id quod ego, non vt ad nutum hunc quàm obsequentissimum me non præstarem, in hunc vsque diem distuli; sed vt tempori potius inseruirem.

Iulius Mācinus Archiater Pōtificius, plurimarū liberalium disciplinarum peritus.

Erant autem cum Summo Pontifice tūc in *Vaticanis* curæ meæ cōmissis *Hortis*, qui ab amœnitate aspectus pulchriformiū, siue Calliopeiorum (Itali *Beluedere* dicunt (nomē meruerūt, *Ioannes Ciampolus Lynceus* supra memoratus, *Iulius Mancinus* intimus & Cubicularius Pontificius *Archiater*, vir non Aristotelicà modò philosophià & Hippocraticà Medicinà eminentissimus, sed Chymicarum quoque rerum gnarus, Anatomicus insignis, & liberalium plurium aliarum artium non tam amator, quam exactissimus iudex & æstimator. Hi dum varia mecum de monstro hoc confabularentur, accessit tertio loco *Augustinus Vegius* vt suæ Sanctitati adhuc Cardinali à Theologicis studijs, ita à dispensandis nunc secretioribus Eleemosynis, vir doctissimus & probissimus: qui omnes variarum nobis controuersiarum campum aperuerunt. Et in primis quidem: An animal hoc simplex, an duo potius dici meruisset, ob duo exactissimè formata capita: siquidem *Cerebro* & non *Cordi*, quod *Aristotelici* faciunt, primatum *Medici* attribuunt. An aer à pulmonibus haustus cor ingrederetur, quod vulgò creditur; cum in hoc monstro hi per tubulum inflati, soli absque corde intumuissent? An, cū in hoc *Vitulo* gula deesset, & vnus idēque meatus aeri in pulmones, & cibis in ventriculos deferendis inseruiret, diu hoc monstrū superstes esse potuisset? De quibus in historia sigillatim aliquid, si tēporis permittet angustia, philosophabor. Et si quos hactenus scripta nostra solūmodo forsan delectarunt: spero nunc eadem vtilia ijs maximè fore, quod quandam animalis huius partium anatomicam lucem allatura sint; quæ vel ab alijs neglecta, vel non detecta fuit.

Quæ de hoc vitulo monstroso in quæstionem venire possint.

Nec

Principes etiam viros in aspectu vilibus rebus philosophari debere.

Nec indecorum prorsus est, Summos quoque Principes ad hæc aspectu quidem vilia, philosophica tamen, & nescio quid reconditi præseferentia *Naturæ* molimina, interdum se dimittere, & magnam in paruis rebus admirari DEI sapientiam. Non aliter certè, ac Amplissimo *Cardinali* huic nostro, ita *Carolo* V. *Biceps* olim *Vitulus*, vt quod miraretur, haberet, oblatus fuit, *Nicolao Villagag.* his verbis id testante: *Carolus V expeditione Africana cum in Largheram nobilem Sardiniæ vrbem appulisset, eàdem nocte res insolita contigit. Bos enim vitulum bicipitem peperit, quem mulier cuius bos erat, videndum Cæsari obtulit.* Ingredimini amici: nam & hic Dij habitant, dicebat *Heraclitus*, dum in vili quadam casula, forsan se calefaciens & opera diuina admirans, sederet. Nos veriores Philosophi, qui Christiani sumus, infinitam & impenetrabilem *Creatoris* nostri sapientiam in omnibus etiam abiectissimis creaturis, ne dicam insoliti quippiam habentibus, quod in hoc nostro *Vitulo* eluceseet modó, non satis superque vnquam admirari & laudare poterimus. Aggrediamur igitur opus, & historico saltem filo nunc vituli huius, tam internas quam externas diligenter partes delineemus: & illa, quæ controuersiam facere videbuntur, ampliore etiam sermone postea enucleemus.

Vituli huius bicipitis descriptio.

Die igitur 18. Aprilis, Anni M. DC. XXIV. iam sæpe memoratum *bicipitem Vitulum* domi meæ præsentibus ferme omnibus *Romanæ vniuersitatis* nostrę Medicinæ studiosis, secui. Natus autem fuerat mortuus, licet iam maturus partui, & vi quasi à matris vtero abstractus, quem forsan ob duplex caput commodè illa parere minimè potuerat. Longus erat spithamas, siue palmos (pro vna eademque mensura hæc ego vocabula sumo) quinque, & satis extensos.

Magnitudo.

Caput.

Vtrumque caput perfectum, satis magnum, & proportione corpori respondebat. Dextrum tamen sinistro paulò maius: hinc dexter & posterior pes etiam nonnihil erat contractior, quasi scilicet ob maioris capitis molem latus illud abbreuiatum atque retractum fuisset. Singula suos dentes capita quoque ostendebant: quatuor enim in quolibet anteriores incisores erant in maxilla inferiori, quibus in superiore nulli respondebant. In vtraque tamen maxilla tam superna, quàm inferna, sui erant molares ordine siti, quos tamen non numeraui. Hoc scio interim, in perfecto atque adulto hoc animali Boue, siue Vacca; hos dentes determinatos reperiri: octo nempe anteriores incisores omnes eiusdem prorsus figuræ in maxilla inferiore: sed desunt illi, qui canini in alijs animalibus dicuntur. Ex vtroque latere eiusdem maxillæ decem: in superiore nulli adfuere, qui cum incisoribus correspondérent, nec vlli canini. Molares nouem numerabantur, tam ex vno quam ex altero latere. Erunt igitur simul sumpti omnes numero quadraginta sex vaccini dentes.

Dentes & huius & Vaccini.

Oculi, nares, aures, & cerebrū.

Oculos, nares, aures & cetera omnia perfecta hìc inueni. Cerebrum quoque integrum, quod in vno saltem capite perueſtigare volui: sanguinolentum hoc tamen conspiciebatur, quod ipsi ex conatu forsan ac nisu matris, ob partus difficultatem, accidit.

Vertebræ colli & totius spinæ dorsalis.

Vtrunq; etiam *Caput* hoc suæ particulari vertebræ insidebat, & vtraque hæc vertebra tertiæ cuidam in medio sitæ, quæ & suprema colli dici potest, lateraliter adhærescebat. Priorum vtraque vnico tantum foramine prædita erat, per

quod

quod ſpinalis medulla ex capite egrediens tranſibat, & vtrihq. in tertiam vertebram ingrediebatur tribus donatam foraminibus, duobus nẽpe lateralibus quæ iam dictam medullam admittũt, & tertio inferiori, per quod medulla egreditur, & in ſuppoſitam ſibi vertebrã ingreditur. Hoc tamen hic aduertendũ, vtramq. medullam, ex vtraq. occipitis baſi ſeu foramine egreſſam in hac tertia vertebra (quæ ob id lõgè maior eſt, quam duæ ſociæ laterales) vniri, coaleſcere, ac vnicum tandem medullæ truncum per totam dorſi ſpinam deſcendere, ſimplicem dico, ac non duplicem, quod quis ſuſpicari forſan potuiſſet.

Medulla ſpinalis primò bifida, poſtea ſimplex.

Erat autem priorum vtraq. dictarum vertebrarum, quàm arctiſſimè connexa tam capiti, quàm vertebræ illi, quæ inter vtramq. media ſedebat, & triangularis erat, cum priorum vtraque plana potius, & per tranſuerſum oblonga eſſet. Huic tertiæ poſtmodum triangulari, & vt ita dicam, triforatæ vertebræ, quinq. aliæ ordinariæ & his ſexta adhærebat, quæ ſpinam ſiue appendicem valde elatã habebat, quod in alijs non videre vertebris fuit. Ex hac eminẽtia candicans firmiſſimus vtrinque *tendo*, nihil ferme muſculoſæ carnis poſſidens, inſtar albi alicuius ligamenti enaſcebatur. Hic autem in vtrumq. occiput inſerebatur, pro capitum videlicet eorundem extẽſione, mira vterq. Naturæ ſagacitate fabrefactus. Has aliæ ordine ad caudæ vſque finem vertebræ ſequebantur. Notandũ hoc tamen velim, dorſi ſpinam non lineà prorſus rectà, ſed arcuata veluti proceſſiſſe. Atque hæc de capitibus & ſpinali medulla dicta ſunto.

Muſculus tendinoſus biceps in vtraque capita inſertus.

Internæ oris partes lingua nempe & larinx, figuram ſuam ex omnibus conſtituentibus particulis integrã in vtroq. capite ſortitæ fuerãt. Aſpera etiam Arteria ex quolibet capite ſingula exoriebatur, quæ ambæ paulò poſt ortũ in vnã coaleſcebant. Verũ quod nunc ſequitur monſtroſum magis eſt, quam quod vel vnquam viderim, ſcriptũ legerim, aut ab alijs mihi recenſeri audiuerim. Immiſſo enim alterutri aſperæ arteriæ canaliculo, pulmones inflari iuſſi: elati fuerunt vehementer in vtroque latere, vtrobiq. in tres lobolos diuiſi, maior erat inferior tres longus latuſq. digitos trãſuerſos, alteri duo ſuperoires pollicis magnitudinẽ haud ſuperabant. Sed cor ne tãtillum quidem vel mouebatur, vel eleuabatur. Id quod mihi quidem nouum minimè viſum fuit, rapuit tamen in admirationem non leuẽ Auditores meos & ſpectatores, quibus aliud longè perſuaſum erat. Credebãt enim præceptorum à Magiſtris ſuis traditorum perſuaſione, aerem à nobis & alijs animalibus in pulmones receptum, aliquam ſui portionem ſiniſtro cordis ventriculo per arteriam venoſam pro ſpirituum vitaliũ fabrica communicare. Quod falſum tamen eſſe nõ tam animalium maiorum minorumq. aliorum, quam humanorum etiam cadauerum pulmones per follẽ etiam inflati, vt experienti patebit, commonſtrant: cùm ne tantillum quidẽ cor ex inflato aere intumeſcat, quod tamen ſi meatus vlli occulti forent & oculo noſtro imperceptibiles, iam per fortem aeris impulſionem aperirentur. Nam & inuiſibiles & alijs medijs impenetrabiles arteriolarum cum venulis anaſtomoſes in *plexu Choroide* & *Reti mirabili* Cerebri, hoc ego ſolo medio, flatu nimirum, ſæpe detexi. Aſt crepent potius ac diſrumpantur propemodum pulmones violentiã intruſi flatus, antequam cor aerem admittat, neceſſe eſt. Veruntamen hoc quod iam dixi, mihi admirationem nullam mouit, ſæpius enim eiuſmodi ſpectacula ſpe-

Internæ oris partes.

Inflatis pulmonibus per aſperã arteriam cor non mouebatur.

Non videri meatus vllos dari intromittendi aeris ex pulmonibus in cor.

Quod iam ſequitur mirabilius longè eſt.

ctaueram. Aſt quod nunc dicam, id demumme extra me ipſum quaſi rapuit. Cum enim iterum iterumque pulmones inflari curarem, vt pręconceptam ipſis opinionem de cordis ſimul motu facto ex mente eradicarẽ; toties ſub ipſo Diaphragmate vtris inſtar aliquid ſubleuari, diſtendiq. animaduerti. Hæſi diu quid hoc rei, aut monſtri potius eſſet: cum ea in regione nec vllum ex pulmonibus foramen factum, & ſtomachorũ ſeu vẽtriculorum ibi ſacculos ſitos eſſe noſſem, deferri autem ad ciborum marſupia aeris ſubſtantiã per aſperã arteriam, ea res deniq. totã inuertere rerum naturam, ac partiũ animaliũ ſeriem mihi videbatur. Quare immiſſo ſtylo per aſperam arteriam, incepi per longum deſcendendo illam cultello diuidere, ad mediam thoracis regionem vſq. penetrando. Et ecce mirabile viſu! eundem ductum ſiue canalem in vẽtriculum ſub diaphragmate poſitum deſinere animaduerti, quod equidẽ niſi manibus toties palpatum & ipſis quoq. noſtris vſurpatum oculis fuiſſet, nec à nobis adhuc etiam crederetur. Sed & hic Naturæ induſtriam & admirabile omnipotentis DEI artificium ſatis ſuperq. ſtupere non potui: quòd hoc ipſum aſperæ Arteriæ corpus ſuo non probè modo inſtructum eſſet capite Larynge, nimirum Epiglottide, oſſe Ypſiloide dicto, & reliquis nodũ hunc pneumaticũ conſtituẽtibus partibus, ſed & illud ipſum cartilagineis ſuis annulis conſtaret, & aliquò vſq. ad ſpatiũ quatuor forſan tranſuerſorum digitorum eadem ſubſtantia protenderetur. Tum idem ductus in aliã ſubſtantiã omnino mollem ac carnoſam, & vt vno dicam verbo, ipſiſſimã *Oeſophagi* ſubſtantiam mutabatur, quæ in ipſum vt dixi ventriculum deſcendebat ac deſinebat. Hic iterum non potui nõ ſuſpicere & laudare mirabile prouidæ Naturæ ingenium. Hæc enim aſpera Arteria non (quod in alijs omnibus fieri tamẽ videmus) bifurcata diuidebatur, vnũ in hunc, & in alterũ pulmonem aliũ ramũ demittẽdo, ſed recto ſtatim tramite porrecta in gulã, ſiue *Oeſophagum* trãſmutabatur. Vt tamen & pulmonibus aerẽ impertiretur, cuius gratia eſt efficta, fiſtulares tubulos ex ſeſe in vtriuſq. pulmonis lobos ſuperiores, qui ipſi aſperæ Arteriæ agglutinabantur, demittebat, per quos & aer in omnem pulmonum ſubſtãtiam porrò ingredi & egredi liberrimè poterat. Hi omnes tubuli ſiue bronchia aſperæ Arteriæ per omnes poſtea lobos diſſeminabantur, quod nobis patuit, dum inflarentur ijdem & denuo detumeſcerent.

Mõſtruoſiſſimum quid in aſpera arteria.

Aſpera arteria in Oeſophagum tranſit.

Atque hìc per tranſennam ſaltem, illius quæſtionis quam ſupra mihi motam dixi, meminero: *An hic vitulus diu ſuperſtes eſſe, cibumq. ac potum per eandem aſperam Arteriam, aeri in alijs animalibus deſtinatã, tranſglutire potuiſſet?* Id enim nobis quotidie vſuuenire nouimus, vbi quid inter prandendum ſiue ex cibis ſiue potibus ad pulmones illabitur, tuſſim illico cum ſuffocationis metu excitari: quare quid hic ſit reſpondendum, facilè patere videtur.

Curioſa quæſtio. An ali hoc monſtrum potuiſſet.

Atqui ego inconueniens minimè cenſuerim, per aliquod etiam tẽpus hoc mõſtrum lacte materno ſucto ali potuiſſe. Neq. enim reſpirationi obſtaculo eſſe debuerat, cũ aer ad latera per ſua ſe diuerticula in pulmones recipere, cibus recto interim itinere in ventriculos deſcendere facillimè potuerat. Et quid ſi aeris etiã portio non parua cum cibo deſcendiſſet, inde mali ſecutum fuiſſet? hoc enim nobis frequẽter euenire, dum ex anguſtioris orificij vitro bibimus, experientia teſtis eſt, & *Hippocrates* hoc monuit libello de Flatibus: *Omnia quæ eduntur & bibuntur*,

Reſpondetur quæſtioni.

tur, inquit, *ſpiritus in corpus inferunt, aliquando plures, aliquando etiam pauciores: id autem inde manifeſtum fit, quod plurimis eructationes poſt cibos & potus euenire ſolent.* Redit enim inſpiratus aer foras, quia ſi eidem *Hippocrati* libello de Corde credimus, nullum neque ipſe, neque aqua homini aut animali alimentum præbent. *Merito autem*, inquit, *recurrit ſpiritus & aqua, non enim humanæ naturæ alimenta hæc ſunt. Quomodo enim hominis alimentum ſint ventus & aqua cruda?* Idem tamen *Hipp. libello de Flat.* (vt hoc obiter dicam) contrarium aſſerit, ſic enim ibi ait: *Corpora enim omnia tum hominum, tum reliquorum quoque animantium à triplici nutrimento ſuſtentantur, horum autem nutrimentorum nomina hæc ſunt cibus, potus, ſpiritus. Ac ſpiritus quidem qui in corporibus ſunt, flatus vocantur: qui verò extra corpora exiſtunt, aer. Qui ſanè maximus eſt in omnibus quæ corpori accidunt, & author & dominus.* Sed & vice verſa, vt in ventriculum aerem, ita in pulmonem potum deſcendere voluit idem Hipp. eodem de corde libello. *Etenim homo multò maximam partem in ventrem bibit: gula enim ſiue ſtomachus velut infundibulum potus copiam & quæcunque volumus, excipit. Bibit autem & in guttur ac arteriam, minus verò & quantum latere poſſit per rimam illapſum.* Ait etiam ibidem aquam in pericardio contentam ex potu ſcilicet in pulmonem labente, veluti vrinam cordis eſſe. Quam mirabilem ſuam philoſophiam his verbis concludit. *Hunc itaque humorem cor de pulmone vna cum aere abducit: aerem quidem igitur, vbi in medelam ceſſit, neceſſario oportet retrò per eandem viam qua abduxit, reijcere. Verum humorem partim in culeum ac vaginam ſuam expuit: partim rurſus vna cum aere foras propellit.* Solidiorem tamen cibum ceu fænum, herbas, frumenta, legumina, non puto ab hoc vitulo deuorari potuiſſe. Cum dicto iam loco dicat Hipp. *quod operculum Laryngis, Epiglottis, lingula ſiue minor lingua appellata, ne permiſerit quidem aliquid amplioris potus penetrare.* Vnde, cum credi facilè potuiſſet, quandoquidem duo capita eſſent, ſingula ſuum habere Oeſophagum & aſperam arteriam, adeoque quatuor vaſa eſſe debuiſſe. Hìc natura tamen adeò defecit, vt pro quatuor vnum ſolùm fabrefecerit, quod cibo nihilominus liquido, aerique detrudendo ſatis fuiſſet.

Hippocratis loca controuerſa.

Hipp. dicit pulmonem & cor bibere.

Hiſtoriam porrò perſequamur. Ventriculi igitur poſt pulmonem, vt iam annotatum fuit, qui quatuor ſunt numero, & ipſi ex immiſſo flatu attollebantur. Quæ autem horum omnium & nomina ſint, & officia, inferius expediam, quando de *Ruminatione* tractaturus dubia quædam authorum loca explicabo. Hoc interim hìc nouiſſe ſatis fuerit, in *tertio* ventriculo plicatilium ſerie quadã membranarum conferto, nihil prꝛeter ſeſquiunciam fortè mucaginis cuiuſdam repertum fuiſſe. In *quarto* autem & vltimo ventriculo vbi chylus abſoluitur, & coagulum in lactantibus colligitur, inueniebatur ſemilibræ pondere humor chyloſus quidam, adeò tenax, viſcoſus, ſibiq. cohærens & albicans, vt gluten Taurinum probè æmularetur, ita vt ab ipſa etiam madefacta ſpongia non imbiberetur, ſed aqua elui ac manibus deturbari neceſſe haberet.

Quæ excrementa in ventriculis reperta ſint.

Dubium profectò non leue ea mihi res mouit, quibus in hunc ventriculum vijs tanta huius humoris copia perduci potuerit: ſicuti & illud, quod totius animalis huius caro omnino acidi lactis odorẽ ſpirabat. An dicendũ, dum in vtero ex ſanguine materno fœtus nutritur, ſæpe cum ſanguine lac miſceri? Eſt enim facilis greſſus & regreſſus ab vtero, ſanguinis ad vbera & ab his ad vterum,

Tota caro lactis acidi odorem emittebat.

quod fæminæ etiam noſtræ philoſophicas has minimè edoctæ ſpeculationes, nouerunt. Sed hæc patentiorem contemplandi campum deſiderant.

Inteſtina. Huic igitur vltimo ventriculo *inteſtina* eiuſdem propemodum cum ipſo ſubſtantiæ, annectebantur; quæ ego haud diſſecare volui, cum ex recto inteſtino ſua ſponte eiuſdem coloris ac conſiſtentiæ excrementum efflueret, quale illis eſſe videmus, quæ iam paſta fuerunt. *Vitulus* autem hic nec lac quidem à matris vberibus ſuxerat, cum mortuus editus fuiſſet.

Dum autem ventrem inferiorem aperiri iuberem, ſimul *venam Nutriculam* ex vmbilico hepati inſertam conſtringi curaui, quo illa poſtmodum pro inflando hepate inſeruiret. Quæ vbi ex tubulo flatum recepiſſet, viſu iucundum & mirabile dictu, confeſtim inflatum eſt *hepar*, *pulmones*, *cor*, *lien* atque ipſi *omnes ventriculi*: qui, cùm vna communi tunicà inueſtiantur, imponunt alicui vni-cum ſacculum & non plures eſſe, exiſtimanti. Hæc autem, qua ratione contingãt, in Medicinæ ſtudioſorum gratiã ex *Iuuenilibus* meis paulo poſt ſubiungam.

A vena nutricula inflata quæ partes internæ inflatæ fuerint.

Cor & quid in hoc inuentum. Quatuor Cordis vaſa nec tempus, nec opus examinare fuit, quæ ego alijs vicibus in perfectis ac imperfectis vitulinis fœtibus quam exactiſsimè fieri potuit, perquiſiui & deſcripſi, Corde tamen aperto, & ſiniſtro eius ventriculo inſpecto, globulum quendam nigrum, durumque reperimus, carneæ ſubſtantiæ ſimilem, adnatum internæ huius ventriculi cauitati, quem vbi diſcidi, effluxit ſanguis nigricans remanente pelle duriuſcula: ſanguis ille autem magnitudine nucis moſcatæ exquiſitè ſphæricus, ac rotundus prorſus globulus erat. Sed neque in hoc, neque dextro ventriculo ſanguinem vllum inuenimus alium, id quod notatione digniſſimum cenſeo. *Veſica* vrinaria liquoris ſui expers & parua admodum erat. Incisà illà, per ſtylum vas *Vrachon* dictum indagaui, qui meatus manifeſtè peruius erat. Sumit autem *Vrachos* initium ſuum ex fundo veſicæ, & vrinam in veſicam ex *renibus* corriuatam, dum adhuc in vtero vitulus concluditur, deportat ad membranam quandam *Allantoidem* dictam, eum in finem à Natura fabrefactam, vt inſtar alicuius vtris excrementum illud ſeroſum colligat, donec partus tempore ex vtero excernatur. Eſt autem *Vrachos* ex quatuor illis vaſis vmbilicum conſtituentibus vnum. *Secundum* eſt *vena Nutricula* quæ ſanguinem maternum in hepar refundit, *tertium & quartum*, ſunt ambæ illæ *arteriæ vmbilicales* appellatæ, quæ in deſcendẽtis *Arteriæ magnæ* ramos *Iliacos* vitalẽ matris ſpiritum tranſportant. Quæ omnia vaſa hìc probè conſpiciebãtur.

Sanguine cor caruit.

Veſica & Vrachos.

Quatuor vmbicalilia vaſa.

Lien. *Lien* perexiguus erat, nec ſingulare quicquam obtinebat. *Renes* diſciſsi non carnem, ſed merum potius congelatum ſanguinem referebant. Cohærebant tamen fibris carneis, ita vt quid medium inter carnem ſeu parenchyma, & ſanguinem coagulatum exiſtimarẽtur. Ceterùm interna omnia viſcera perbellè ſe habebant. *Teſticuli* etiam (maſculus enim hoc mõſtrum fuerat) qui tamen latentes & parui erant, vix Auellanam nucem ſuperabant. Atque hæc fideliſſima eſt *Monſtri* huius *Anatome*, quæ ſummà, quam adhibere & potui & debui, diligẽtià trium horarũ ſpacio à me adminiſtrata & ab ſoluta fuit. Qui merito labor meus illi dedicatus ſit *Principi*, qui eũdem mihi benignè cõmiſit. Et cui ſoli à *Medicorum filijs* gratiæ ſint habẽdæ, ſi quid vtilitatis nacturi ſunt, tã ex enarrata hiſtoria, quàm ex ſequẽtibus meis vberioribus diſquiſitionibus, quas nũc ſubnectam,

Renes.

Teſticuli.

Solius Principis Cardinalis Barberini honori hic labor dedicatur.

quæ

quæ in meis forsan aduersarijs alioquin delituissent ac computruissent.

Sed priusquam has obseruationes meas *Iuueniles* quidem, Naturà tamen dirigente & dictante scriptas, publicas faciam; rogandus mihi est docilis & studiosus lector, ne ita facilè Philosophastris quibusdam fidem adhibeat, tam audacter quiduis negantibus, quod ipsi nec manibus tractarunt, nec oculis vnquam vsurparunt: eam solam ob causam nimirum, quod Veterum illud scriptis aduersari, infringere eorum dogmata, & obstare authoritati videatur: qui DEO ipsi, & Naturæ leges præscribere, & vim inferre præsumunt, dum misselli hi omnia suo arbitratu, cogitatione, & temerario iudicio fieri debere sibi persuadent. Nos æquum est *Naturæ*, & non hanc nobis se accommodare. Quare friuolæ omnes eorum sunt rationes, quas *rerum magistra experientia* impugnat.

Experientiæ potius quam nudis imaginationibus credendũ.

Describpturus sum itaque iam *Vitulinam* Anatomen, quam ante hos annos viginti, ea quà fieri potuit industrià, exercui, vt fideliorem quarundam controuersiarum enodationem indè nanciscerer. Vtar autem hìc ijsdem penè verbis, quæ in meis *Iuuenilibus* scripta reperio; ad quæ si opus sit, etiam lectorem prouoco, ne quis me in alium ea sensum detorquere voluisse, censere possit, vt quę in *Monstro* hoc euenisse dixi, propterea magis confirmarem. Eadem enim nunc Natura est, quæ ante tot millia annorum fuit: sed nos mutamur, & alia subinde de eadem nobis imaginamur.

Vitulina, alia Anatome.

Cordis igitur *Vasa* hanc fortiebantur constitutionem. *Vena Caua* ex Hepate ascendens Cordi, non aliter in ostium quoddam ante dextrum eius ventriculum, atque in nobis aperitur: & iuxta dextrã cordis auriculam cum *Arteria venosa*, quæ ad sinistrum cordis Ventriculum pertinet, per manifestum admodum rotundumq. foramen continuatur, per quod ex *Caua* sanguis in hanc *Arteriam Venosam* transfluit, minimeq. in dextrum ventriculum influit: & ne in *Cauam* regrediatur, membranula subtilis operculi vicem subiens, foramini siue ostiolo illi apponitur. Prope hoc ostiolum, foraminulum longè adhuc minus reperitur, ex quo vena producitur *Coronaria* cordis dicta, per cordis basin disseminata. Dexter autẽ ventriculus humano erat similis, tot carnosis tamẽ ac fortibus fibris haud præditus. Hæc ambo vasa eiusdẽ sunt substantiæ; venosæ nimirũ, non arteriosæ.

Cordis vasorum venosorum descriptio.

Vena Caua.

Arteria venosa.

Vena coronaria cordis.

Arteriosa autem duo hoc modo se habebant. Et quidem, quod ex his primò in oculos incurrit, omnibus imponit *Arteriam magnam* esse, & ex sinistro cordis sinu ortum ducere arbitrantibus: cum tamen planè contrarium existat & sit potius *Vena Arteriosa* ac superincũbat ipsi *Arteriæ magnæ*, quæ reuera in exortu atq. egressu suo ex sinistro ventriculo, non est tam magna lataq. atque hæc ipsa vena arteriosa. Cũ igitur *Arteria magna* enascitur & egreditur ex Corde, progreditur ad latitudinem transuersi pollicis (in hoc vitulo saltem ita conspiciebatur) deinde in duplo ampliorẽ truncũ, quam ab exortu fuerat, desinit. Ex hoc alius ascendit truncus tã amplus, vel pauló minor quam ille fuerat, qui ex Corde emergebat; atque hic est truncus *Arteriæ magnæ* ascendẽtis. Magnus autem dictus truncus partim ad spinam dorsi deflectens, constituit *Arteriam magnam descendentem*: partim versus cor reflexus illudq. subiens, per dextrum nempe ventriculum, *Venam* facit *arteriosam*: quæ tamen, antequam cordi inseritur, bifurcata singulos ramos in vtrosq. pulmones spargit. Dico autem *Venam* hanc *arteriosam* ingre-

Vasa arteriosa cordis.

Arteria magna.

Vena arteriosa.

di cor ſi exortum eius inſpicias, quem ab *Arteria magna* ſiue *Aorta* nanciſcitur; quamuis ſi officium ſpectes, melius ex corde egredi dici queat, cum ex dextro ventriculo ſanguinem educat in pulmones nutriendos, in nobis iã in lucẽ editis.

Venæ arterioſæ quis vſus in fœtu.

Si *fœtum* verò conſiderare velimus, iam alium prorſus vſum hæc *Vena arterioſa* habet. Hæc enim cum magna arteria in ductu quodam omnino communicat. Vbi etenim Spiritus materni per vmbilicales arterias in Iliacos ramos infuſi, per *deſcendentis Aortæ* truncum aſcendunt, & cordi iam vicini ſunt, tunc duas ibi ſtatim vias reperiunt; vnam quæ ingreditur *Aortam* partim cor ſubeuntem, partim aſcendentem & caput petentem, in quam quidem viam communem ſpiritus ſubeunt, ſed cor neutiquam ingrediuntur. Altera via eſt in venam arterioſam dextro cordis ventriculo inſertam, quæ ex eadem magna illa Arteria ſiue Aorta enaſcitur. Itaque ſpiritus hi vitales & ſanguis arterioſus maternus, ad ſuperiora partim ſibi viam parant, partim per venam arterioſam in ambos pulmones diſperguntur, in cor verò minimè illabuntur. Euidens autem rei huius ratio in propatulo eſt, quod valuulæ obſtent ſemilunares, vel *Sigmoides* dictæ à figura, quam obtinent. Quare dum inflari curarem magnæ Arteriæ deſcendentis truncum, inflabantur ſubitò & pulmones ambo, & illa ipſa extra cor ſita vena arterioſa: cordis interim dexter ventriculus neutiquam mouebatur.

Paradoxõ. Spiritus vitales & ſanguis in fœtu cor non ingrediuntur.

Inflata per tubulum, Aorta quæ partes fuerint tumefactæ.

Aſt neque hac flatus impulſione ſiniſter cordis ventriculus attollebatur, cum eædem ſemilũnares pelliculæ hic obſtarent, quæ egredienti quidem materiæ patent, ingredienti ſeſe opponunt. *Statuendum* itaque (licet plurimis viſum paradoxum fuerit) hoc erit: *in cordis ventriculis nec ſpiritum nec ſanguinem vllum in fœtu contineri.* Nam cur ex *Vena caua* in dextrum ventriculum ſanguis refunderetur, cum in eodem exiſtens *Arteria venoſa* illum recipere & ad pulmones (quod tamen in adultis ſemper fit) deferre haud valeat? quæ ſpiritu vitali ex *Aorta* ſibi communicato, vt diximus, turget.

Obiectio aduerſus hoc paradoxon.

Aſt inquies dextro cordis ventriculo *Vena Caua* ſanguinem infundit: manifeſtiſſimè enim ante illum panditur. At verò aliud autopſia conuincit: caua enim non in ventriculum per pelliculas ſiue valuulas illas tricuſpidales ſanguinem ſuum deponit (quod tamen fit poſtquam animalia nata fuerunt) ſed incauernulam illam ante dextrum ventriculum poſitam, quam ego *Antecameram* non ſatis Latina voce, appellare ſoleo: qui ſtatim in *Arteriam venalem* & foramine ſatis grandi, & ſubſtantiã eadem ſibi proximam, continuam, ſimilemque recipitur, & ad pulmones vtroſque ablegatur. In *ſiniſtro* etiam *Ventriculo cordis*, nullus ſpiritus ſtabulatur: neque enim ex *Arteria magna* in cor aditus patet, ſemilunaribus impeditus à valuulis, ſed ſpirituum pars *Arteriæ magnæ aſcendenti*, pars *Venæ* committitur *arterioſæ*, ex qua in pulmones fit tranſumptio.

Reſponſio.

Alia Anatome Vitulina.

Atque hìc, vt firmiorem verbis meis fidem adſtruam, ex alia *Vitulina Anatome* non minus claras, quam iucundas demonſtrationes promam. Eodem ipſo die, quo iam ſcriptam confeceram adminiſtrationem anatomicam, alium ex Vaccino vtero *vitulum* exemptum artificiosè ſecui. Hic autẽ vix ſpithamam ſiue palmum ſua longitudine ſuperabat. Huius ego cum imprimis venam curaſſem inflari *Nutriculam*, inflatum ſimul eſt *Hepar*, *Cor* & *Pulmones*. Ex *Vmbilicali* enim hac vena in *Portam*, ex qua in *Cauam*, ex Caua in *Cordis* dextrũ nõ quidem Ven-

Ex inflata vena Nutricula, Hepar cor & pulmones inflati.

triculum

triculum, ſed huic *antepoſitum ſinum*, ex hoc per foramen in *Arteriam venalem* extra cordis ſiniſtri ſinum poſitam, è qua demum in *pulmones*.

Inflatis arterijs vmbilicalibus non cor ſed Hepar & pulmones inflati.

Iuſſi inflari ſimiliter *Vmbilicales* arterias: ſtatim intumuit *Hepar*, inde *Pulmones*, ſed *Cor* minimè motum. *Hepar* quidem propter arteriam ſatis grandem ex deſcendenti *Aortæ* trunco ſibi communicatam; *Pulmones* verò propter *Venam arterioſam* ex *Aorta* originem ſumentem: ſed *Cor* haudquaquam, quia neque ex *Aorta*, neque ex *vena Arterioſa* in hoc aditus vllus patet.

Inflata aſpera arteria pulmones inflati & cor parum & cur hoc.

Præcepi demum vt *Aſpera arteria* & ipſa inflaretur, & ſtatim mirè elati fuerunt *Pulmones*, qui cum aliàs rubri admodum eſſent, & carne potius ſolidiore quam ſpongiformi prædíti; iam albicantes tamen ſubitò, & ſpongioſi fuerunt effecti. Tumefieri & *Cor* viſum eſt: cuius ſiniſtrum ventriculum datà operà incidi pauliſper, ex cuius foramine cum ſpumoſo quodam ſanguine aer exilijt. Quod ego quidem contigiſſe exiſtimo, non quòd ſanguis in ſiniſtro illius ventriculo vllus contineretur; vt nec in alijs viſus eſt fœtibus, ſed quòd vi quadam inſufflationis in tenello adeò corpuſculo, ex *Arteria venali* rupta, quæ à *Caua* ſanguinem receperat, in cordis hunc ſinum cum ipſo aere compulſus fuiſſet. Cum tricuſpides præſertim illæ membranulæ ſiue valuulæ ſint duæ tantùm, & tam extra quàm intrò meanti humori non multum obſiſtant. Dexter autem ventriculus, quantùm ego animaduertere potui, nequaquam inflabatur.

Communio venæ arterioſæ cum Arteria magna.

Hìc commodè admodum illam *Venæ arterioſæ* cum *Arteria magna* communionem notare potui. Si quis enim in huius deſcendentem truncum dextrè ſtylum immittat, ſurſumque porrigat, tres reperiet vias: quarum vna in aſcendentem Aortæ truncum pertingit: altera ſiniſtrum cordis ventriculum ingreditur, & eſt ipſe magnæ Arteriæ exortus: tertia verſus dextrum cordis ventriculum abit, & *venam arterioſam* conſtituit. Qui tamen tertius hic ductus exiguus cùm ſit, in natis iam animalibus facilè coaleſcit; atque ſic ſpiritus, cum non poſſint amplius poſtea per hunc meare, ſurſùm ac deorſum ſaltem, dum ex corde per Aortam ſcaturiunt, per huius truncos ferantur neceſſe eſt. Memini me hunc ductum in adultioribus hominibus ita vietum & euanidum reperiſſe, vt ligamenti inſtar Aortam & venam arterioſam colligaret: Videre ſimul in hoc corde erat *venam coronariam* & *Arteriam coronariam*, quæ ſtatim ex Aorta enaſcitur, vbi hæc ex corde egreditur.

Arteria coronaria.

Nullus ſanguis in cordis ventriculis.

In neutro cordis ventriculo ſanguis aut ſpiritus vllus viſebatur. In primo fœtu aqua in pericardio contenta inſtar loturæ carnis erat: in hoc vltimo nulla obſeruata fuit, niſi forſan iam effluxerat. Eſt autem de ſanguificatione & ſpirituum vitalium vt in fœtu peragitur, procreatione & diſtributione hæc mea philoſophia: quam in Iuniorum gratiam ſaltem Medicorum, qui in Anatomicis minus ſunt verſati, proponam, & prouectiorum in hac arte ſimul calculum expectabo. Nec vitio mihi verti velim, ſiquid in ſcriptione hac vt difficillima, ita vtiliſſima repetiero, non ſatis enim dicitur, quod bene dicitur. Ex diligentiſſima igitur hac autopſia non in Animalibus modò, ſed Infantibus quoque habità, ſic ego ſpeculari ſoleo. Sanguinem venoſum ex materni vteri venis per *Nutriculam* ad Hepar in Portæ venæ ramos per ipſum diſperſos conuehi: ex his in Cauam, ex Caua in partes inferiores per deſcendentem truncum

Authoris ſpeculatio de ſang. & vital. ſpirit. generatione in fœtu.

Quid de ſanguine agatur.

aliquam

aliquam huius ſanguinis portionem pro nutriendis illis partibus, alteram verò ad ſuperioris corporis membra euehi, & in itinere hoc quidem, Venam cauam cordi aperiri, & ſanguinis partem in oſtium illud, cauernam, ſiue antecameram iam dictam effundi, reliquum ſanguinem thoracem, caput & artus petere ſuperiores. Nullum autem ſanguinem cordis dextrum ventriculum ingredi, cum nullus ipſius ibi vſus ſit. Neque enim vt hic attenuetur, veluti materia pro ſpirituum vitalium in ſiniſtro vẽtriculo generatione; ſpiritus enim in fœtus corde nulli generantur, ſed à matre ſubminiſtrãtur. Neque vt cor hoc ſanguine nutriatur, huic enim vſui Coronaria dicta vena ſeruit, quæ per cordis ſubſtantiam diſpergitur: quin neque in nobis iam ſanguis in ſinũ cordis effuſus, nutriendi officium habet. Is autem iam dictus ex venæ Cauæ apertione ſanguis in oſtio hoc collectus, ſtatim per foramen iam ſupra deſcriptum in Arteriam venalem Cauæ non contiguam hìc, ſed continuam prorſus tranſcendit. Et licet hæc Arteria venalis ad ſiniſtrum cordis ſinum pertineat, ſanguis tamen hic receptus eundem ſinum minimè ingreditur: eſt enim hic foraminis coalitus extra vtrumque cordis ventriculum, & Arteria hæc venoſa bifurcatur, & in ambos pulmones ſtatim ramos emittit: quare immediatè receptus in hanc ſanguis, pulmones nutriendi cauſa ſubit. Quis enim eius in ſiniſtro ventriculo vſus eſſet, cum ſpiritus vitales in hoc neutiquam conficiantur? *Arteriæ autem Vmbilicales*, vbi maternum ſpiritum vitalem ad *Iliacos ramos* conuexerũt, ſuo ſatisfecerunt officio. Hic autem per Arteriam magnam deſcendentem aſcendit, & ad aſcendentem Aortam ſupra Diaphragma peruenit: huc vbi delatus, iam cor, quod verum eſt vitalium ſpirituum domicilium, ingredi ipſum æquum foret. Veruntamen huic oſtium cordis ſiniſtrum pulſanti, acceſſus denegatur; valuulæ enim ſeſe opponunt illæ ſemilunares, quæ egredientibus quidem ſanguini & ſpiritui aperiuntur, ingredientibus clauduntur. Quapropter pars horum peregrinorum, & à matre fabricatorum ſpirituum, per Aortam aſcendentem ſuperiora petit, pars in Venam illabitur arterioſam, quæ & huius Aortæ propago eſt, & eundem cum ipſa ſubſtantiæ modum (vt Medici loquuntur) obtinet.

Quid de ſpiritibus fiat maternis.

Non ſum tamen neſcius: Aortæ in adultis corpus paulò durius eſſe, quam ſit Venæ arterioſæ; quod inde prouenire credibile eſt, quoniam illa, in animali extra vterum matris conſtituto, perpetuis non motibus modò agitatur, ſed ſpirituum vitalium quoque copia repletur, & partes obambulat non rarò ſicciores frigidioreſque, vnde dureſcit magis quam Vena arterioſa, quæ extra pulmonum & cordis ſitum non protenditur. In fœtibus certè & recens natis ego nullam horum differẽtiam vaſorum, ſi duritiem ſpectes, animaduertere potui. Hæc autem vena arterioſa & ipſa in ambos pulmones ramos diuidit, maioreque & vero ſuo trunco, in dextrum Cordis ventriculum implantatur. Itaque ſpiritus illi aduentitij ſimiliter pulmones ſubeunt, in dextrum autem Cordis ventriculum nulli deſcendunt, quia & hæc non aliter Vena arterioſa, atque Aorta, habet valuulas immiſſioni oppoſitas, emiſſioni patentes.

Cur Aortæ corpus in adultis ſit durius quã in fœtu.

Obiectio aduerſus dicta.

Attamen cor inquies, viuere cum debeat, vitali haudquaquam ſpiritu fruſtrari conueniens fuerit. Neque hoc ego inficior. Aſt huic vſui arteria ſuf-

Reſponſio.

ficit

ficit coronaria appellata, per cordis baſim probè diſperſa, quæ riuulos ſuos etiam ad intima tranſmittit, & ipſa inſtar venæ huius nominis, extra cordis ventriculos ortum ſuum nanciſcitur ab Arteria magna. Et quæ neceſſitas quæſo cogit, vt per magnam Arteriam in ſiniſtrum cordis ſinum ſpiritus vitales intromittantur, cùm iam fœtui ab vtero illos materno ſufficienter ſubminiſtrari, nec in corde fœtus elaborari debere, probauerimus? Sed neque per Venam arterioſam in dextrum cordis ventriculum ſpiritus vllus penetrare, aut debet, aut poteſt. Non poteſt, quia obſtant valuulæ, quæ ab interna cauitate foras aperiuntur, exterius verò ad interna eunti cuicunque rei clauduntur. Nec debet, in dextro enim hoc ſinu ſpiritus vitalis non habet locum, in quo ſi vllus eſt ſpiritus, hic naturalis potius eſt ab hepate huc tranſmiſſus, qui tamen in animalibus an detur etiam, & à *Galeno* & alijs viris doctiſſimis hucuſque dubitatum ſcimus.

Iucunda de motu cordis in fœtu obſeruatio.

Atque poſtquam huc peruenimus, quod in alio quodam vitulino fœtu memoratu dignum animaduerti, vt ſtudioſis Medicinæ meis gratificer, nec hic referre pigebit. Cum igitur abſciſſis vmbilicalibus vaſis ex Vaccæ recens mactatæ vtero fœtus extractus vt mortuus propemodum, in terra iaceret, Lanio noſter duas ex vmbilico propendentes nobis & quidem pulſantes arterias demonſtrauit, quas vbi ſtupens lætuſque admirabar, aperiamus inquam, thoracem, vt quà ratione cor pulſui huic reſpondeat diſquiramus. Appenſo igitur per poſteriores pedes ad parieti fixum clauum fœtu, & ventrem & thoracem per lineam rectam diſcindendo quàm citiſſimè aperui. Et ecce mouebatur tunc cor, & quidem eodem quo arteriæ vmbilicales, rhythmo; nulla tamen ſeruata inter ſyſtolem ac diaſtolen proportione vniuerſali. Solebat videlicet aliquando ter quaterue, ac pluries etiam cor pulſare, deinde ad ſex octo vel decem quoque pulſationes ſubſiſtere, rurſuſque ad pulſum redire, tamdiu poſtmodum quieſcere, donec ego illud ſolo cultri cuſpide tangendo, excitarem, quem vt primùm tactus ſenſum percepit, moueri cæpit, atque ſex vel plures pulſationes reiterans, ad quietem demum redijt: iterumque vel cultro vel digito ſaltem meo contactum ad dilatationem fuit excitatum. Quinimo intra meam contentum palmam, hoc corculum pulſauit, qui motus poſt apertum omnino ſternum ad horæ quoque quadrantem durauit, diutius forſan duraturus, niſi cordis ſuperficiei vulnuſculum leuiter inflictum fuiſſet. Cùm autem *Cordis mucro* hoc ſitu deorſum penderet, in ipſa cordis diaſtole ſiue dilatatione ipſe ad ſuperiora retrahebatur. *Reſpiratio* quoque, quod hìc ſimul notandum cenſeo, nulla fiebat, cum pulmo maneret immobilis, & Diaphragma ad apertum ac dilatatum pectus ipſum quoque diſruptum eſſet.

Cor ad ſenſum tactus iam immotum iterùm pulſabat.

Mucro cordis in motu ſurſum trahitur.

Nolo hìc contentioſius controuerſiam illam. An cor in fœtu pulſet, agitare, quæ commodiore à me loco expedietur. Qui interea vtrarumque partium rationes noſſe velit, legat Andreæ Laurentij Anatomen & Ioannis Riolani filij Anthropographiam, quorum hic cordis motum in fœtu probat, ille negat.

An cor in fœtu adhuc concluſo in vtero pulſet alibi expedietur.

Ex his niſi fallor, facilè quiuis rationem indagabit, cur in monſtroſo hoc noſtro vitulo inflata *Nutricula Pulmones* & *Cor* eleuarentur: non ita facilè tamen, cur ſimul & *Lien* & *Ventriculi* ciborum receptacula dilatarentur. De *Liene* hæc cauſa

cauſa aſſignari poterit, quod vena nimirum hæc vmbilicalis ſiue *Nutricula* pars ſit manifeſta ipſius *Venæ Portæ:rami* autem illi *Splenici* ſiue venę Lienem adeuntes, & ipſæ ad *Portam* pertineant: vtrobique igitur flatus non difficulter permeabit. Obſcurius adhuc, cur quatuor illi ventriculi ſeu ſtomachi inflarentur An hoc fieri potuit per venam inſignem quæ ex Liene in ventriculum deſinit *Vas breue* appellatam? quam ego tamen hic non ita vt in humanis olim cadaueribus exactiſsimè feceram, indagaui. An verò hoc etiam non extra omnem eſt improbabilitatem, flatum hūc in hepate ex Nutricula receptum, per meatus illos *Cholidochos*, ſiue Bilis flauę expurgandę vias in *Duodenum* appellatum inteſtinum fuiſſe conductum, & ex hoc *Ventriculos* ſubijſſe? Et hoc vt ſuſpicer ſaltem, quam in *Bouis hepate* exercui Anatome, mouere me poteſt, quam nunc deſcribam.

Quomodo bilis ex hepate ad duodenum feratur.

Cùm in bouino itaque hoc hepate bilis flauæ ductus obſeruarem, notaui quam plurimas eorundem in hepatis ſuperficie, verſus veſiculam fellis excurrentes, ex interna tamen hepatis ſubſtantia originem ſuam deſumentes apparere. Hæc autem differentia notari poterat: quod ex parte hepatis craſſiore profundiores magis ductus ſcaturirent, in tenuiore verò eiuſdem portione magis eſſent ſuperficiales. Hi omnes demum coeuntes prope collum ſeu ceruicem veſiculæ Fellis in ramum vnum deſinebant, qui per obliquum latus in Duodenum inteſtinum, non inter tunicam ac tunicam, ſed in ipſam inteſtini cauitatem hians ferebatur. Erat autem manifeſtiſſimus hic inſtar fiſtulæ protuberantis ductus, qui magnitudine quemuis craſſiſsimum ſcriptorium calamum ſuperabat; valuula huic nulla tamen adiacebat: verum ipſa protuberantiæ huius ſubſtantia conniuebat, quæ turgente inteſtino obſtabat quo minus bilis ad hepar remearet, non autēm quin noua ſemper ex Hepate huc corriuaretur bilis, impedimentum vllum procreabat.

Alia quæſtio de Bilis ductu ad duodenum alio loco decidetur.

Poteram hìc forſan illas Anatomicorum rixas ſopire, quibus altercantur inter ſe plurimùm, an ex hepate potius via rectà ad inteſtina, quam ad Bilis prius cyſtim, & ex hac poſtea in eadem flauus ille, amarus & acris naturæ pro quotidiano datus clyſtere humor fluat? Sed tædioſus nimium eſſem: hoc igitur ſatis nobis iam probaſſe ex anatome fuerit, meatum manifeſtiſsimum in Bubalo ſaltem genere ex hepate in inteſtina dari, in quæ flatus receptus, forſan ventriculos ipſos replere ac diſtendere in hoc monſtro noſtro potuit; niſi quis hoc ipſum non minus, quam reliqua quæ memorauimus, monſtroſum dicere maluerit.

Ratio probabilis cur ventriculi inflati à Nutricula inflata.

In hoc eodem bubulo hepate inſoliti quidpiam ſimul conſpexi, quod tale fuit. Inuenimus in ductibus illis bilem, ad ſuam veſiculam vehentibus, animalcula quædam plana, circularia, magnitudine & figurà *Vlmi* florem referentia, coloris liueſcentis, craſſitie vnguis ſubſtantiam æquantia. Hæc ex circumferentia ad centrum ſe contrahebant, in quibus nec cauda, nec caput apparebat manifeſtum, contracta ita manebant, duplo quidem craſſiora, ſed ſimul tamen minora ac reſtrictiora efficiebantur. Hęc noſtro optimè nota Lanioni erant, qui eadem Italicè *Biſcoli* nominabat, & quando adeſſent, prauæ in vaccis & bobus diſpoſitionis ſignum eſſe, & ob id nec hunc bouem à tribus iam diebus fænum comedere voluiſſe, nobis affirmabat.

Animalcula circularia veſiculæ fellis adnata.

Sed

Sed quod ego hìc admiratus valde fui, hoc eſt, quod Galenus in libris *de ſimplicium medicam: facultatibus* docuerit, amarum ſaporem adeò viuentibus omnibus inimicum atque contrarium eſſe, vt in *Lacu Aſphaltite*, ob eius aquæ amariciem, nec animalia, nec plantæ etiam viuere velint. Hæc tamen animalcula amarum hunc adeò aueant trahantque ſuccum bilioſum, vt ex illo generari, ſimulque nutriri & viuere ament. In alijs enim hepatis venis, vbi dulcior eſt ſanguis, nulla reperiebantur: ſed ſub ipſa veſicula, ad ipſius ceruicem, quò pertingit internus quidam ductus, tam copioſa viſebantur, vt pulicum inſtar ſuam ibi prolem gignerent, alerent, & quinquagenarium numerum excederent. Ex maioribus autem illis viuentibus & ſeſe mouentibus vermiculis ſeptem pluresue numerabantur. Sed & hoc obſeruaui. In *Vena* ſcilicet *Caua* ſanguinem calentem quidem adhuc, veruntamen iam grumoſum, vibrantem ac palpitantem quamdiu caluit, motum habuiſſe; qui vbi refrixit, & ipſe motus ceſſauit. Quod forſan alicui argumento eſſe poterat, & in ipſo ſanguine venoſo non deeſſe ſpiritus naturales, id quod in dubium à multis tamen reuocatur.

Mirũ quod in humore amariſſimo naſcantur & nutriantur.

Sanguinis calidi motio.

Iam quibus tam iuniorum, quàm veterem authorum paradoxon æſtimari queat, quod de corde hactenus aſſeruimus, porrò demonſtrandum fuerit. *Hippocratis* quidem hìc fidem implorare, aut contrariam eius mẽtem indagare ſuperfluum iudico: rudis enim adhuc ipſius tempore anatome fuit, quare tam exactè hæc explorata apud eundem minimè reperimus. *Galenus* primus dilucidum vaſorum in fœtu quæ cordi & pulmoni ſeruiunt, nobis doctrinam reliquit, quem tanti *Andreas Laurentius* in Anatomicæ ſuæ Hiſtoriæ lib. 8. quæſt. 25. fecit, vt veſano quodam contradicendi ſtudio, aut ambitionis ſtimulo agitari cenſeat illos, qui hìc ſaltem eidem reclamant. Cum tamen is ipſe Galeno 6. de vſu part. cap. vlt. cor in fœtu dilatari & conſtringi aſſerenti, egregie aduerſetur.

Quibus noſtra ſententia de gener. ſpirit. vitalium ſit paradoxa.

Fateor mehercle præclarè Galenum in pleriſque de Vſu part. hum. corp. libris philoſophatum fuiſſe: hìc tamen experientiam à nobis allatam omnino ipſi refragari exiſtimo, ſiquidem Arteria magna inflatà cor minimè attollitur, quod ſignum eſt, nec flatum quidem, nedum ſanguinem ſpirituoſum, ſeu vitalem in ſiniſtrum cordis ventriculum penetrare, quod *Galenus* tamen facile, & cum hoc ipſe *Laurentius* crediderunt. Hæc autem concepta ſunt Galeni verba lib. 6. de vſu part. cap. 21. *Quocirca mirari amplius non oportet, ſi, cum cor neque ſanguinem neque ſpiritum mittat pulmonibus, neque totius corporis arterijs ſuppeditet, vt perfectis, ad ſolam propriam vitam quam pauciſſimo ſpiritu indiguerit: quem maximè quidem vt opinor, ex ipſa etiam magna arteria ducere poterat: nam membranarum epiphyſis (vt antea oſtendimus) non vt nihil omnino, ſed ne multum neue repente ac ſimul in ipſum quippiam immigret, à natura fuit inuenta.* Aſt ego neque repente, neque pedetentim ſpiritum cor ingredi, flatus (cui omnia patent occulta quoque, maximè oſcula) argumento deduxi. *Simonis Petrei* & *Franciſci Roſſeti* nobis aduerſantium medicorum Gallorum opiniones, iam dicto libro ipſemet *Laurentius* confutat. Cuius tamen ratio non ſatisfacit, aliquam ideó ſpiritus vitalis portionem ex Aorta in cordis cauitatem migrare, vt hoc & vita & nutritio ipſius fomentetur. Hæc enim à vena & arteria Coronaria ſufficienter præſtantur,

Quanti facienda ſit Gal. authoritas in hoc noſtro paradoxo.

Petreo, Roſſeto & Laurentio noſtra quoque ſententia eſt paradoxa.

Laurentij ratio refellitur.

tur, quæ per cordis ſubſtantiam diſſeminantur. Nam neque ſanguis in cordis ventriculis, vt dictum eſt, inuenitur; neque extra venas iam & arterias elapſus, iterum in ſubſtantiam cordis imbibi & diſpergi debeo; nec ſanguis & ſpiritus in cauitatibus illis inanibus, cum cor publico haud munere tunc fungatur, vt reperiantur, neceſſitas vlla cogit.

Conſtant. Varolius exactiſs. Anatomicus.

Sed longè paradoxa magis *Conſtantio Varolio* hæc noſtra ſententia viſa fuiſſet. Cuius ego de *Reſolutione corporis humani* anatomicum libellum tanti æſtimo, vt in hoc non Tyrones modò, ſed prouectiores quoque in hac arte, quod addiſcant, reperturos eſſe non dubitem. Hic igitur ſingulari ſuo quodam de quatuor cordis vaſis modo philoſophatur, & omnia hoc officij præſtare affirmat; vt contrario motu, tam inferant, quam efferant ex corde materiam. *Per Aortam*, ait ille, *ſanguis incultus ſiniſtrum petit ſinum, mox abſolutus inde reuertitur & cum alio ſanguine per totum digeritur.* Neque hoc in auram hanc vitalem ſolummodo ſpirantibus, ſed in vtero quoque latitantibus adhuc animalibus, fieri autumat, vt lib. 4. cap. 5. eiuſdem videre eſt. *Si ergo*, inquit, *vt omnes concedunt, ſicut negare non poſſunt, in fœtu ſanguis arterialis, extrinſecus à matre tranſmiſſus, per lumborum arterias ſurſum aſcendit, cordiſque ſiniſtram cauitatem ingreditur, qua de cauſa in nato hoc modo non procedet?* Vbi quidem pro confeſſo ſcribit *Varolius*, quod Natura tamen negat, ſanguinem arterioſum in fœtu ſiniſtrum cordis ſinum ingredi, cum nec flatus quidem ab hoc per magnam deſcendentem Aortam inflatam admittatur.

Huius opinio nobis oppoſita de vaſis cordis in fœtu.

Hæc autopſia refutatur.

Galenus lib. 6. de Vſu part. cap. 20. partim ignoſcendum, partim ſuccenſendum illis eſſe ſcribit, qui eúndem vaſorum cordis vſum eſſe arbitrantur animalibus in vtero geſtatis, qui in lucem iam editis præſtò eſt. Ignoſcendum quidem quod hîc ſophiſtas non agant, nec verbis ludant: ſuccenſendum, quod in diſſectionibus fuerint negligentes. Atqui nolim ego exercitatiſſimos ambos hos in ſectione Anatomicos *Galenum & Varolium* hac culpa implicari, & negligentiæ in ipſa ſecandi ſedulitate argui, quos ambos tamen lapſos fuiſſe ſuperius oſtendi. Non quòd ſectione non omnia rimati ſint, ſed quòd, vt ego conijcio, inſufflationis induſtriâ vſi non fuerint, quæ ſola *Varolium* docere potuerat, non confertim per deſcendentis Aortæ truncum ſanguinem arterioſum ex matre hauſtum, ſiniſtrum cordis ſinum petere: *Galenum* quoque ac *Laurentium* admonere, non paulatim ſpiritum vitalem ſubire, quod valuulæ nempe in Aorta opponerent ſe etiam flatui, nedum craſsiori alicui corpori. Sed in ſectione quoque fortaſsis hallucinati fuerunt, cum in neutro cordis ſinu, in fœtibus ipſis, ſanguis reperiatur ſiue venoſus, ſiue arterioſus.

Galeni, Laurentij & Varolij error vnde ortus ſit.

Quid igitur nunc aliud agam, dicamue aduerſarijs meis, quàm vt ipſiuſmet *Galeni* verbis, laudato iam loco ſcriptis, reſpondeam ijſdem, & longiorem hanc tandem controuerſiam finiam? *At natura*, ait ille, *ſine tumultu & clamoribus ſuam indicat æquitatem: quam certò ſcio omnes, qui vel audient, admiraturos quidem, at non æquè magnam certè aures præbent admirationem, ac oculi: proinde faciendum eſt, vt non hæc modo, ſed quæ etiam memorantur alia, noſtriſmet oculis intuentes experiamur.*

Conclusio huius noſtræ cõtrouerſiæ.

Libet

Libet nũc ad arcaniora Naturę penetralia properare, hoc eſt: Vterum ipſum contemplari, in quo veluti domicilio ſuo, vitulinus foetus cõcipitur, gignitur & conformatur. Quæ quidem, quò ſecretiora & mirabiliora ſunt, DEI & Naturæ opera, eò à pleriſq. negligũtur magis, aut minus certè perueſtigãtur. Satius enim eſſe non paucis etiã Medicis videtur, omiſſa rerũ (qui nerui ſunt in cauſis) diligẽtiã, quodam inani circa voces ſtudio cõſeneſcere. Cum autem animi gratiã vaccinos ſubinde vteros inſpicere mihi cõtingeret, vt ſimul quæ eſſet cum humano diſcrepãtia, & an Duces noſtri in arte Anatomica, probè omnia annotaſsẽt, addiſcerem: accidit, vt diligenti ſectione hæc animaduerterem. Clem. enim Alexandrini conſilio, non modo cibum, quod Hipp. ſuaſit, ſed etiam cognitioni exiſtimaui debere laborem præcedere. Reperi nimirum, tres manifeſtiſſimas in vitulino foetu tunicas, *Allantoiden*, *Chorion*, & *Amnion*. Et Allantois, quam vtrem quendam diceres aqua plenum, nõ aliud erat quam membrana oblonga, tranſparens, peritonæi inſtar ſubtiliſſima, nullis vſquam vaſis, aut ſpongioſis illis carũculis (de quibus mox dicturus ſum) *Chorio* alligata: ſed ſibi omni ex parte libera, aqua limpidiſſimà repleta, Hęc autẽ aqua nihil eſt aliud, quã ſerum vrinariũ, quod ex veſica fœtus per *Vrachõ*, ſiue vrinaculũ dictum vas, in hãc deriuatur. In hac enim *Allantoide* foramẽ mihi viſum eſt, poſtquã vmbilicum abrupiſſem, ex quo effluxit aqua ſiue vrina illa, veluti per fiſtulã aliquã prorumpẽ: hac incisà tunicà, omnis illa effuſa eſt aqua, quę librarũ forſan ſeptẽ põdus ſuperauit Erat autẽ pilis carẽs foetus, & lõgus ſpithamas ſiue palmos tres, quẽ periti huius rei laniones ſeptimeſtrẽ fuiſſe iudicabãt. Sed & præter dictam hanc *Allantoidis* aquã, inciſo *Chorio* & *Amnio* prius alia effluxerat, quę duas facilè libras æquabat.

Arcana Naturæ opera diligentius eſſent perueſtigãda.

In vtero vaccino & fœtu quæ ſint viſa.

Allantoidis deſcriptio.

Verum, priuſquã vlterius progrediar, hoc nouiſſe non abs re fuerit, apud *Hippocratem* de *Allantoide* vrinæ in foetu capſula, nihil reperiri. *Galenus* diligentior *Sene* noſtro Anatomicus, hanc perbellè cum duabus alijs deſcripſit tunicam 15. de Vſu part. cap. 4. *Toti enim animãti*, inquit, *dum adhuc vtero geritur, membrana tenuis vndiq. eſt circumiecta, quam ἀμνιον, id eſt, amiculum appellant, fœtus velut ſudorem excipiens. Huic autem extrinſecus tenuior alia incumbit, quam ἀλλαντοειδῆ, id eſt, inteſtinalem nuncupant, in ipſius veſicam perforata: quæ & hæc in ſe ipſa colligit, vſq. ad partum, ipſum veluti fœtus lotium. His autem extrinſecus in orbem χωριον, id eſt, Secundæ, ſunt circumiectæ, matricem totam intrinſecus ſubcingentes, vt quod ipſis ſubeſt, nullo pacto matricem contingat: per eaſque medias fœtus matrici connectitur.* Et ſubſequente capite circa initium, eadem de *Allantoide* affirmat, quam inteſtinalem ideo appellatam voluit, quòd ſimilitudinem, cum ἀλλᾶσι, id eſt inteſtinis figurà ſua gerat.

Hipp. de Allantoide nihil. Gal. plura habet, ſed fuit deceptus.

Quæ quidem, cum *Galenus* de omnium animantium foetibus audacter pronunciet, humanum certè, de quo maximè in his libris ipſi ſermo eſt, nõ excepit. Atqui nos *Allantoide* carere humanos foetus ἀυτοψια didicimus, in quibus præter *Amnion* & *Chorion*, membranam reperire aliam non licet. *Placenta* enim illa *vterina*, mera potius carnoſa maſſa eſt, quàm mẽbrana, & quæ vrinæ continendæ minimè inſeruit. Et quid? cum nec omnia animalia *Allantoidem* habeant. Solis penè cornigeris eadem tributa eſſe cognoſcitur. Ex quo non incongrua forſan coniecturà deduci videtur, *Galenum* bouinos & ouillos foetus cum ſæpius ſecuiſſet, in quibus prædicta tunica manifeſtè locum habet, in animum ſibi ſuum induxiſſe, eandem in humanis quoque reperiri debere, quos ſectione, vt mihi

Allantois in humano fœtu nulla eſt, quod Galenus ignorauit.

perſuadeo, nunquam attigit. In his enim illam, quæ farcimen ſeu inteſtinum tenue, aqua repletũ referat, nemo Anatomicorũ, ſi probè inquiſiuit, vnquã vidit. Et hanc quidem coniecturam meam firmiter ſtabilit eiuſdem. Lib. De ſemine cap. 10. Galeni authoritas: cum enim quæreret, cur *Allantois* non à natura latior ſimiliter, vt *Chorion*, effecta fuiſſet? reſpondet hoc ideo cõtigiſſe, quia fæmineum ſemen, ex quo hanc *Galenus* membranam fabricat, ſit longè minoris quantitatis, quàm maris. *Non poterat igitur*, ait, *& in latitudinem, & in longitudinem extendi inteſtinalis, ſed longa neceſſariò, cum vtriſq. vuluæ cornibus appenſa ſit, extitit; atq. ita, & meritò, & neceſſariò angusta euaſit.* Vbi ad vnguem cornigerorũ nobis animalium, cornibus ſimiliter præditum vterum, & exactam in illis inteſtinalis huius tunicæ ſitum figuramque depinxit.

Capiuacceus cum Galeno errare voluit.

Miror equidẽ exactiſſimum *Capiuacceum* ita mordicùs hãc *Galeni* ſui ſententiam arripuiſſe, vt cum hoc errare, quàm cũ Natura bene ſentire, maluerit. Hic enim Practices ſuæ lib. 4. cap. 5. quæcũq. dicto loco de triũ harum ex ſemine generatione membranarum, *Galenus* in humano ſibi fœtu finxit, ipſe ambabus, vt dicitur, vlnis eſt amplexatus.

Aqnapendens celeberrimus Patauinus Anatomicus.

Oculatior fuit *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, celeberrimus *Patauinæ* olim Scholæ Anatomicus, quæ vix ipſi parẽ hac ætate reperiet. Hìc igitur egregio ſuo de *formato Fœtu* opere, Parte ſecunda, cap. 5. & *Homines*, & *Canes*, *Feles* & omnia prorſus animalia vtrinq. dẽtata *Allantoide* deſtituta eſſe optimè animaduertit. Veruntamẽ excernendę vrinę; cum vaſculum quoddam neceſſariò itidẽ, à Natura fabricari debuiſſe æquum fuerit; hoc autẽ non ſit inteſtinalis illa tunica, quæ vt iã probatum eſt, non cunctis cõceſſa animãtibus fuit, data autem omnibus illa fuerit, quæ *Chorion* dicitur: in hãc *Aquapendens* ſententiã inclinat, *Chorion* in ijs animalibus vrinæ cõceptaculum eſſe, quæ Allantoide deſtituuntur. Et libro quidẽ iã laudato, cap. 4. ſuum ingenuè errorẽ fatetur, diutius ſe credidiſſe, ſudorẽ & vrinã cõmiſta, à tunica quæ *Amnios* dicitur, excrementa contineri, in vtrinq. dẽtatis, donec tandẽ anno 1592. in *Canibus* certior factus fuerit, ſudorem quidẽ ſub *Amnio*, ſub *Chorio* autem vrinæ ſerum adſeruari. Hoc idem in homine fieri, teſtem etiam *Fallopium* laudat. De *Canibus* quidem hoc experimentum affert Parte prima, cap. 10. *Si Catulum*, inquit, *capite apprehenſo ſuſpenſum teneas, liquidò apparebit duo excrementa, vt puta vrinam & ſudorem in diſtinctis tunicis locisque contineri, vrinam quidem in Chorio inferius, ſudorem verò in Amnio ſuperius.*

Aquapendentis ſententia de loco vrinę & ſudoris in fœtu humano.

Verumenimuero, ſint vel non ſint vera, quæ de catulis *Aquapendens* affert, in humano certè fœtu ego meos quoq. oculos habui. Cùm enim anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo octauo, in *Noſocomio Beatæ Mariæ de Conſolatione* dicto, in Vrbe, inter cæteros præſente eiuſdem loci primario Chirurgo, nunc Medicinæ etiam Doctore *Proſpero Cichino*, octimeſtris & omnino perfecti, verùm cũ matre mortui fœtus maſculi Anatomen inſtituerẽ, & pictoris operà diligentiàq. in deſignandis puelli ſitu, tunicisq. vterer, hæc de fœtum obuoluentibus membranis, & inter has, aquam continentibus mihi haud oſcitanter obſeruata fuerunt, nam vt omnia hìc perſequar, nec locus nec tempus permittunt.

Experientia aduerſus Aquapendentem ab authore producta.

Afferã autẽ hìc eadẽ penè ſcripta, quę in meis *Iuuenilibus* legũtur. Neq. multis verò nunc verborum ambagibus, quid per *Chorion* & *Secundas*, ſiue *Secundinam* intelligendũ apud authores veniat, diſputabo, quæ partim apud *Aquapendentem* videri

videri possunt, partim, si DEVS vitam prorogauerit, in meo *de prima Hominis vita*, opusculo discutiam. In conspectum igitur mihi primò venit, inter secundinæ partes, *placenta* illa *vterina* appellata, quæ in hoc fœtu quasi quadrata erat, obtusis tamen formata angulis, æquè lata ac longa, septem circiter transuersorum digitorum, in quam vmbilici vasa desinebant. Videbatur autem massa quædam hæc esse, ex venis, arterijs & coagulato quodam sanguine composita, magis quidem Lienis carnem, quam Hepatis; sed magis adhuc virilis pudendi substantiã discissam æmulans, crassitie, quæ est auricularis digiti, coloris rubicundi & plumbei, propter vasorum congeriem. Placenta hæc veluti scutum anteriori fœtus parti obtenditur, à collo incipiens, manus, brachia & pedes omnino contegens: nam fœtus ferme totus cooperitur, cũ incuruatus sit, ideoque breuis admodum existat. Ex anteriore itaq. fœtus parte, sola facies, nec illa omnino libera cernebatur. Superficies illa, qua vteri lateribus placẽta adhærescebat, aspera, rubra, carnea ac, vt iam dictũ, sanguinea erat, nulla enim ibi mẽbrana adest, sed arteriarum ac venarum orificia, in hac placẽta vasorũ vteri osculis agglutinabantur. Altera autem, quæ fœtum respicit superficies, læuis ac polita apparebat, quia membrana obducitur, quæ vasa ex vmbilico per placentam disseminata connectit, & veluti in ordinem redigit. Hæc autẽ mẽbranula, portio est secundę membranæ fœtus, quam paulo superius dicto loco, *Galenus* malè *Allantoidem* vocat; quæ verè *Chorion* appellari meruit. Et fortassis ad hanc (quod tamen vt nõ prorsus asserò, sic nec planè nego) placentæ tunicam, *agnina* siue *Amnios*; intima scilicet, fœtus tunicula immediatè fœtum vestiens etiam concurrit. Nam quando vmbilicalia illa ex ventre fœtus egredientia vasa in placentam inserũtur, acquirere statim ambas mẽbranas fœtum obuoluentes, probabile est; quæ vasa illa nõ aliter cõcomitãtur, & obducunt, atq. *Pia* ac *dura mater* spinalẽ medullã, & neruos ipsos: intertexto simul tamen glutinoso quodã humore, ad roboranda vmbilicalia vasa, quæ spiritũ & sanguinẽ vehunt, ne inter se cõplicẽtur, aut collabãtur.

Quę membranę in humano fœtu ab authore sint repertæ.

Placenta vterina.

Huius cõpositio situs & vsus.

Hæc itaq. placẽta, hoc vteri iecur, vt nõnullis nominare libuit, *Primum* est fœtus inuolucrũ, si exterius numerare incipias, nõ totum tamen infantẽ, sed anteriore saltẽ ex parte, vt monui, cingit, & præter nutrimenti vsum, quod per venas atq. arterias huic infixas defertur, calorẽ simul fœtus, non aliter atq. in nobis vẽtriculo impositę pelles atq. panniculi, conseruat, auget, fouetq. *Secundum* humani fœtus inuolucrũ, est iam dicta mẽbrana *Chorion* totũ prorsus corpus inuoluens, albicãs, non multùm pellucida, nõ subtilis admodum, quæ facillimo negotio ab *Amnio Tertia* tenella admodum membranula, digitis etiam separatur.

Hæc primum & extimum fœtus est inuolucrum.

Chorion secundum est inuolucrum.

Hoc primùm iã notari velim, si *Chorion* ab *Amnio* sit vndiq. detracta pellicula, tũc singula fœtus mẽbra ita apparere, ac si intra clarissimũ crystallinũ vitrũ aut per rarissimæ texturæ velũ splẽdida inspiciãtur. Sin autẽ adhuc tertiæ secũda mẽbrana adhæreat, mebra illa haud translucẽt, excepto solo capite, vbi etiã per vtrãq. tunicã subtilissimi quiq. caluæ pili trãsparẽt. Est enim præter modũ secũda tunica ibidẽ subtilissima. An ideò hoc natura industriè, vt omnia facit, machinata est, cũ caput primũ esse deberet, quod à nouimestri se carcere liberare, & vitales prius auras rupto vtroq. molesto indusio, aspicere, easq. haurire cõueniebat?

Amnios dicta tunica subtilissima est.

Secundariò & hoc notandum, hanc secundam cum tertia tunica immediatè adeò adhærescere, & conglutinari (vtcunque facilè vna ab altera deglubatur)

Nulla Vrina inter Chorió & Amnion existit.

vt ne guttula aquæ inter vnam & alteram intercipiatur, tantum abeſt, vt ſecunda hæc, ad vrinam continendam in homine effica fuerit.

Succedit ordine tertia membrana *Amnios*; omnium, quas in humano mihi corpore videre contigit, ſubtiliſſima, vt ob id laceretur facillimè, & maximè pellucida. Intra hanc & ipſum tenellum fœtus corpuſculum aqua ſudori, aut vrinæ, colore & ſubſtantia perſimilis ſtabulatur. Vrinam hanc ego vix dixero, per quod enim vas eò refunderetur? An per membrum virile, aut pudendum muliebre? At tot ſunt, quæ rei huic fidem denegant, vt præter euidentiſſimas rationes, authorum quoque ſcripta, & ipſa ſe opponat rerũ magiſtra Experientia. Cur enim nõ æquè in vtero matris ſuæ cõſtitutus infans, ipſam picem æmulantia alui quoque excremenea excerneret, cum poſt natiuitatem mox hæc, & vrinam copiosè non rarò profundat? An per ipſum vas vmbilicale *Vrachon*, ſiue vrinaculum hoc ipſum fieri quiſquam autumet? Atqui hoc non in *Chorion* dictam tunicam, ſed intra abdomen deliteſcens ad abdominus oſtium, vbi vmbilicus ſiue ingreditur, ſiue egreditur; fertur, ambabus ibi arterijs vmbilicalibus, & venæ Nutriculæ arctè alligatus. Inteſtinalis autẽ, ſiue farcimini ſimilis tunica, in vitulo vrinæ receptaculum quidem, in humano hoc fœtu verò nulla, vt iã toties inculcatum eſt, conſpiciebatur. Et quæ pro Herculeis ego argumentis habeo, hæc duo fuerunt: aquam nimirum hãc ad libræ pondus, manifeſtiſſimè intra *Amnion* & cutem fœtus huius viſam fuiſſe, & veſicæ fundum, cui *Vrachos* ſiue ligamentum illud, ad vmbilicum pertingens annectitur, in omnibus humanis infantibus me imperuium ſemper inueniſſe.

Huic meæ nõ opinioni, ſed ipſiſſimæ veritati, exercitatiſſimus in ſectionibus *Varolius* fauet, cuius paucula, ſed rei naturam explicantia dicta lib. 4. concluſionis loco ſubnectere haud grauabor. *Meatus autem ille*, ait, *quem ferme omnes confinxerunt, & vrachon dixerũt, reuera nõ eſt perforatus, per ipſumq. vrina nequaquã ad ſpatium inter Amnion & Allantoidem accedit, vt pleriq. dicũt: imò illæ membranę eodem pacto inter ſe ſunt connexæ, quo variæ inteſtinorũ & ventriculi tunicæ ſibi mutuo adhærent, nullumq. prorſus humorem inter ſeipſos admittunt. Sed vt veſica cõmodè tantã lotij quantitatem contineret; ex illius fundo ligamentũ veluti tendonem ad vmbilicum inter arterias vmbilicales tranſmittit, qui ibi firmiter connexus detinet veſicã extenſam, & adeò ſuſpenſam, vt ſuo pondere minimè huc atque illuc agitetur, diruptioniſue periculũ incurrat: extra autem infantis corpus, nullũ huius ligamenti veſtigiũ per vmbilicale inteſtinũ progreditur.*

Galeni *Allantoidem* in humano ſibi fœtu imaginantis error, prolixiorem me paulo reddidit: nũc *Chorij* vt in vitulino apparet fœtu, à me viſi deſcriptio breuiùs expedienda. Quod itaq. hìc veluti ſingulare aliquid & nouum inſpexi, hoc fuit. Corpora nimirum, vndiq. vaccino intus vtero quædã adhæreſcebant, quæ vltra ſexaginta erant, piſciũ illorũ (quos Germani *Carpas*, ſiue *Carpiones*; Romani verò *Rainas* & *Burbaros* vocant, cum ſint potius *Cyprini* veterum) maſſulis ouorum ſimillima, coloris lutei & poroſa, quibus alia quædam inhærebant corpora, quæ in ipſo ſita & fixa erant *Chorio*, rubra omnino ac ſanguinea, ad priora ſubſtantiæ ſuæ modulo ſatis alioquin accedentia, ſimiliter quoque poroſa, ſed paulo minora: quorum talis erat nexus ac colligatio, ac ſi quis arte quadam duas ſibi ſpongias affabrè ita conglutinare poſſet, vt vnius ſubſtantia

in

Seroſa materia ſudori aut vrinæ ſimilis ſub Amnio cõtinetur.

Non videtur eſſe vrina, & quare.

Duo potiſſima rei huius argumenta.

Authoris ſententiæ Varolius fauet.

Chorij in Vitulino fœtu delineatio.

Spongioſæ quidé ſed diuerſæ carnes in vtero & chorio.

in alterius poros latiores ingrederetur,& ſuis item foraminibus alterius ſubſtantiam exciperet. In his corpuſculis *Cotyledonum & Acetabulorum*, rixæ variæ,atque authorum controuerſiæ omnes verſantur, quas præter rem exiſtimo huc adducere:videri apud *Aquapendentem* poſſunt,& conſopiri. In hæc ſpongioſa & prærubra, quæ per *Chorion* videlicet,fixa ſparguntur, corpora deſinunt vaſa omnia vmbilicalia, non aliter ac *Polypus* piſcis brachia hinc inde ſua expandit,quæ reducta demum ac coeuntia, ambas illas perreptant tunicas,*Chorion* & *Amnion*. Et per hæc ipſa corpora ex vtero fit attractio ſanguinis ac ſpirituum. Sed reuera tamen in hac ſpongioſa carne, quæ in vtero hæret, non licet videre vaſa vteri adeò propagari, vt cum alterius carnis rubræ exiſtentis in *Chorio*, vaſis vniantur: per quam tamen *Chorij* carnem rubentem, vſque ad vltimum eius terminum, vaſa progrediuntur, & in ſpongioſorum vteri corporum cauitates inſeruntur; vt rectè dici non poſſit, Symphiſin oſculorum in vtriſque carnoſis illis corporibus fieri, & ſic arterias fœtus pulſare propter vterinas, quibus ſtrictè adeò hæreant & connectantur: quæ quidē alio accuratiùs loco ſunt examinanda.Solent autem ſpongioſa hæc vteri corpora,in prægnantibus *Iuglandium* magnitudinem æquare.In non prægnantium matricibus quoque reperiuntur; ſed tam exigua, vt aliqua maiores vix *Lentes* ſuperent, aliqua fæminarum *Papillis* vix tandem aſſimilentur, ſubſtantiæ minimè raræ, ac poroſæ, ſed duriuſculæ potius & compactioris. Eſt autem inter vtramque hanc tunicam exigua admodū in vitulino fœtu differentia: cū *Chorion* nimirum, membrana ſit nonnihil craſſior, aſperior & nigricantior, *Amnios* autem læuiſſima,albiſſima,& aliquanto tenuior,Peritonęi ſubſtantiam apprime imitans,multoque oblita humore, & ambæ ſuis fibris donatæ. Diffiteri tamen nequaquam debeo, me plures aqua plenas veſicas in *Chorio* & *Amnio* reperiſſe;quæ aqua,an ſub amnio,an inter hanc & *Chorium* collecta fuerit, equidem vt verum fatear, diſcernere exactius tunc non potui.Detracta vtraque igitur tunica,reperimus fœtum dormienti ſimiliter iacentem,niſi quod reuoluto collo,caput dorſo applicaret, vt minus nempe ſpatium occuparet, capite autem vteri orificium ſpectabat, pedes contractos, ac diuaricatos habebat.Vteri Vaccini talis erat conſtructio. Nequaquam enim eiuſdem cum humano eſt figuræ & conſtitutionis. Orificium vterinum quaſi triplex apparet;vt facilius,quod ego exiſtimo, claudi poſſet: tam arctè enim in hoc coaleſcebat,vt vix communis ſtyli cuſpide penetrari poſſet, cum in grauidarum interim fęminarum vteri oſculis calamus ſcriptorius, & abſque omni reniſu ingrederetur.Pugnum etiam ſua magnitudine ęquabat,& ſubſtantia decuplo craſſior,quàm reliqui vteri tunicæ,exiſtebat:hæ enim nullo modo craſſæ & carnoſæ,ſed ambæ vix ſoleæ calceorum craſſitiem referebant.

An fiat Symphiſis vaſorum vteri & vmbilicalium.

Quæ differentia ſit inter Chorion& Amnion in fœtu vitulino.

Situs fœtus vitulini.

Vteri vaccini conſtructio.

Orificium ipſius.

Penetrato igitur interno orificio,quod nec membranoſum, nec carneā refert ſubſtantiam,ſed dura quædam,& albicās,ac mera potius glandula videtur,vnica quidem vteri cauitas ſubitò conſpicitur, ſed mox pariete quodam in dextram ac ſiniſtram partem diſcluditur, vbi duo illa cornua ſunt, quorum finis acutus valdè,& in quę ſemen deferētia vaſa implantātur:quibus externis vaccarū teſticuli nexi adhærēt. Interna & reliqua vteri ſubſtātia, quæ ſpōgioſis dictis corporibus carebat, granulata,vt ita dicā,erat; hoc eſt,tuberculis ſiue glādulis quibuſ-

Cauitas ſiue capacitas interna.

dam minoribus & albicantibus ſcatebat, quæ grauidationis tempore, in maiora illa ſpongiarum ſimilia corpora ſuccreſcunt & intumeſcunt, & tanquã benignæ naturæ penaria loca, Spiritum & ſanguinem in ſe recludunt, fœtuique poſthac alimentum ſuppeditant. Plura licet cõmodè poſſem, non addam; ne tædium Lectori pariam: quem tamen rogatum obnixè volo, vt & ipſe experiẽdo nitatur ſuperare maiores. Cum enim vt Quintilianus ait, difficile, imò impoſſibile ſit imitando alterius ſimilem fieri, ſtudendum potius eſſe arbitratur, vt ſuperemus; ſic enim fortaſſis æquaturos nos eſſe, quos imitari conamur. Experientia etenim facit artem, vt inquit Ariſt. in Metaph. inexperientia caſum.

Conclusio ex vtero Vaccino & tunicis fœtus.

Quod Epictetus olim de morali, hoc de phyſica ego noſtra philoſophia ſtatuendum quoque cenſeo. *Non debet quis verbis*, inquit ille, *oſtendere ſubitò, ſi quid in philoſophia profecit, ſed opere: ſicut oues lacte & lana oſtendunt, quantum comederunt*. Id quod omnium noſtrum, qui naturalem hanc ſcientiam profitemur, in *Scholis*, aureis ac ſeſquipedalibus literis ſcribendum foret: ſic enim ſuperuacuis tot contentionibus, & digladiationibus; quibus ingenij quidem acumen acquirimus, temporis autem pretioſiſſimæ rei, iacturam facimus, nec res ipſas lucramur; abſtineremus, & in magis neceſſarijs operam cum fructu noſtram locaremus. Video ego hanc, quam nunc præ manibus controuerſiam examinandam habeo, *Ruminationis*, adeò perplexam & perturbatam eſſe, vt neque veteres, *Ariſtoteles* & *Galenus*; neque Iuniores, *Mercurialis*, *Aldrouandus* & alij, qui de hac aliquid commenti fuerunt, eadem dicant. Et *Aldrouandus* quidem vel *Thomas Dempſterus* potius, Baro Scotus (quem virum Græcè & Latinè doctiſſimum, Iuriſque conſultiſſimum, ars medica mea amicum mihi conciliauit, cum ante quatuor hos annos grauiſſima ipſum febre oppreſſum Romæ liberaſſem) vbi lib. de Quadruped. Biſulcis eruditiſſimè & grauiter de *ruminatione* diſputaſſet, his demum verbis varias authorum de hac opiniones concludit. *Vtcunque ſit, diligens Anatomici inſpectio controuerſiam dirimet*.

Quare nec veritus, nec verundatus ſum, Lanionum etiam officinas ingredi, &; quæ Natura in vitulis & vaccis *ruminationis* organa molita eſſet, quibuſque ventriculi ipſorum ductibus & eſculenta onuſti materia fuiſſent, non ſine admiratione inſpicere. Idipſum enim Ariſtotelem factitaſſe, vel facere debuiſſe ſaltem, mihi perſuadeo, cuius æquum eſt nos veſtigijs inſiſtere, niſi à *Perſio* nos notari, & inter illos recenſeri velimus, quos

— *Genus ignauum, quod tecto gaudet & vmbra:*

appellare ſolebat.

Cum igitur hac plerique ætate in Ariſtotelis Caſtris militemus, huius veluti Anteſignani noſtri, ſtatim ſub initio verba proferenda eſſe, fas iudicaui; ad quæ veluti normam quandam, cæterorum ſenſum authorum examinare poſſem. Is igitur de Hiſt. anim. cap. 17. lib. 2. hæc ſcripſit.: *Sed ventris diſſimilitudo primùm, quod quadrupedes viuiparæ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ, quaternos eiuſmodi habent ſinus: quæ quidem & ruminare dicantur. Gula enim incipiens ab ore deorſum tendit ad pulmonem, ſeptumque tranſuerſum: hinc ſe ad ventrem applicat maiorem, qui parte interiore aſper, interceptuſque eſt, ac propè gulæ commiſſuram, ſinum ſibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum vocant: eſt enim ventri extrinſecus ſimi-*

lis,

lis, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multo quam venter, minor. Hunc excipit Omasum parte interiore asperum, cancellatum, crustatum, magnitudine reticuli. Abomasum venter ab eo alius iungitur, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus & crustis multis, magnis, & lauibus inormatus: mox intestinum iam sequitur. Et paulo inferius. *Rectum autem intestinum nulli est, cui non parte vtraque dentes.* Hæc ex Gazæ versione.

Iul. Cæs. Scaliger in suis ad hunc locum commentarijs, paulo aliter Aristotelem vertit: *Primum* quidem, cum Gaza sinum hunc, *ventrem magnum* vocat, & conuenienter; cum & Arist. κοιλίαν τὴν μεγάλην; eum appellet: Italis *la Trippa* dicitur. *Secundum*, cum Gaza *Reticulum* dicit, nec quicquam hìc peccat: quod fæminarum reticula, vnde nomen Græcis κεκρύφαλος, referat, & Italis ob id *la Scuffia* nominatur. At in *Tertio* describendo, toto, vt aiunt, cælo aberrauit. *Omasum* quidem & ipse cum Gaza interpretatur, & ab asperitate, cum Græca vox ἐχῖνος sit, dictum censuit, sed cum ait *similis est fauis aluearium, cellulis differtus in spongiæ modum quas* πλάκας *vocat Aristoteles, vnde Latinum nomen plaga*: miserè fallitur. Hæc enim interna, fauorum mellis distincta cellulis similis facies, non tertio sed secundo iam descripto *Reticulo* nempe appellato, est ventriculo. *Tertius* autem ventriculus ex pluribus pelliculis sibiipsis superpositis constat, vnde & Itali illum *Centopelle*, quasi ex tot pelliculis constaret, & *Germani* aliqui eleganter atq. congruenter *Librum*, veluti pluribus compactum folijs, appellarunt: in quibus pelliculis cum sint vndique quidam eminentes cuspides, spinarum acuminibus similes, ideò Græci ἐχῖνον nominarunt. Hic solus propemodum ventriculus Romæ in vsum & esum hominum, non cedit, sed à Lanionum pueris, matutinis totius anni horis, per VRBEM, pro *Felium* ferculis diuenditur. Iucundum præbetur spectaculum, cum cateruatim ex ædibus Feles ad horum puerorum voces euocatæ accurrunt, & *Diaria* ab heris suis lamentabili voce postulant.

Aquapendens tamen, suo de ventriculorum varietate opusculo, *Omasi* hìc vocem præter genuinam suam positam fuisse significationem conqueritur, cum hæc Latinis vel crassum & pingue intestinum, vel pingue & distentum abdomen significet, vnde *Horatius* 2. Serm. Satyr. 5.

\- - - - - - *Ceu pingui tentus omaso.*

Obscuratam itaque vim vocabuli Græci autumat, cum veteres ἀπὸ τοῦ ἐχίνου id est ab *Erinaceo* spinosæ pellis animali, hunc vocare voluerint. *Scaliger* alijs iterum verbis, quam *Gaza* fecerat, quartum describit ventriculum: *Post hoc*, ait, *est, quem Asellum vocant, omaso quidem minor est* (Gaza dixerat magnitudine amplior omaso) *sed prolixior* (Gaza formà oblongior) *refertus multis sinibus grandibus & lauibus*. Hunc cum *Rusticis* suis, vt ait, *Asellum* appellare maluit, cum priscì Latini bellorum, quam culinæ scientiores, nomen illi nullum dederint; quare Gazam *Abomasum* dicere conatum esse, nisi quis ait, cum *Varrone Faliscum* vocitare velit. Sed cur *Asellum* dicat, rationem nullam affert. *Itali* nostri longè conuenientius *Il Quaglio*, quasi *Coagulum*, quod in hoc ventriculo in lactantibus illis bestijs, coagulum reperiatur, appellant. Nec placet, quod Scaliger hæc Aristot. Verba ἔχει δὲ ἐντὸς πλάκας πολλὰς, ᾗ μεγάλας, ᾗ λείας, ita reddat: *refer-*

tus

tus multis ſinibus dicendum erat potius, *multis plicis*, nam reuera rugoſæ plurimæ in hoc ſunt plicæ, & veluti pelliculæ, quare eàdem voce πλακώδης, vſus eſt in tertio ventriculo, *Centipelle* dicto, vbi plicarum ſiue pellicularum illa congeries reperitur.

Abomaſi vox non placet Aquapéndenti.

Aquapendenti nec ipſi placet *Abomaſi* vocabulum, cum *quartus* ventriculus ab Ariſtotele ἄνυσρὸν vocetur, hoc autem ex Græca ſua origine *perfectibile* ſignet. Et *Ioannis Grammatici* 4. Analyt. authoritatem hìc implorat, qui vltimum ventriculum nominat illum, qui cibum perficit, ventrem: quod putet in quatuor his ſinibus, ſemper magis magiſque à primo ad vltimum tranſeundo, cibos læuigari, concoqui, ac in chylum conuerti. Picturam horum videre poteris in dictis *Scaligeri* commentarijs, ſed adeò malè concinnatam, vt nec vmbram ipſorum exprimat.

Cur de ruminatione porrò aliquid ſit dicendum.

Eadem prorſus, quæ eruditiſſimum Italiæ Medicum *Hieronymum Mercurialem*, me quoque inceſſit cupiditas, de *Ruminatione* poſteris aliquid ſcriptum relinquere, cum huius abſoluta nondum à quoquam quod ſciam, tractatio in vulgus edita fuerit. Verum ego, quæ ad anatomẽ attinent potius, quam illa, quæ philoſophica obſcuraque ratione erui poſſent, indagabo, cum & in his quæ oculis intuemur, Talparum more, ne dicam in dubijs illis ratiocinationibus, non rarò occæcemur. In duellum igitur *Mercurialis* lib. 5. cap. 13. variar. lection. *Ariſtotelem* & *Galenum* adducit: quod is lib. 3. cap. 14. de part. animal. in cornigeris ventrium quatuor munus hoc modo expleri dixerit, *dum alius ab alio cibum recipit* (remanſum per ruminationem, vt ait Mercur.) *ſcilicet, primus inconfectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius pleniùs, quartus perquam plenè confectum. Verum Galenus 6. de Anat. adminiſt. cap. 3.* inquit dicto loco Mercurialis, *cibum ait, primò ex ventriculo reuomi in os: deinde ab ore in reticulum, inde in Omaſum, tandem in abomaſum mitti. Et ne quis dubitet, quomodo ſecunda vice in reticulum, non autem prima labatur; ſciendum eſt, foramen in gula eſſe ſatis anguſtum, quod pertingit in reticulum, & per quod cibus prima vice, cùm ſit craſſior & ſolidior adhuc minimè tranſire poteſt: tranſit verò ſecunda vice, quando liquidus, & mollis ita factus eſt, vt iam tranſire queat.* Attamen hanc vtriuſque contentionem probè ſopiri poſſe exiſtimat, ſi dicatur *Ariſtotelem* loqui de animalibus, quando non ruminant: *Galenum* verò de tempore ruminationis, neque enim perpetuò ijſdem animalibus ruminationem accidere.

Mercurialis in duellum adducit Ariſt. & Galenum.

Aldrouandus nititur hanc dirimere controuerſiã.

Aldrouandus hanc controuerſiam vidit & fugit, quid enim reſponſurus eſſet, ſuſpendit. *Vel Ariſtoteles*, inquit ille, *foramen, quod ait Mercurialis pertingere in reticulum, non aduertit: vel falſum eſt, viam ab ore ad reticulum dari, quæ non prius ad primum ventrem pertingat. Mihi eam viam minimè neceſſariam eſſe videtur.* Rationem aſſignat, vt ſibi videtur, probabilem: primum videlicet ventrem, cum intus aſper ſit, non mirum eſſe, cibum craſſo modo in ore inciſum, primæ vice retinere; iam remanſum verò per ruminationem, vtpote læuigatum & lubricum, non amplius amplexari, ſed in reticulum facile elabi permittere. *Vtcunque tamen ſit*, inquit, *diligens Anatomici inſpectio controuerſiam dirimet.*

Sed fruſtra hoc facit.

Ego mehercle apud *Mercurialem* & *Aldrouandum* hæc vt legi, vt riſi. Cum neque eorum quicquam, quæ de *Galeno* & *Ariſtotele Mercurialis* comminiſcitur, in

eorum

eorum ſcriptis legatur, neque allatæ aliquid rationes valeant. Meræ potius hæ mihi de *Lana Caprina* rixæ videntur, & vt vno dicam verbo, hìc

Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria.

Et *Ariſtotelem* quidem, quod ſpectat, hìc ne ſomniauit vnquam, quod *Mercurialis* ipſi imponit, cibum remanſum & ruminatione in ore magis detritum, iterum ad primum, & conſequenter cæteros deuolui ventriculos, vt magis magiſq. eliquetur. Hìc enim loco iam laudato 3. de part. anim. dicit ruminantibus animalibus quatuor propterea ventriculos datos fuiſſe, vt, cum officium ſuum os in molendo non ſatis præſtat, ob dentium defectum, hoc multiplicitas ventrium compenſet; id quod rectiſſimè fieri quoque poteſt, ſi primus loco dentium inſeruiens venter, cibos craſſos recipiens comminuat eo modo, quo equus exempli gratià, faceret in ore, cui vtrinque dentes adſunt: qui vbi poſtea cibus in ruminantibus ad palatum per Oeſophagum recurrit, molarium operà dentium comminuitur melius, atteriturque. Nec ait *Ariſtoteles*, hunc ita remanſum debere ad primum denuo ventriculum deſcendere, neque ad ſecundum, quod vult *Mercurialis*, neque ad tertium, aut quartum, ſed de hoc prorſus tacet. Verùm nos, quid de eodem remanſo fiat, paulo inferius indicabimus. Aſt operæpretium eſt, ipſiſsima *Ariſtotelis* verba hìc recitare, vt æquus lector de lite hac ipſe iudicet. *Ruminat etiam Camelus*, inquit, *more cornigerorum, quoniam ventres ſimiles cornigeris habet. Habent hæc ſingula plures ventres, vt Ouis, Capra, Ceruus, & ſimilia: vt cum officium oris non ſatis in molendo cibo adhibetur, propter inopiam dentium, munus ventrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit, primus ſcilicet inconfectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius plenius, quartus per quam plenè confectum. Ita fit, vt genus hoc animalium receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita ſunt, aut indere licet; venter, arſineum ſiue reticulum, omaſum, abomaſum.* Hic de cibo remanſo nihil. Iam autem quis ex ſequentibus *Galeni* verbis conuincet, id quod *Mercurialis* perſuadere nobis voluit, primò ex ventriculo reuomi cibum in os, deinde ab ore in *reticulum*, inde in *omaſum*, tandem in *abomaſum* mitti? Vult quidem Gal. cibum ruditer conciſum, ex primo ventriculo ad os conſcendere, hìc remanſum in alium ſinum ſiue ventrem deſcendere, ſed neque *reticulum* nec *omaſum* hunc nominauit. *Galenum* ipſum audiamus loquentem. *Porrò quoniam nonnulla animantia validis aluntur nutrimentis, quædam imbecillibus, eò natura reſpiciens, particulares ventris differentias machinata eſt. Si itaque animans nonnunquam videas ſiue ex India, vel etiam Lybia, ſiue Scythia profectum, quod antea non conſpexeris, alimentum ligneum, ſpinoſumque aſſumere, magnum huic & aſperum noueris conſtructum eſſe ventriculum: ſi autem ſuperiores etiam dentes non habeat, ventriculos huic neceſſario plures exiſtere, vt in primum ſtatim pabulum ingerat: mox ex hoc ruminans ore conficiat, deinde rurſus in alium ventrem deglutiat: ex hoc rurſus in alium ſtatim transferat.* Sed *Mercurialis* nempe hic falſus eſt, quòd cibum remanſum non aliò, quàm ad ſecundum ventrem *reticulum* nimirum, delabi poſſe, exiſtimauerit.

Mercurialis Ariſtotelem aut nõ bene legit, aut malè intellexit.

Ariſtotelis mens melius ex ipſius verbis capietur.

Neque Galeni verba id dicunt, quod Mercurialis inſinuauit.

Cauſa erroris à Mercuriale cõmiſſi.

Ne igitur auidum meum diutius ſuſpendam Lectorem, rem vt ſe habet, ob oculos ipſi ponam. Solebat autem eiuſmodi in artibus controuerſias, *Galenus* Comment. ſuo in Hipp. de nat. hum. duobus iudicandas eſſe criterijs aſſeue-

rare:

Quomodo de varijs cõtrouersijs in artibus sit iudicandum opinio Galeni.

rare: *sensu* videlicet, ac *demonstratione*. Et vbi de ciborum quidem concoctione, & humorum generatione veterum opiniones sunt iudicandæ, rationes locum habere: vbi verò in quæstiones venit, an ruminantia animalia quatuor sint ventribus, an vnico saltem prædita, tunc sensum præualere, & ad corporum dissectiones prouocandum esse, inculcabat. *Vt enim*, inquit, *si quis Cretam esse insulam negauerit, statim ab omnibus, qui id audierint, despicietur, quippe qui probè nouerint eam esse insulam. Sic, si quis canibus quatuor esse ventres affirmauerit, vnicum verò ruminantibus; hunc illi, qui ruminantibus quatuor, & vnum in canibus inspexere, facilè deridebunt.* Sed hìc optarim ego Lectorem simul mecum spectatorem fuisse, sic enim facilius ipsi, quod probare mihi est animus, persuaserim: Quare eodem *Gal.* loco in hunc sensum hoc scripsit: *Igitur, cum scriptis cogimur cum his contendere, qui de aliquo dissectorio theoremate, quod sensum imprimis iudicem habet, impudentissimè pariter ac imperitissimè pronunciarunt, fieri nequit, vt ignari eorum, quæ in dissectionibus videri solita sunt, possint mendaces à veridicis discernere.*

Nostra & vera de quatuor ventribus ruminantium obseruatio.

Sed agedum, dicamus modò quæ nos ipsi non rarò in eiusmodi ventribus obseruauimus. Hoc igitur indubitanter est credendum, Oesophagum vbi desinit, non vnico tantummodo orificio siue foramine in ventrem maiorem pertundi, ex quo aditus pateat in *reticulum*, ex hoc in omasum, & ab hoc in abomasum, vt facile sibi quis imaginari posset; verùm *duplici* statim ductu ferri, vno quidem in *ventrem* iam dictum *maiorem*, altero in *omasum* siue tertium ventriculum, *Italis Centopelle* dictum, à quo in quartum est transitus. Et satis superq. hìc Naturæ beneficium & artificium mirari haud potui. Non enim hæ ambæ viæ, vt idem vnusque cibus in primum ac tertium ferretur ventrem constructæ, sed quia animal non semper vno eodemque cibo vescitur, diuersi ideò ductus fabricati fuerunt. Incipit autem animal, postquam vitali hac aura frui ipsi conceditur, lacte materno vesci. Hoc verò in primum haud quaquam ventrem, sed in vltimum, *il Quaglio* ob id dictum *Italis*, descendit. Cum enim hoc alteratione minima, vt in chylum cederet, indigeret, non opus habuit præcedentium calore, & subactione ventriculorum.

Mira Naturæ industria in horum fabrica ventriculorum.

Aquapendens propè quidem sed non omnino ad veritatem accedit.

Diligentissimus *Aquapendens*, dicto suo de ventricul. varietate opusculo, hoc sciuisse mihi visus est: *Siquidem*, inquit, *hic quartus tantùm lac suscipit, nequaquam alij: & coagulum quod nihil aliud est, quam lac concoctum & coagulatum, non nisi in hoc quarto reperitur.* Sed viam tamen hanc particularem ab Oesophago subito per tertium ad quartum ignorasse, argui forsan posset ex sequentibus eius verbis: *Lac igitur, ore exuctum statim in quartum ventrem tantùm descendit per viam, quæ etiam cæteris ventriculis communis est. Qui etsi superiores quarto sint, in eas tamen lac non intrat, quod à tribus nequaquam propter sui dissimilitudinem, sed à quarto tantùm, tanquam sibi simillimo attrahatur.* Hactenus vera retulit *Aquapendens*, in solo quarto lac reperiri, attamen reuera in hunc via nulla lactantibus alia est, quam per tertium, in quo quidem minimè moratur, sed aditum solummodò liberum nanciscitur. Vsa autem Natura hoc in loco hac arte fuit, & industriâ. In fine nempe *Oesophagi*, quem *Itali il Grumale* vocant, hoc est in superiore stomachi orificio, duo oblonga & teretia veluti labia, meatum illum obserant, clauduntq. ita, vt si cibus crassus densusque, fœnum, sarmenta ac paleæ, aut similia semi-

com-

commanſa deſcendant, hęc labra carnoſa nimirũ & membranoſa facilè cedant, & aditum grauiori ac ponderoſiori cibo in ſaccum maiorem, *primum* nempe *ventrem*, permittant. Vbi verò lac ipſum liquidum delabitur, conniuentia reperit hæc oblonga corpora, quare ſuper hiſce tanquam ſuper canali quodam decliui currens, ad tertium immediatè ventrem labitur, & ex hoc ad quartum illico decliuiorem ſuo pondere ruit atque delabitur, vixque guttula huius in ſecundum ventrem, *Scuffiam* dictam, tertio ſuppoſitum, aut in primum ſaccum deſtillat. Sed eſt quod ſummopere mireris oculatiſſimum Naturæ myſtam *Ariſtotelem*, inexcuſabili prorſus errore ſe induiſſe, quem vel à quouis e triuio paſtore, vel quauis anicula caſeorum fabra edoctus, emendare potuerat: *Coagulum* videlicet, vt is credidit, non in *quarto*, ſed in *tertio ventriculo* colligi & adſeruari, clariſſima eius ſunt verba 3. de partib. animal. cap. 15. *Habent*, ait, *quod coagulum vocatur, omnia quæ plures continent ventres, carent, quæ vnum habent, excepto Lepore: habent, quibus hoc datum eſt, non in magno ventre, nec in reticulo, neque in vltimo, quod abomaſum appellamus, ſed in eo, qui inter vltimũ & duos primos poſitus eſt, quod omaſum vocatur.*

Oeſophagi & ſuperioris orificij ventriculi cõſtitutio.

In alium ventriculũ lac, in aliũ fœnum deſcendit.

Ariſtotelis inexcuſabilis eſt error, quod coagulum in tertiò & non quarto ventre putarit adſeruari.

Per verioris philoſophiæ amorem te precor amice Lector, pauliſper tuam mihi aurem hìc commoda, & quid doctiſſimus, de hoc *Ariſtotelis* loco, *Mercurialis*; quidque de eodem ego ſentiam, æquo animo auſculta. Ille cap. 16. lib. Variar. lect. errorem errore cumulans, quaſi re præclarè geſtà iam ſibi rationes etiam inueniſſe applaudit, quibus magiſtrum ſuum tueatur. *Ego*, inquit ille, *ſi quicquam in hac re proferre licet, dicerem, in primo ventre lac parum mutari: in ſecundo mutari quidem atque incaleſcere, ſed non adeò, vt poſſit in caſei formam craſſeſieri: in quarto percoqui, & ſtatim in inteſtina, inde per Meſeraicas in corpus diſtribui: in tertio verò ſolum craſſeſieri poſſe, atque ibi retineri: tum quia locus ſatis calet, & lac præparatum iam eſt, vt facilè craſſeſieri queat: tum quia ſic craſſefactum non facilè per foramen abomaſo & omaſo commune, in abdomen tranſmittitur. Quare inuenitur coagulum in omaſo, quia ibi cauſa effectrix, nimirum calor, magis craſſefacere valet, & quia ſimul retineri poteſt: in alijs vel non æquè calor viget, vel ob lubricitatem, ſi fiat, vt in omaſo retineri nequit.*

Mercurialis non veretur Ariſtotelis errorem alio errore tueri.

Credo equidem, nec vana fides prorſus, *Clem. Alexandrinum* noſtri ſeculi philoſophorum mores dudum præuidiſſe, quando ſcripſit: *Aliqui à philoſophia Græcorum, non aliter ac Vlyſſis ſocij à Sirenibus, detinentur, vt nunquam poſſint reuerti.* Ita enim noſtrorum aliqui philoſophantium, rationes antiquorum, *Ariſtotelis* præcipuè, imbiberunt, vt purpureum colorem lana, è qua nũquam dilui poteſt:

Non ſi Neptuni fluctu renouare operam des,
Non mare, ſi totum velit eluere omnibus vndis.

Vt *Lucretius* cecinit. Nec mirum eſt; naſcimur, alimur, & cum hac philoſophia *peripatetica*, adoleſcimus & ſeneſcimus.

Clem. Alexand. de quibuſdam philoſophis ſenſus.

Difficile eſt opiniones relinquere, quas à teneris vnguiculis imbibimus.

- - - *Adeò in teneris conſueſcere multum eſt*, ait Poeta.

Rationem ego laudo, proboque, quæ auriga dominaque eſt omnium humanarum actionum, ſine qua nil agi, dici, aut cogitari poteſt. Sed & hoc ſimul noui: rationibus nullis, abſque longa examinatione credendum eſſe, vt *Marſilius Ficinus* me monet, & in phyſicis noſtris problematibus verum eſſe quotidie ego experior. Ita *Dogmaticis* nonnullis, hodie, rationibus quæque probare procliue eſt, atque imber quando pluit, nec ea modò quæ nunquam viderunt, ſed fal-

falsissima quoque pro veris venditant (quod Mercurialis hìc noster facit) quibus non aliter, atque *Pythagoreis* olim illa magistri authoritas pro veritate est, & sufficit illud: *Ipse dixit*.

Aquapendēs Aristoteli se opponit, quia sensui magis credit.

Non ita *Aquapendens* simplici *Aristotelis* dicto assentitur, nec magni facit, quod causam huius de coagulo opinionis, in problematibus suis se dixisse affirmet, quæ quandoquidem in ijs, quæ ad nos peruenerunt, nulla exstat, putat *Mercurialis* in illis scriptam fuisse, quæ physica problemata erant, & nunc desiderantur, à *Plutarcho* verò *Apollonio, Athenæo* & *Laertio* citantur. *Ego autem*, inquit, *Aquapendens, aio reperiri coagulum in quarto, non in alijs, quia sic comperi, & sensui multiplex quoque ratio consentit*.

Quare Aquapēdentis rationes & ipsę parum valent.

Verum vt, quod res est, dicam, nisi veritatem hanc sensus ipse, cum quilibet tactu ac visu in quarto vētriculo, & nequaquam in tertio coagulum esse cognoscat, approbaret; *Aquapendentis* aduersus *Aristotelem* vix quicquam rationes impetrarent. Non enim quia tertius ventriculus asper est, ac veluti tuberculis spinosis plenus ideò lac minus amplecti potuit, sed ad quartū læuigatum ac perpolitum lacti similem, debuit ferri, vt *Aquapendens* argutat. Imò, quò in *Lienteria* vbi læuitate præternaturali *ventriculus* peccat, cibus est mollior, eò minus retinetur, quare me in simili vitio cremorem hordei, eo ipso momento quo bibitus fuit, per podicem euacuatum vidisse recordor. Et vteri læuitas retinendo semini molli corpori, valde obest. Et quartus demum ventriculus plurimis rugis, plicisque scaber est, & inæqualis. Nec maioris est momenti altera hæc ratio, tertium ventrem exiguum admodum esse, nec lacti recipiendo sufficere. At inquam ego, paruitas non inde accidit, quod non possit maior esse, sed quia natura hunc non pro lactis receptaculo habere voluit. In non lactentibus enim, hìc tertius quarto longè maior est, & primus in lactentibus minimus, tum tertium ac quartum quoque magnitudine superat, quia natura aliter planè hoc,

Vera ratio cur lac in quartum solummodo vētrem feratur.

in herbis fæno ac paleis vescentibus, quam in lac sugentibus vtitur. Vnica hic igitur meo iudicio, & sola ratio sufficit: Naturam voluisse quartum ac vltimum hunc ventrem, pro lactis receptaculo vsurpare, quoniam lac aliorum ventriculorum coctione nulla indigebat, & iam propemodum à matre alimentum debitum, recens natis præparatum fuerat. Sed de benigno hoc liquore, nunc plura non addam, in mellifluum enim ac lactifluum adeò flumen immergerer, vt longo vix post tempore inde emergerem. Quare, vna iam à Natura quidem, sed singulari adhibito studio & artificio, tendens ab Oesophago per tertium in quartum ventriculum, à me iure *via lactea* dicta, fabricata

Via lactea ruminantiū bestiarum cornigerarum.

ac demonstrata fuit: cùm per hunc in recens natis vitulis lac solum ad quartum, vbi *coagulum* reperitur, & non in tertium vt Aristoteles credidit, fluat, ibique moretur & cogatur.

Qua via cibus durior in vētrem eat.

Altera via ab Oesophago rectà ad primum fertur ventrem, & per hanc omnis alius cibus qui à lactentibus assumitur, præter vnicum lac descendit. Didici enim ex frequenti ventrium siue stomachorum eorundem dissectione, tam vitulos quam Hædos aliquando solo lacte frui ab vberibus maternis sucto, aliquando etiam, si fæni & herbarum copia detur, & hæc non illibenter carpere: atq. ita partim cibo tenerrimo, lacte scilicet, quod non ruminant, partim etiam

duriore

duriore alimento,quod remandunt; veſci,& hoc quidem in primum ſacculum, illud in quartum ablegare,nullo itineris impedimento facto. Eſt autem primus venter in lac ſolum ſugentibus paruus valde, & tam exiguus quidem, vt ſimul cum ſecundo ac tertio ſibi iunctis,quadruplo à quarto ſua magnitudine ſuperetur. Neque hoc cuiquam admirationem mouere par ſit, ſiquidem horum omnium trium primorum in lactantibus vſus,aut officium haud vllum exiſtit. Vbi verò ſimul animali herbis ac fæno victitare placet, primus ac ſecundus venter intumeſcunt magis, tertius tamen mediocriter ſe habet.

Ventrium horum in lactãtibus & non lactantibus proportio.

In lactantibus.

Iam verò vice verſa in illis,quæ lac non ſugunt amplius, animantibus ruminantibus,*Primus* venter ampliſſimus eſt,cum ſibi adiuncto ſecundo : & tertius admodum turget,quartus exiguus plane ſi cum prioribus conferatur, apparet. Nec ſua hìc ratio deeſt.Hoc enim tempore cibus craſſior omnis in primum detruditur ſaccum, tanquam in promptuarium quoddam,vt ex hoc denuo ad os regurgitet, comminuatur & aliò poſtmodum conuehatur. *Secundus* autem ventriculus *Reticulum* dictus, vt verum fatear, primi quædam potius proles dici poteſt & additamentum,quàm diſtinctus venter quidam. Quinimò videbis, ſi exactè examines, etiam primum ventrem circa fundum ſuum diuiduum ac quaſi bifidum eſſe,quem tamen ita duplicatum pro vnico omnes habent numerantq. ventriculo. Hæc ſola differentia conſpicitur quod in fundo primi ventris ſubſtantia non tantum ſit attrita, quantum eſt in Reticulo,vt ſupra quoque inſinuaui. Ab hoc ſecundo ventre patens ad tertium via datur, ad Omaſum videlicet, *Centopelle Italis* dictum, qui & ipſe venter non parum tunc turget.

In non lactantibus.

De horum omnium ventrium vſu ſic mihi,probabili ſaltem cõiecturà,quam alijs diiudicandam ac recenſendam libentiſſimè ſubijcio, philoſophandum eſſe viſum fuit. Cibum primoribus labris,ac inferioris maxillæ dẽtibus apprehẽſum ac ruditer cõciſum,per Oeſophagum in primum detrudi vẽtriculum,eòque ibidem tantiſper emollitum, redire (quocunq. id demum modo fiat, quod haud diſputo) ad palatum & molarium operà dentium moli magis,comminuique,eàdem regredi vià,& ſuccum quidem qui ex continua attritione dentium cum pituita ex capite in palatum deſtillante, aliundeq. affluente ſaliuà mixtà oritur, non ad primum quidem ventrem, ſed more lactis ſupra labra illa ſuperius deſcripta deferri,& in tertium ventriculum,atq. in quartum ab hoc ſubito influere.Maſticata autem & exucca veluti cibi reliqui maſſa,iterum in primum,& ex hoc in ſecundum propè orificium primi ſitum ventrem ſubit,vbi pauliſper maceratur,& in tertium ex hoc ſibi vicinum orificioq. connexum intrat; ibique denuo magis eliquatur,donec in quartum & vltimum deuoluatur.

Auctoris coniectura de horum ventrium vſu.

Videbis autem in ſacco illo maiore cibum craſſum eſſe,magis comminutum in huius fundo,adhuc magis inſuper in ſecundo ſacculo ſeu *Scuffia* attenuatum, magis adhuc attritum in tertio, liquatum demum ac veluti læuigatum in quarto. Ne tamen ibidem albicantis chyli,quod nonnemo ſibi finxit, ſubſtantiam te videre exiſtimes; herbarum comeſtio colorem illum ac ſubſtantiam, quam noſtro in ventriculo ex carne ac pane intueris,haudquaquam inducit:vtcunque ex hoc bouino Chylo idem rubicundus in hepate ac venis ſanguis generetur,& in carnes poſtmodum ac oſſa tranſmutetur.

Qualis ſit Chylus in quarto ventriculo.

a Vitulus *monstrosus biceps, mense Aprili, Anno M. DC. XXIIII. prope* Romam *in Villa quadam Illustriss. D.* Marcelli Sacchetti, *natus, detracta pelle hìc studioso Lectori exhibetur. Cuius alterum caput vt paulo fuit elongatius, ita pes alter & coxa fuit retractior. In quo quid monstrosi repertum fuerit, partim ex historia iam supra data clarum est, partim in sequenti etiam figura delineatur.*



b *Duo capita cum sua Aspera arteria, Pulmonibus, Corde, & Ventriculis quatuor.*

Vtriusque

c *Vtriusque capitis asperæ arteriæ in vnum truncum coalescentes.*

d *Pulmones Cor amplexantes, quorum tres in vtroque latere lobi, inferior maior, superiores duo minores.*

e *Cor inter pulmones vtrinque ambientes vnicum sedens, sed pro animalis proportione maius.*

f *Primus ciborum ventriculus*, Italis la Trippa, *dictus.*

g *Secundus Ventriculus, Latinis Reticulum*, Italis la Scuffia, *vocatus.*

h *Portio hìc tantum tertij ventriculi apparet, qui Omasum nobis*, Italis Centopelle, *appellatur.*

i *Quartus Ventriculus Abomasum vocatus*, Italis il Quaglio. *Hic in lac sugentibus omnium est aliorum maximus.*

k *Duo asperæ arteriæ rami in vnum desinentes, substantiæ modum cartilagineorum annulorum obtinentes, vsque ad designatum in medio hoc canali punctum: hìc enim asperæ arteriæ substantia in Oesophagum (*Itali *vocant* il Grumale*) transmutatur. Vt per eundem ita ductum & aer & cibus transire debuisset, quod est omnium, quæ hìc visa sunt, monstrosissimum, vt in historia notatum fuit.*

l *Hepar adumbratur, de quo reperies in historia, quomodo varia animalis viscera, huius inflata Venà nutriculà, inflata & ipsa fuerint.*

m *Lienem denotat, qui & ipse inflato hepate fuit eleuatus. Reliqui in medio sacculi, quibus litera* (n) *apponi debuerat, sunt ijdem in superiore descripti figura ruminantium animalium quatuor ventriculi.*

o *Duo capita, vt quæ mediantibus duabus vertebris, singulo in latere singula; tertiæ cuidam, quæ suprema est colli, vertebræ adnectuntur.*

p *Duo admodum tendinosi musculi, qui ducentes ortum in septima ceruicis vertebra processum valde elatum habente, in occipitia vtraque inseruntur, ad maiorem firmitudinem & capitum horum extensionem, miro Naturæ artificio fabrefacti.*

q *Vertebræ illæ duæ separatæ, & adnexæ tertiæ cuidam & supremæ colli vertebræ: quarum vtraque portionem spinalis medullæ ex occipitis basi seu foramine egredientem, secum ferebat. Hæ ambæ medullæ postmodum in maiore illa tertia (hæc enim multo grandior est, quam sociæ duæ laterales) & media vertebra vniuntur. Et sic vnica medulla & non duplex, per totam dorsi spinam descendebat.*

r *Dictarum iam vertebrarum sibi vnitarum designatio.*

s Protuberatio *Ossis occipitis, qua à vertebra sua excauata excipitur. Verùm hæc omnia beneuolus lector, si historiam consulere dignabitur, exactius cognoscet. Quæ ego videri possum amplius forsan omnia dilatasse, & limites egressus esse, intra quos Mexicana solummodo animalia coercenda erant. Verùm quoniam internas monstrorum partes pauci attigerunt, erit fortassis vt apud nonnullos, gratiam etiam hac ratione inituru sim.*

Ex Musæo Principis Cæsij.

In Principis Cæsij Musęo hoc monstrosũ caput videtur.

QVæ hìc prostat Icon, delineata fuit ex eiusmodi vero & monstroso capite, quod in iam sæpe laudati *Principis Cæsij* Musæo, variæ ac curiosissimæ rerum naturalium supellectili, ipsisq. Musis potius quàm pompæ dicato, adseruatur. Hìc videre est, ex vna ceruice duo esse enata capita, aut vt verius dicam, ex vna ceruice ac simplici calua, gemina rostra, cum quatuor suis oculis, sed duabus solummodo auribus. Vbi autem locorum, & quo tempore hoc monstrum in lucem prodierit, id nos latet. Videbis similem omnino figuram lib. 1. de Quadrup. Bisulcis apud *Aldrouandum*, quem ipse vitulum ex *Euagrio* in Hist. Ecclesiastica, circa *Nisibin Persiæ* vrbem natum, & plurimas portendisse calamitates scribit. Et in huiusmodi monstris Vitulinis tam describendis quam depingendis, planè copiosus est *Aldrouandus*, quem adire & consulere potes.

Cur Author de rumination aliqua dicere cogatur.

Et libet nunc summam addere manum: reliqua enim quæ ad *rumination*em attinẽt, apud *Aquapendentem* in citato iam sæpius opusculo videri possunt, in quo plurima *Aristotelis* de hac re axiomata, acri perstringit examine, quæ passim in lib. de Histor. & part. Anim. exstant. In quibus tamen, cum non desit, quod Ego quoque vel addam, vel mutem, vel explicem; mihi etiam, si paucula hæc adiecero, vitio verti minimè debet, sunt quidem in his

Longæ
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

Atque primo dicam loco, non ideo (quod *Aristoteles* tamen & *Galenus* pro confesso recipiunt) cornigera animalia dentibus carere superioribus mihi videntur, quòd materia horum in cornua digeratur. Quia dentium substantia durissima, à Cornuum substantia molliore & spongiosa, quod & *Aquapendens* notauit, diuersa, statim à quouis iudicatur. Et quæ proportio quæso, fingi potest inter vastissima *Ceruorum* cornua, quæ toties ab ijs etiam abijciuntur, ac renouantur, ad eorundem exiguam pauculorum dentium in superiore deficientium maxillà, magnitudinem? Estque hoc omnium potentissimum, *Aristotelem* impugnans argumentum, quod supra ego cum dentium numerum attuli, ad oculum demonstraui dentes illos superiores incisores, qui quatuor esse debebant

Aristotelis quædã rationes examinantur.

bebant, ſuperiori deeſſe quidem maxillæ, adeſſe tamen inferiori duplicatos, cum in hac loco quatuor, qui in non ruminantibus ſolũmodo numerantur, octo reperiantur. Materia igitur horum non in cornua ceſſit, vt illi ſibi perſuaſerunt, cum dentes omnes adſint, & tantummodò tranſponantur.

Nec cauſam cum *Ariſtotele* in ſuperiorum dentium defectum quis conijciat velim, quòd à Natura plures in eiuſmodi beſtijs vẽtres generati fuerint, quam-uis hoc ita ſemper eueniat. Neque enim vllis omnino carent dentibus, & molares æquè Bobus, atque Equis ad mandendum, frangendum & molendum cibos, id quod in ruminatione videmus contingere, adſunt. Non igitur *Ariſtotelis* ratio concludit, plures ventres in ruminantibus dentium defectui ſuccurrere, & horum veluti vicariam operã præſtare. Huic ſtatim conſequens & hoc eſt, ruminationẽ non ideo inſtitutã fuiſſe (vt *Ariſt.* voluit) quia dentes ſuperiores deeſſent. Hic ipſe enim *Mures Ponticos* & *Piſcem Scarum*, vtrinq. dentata animalia, ruminare ſcripſit: & in *Leuitico* habetur, *Leporem* & *Cuniculũ*, integris vtrinq. dentibus cibos remãdere. Neque hoc perpetuũ & vniuerſale eſt decretũ, propterea plures ineſſe vẽtres animalibus illis, quòd cibum integrum veluti, & parum cõciſum deglutiãt, vt ſucceſſiuè in varijs illis ſinibus magis magiſq. elaboretur. Vidi enim ſæpenumero hic *Romæ*, piſcẽ quẽ *Romani Merluciũ* vocant, quaſi dicas *maris Luciũ*, veteribus *Græcis* & ὀνὸς, & ὀνίσκος, *Latinis Aſellus* dictus, vnde & *Ouidius*.

Et tam deformi non dignus nomine Aſellus.

Vidi inquam, hunc piſcem, alios ſui generis & integros, & ſemicoctos in ventre piſces habere, qui tamen vnum ſaltem ventrem obtinet; nec cibos mandit, licet dentibus probè quoq. non in vtraq. maxilla modò, ſed in palato duplici ordine acutis ſit inſtructus, nec eos poſtmodum remandit. Sic tres ſemidigeſtas, & quatuor teperi integras *ranas* in vnico *Ciconiæ* nigræ ventriculo, cuius *Auis* paluſtris Sceleton adhuc domi aſſeruo.

Minus hæc *Ariſtoteli* concedimus, quòd quæ cibum lignoſum, aridum ac ſpinoſum, durumq. aſſumunt animalia, ea ob id vẽtres plures ſint ſortita, quæ cauſa ipſi affertur, quod *Camelus* cornibus carens, plures nihilominus ventres neceſſe ſit habeat, quoniam dicto iam cibo nutriatur. At nos *Equos* ſcimus eodem modo vt *Boues*, ſtramine fænoq. veſci. Et ſarmenta vidimus, ac portas ſtoreas ab *Aſinis* deuoratas fuiſſe; quibus *Cardui* pungentiſſimi, non rarò quoque ſicci; *vt ſimiles ſcilicet habeant labra lactucas*, delicatum in eſum cedunt. Hinc ſpinoſi cardui ſpecies *Onopordon*, hoc eſt Aſini crepitus appellatur. *Onopordon enim*, ait Plinius, *ſi comederint Aſini, crepitus reddere dicuntur*. Hi tamen vnico ſaltem ventre cibos, & recipiunt, & abſoluunt. Has cum *Aquapendens* perplexitates ſecum ruminaret, vt illas tandem concoqueret, plures in *pennatis* ac *cornigeris* ventriculos hanc ob cauſam conſtructos fuiſſe excogitauit: non quòd hæc operà dentium, illa roſtrorum duritie carerent, quo minus in ore etiam conterere cibos valerent, quod ruminando molaribus dentibus *cornigera*, roſtellis verò ſuis Aues ſemina decorticando, & ſi vellent etiam comminuendo conficere poſſent. Non igitur in dentium aliquorum, eorumq. pauculorum inopiam, ruminationem eſſe referendam. Sed quod vtraq. animalia, nõn manſos prius & maſticatos cibos deglutiant. Non mandi autem eos ab *Auibus* ob metum, ne ſi diutius illis

Non ideò plures eſſe debent ventres, quia ſuperiores iuciſorij dentes adſunt.

Nec propter horũ defectum ruminatio eſſe debuit.

Nec plures eſſe vẽtres neceſſe eſt, quia cibus quaſi integer deglutitur.

Merlucius & ciconiæ nigra cibos haud mandunt vno tamen ventre ſaltem prædita.

Nec propter cibum duriorem deuoratum plures eſſe vẽtres debent.

Aquapendentis ſententia de ruminationis neceſſitate examinatur.

rapiendis insistant, ab hominibus capiantur. Quare raptim ac festinanter easdem, modò in aere muscas, modò in aquis piscículos capere, modò in terra semina colligere, atque hæc omnia non fracta, sed integra deglutire.

De pennatis plures habétibus ventres.

Cornigera verò interdum vult cibos mandere, interdum minimè. *Mandunt quidem*, inquit, *cibum, cum collectum & congregatum habent, neque enim indagare, aut pro indagando multùm laborare est opus, vt in stabulis hordeum, & fœnum. Non mandunt autem, cum sparsum habent, & motu indagant. Tunc assumptum atque excerptum protinus deglutiunt, propter eandem causam, ne in eo mandendo tempus & alimentum ipsis tunc frustra pereat. Etenim mandere, & indagare cibum, alterum alteri moram facit.* Ex his *Aquapendentis* verbis ac rationibus, hoc ego colligo dogma: tunc animalibus, quibus ruminatio concessa fuit (Aues autem, licet plures ventres habeant, minimè ruminant) maximè cibum ad os regurgitare, eaq. in quiete ruminare, cum illum in pascuis, quasi furtim ingerunt, minimè verò, cum in stabulis ad libitum eodem fruuntur. Atqui hoc rursum communis magistri doctrinæ aduersatur, quæ luce clarior est, 9. Hist. an. cap. 50. *Iacent*, inquit, *cum ruminant omnia, & hibernis præcipuè mensibus solent ruminare, septem ferè mensibus hoc faciunt, quæ intra tecta aluntur, gregales leuius, minusque temporis ruminant, quoniam foris pascuntur.* Quæ quidem *Arist.* verba, *Aquapendentis* pronunciato plurimum refragantur, deberent enim gregales bestiæ, quæ in pascuis carptim, raptim ac festinanter, vt ipse ait, cibos deglutiunt, non *leuius* sed *fortius*, atque intensius ruminare, quàm vbi abundantia ipsis suppetit; intra tecta, domosque: quod tamen haud exequuntur: Quod ipsemet eodem opusculo Aquapendens fateri coactus est, cum dixit: *Vnde conuertitur propositio, quod quando animalia valde asperum & lignosum cibum sumunt, & ipsum quoque ruminant: quando verò mollem ingerunt, nequaquam ruminant.* Mollis autem in pascuis plerunque, durus in stabulis suppeditatur. Aduersatur eidem *Aquapendentis* inuento, adhuc clariùs eodem loco, idem *Aristoteles*; qui vult præter *Ceruum*, reliqua cornigera siluestria omnia, minimè ruminare, cum tamen æquè quatuor obtineant ciborum sacculos, & non ex delectu, sed, vt ita dicam, ex raptu viuant: *Ruminant*, ait, *quæ superiore dentium ordine carent, vt boues, oues, capræ, ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea, quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt ceruus, hunc etenim ruminare certum est.* Eundem in sensum hæc apud *Plinium* lib. 10. cap. 73. leguntur: *Ruminant præter iam dicta siluestrium, Cerui cum à nobis aluntur. Omnia autem iacentia potius quam stantia, & hyeme magis quàm æstate septenis fere mensibus.* Nota hìc *Plinium* non satis *Aristotelis* mentem percepisse, neque enim hic ideo *Ceruos* ruminare scripsit, quod à nobis alantur, vt ipsum legenti patescit. Neque *Albertus Magnus* 7. de Animal. cap. 4. vt optimè *Mercurialis* obseruauit, *Aristotelis* sensum est assecutus, cum scripsit: *Ruminantia post septimum ætatis mensem ruminare*, cum *Aristoteles* septem cuiuslibet anni menses significare voluerit. Quamuis vt ego iudico, *Alberti* quoque dictum verum esse possit, vtcunque sit præter *Aristotelis* intentionem; videlicet, cornigerarum filios posse ac velle, septem à partu mensibus à matris vberibus pendentes lac sugere, & duriore ita cibo abstinere (ex lacte autem solo hausto, probabile est animalia haudquaquam ruminare) postea ad cibos solidiores transire & ruminare.

De Cornigeris.

Aquapendentis rationes cum Aristotelis doctrina haud congruunt, & sibi ipsi repugnant.

Alia loca Aristotelis & Plinij Aquapendeti aduersa.

Plinius & Albertus non satis Aristotelis sensum assecuti sunt.

Albertus explicatur.

Quid

Quid igitur nobis in hac caligine rerum, verborumque tricis reſtat? Si rationes ab *Ariſtotele* & Iunioribus propoſitæ, cur animalia ruminent, pleræque videntur vacillare? An dicemus (*Id quoque enim non ab nulla ratione videtur*) ea omnia, quæ cibum remandunt, frigidiora longè, aut vt melius dicam, minus illis eſſe calida, quæ vnico prædita ſunt ventriculo? Vt quod in his vnus & calidus valde perficit venter, in illis tepidioribus, plurium opus ſit elaboratione. Non aliter planè, ac ſi *Veneris* effecturus ſtatuam ſculptor aliquis, bipennibus craſſiores ligni partes primò dedolet, rudioribus poſtea ſcalpris, tandem ſcalpellis minoribus totam ſtatuæ ſuperficiem læuiget, atque perpoliat. Videtur huic fauere argumento, ipſa rerum magiſtra experientia, quod ruminantia pleraque videantur frigidiora, id non obſcurè inde elucet, quod ſint meticuloſa, degeneres autem & minus feruentes animos timor arguit. Notiſſimum hoc eſt, in *Ceruis* ac *Leporibus*, quorum ambo ruminant, & mirè timent.

Author in his tenebris rerum aliquid probabile dicere conatur.

An quia animalia ruminantia ſunt minus calida.

Videtur huc facere *Plinij* authoritas iam paulo ſupra dicto loco: *Cornigera*, inquit, *vna parte dentata, & quæ in pedibus talos habent, ſeuo pingueſcunt. Biſulca, ſciſſiſue in digitos pedibus, & non cornigera, adipe.* Frigidius autem eſſe adipe ſeuum, ex hoc elici poteſt, quod à frigore facilè ſeuum concreſcat, & adeps tam intra quam extra animalia, magis liquidus maneat. Vtrumque ex *Ariſtotelis* fonte hauritur axioma.

Authoritate Plinij videtur hæc ratio ſtabiliri poſſe.

Sunt hæc fateor, mira quadã probabilitatis ſpecie conſpicua. Eſt tamen, quod ijs opponi poteſt, inter ruminantia calidiſſima quoque nonnulla reperiri, ſi actiones modò temperamentorum indices eſſe ſolent. Et vt de *Bubalis* noſtratibus, *Biſontibus* & *Vris* ferociſſimis, animoſiſſimis & iracundiſſimis beſtijs nihil dicam, *Tauros* videbis, qui cum fortiſſimo quouis *Leone Lybico* congreſſuri nihil penſi habeant. Qui furor, veluti ab atra & aduſta bile, vt noſtri Medici dicunt, in *Maniacis*, ita à nimio arbitror calore potius, quam frigore in beluis illis ſubminiſtratur. Volui hìc ſolius *Tauri*, cui *Hircum* petulantiſſimum potes adijcere, mentionem facere, ne mihi ex *Ariſtotele* quis obijciat, ſilueſtres feras cornigeras, præter *Ceruum*, nullas ruminare, quod etiam an verum ſit, admodũ dubito. Cuius enim gratiã illis Natura quatuor ventres dediſſet? quos quæ habent animalia cetera, etiã non cornigera, omnia ruminant; vt in *Camelo* apparet.

Non videtur intellectui ſatisfacere prædicta ratio.

Si dixeris *Hepar* horum animalium vt calidiſſimum, in quo retorrida illa bilis coquatur, *ventriculos* verò frigidiſſimos (id quod Medici ſæpius nobis accidere conteſtantur) eſſe poſſe; & propterea cibos plurium opus receptaculorum habere, quæ cum viciſſim illi ſubeunt, magis paulatim, magiſque atterantur. Reſponſio in promptu eſt, non caloris ſemper energiã cibos elaborari. Quis enim ex nobis, cum magno ventriculi calore, quem poſſidemus, crudos, incoctos, integroſque piſces digereret? Et quidem breui ita temporis ſpatio, id quod me in hoc ipſo libro bis iam innuiſſe memini, & idem nunc affirmo ex quotidiana, imò hodierna experientia in *Merlucio* dicto piſce, in quo non integros modò alios *Merlucios* minores, ſed *Sepias* quoque inueni integras, qui pauliſper piſces ingeſti, in mucum contabeſcunt & per anguſtum, idque poſterius ventriculi foramen in proximum inteſtinum deſcendunt: in quibus tamen viuentibus piſcibus vel nullum crediderim ineſſe actualem calorem, vel certè

Corroboratur prædicta de calore ratio, ſed denuo infringitur.

Maximus humani vẽtriculi calor haudquaquãprę ſtat quod minimus in piſcibus poteſt.

teporem

teporem potius quam insignem aliquem feruorem. Est autem *Pylorus* in hoc pisce, siue infernum ventriculi orificium, non in fine ventriculi (qui oblongus est, & infra acuminatus) situm, quemadmodum in alijs animalibus plerisque reperiri solet, sed propè ipsum superius orificium, vbi *Oesophagus* nempe desinit, collocatum.

Ventriculus in Merlucio vt se habeat.

Aut ignoratur cur fiat rumination, aut quo modo ciborum cōcoctio peragatur, ne scitur.

Existimo igitur, aut nos prorsus hoc ruminationis mysterium, quod Natura in similibus moliri animalibus voluit, ignorare: aut aliter profectò de calore ac frigore, ipsaque ciborum concoctione (quam sibi etiam non satis notam fuisse *Cornelius Celsus* Medicorum *Cicero* ille, in aureo suo proœmio innuit) philosophandum esse, quàm hactenus philosophorum & Medicorum plerique (quos ad *Hippocratis* interea de *Vetere Medicina*, libellum ablego) docuerunt. Id quod in problematibus quibusdam meis paradoxoteris (quæ aliquando DEO vitam prorogante, lucem visura sunt) disputabo. Et si nodum hunc non prorsus enodabo, doctioribus tamen eundem dissoluendi materiam non contemnendam communicabo. Interea temporis, hìc ego vel *Academicum*, vel *Scepticum* omnino agam, donec meliora ab illis, in quos (si vera esset falsa illa Veterum quorundam credita *Metampsychosis*) *Aristotelis* anima transuolasse videri potest, subministrentur. Hoc vnicum ego scio, & experior: difficilè admodum esse, aliquid probare, vt *Lucretius* ait,

Ab Aristotelis filijs veriora expectantur.

Si ratio potius, quàm res persuadeat ipsa.

Adhortatio ad candidum Naturæ studiosum.

Et tibi ex animi mei sententia affirmo, quisquis in hæc mea lecturus inciderís, non me tam mihiipsi placere, aut palpum hunc obtrudere cupere, qui *Cornicum velim oculos configere, mortuos iugulare*, & ex depressa veterum authoritate, nanem mihi gloriam conciliare: exquirat mecum quisque prius ipsam *rerum* [1] *Naturam*, antequam se cuiuis mancipet Authori: cōferat postmodum DEI, Naturæque opera, cum nostris friuolis non rarò ratiunculis, & quid demum statuendum sit, secum ponderet atque stabiliat, & si posteris non inuidet, veritatem physicam ipsam quæso nobis, eiusdem sitientissimis pleno poculo propinet, nec Zoilos vllos & Criticos pertimescat.

Homines etiam ruminasse Aquapēdens obseruauit.

Memoratu dignissimum est, quod *Aquapendens Patauij* obseruauit, duos homines, quorum alter ex Nobilium ordine *Patauinorum* fuit, qui ambo ruminabant. Et hic quidem licet in vtraque maxilla dentes omnes sortitus esset, cibos tamen absque horum officio deglutiebat, eosq. in os retrahere, non absque insigni oblectatione, & rem andere cogebatur. Dum verò contigisset eum à morbo quodam conflictari, & lecto decumbere, ruminationem solitam prorsus intermittere cōpulsus fuit, quod in morbosis quoq. bobus rustici fieri affirmant. Sed risum, ne dicam cachinnum, mihi penè sequentia ipsius verba excusserunt. *Quibus*, inquit, *omnibus addendum omnino est, quod eius pater paulo supra frontem in capite corniculum durissimum, crassitie digiti manus minimi, longitudine verò oliuæ Hispanæ habebat insculptum & extuberans, substantiæ vngui persimile; ex quo fortè datur nobis intelligi, parentes ferme aliquam habuisse affinitatem cum cornigeris animalibus, neque mirum fuisse, genitum filium simile quid à parente contraxisse.* Mira hominis Philosophia! qua docetur, quomodo *Corniger Hesperidum* hic filio suo ruminationem implantauerit.

Ridicula ruminationis causa in hoc Nobili Patauino.

Ioan.

Ioan. Baptista Vindthierius Principis *Casij* Medicus, quem supra quoque laudaui, ex proprijs ac Physicis obseruationibus, vt curiosus est Naturalium studiorum indagator, hanc mihi communicauit, quam fusius ipse in suis ad *Q. Serenum* Varijs Lection. dilatauit. Fuisse in *Germania* virum quendam, *Sueuum* natione, qui cum tam cænæ quàm prandio cæteris lætus conuiua assedisset, remotis tamen epulis, post mediam horam à consessu in angulum cænaculi se solus composuit, & ingestum, quam citissimè potuit, cibum deruminauit. Quæsitus quonam id modo facere coactus esset? Respondit, sibi quidem à puero acidos exurrexisse ructus. Postquam verò trigesimum attigisset annum, tum demum neutiquam euitare potuisse, quin cibum resurgentem in ipsum os admitteret. Rogatus dehinc, an quid ex iterata cibi illa tractatione voluptatis caperet? Equidem, inquit, mel videor mihi merum lingere, ita dulci perfundor suauitate. Iam memorati viri filius, viginti quatuor annos natus idem præstare potuit, quoties voluit. Honestà tamen & iuuenili verecundià, in hominum conuentu cohibitus, repotia hæc remandere, ceu turpe quid, auersatus est. Alium autem prædicti Ruminatoris secundum filium, nulla ruminandi necessitas solicitauit. Corniculatos tamen hos, qualis ille *Aquapendentis* erat, minimè fuisse asseuerauit *Vindthierius*.

Alia obseruatio hominis ruminantis à Ioan. Bapt. VVindthierio suggesta.

At quid mirum existimemus, homines hoc siue vitio, siue libidine, siue connata quadam necessitate tentari & vrgeri? Cum non desint, qui *Cælestibus* quoque *signis*, *Arieti*, inquam, *Tauro*, *Capricorno*, eandem conuenire *Rumination*em pueriliter credant. Lepidam hanc mihi sed seriò; non fabellam, verùm historiam pauculos ante dies verisimam *Franciscus de Almeida Lusitanus*, Medicus doctissimus, & Indicarum regionum ac rerum experientissimus, recitauit. Accidisse sibi, vt purgantem aliquando potionem, docto cuidam viro, sed Astrologiæ plus æquo addicto, præscriberet. Ast, heus, inquit hìc, ad Medicum, ne ita me amusum, & literarum omnium, Mathematicarum præcipuè disciplinarum expertem autumes, vt velim catharticum hunc potum, crastino diluculo ebibere, eumque cum nausea postmodum euomere: Cum *Sol* hodie *Taurum* sit ingressus, vnum ex ruminantibus animalibus, quæ causa fuerit, vt secum & ipse ego pharmacum ruminem, illudque per os eijciam. Bene se habet, mi Domine, ait medicus, ideoque author tibi fuerim, vt non nisi duabus post diluculum horis, iam claro sole exorto, illud ebibas. Tum enim temporis nosti eiusmodi animantia, quæ ruminant, pascuis intenta, cibos deglutire & haudquaquam ruminare; cum ipsis noctu præcipuè quiescentibus ac iacentibus, *Aristotele* ac *Plinio* testibus, regurgitatio illa cibi contingere soleat, & sic quidem, quod de medicamenti ruminatione timeas, nihil habebis. Placuit Astrologo Medici consilium, & mane exhausto pharmaco minimè ruminauit.

Puerile quorundã figmentum qui ruminationem etiã in Tauro cæleſti agnoſcunt, & lepida huius hiſtoria.

Franciſcus de Almeida Medic. Luſitanus doctiſſimus.

Haud vidi profectò vanum magis genus hominum, quam tales, qui vt *Iuuenalis* ait

Quam parum fidendum ſit vanis Aſtrologorum prædictionibus.

Quicquid
Dixerit Astrologus, credunt à fonte relatum
Amonis.

Cum in nulla equidem disciplina probabiles minus coniecturas, quàm in Astrologia

logia iudiciaria reperire liceat. Id quod præter quotidianas experientias, à tribus etiam ſeculi noſtri Mathematicarum Coryphæis ſcientiarum didici, *Adriano* inquam *Romano*, ſummo & Medico, & Mathematico, ſcriptis clariſſimo, *Herbipoli* olim magiſtro meo: cuius filius *Iacobus Romanus* nunc *Louauij* egregiè patrizat. *Galilæo Galilæi Lynceo*, amicitiæ & Academiæ noſtræ arcto mihi vinculo iuncto: & *Chriſtophoro Clauio* demum, ciue meo ac populari, *Bambergenſi* nimirum, qui omnes vel verbis mihi, vel ſcriptis publicis, quam parum iudicijs, ex aſtrorum ſitu deſumptis, fidendum ſit, palam ſæpe fecerunt. Poſſum & ego verè conteſtari, in hac ipſa, qua viuimus VRBE, & orbis LVCE, ſub ipſa ſolaris, eiuſque inſignis Eccliſeos hora, plus quam ſeptuaginta perſonis, febribus acutiſsimis laborantibus, ſanguinem non ſcarificatu, ſed ex maioribus detractum venis fuiſſe, diligentiq. adhibita obſeruatione, vix tres vel quatuor poſtmodum, non *Solis* defectu, ſed febrium periculoſiſsimarum affectu, obijſſe. Nec vererer ego hoc ipſum in me periculum tentari, adeò nihil, certà iam experientià doctum, vel Eccliſes, vel aliæ maleficarum (vt maleuolè blaterant Aſtrologi) ſtellarum poſitiones, me terrerent. Non ignarus interea ſum, quid temporum mutationes principaliores in morbis poſsint, quæ *Canis* ſolummodo *Arcturi*, *Pleiadumq.* ortu vel occaſu, vt meris ſignis, non effectricibus cauſis ab *Hippocrate* indicantur ac deſignantur; quid item Aquiloniorum & Auſtrinorum flatuum, pluuiarum deniq. copia, vel defectus valeant, de quibus ſolis, & non de Planetarum, aliorumque tot aſtrorum concurſibus, oppoſitionibus, varijſq. alijs ſitibus, & cæleſtium domorum Chimeris bono huic *Seni* noſtro ſermo eſt, vt non habeant quod Genethliaci, alijque maleferiati Medici, ab hoc auxilium & conſilium implorent, & ex aſtris veluti remedia petant, quæ vt *Plinius* ait *pauperrimi cuiuſque plerumque hortulus ſuppeditat*. *Lunæ* phaſes variæ, quid in debilioribus nonnullis tam ſanis, quam aduerſa valetudine oppreſsis, virium habeant hominibus, & ego noui, & habent hæc forſan cauſas ſuas phyſicas, quas Aſtrologi deducere haud norunt, ſolà cæcà, cum *Chaldæis*, experientià & complurium ſeculorum vt aſſerunt, obſeruatione contenti, quæ ſi ſufficiunt, cur non, vt optimè in ſuo de *Augmentis ſcientiarum* libro Doctiſs. idemq. & Nobiliſs. *Franciſcus de Verulamio* ſcribit, *cur*, inquam, *quis non eàdem operà, & Auguria reuocet, & Aruſpicinam, & Exta, & omnigenas fabulas deglutiat. Nam & hæc omnia, vt diutinæ experientiæ, & per manus traditæ Diſciplinæ, dictamina fuiſſe aſſerebantur.* Atque hæc obiter, licet vt ſpero, opportuno loco.

Etiam in Eccliſeos ſolaris hora, plurimis ſanguinem detraxiſſe nō nocuit.

Quā Aſtrologiam in morbis Hippocrates profeſſus fuerit.

Non ſufficere Aſtrologis, aliquot ſeculorum obſeruationes iactare.

De *Topho Iuuencarum*, quem coronidis loco huc inſerere æquum eſt, hæc apud Plinium lego. *Et in Iuuencarum ſecundo ventre, pilæ rotunditate nigricans tophus nullo pondere. Singulare (vt putant) remedium ægrè parientibus, ſi tellurem non attigerit.* Huiuſmodi tophos duos prægrandes à *Ferdinando Imperato* rerum naturalium *Como ac promo*, cum plurima alia naturali, maritimarum præcipuè rerum, ſupellectile dono accepi, cum anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo octauo eiuſdem *Muſæum* iam dudum celeberrimum, & delicioſiſsimam, ſimul *Neapolitanam Vrbem* inuiſerem, eò *à Paulo V.* miſſus, vt *Horto Vaticano* de plantis rarioribus proſpicerem. Verum *Tophus* hic, non in *Secundo*, vt *Plinius* voluit, ſed in *Primo* tam Vaccini generis, quam cornigerorum aliorum domeſti-

Tophus Iuuencarum ex proprijs ac Plinij obſeruationibus deſcribitur.

corum

corum animalium ſtomacho *Italis la Trippa* dicto, reperitur, quod ego in varia eorundem ſectione animaduerti. Cum enim lactantes tam *Hædi*, quàm *Vituli*, ſeſe matreſq. ſuas ſæpius lambant, plurimum pilorum, cum lacte, & abſque ipſo deglutiunt. Quod ſi rariores illi ac pauculi pili fuerint, cum lacte ad quartum ventriculum delabuntur, & in colato *Coagulo* quoque reperiuntur. Vbi verò pluſculi conglobantur, in primum rectà deſcendunt ventriculum, quos ego Auellanæ nucis magnitudine, tam in lac ſolum ſugentibus, quàm ſimul iam fæno veſci incipiẽtibus, in hoc eodem ſacculo ſiue primo ventriculo, & non alio inueni. His magis magiſq. alij pili aggeruntur, donec maſſam eam rotundam, perpetuò in ſtomacho illo manſuram efforment, quæ nunquam cum cibo poſtmodum ruminando aſcendit, nec vllum grauedinis interea, aut moleſtiæ ipſi ſenſum procreat. Quomodo generetur.

Eſt autẽ ſubſtantia hæc diſciſſu difficilis, & rariori pileorum ex pilis texturæ ac compoſitioni ſimillima, quò verò maior eius quãtitas, diutiuſq. in animantis ventre hoſpitata eſt, eò difficilius acutiſſimo etiã cultro diſcinditur ac ſeparatur. Qualis ipſa ſit ſubſtantia.

Cui verò vſui ſeruiat, equidem cũ ignaris ignoro. Quòd enim *Plinius* ait, *ægrè parientibus prodeſſe*, id neque in quaquã fœmina expertus ego ſum, nec experiẽs me quiſquam docuit alius, nec qua ratione cõtingat, *Plinius* explicauit. Niſi forſan eiuſmodi ſit medicamentum, quale *Cap.* de *Lupo* dixi, in partu enitẽdo profuiſſe, illas *Ioan. Bapt. Portæ, Lyncei* quiſquilias & pauimẽti ſordes. Eſt tamẽ ratio aliqua, quæ perſuadere poſſit, partui conducere promouendo, ſi in ſubtiliſsimum pollinem contundatur, aut cremetur hic tophus, & puluis ille, cum vino aut alio liquore exhibeatur. Tunc enim acuti, quem in ſe continet, *Salis* ratione, cum ſero & ſanguine ad matricem delati, irritare non leuiter facultatem expultricem poterit, & partum ſolicitare, quod idem Boracem acutiſſimum ſalem præſtare nouimus. In pilis autem plurimum ſulphuris ac ſalis eſſe norunt, qui Chymico cultro, igne inquam, eius Anatomen vnquam adminiſtrarunt. An vſui ali cui ſeruiat. Si partum accelerat, qua id ratione fieri poſsit.

Quod autem *nec terram prius contingere debeat*, hoc ridiculum demum eſt, ac fabuloſum, vt plurima alia huius farinæ apud *Plinium* ac *Dioſcoridem* leguntur: quæ verorum ignaris principiorum imponunt, vt vel occultas rerum cauſas, vbi nullæ ſunt, ſomnient ac implorent, aut ſuperſtitionum lernam, cum maximo fidei noſtræ Chriſtianæ ſcandalo ac dedecore introducant, foueãt, ac tueantur. Poteram de natura monſtrorum, vt promiſeram, & de alijs internis vitulorum partibus à me obſeruatis, ſcitu iucunda plura dicere. Sed iſta ego vel alteri loco, vel alijs relinquo: & hæc nonnemini fortè nimia videbuntur, quare abrumpo, & ad reliqua animalia accingor. Sed hìc temperare mihi non poſſum, quin animo meo, vt benigno proſim lectori, nunc morem geram: & quod ipſi forſan incauto imponere poſſet, mendum detegam. Mantiſſæ igitur oco hæc paucula ſuperaddam. Superſtitioſum videtur quod terram nõ debeat cõtingere vt partui ſubueniat. Cauſa huius appendiculæ eſt locus Ariſtotelis de inteſtino recto.

Dum ſuperiùs, quatuor in ruminantibus beſtijs ventriculos ex Ariſtotele deſcripſi, hæc ex *Gazæ* verſione lib. 2. Hiſt. anim. cap. 17. addidi verba. *Rectum autem inteſtinum nulli eſt, cui non parte vtraque dentes*. Hunc eundem *Scaliger* Pater Ariſt. locum paulo aliter vertit. *Sunt*, inquit, *quibuſdam appendices inteſtinorum: neque enim recta inteſtina vlli, quod vtraque maxilla dentatum non eſt*. Gazæ & Scaligeri verſio in quibus diſcordent.

Et

Et in commento hæc habet. *Theodorus* (ſcilicet Gaza) *incurrit imprudens in ambiguam orationem: ait enim inteſtinum rectum nulli: at hoc falſum eſt: habent ea quoque inteſtinum, quod rectum vocatur. Eam perplexitatem vt vitaremus, transferremusq. ad Ariſtotelis ſententiam, plurali numero poſuimus.*

Bene monet *Scaliger*, pluribus erroris anſam eſſe potuiſſe hunc Latinum *Ariſtotelis* textum, arbitrantibus inteſtinum vltimum, quod *Rectum* ſolemus dicere, nulli animalium conceſſum fuiſſe, cui non æquè ſupra atque infra dentes adſint. Quod equidem eſt falſiſſimum. At quid *Gaza* faceret? qui verbum verbo, quod ingenuum decet interpretem, reddidit, & ſingularis numeri vocem Græcam *Ariſtotelis* εὐθύτερον, & ipſe ſingulari numero protulit, & *Inteſtinum* potius, quam *Inteſtina* exprimere maluit. Aſt vt etiam hoc *Scaligero* donemus, ſatius eſſe inteſtina recta quam inteſtinum hìc interpretari, vt amphibologia euitetur. Neſcio tamen, quam & hoc verum eſſe poſſit. Quaſi verò inteſtina potius recta, quam vt ſinuoſa volumina, in ſpiras collecta, ſint illis animantibus, quæ dentibus ſupernà infernaq. maxillà decorantur. Suem ſi velis, inſpicias, vtrinque dentata hæc beſtia eſt. Et in qua alia plures quæſo inteſtinorum gyros, aut minoris illa rectitudinis tamen ineſſe conſpicies? Quod enim hic *Ariſtoteles* innuere velle videtur, alijs, quæ ſunt ruminantia, & non vtrimque dentata, animalibus appendices, quas ipſe ἀποφυάδας vocat, in inteſtinis eſſe: eòque forſan minus recta. Ego mehercle, quid ipſe his verbis inſinuare voluerit, non capio, neque enim *appendices* tales in *Vitulis* aut *Hædis* vnquam deprehendi, aut magis curua inteſtina, quàm in ſue eſſent, animaduerti. Æquum fuerat à Scaligero eaſdem nobis potius appendices explicari, quàm in vocularum quarundam, Grammaticorum more, enucleatione hærere, quæ pleriſq. legentibus tædium, Naturæ verò ſtudioſis etiam incommodum, & temporis iacturam adferre ſit ſolita. Ignoro igitur, & mecum, vt exiſtimo, *Scaliger*, quid *Ariſtoteli* in mentem venerit, quando ſola animalia vtrinq. dentata habere inteſtinum vel inteſtina recta, ſcriptum reliquit. Verùm de hac re ſupra etiam, dum de *Lupo* & *Gulone* ſermo nobis eſſet, aliquid diximus: quæ ob voracitatem animalia falsò à nonnemine putantur vnicum rectumq. à ventriculo ad podicem protenſum inteſtinum obtinuiſſe. Appendices in inteſtinis haud alias facilè reperies, niſi *Cæcum* ſic dictum inteſtinulum has ſuppleat. Verùm hoc, vt nec rectitudini aliquid addit, ſic neque ſpiris gyriſq. quippiam detrahit. Inteſtinum autem illud, quod tritâ iam voce *Rectum* appellamus, non tam in vtraque, quàm vna parte dẽtatis certo certius exiſtit, & *Scaliger* quoque faſſus eſt. Cum interfectum enim nuper à lanione vitulum, exhauſto prius omni ſanguine, viſceribus poſtmodum cunctis atque inteſtinis exemptis, quadrante etiam poſt mortem horæ contemplarer, non muſculoſam tantummodo ventris inferioris carnem trementem ac vibrantem conſpexi, ſed inteſtini quoque recti vocati portionem eam, quæ relicta fuerat, manifeſtiſſimo, reciprocante ac conuulſiuo motu deſcendentem & aſcendentem, muſculo ſphyncterem ſe ipſum motitante, in mortuo & exenterato iam animali prorſus ſum admiratus.

Siue inteſtinum rectum ſiue recta veritas, vtrimque lapſus & error eſt.

Ignoratur cur Ariſt. dixerit ſolis animalibus vtrinque dentatis eſſe inteſtina recta.

Narratur hiſtoria de vitulo mortuo, in quo aliquæ adhuc partes mouebantur.

QVA-

QVAVHTLA COTMATL. QVAPIZOTL.

Aper Mexicanus.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

VT ex figura coloribus inducta videre licet, Aper hic est: non Sus domesticus: Setas enim habet (si coniectura & pictura aliquid valent) hirtas valde, hirsutosque pilos, colore ad fuscum spadiceum tendentes. Inter collum dorsumque albicans linea, adinstar fasciæ seu collaris circumducitur. Ab hac vsque ad oris apicem sub collo albicantes setæ, sed circa aures nigriores. Rostrum ipsum cruentum, & rictus rubet, non eminentibus tamen illis, veluti in nostratibus Apris conspiciuntur; recuruis dentibus. Cætera rostri pars nigricat. Dorsum & clunes quoque nigri, albent pectus & latera. Bisulci, sicuti in Vrbanis suibus, pedes. Cauda vix visibilis. Sed quod maximopere admireris, ac præter Naturæ seriem contigisse dicere queas, nec vllis alijs in bestijs animaduertas, est: quod animal hoc protuberantiam quandam in dorso sortitum fuerit, eminentem apprimè, & detruncati formà intestini conspicuam: & hanc in dextra quidem sui parte, prope spinam dorsi sitam, clunes scilicet versus, perpendiculariter genitalis masculini potius, quàm vmbilici regioni, in venire adesse porcis soliti, respondentem.

SCHOLIA EIVSDEM.

SI præcipuæ magnitudinis illa, & eximiæ formæ *Vacca* in *Sabinis* nata, *Seruio Tullo* regnante, atque in *Auentino* monte *Dianæ* immolata, *Romano* valuit Populo totius Italiæ Imperium promittere, vt superius etiam ex *Valerio Maximo* recitaui; non miror, si *Scrofa* quoque longè prius *Æneæ* cum socijs

Cæcæ gentilitatis ex Vacca & Sue vaticinia.

circa *Laurentem* agrum, cum eandem ibi triginta enixam porcellos reperiſſet, augurari potuit, tot errorum ac laborum ſuorum requiem, & futurum tam ſibi in *Italia* regnum, quàm *Aſcanio* ſuo elapſis triginta annis *Albam longam* ædificandam. Quos illi annos, vt Poeta habet (erat enim cæca Gentilitas vaticiniorum ſcientiæ, & futilibus eiuſmodi præſagijs plus quàm deditiſſima) triginta iſti porcelli præſagiebant. Non ineptà forſan coniecturà, & meà quidem, hoc ego addidero: eundem porcellorum numerum, triginta *Latinorum* Vrbes ſignificaſſe, in quas ſingulas *Albani* Colonias (quas inter *Roma* quoque fuit) miſerunt: *Alba* tamen *longa* à *Roma* poſtmodum deſtructa legitur, vt non præter rem dictum fuerit, *à filia matrem interemptam eſſe*. Sic autem per Somnium *Tyberinus* Deus *Æneam* 8. Æneidos alloquitur, idemque, quod Æneid. 3. olim *Helenus*, vaticinium de Albana ſue recantat.

Sus Alba originem Albæ longæ dicitur dediſſe.

Vaticiniũ Aeneæ in ſomno datum de Sue alba.

Expectate ſolo Laurenti, aruiſque Latinis,
Hìc tibi certa domus, certi, (ne abſiſte) penates,
Iamque tibi, ne vana putes, hæc fingere ſomnum.
Littoreis ingens inuenta ſub Ilicibus Sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba Solo recubans, albi circum vbera nati.
Hìc locus vrbis erit, requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis Vrbem redeuntibus annis,
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

De hac re *Propertius* quoque lib. 4. Eleg. 1.

Et ſtetit Alba potens, albæ ſuis omine nata,
Hac, vbi Fidenas longa erat ire via.

Cur Sus illa Iunoni ſit immolata.

Quemadmodum autẽ *Vacca* illa opima *Dianæ*, ſic nobilis hæc Sus *Iunoni* ſacrificabatur, Æn. 3. ex Heleni item Vatis imperio. Teſtatur Poeta in 8. Æneid.

Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſiluam cum fœtu concolor albo,
Procubuit, viridique in littore conſpicitur Sus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno
Mactat, ſacra ferens & cum grege ſiſtit ad aram.

Primo vt ipſam Aeneas placaret.

Duplici autem ratione Iunoni hanc hoſtiam importatam à Troiano Vate crediderim, tamq. ſeriò Lib. 3. eius Poëmatis inculcatam. Imprimis vt eius, Troianis ſemper infenſæ beneuolentia conciliaretur: deinde vt Terram illam, ad quam poſt tot diſcrimina rerum appulerant, propitiam ſibi ac frugibus ferendis vberem & idoneam redderent. Per *Iunonem* autem Terram ſignificari notius eſt, quàm vt hìc demonſtrem. Vnde *Virgilius Iouem* per *Æthera* deſignans, in coniugis *Iunonis* gremiũ *Tellurem* inquam ipſam, deſcendere ita canit.

Secundò vt terram eam ſibi proficuam per quam Iuno denotatur, redderet.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Coniugis in gremium lætus deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno commiſtus corpore fœtus.

Terræ autem porcà facere ſolebant antiqui, quod *Goropius* quoque lib. 9. in ſuis *Veneticis* & *Hyperboreis* obſeruauit, quò fœcunditatis illam admonerent, & ipſa non minùs benignam ſe cultoribus, quàm Sus nutricantibus ſe præberet.

Cum

Cum hoc animal ex immundo, viliſſimoque victu, copioſiſſimam, ac ſuauiſſimam (humanæ quoque ſua temperie æmulam, ſi *Galeno* credimus) carnem reddat: ſemen ſimiliter tam multiplici reſtituat fœnore, vt plures, quàm vix vllum aliud animal, fœtus producat. *Æneæ* certè *Scrofa* triginta vno partu ejecerat. Quocirca *Terram* veteres precabantur, vt pro ſtercore & ſeminibus, quæ ipſi committuntur, vberrimam ſemper meſſem refunderet, & auaris agricolarum votis hilariter reſponderet.

Cur prima in latio ab Aenea cõdita vrbs Troia dicta fuerit.

Quid ſi euicerim ego, primam ab *Æneâ* in ſuo ad *Laurentem* agrum atque in *Latium* aduentu, vrbem ædificatam *Troiam* fuiſſe appellatam? non tam ad deſtructi *Ilij Troiaque* memoriam conſeruandam, & ſpem ſocijs noui fundandi imperij conciliandam, quàm ad huius ipſius *Porcæ albæ*, quæ laborum finem impoſuerat, celebrandum honorem, & agri præſentis fertilitatem indicandam. Ridiculus forſan videri potero, non tamen importuna non omninò & friuola locutus. *Æneam* imprimis ſtatim poſt ſuum in *Laurentinum* agrum acceſſum, *Troiam* ædificaſſe *nouam*, præter quamplurimos alios authores ſunt *Liuius* & *Virgilius*, hic quidem lib. 10. vbi *Venus* ad *Iouem*.

Muris iterum imminet hoſtis
Naſcentis Troiæ.

Et mox *Iuno Veneri* reſpondet,

Indignum eſt, Italos Troiam circumdare flammis
Naſcentem?

Liuius verò lib. 5. *Troianos, Ab Sicilia,* inquit, *claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Troiæ huic loco nomen eſt. Ibi egreſſi Troiani, vt quibus ab immenſo prope errore nihil, præter arma & naues, ſupereſſet, cum prædam ex agris agerent, Latinus rex Aborigineſq. qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim aduenarum armati ex vrbe atque agris concurrunt.*

Philippus Cluuerius exactiſsimus Coſmographus.

Vult autẽ *Philippus Cluuerius Germanus*, (cui neq. noſtra tẽpora, neque priora ſecula tulerunt Coſmographię ſtudio magis addictum) in ſua *Italia antiqua*, hanc nouam *Troiam* non fuiſſe aliud, quàm quod nos *Oſtienſe* vocamus opidum antiquiſſimum nempe, & minimè ab *Anco Marcio*, vt pleriq. tradũt hiſtorici, exſtructum: ſi modò non ſit fabula penitus, quod ipſe & *Goropius* arbitrãtur, de *Æneæ* in *Italiam* aduẽtu, & rebus ibi geſtis, ad ſimilitudinem rerum *Euandri* conficta.

Hic probat Oſtiẽſe opidum fuiſſe illam Troiam.

Vult igitur *Oſtiæ* originem eſſe antiquiſſimã, multis ſęculis ante Romanorũ Regem *Ancum Marcium*, ab *Euãdro* potius primo *Romanorũ* Rege conditã, poſtquã is pulſis *Siculis* Romã Vrbẽ occupauerat, cui tunc Portũ hunc ſtruere voluerit.

Troia hæc ob Scrofæ nominis agnationẽ conditam fuiſſe.

Sed quam veriſimilitudinẽ habeat, *Aeneam* ſuam nouam *Troiã*, ad Scrofæ illius memoriã ita vocare voluiſſe, nunc videamus. Quę non alia certè erit, quàm ipſa vtriuſq. nominis cõmunitas & cõgruentia. *Troia* enim tam *Cimbricà* illa antiquà *Phrygiàq. Troianorũ*; quãm adhuc *Belgicà*, *Gallicà*, & (quod mireris etiam) vulgatiſsimà *Italicà* linguà hodieq. aliud nihil ſonat, quàm *Scrofam*. Et qui ſe falſo *Meſſalæ Coruini* titulo ornauit, quò ſua Lectoribus veluti antiquiora imprudẽtibus obtruderet. Suem apud *Latinos* antiquitus *Troiam* quoq. fuiſſe dictã, ab occultioris antiquitatis perito aliquo homine probè didicit, quãuis antiquiſsimam veramq. vocis originẽ ignorauerit. De quà, qui plura velit, *Goropiũ* ſuadeo adeat, inuenietq, *Trou* dictione *Cymbricà* & *Germanicà* linguà, *fidum* ſignificari;

Troia enim in pluribus linguis idẽ ſonat quod Scrofa.

cumq. nullum animal beneficium fidelius restituat, quàm *Sus*, ideò *Troiam* vocatam fuisse. Qui autem veriorem *Troiæ* huius tot linguis adhuc vsitatissimam Etymologiam afferre nouerit, id per me licebit, audacter faciat, cui fideliter gratiam reponemus.

Fieri itaque non sine maturi consilij ratione potuit, vt *Troiani* triginta annis priùs quam *Albam*, ab *alba sue* denominatam, conderent: *Troiam*, primam suam mansionem ab ipsamet hac *Scrofa* siue *Troia* denominatam, exædificarent, simulq. *Scrofa* eàdem *Terræ* immolatà, hanc precarentur, vt sibi & propitia foret ac fœcunda. Quantum autem honoris prisci illi gentiles veriore Euangelico lumine cassi, *Terræ* impenderint, ab eaque emolumenti, dum *Suem* prægnantem ipsi immolarent, sperauerint, & ideo *Magnæ matris* & *Bonæ Deæ* titulo ipsam insigniuerint, *Cornelius Labeo* apud *Macrobium*, Saturnal. lib. 1. cap 12. nos docet, cuius verba, cum hoc meum egregiè illustrent argumentum, huc adferre necesse duxi. *Affirmant quidam*, inquit Macrobius, *quod Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res diuina celebratur, terram esse: hoc adeptam nomen, à magnitudine: sicut & mater Magna in sacris vocatur, assertionemque extimationis suæ etiam hinc colligunt, quod Sus prægnans ei mactatur, quæ hostia est propria terræ. Et Mercurium ideò illi in sacris adiungi dicũt: quia vox nascenti homini terræ cõtactu datur. Scimus autem Mercurium vocis & sermonis potentem. Author est Cornelius Labeo, huic Maiæ id est terræ, Ædem Calendis Maijs dedicatam sub nomine Bonæ Deæ, & eandem esse Bonam deam & terram, ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Hanc eandem etiam Bonam, Faunamq. Opemq. & Fatuam, Pontificum libris indigiari. Bonam quòd omnium nobis ad victũ bonorum causa est, Faunam, quòd omnium vsui animantiũ fauet: Opem quòd ipsius auxilio vita constet: Fatuam à fando, quòd (vt supra diximus) infantes partu editi, nõ priùs vocem edunt, quam attigerint terram. Sunt qui dicant hanc Deam potentiã habere Iunonis: ideoq. regale sceptrum in sinistra manu ei additum. Eandem alij proserpinam credunt, porcàque ei rem diuinam fieri: quia segetem, quam Ceres mortalibus tribuit, porca depasta est.*

Macrobij locus de Terra & magna matre.

Næ isti *Æneadum* Soboli *Iuno* seu *Tellus*, pro mactata sibi *alba Sue* cum triginta filijs, vberrimum fructuum omnium & vinorum maximè cornucopiæ in *Latio* vniuerso, *Albano* tamen præcipuè agro, hactenus rependit. Sunt enim duo hodieque loca, *Albanum* nunc dictũ opidum, & *Castellum Gandulphi* appellatum, vinorum suauitate celeberrima, *Dionysius Halicarn.* lib. 1. his verbis depinxit. *Subiecti autem vrbi (Albæ longæ nimirum) sunt campi, amœnitate admirandi, omnis generis frugum fertilissimi, nec cedentes vlli agro Italiæ, præcipuè bonitate vini suauissimi, & pulchri coloris, quod Albanum vocant: præcellens omnibus reliquis, si Falernum excipias.* Atqui, cùm *Falernum* nunc nobis forsan desit, primas *Albano* & *Castelli Gandulphi* iure, dederis, quæ ipsum etiam superorũ nectar si vllum esset, superare mihi videntur. *Martiali* sanè, *Iulæo* in monte, hoc est *Albano*, in quo *Iulius Ascanius Albam* suam extruxerat, *vinum Albanum* his versiculis celebratur.

Loca circa Albam longam. Albanum præcipuè & Castellum Gandulphi amœnissima & fertilissima.

Vina hic suauissima.

Veteribus celebratissima.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iulæo, quæ sibi monte placet.

Et Horatius Carm. lib. 3. ode 11. quà *Phyllidem* inuitat ad epulas die Natali *Mæcenatis*,

Est

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus.

Dioscorides etiam lib. 5. cap. 10. primas *Falerno*, secundas *Albano* dat, inter Italica vina. Et *Plinius* lib. 14. cap. 4. Diuum Augustum, *Setinum* cunctis prætulisse, secundam nobilitatem *Falerno* tribuisse, in tertiam palmam *Albana* venisse, vrbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Sed prioribus hoc tempore vel abrogatis, vel dignitate & excellentiâ illâ orbatis, sola *Albanis*, viciniſq. locis, natis gloria remansit. Hæc enim tam ad conseruandam, quàm recuperandam valetudinem, reliquis omnibus præferuntur. *Castelli* præsertim *Gandulphi* vina nectareâ suauitate, laudabili substantiâ, gratissimo odore, nec tenuia planè, & exilia, nec fortia admodum, aut cerebrum obnubilantia, tam Principum hoc tempore omnium mensas ornant, quàm lapsum fractumq. conualescentium appetitum prouocant, instaurant, confirmant.

Albanum saporeNeapolitanis Siculis, & Calabris, præstat vinis.

Et sanè *Albano* primas deberi, vel hoc me mouet: quòd cùm ante complures iam annos *Neapoli* ab Illustriss. *Bartholomæo Posinski*, veteri mihi familiaritate iuncto, Sereniss. tum *Poloniæ Regis* ibidem *Internuncio*, prandio exciperer splendido & opiparo: summa ibi gloria *Albano vino*, conuiuarum omnium calculo delata fuerit. Hoc siquidem ipse, honoris ac saporis iucundioris gratiâ *Neapolin Româ* quotannis itinere maritimo conuehi iubebat, quod eius quoque temporis *Prorex Dux Beneuentanus*, libentiùs quàm vllum *Campaniæ felicis* vinum, ex memorati *Internuncij* instructissima vinaria cella petitum quotidie mensæ adhibebat.

Bartholomæus Posinski Regis Poloniæ Neapoli Internuncius.

Hoc enim nõ *Asperinum* modò, lõgis post se parasangis relinquebat, illi vino simillimũ *Aricino* nẽpe, quod nõ sine ratione & ioco Regis Pyrrhi olim legatus *Romam* proficiscẽs, ob acrimoniã & austeritatẽ meritò tam altâ cruce (*vlmorum*, in quibus pendent vites; proceritatẽ intuens) dignum dicebat, sed principibus illis quoque vinis inuidiã conciliabat: *Græco* nimirũ Campano *Vesuuij* filio, *Magnaguerro* Campano, *Beluedero* Calabro, *Syracusio* Siculo, *Vernaccio* acriũ dentium, & minacis vultus, Calabrorũ illi fortissimo; *Chiarello* auricomo, & *Centulæ* huius sorori, *Græco Pausilypo*, *Lachrimæ* Coccineæ, purpuræ illi potabili & roseo nectari. Ne quid de minorum gentium, & dictorum pediſsequis memorem, *Græco Ischiæ* domino, *Scalea* Chiarelli simia, *Massicanis*, *Vernoticis* & *Surrentinis* de quibus vltimis hæc *Plinius* lib. 14. cap. 6. *Surrentina conualescentibus maximè probata propter tenuitatem salubritatemq. Tiberius Cæsar dicebat consensisse Medicos vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin esse generosum acetum. C. Cæsar qui successit illi, nobilem vappam.* Et demum de *Falagnina*, *Puteolorum* incola, quod vini genus tamen ad mirabilem *Albani* nostri suauitatem vtcunque accedere mihi videbatur. Vina profectò in eo conuiuio omnia erant præstantissima,

Catalogus præcipuorum in Regno Neapol. vinorum.

Puteolanũ vinum Falagnina, vulgò dictum, Albanum aliquo modo æmulatur.

Sed Latio huic nostro tantùm cessura Lyæo.

Atqui loca illa, circa quæ nunc *Castellum Gandulphi* situm est, non vinorum modò prestãtia, sed duabus alijs prærogatiuis celeberrima mihi semper visa fuerunt. Quarum primam dicam, quòd *Romani Imperatores*, periti voluptatum Architecti, *Nero* præsertim ac *Domitianus*, his ceu secessu amœnissimo vsi fuerint. *Dio* & *Suetonius* in vita huius referunt, ante imperium dum patrem metueret,

Castelli Gandulphi encomiũ.

Hic locus ab Imperatoribus olim Romanis æstimatus.

hìc eum sæpius egisse. Post adeptum verò Imperium hunc locum sub *Albano monte*, ceu arcem, sibi delegisse, *Quinquatria* hìc magnificè celebrasse, *Mineruæ* hìc collegium instituisse, certamina poetarum, oratorum, & gladiatorum exhibuisse: venationes agitasse: centenas, varij generis feras, sæpe in hoc secessu *Albano* confeciisse: & scenicos ludos libenter spectasse. Quare & *Amphitheatri Coliseo* vulgò dicti, non paruæ quædam ruinæ non ita pridem eo loci visebantur.

Nũc quoque ab VRBANO VIII. Pont. Max. amatus.

Altera, nec minor, *Castello* huic *Gandulphino* dignitas accessit, ex prætorio seu *Villa*, nõ sumptuosissima quidem illa, sed amœnissima, quam ibi *Maffæus, Cardinalis Barberinus*, iam pridem exstruxit. Ad quam non rarò ab VRBE, vt animum grauioribus, publici boni causâ, studijs curisq. distentum relaxaret, & in secessu illo DEO magis sibique vniretur, recessit. Iam verò *Summus Pontifex VRBANVS VIII.* Orbis felicitati natus, *Romanæ Vrbis* & Dominus, & totius Christiani Imperij Fideique *Arbiter* datus, eandem amare pergit meritò, & nitidissimè instaurare.

Magnum sui præconem inuenit.

Sed quem præstantiorem ego locorum eorundem, antiquæ præsertim ALBÆ reliquiarum, Encomiasten, quàm hunc ipsum *Principem* indagauero? Qui inter Poëmata sua diuina, nouo ausu non adfecta & tentata modò, sed felici adeò conamine (quod ante ipsum Latinorum poetarum nemo est assecutus) ad PINDARI æmulationem perfecta, vt viam quidem posteris strauerit, sed qui pari cum ipso passu eandem decurrat, reperturus sit neminem: Inter poemata inquam hæc (curantibus omni eruditione clariss. viris, Amicis meis, *Ioanne Baptista Lauro, Sanctitati suæ ab interiori cubiculo* & *Ioanne Barclaio*, vt publici iuris fierent) elegantissimo carmine epico ad rusticandum secum in eadem Villa inuitat *Laurentium Magalottum*, tum vtriusque Signaturæ Referendarium, nunc verò ob excellentissimas animi dotes, numero Purpuratorum Patrum adlectum: cui & ego religiosum me cultorem profiteor, quòd etiam mearum aliquas prælectiones publicas in *Athenæo Romano*, cum non paucis alijs, *quos iam sacra Purpura vestit*, præsentiâ suâ cohonestare voluerit. Vt igitur *Melle Barberino* acidiusculum & amarum hunc meum scribendi stylum leniam, adeoque γλυκύπικρον quoddam condimentum efficiam; *Apis* instar, ex poemate illo cedro auroque dignissimo, paucula quædam delibabo, & beneuolo Lectori ita saliuam mouebo, vt libellum hunc ipsum, non minùs, quàm ego feci, auidis percurrat luminibus, animumq. hoc nectare pascat, gratias mihi, ob indicium, certissimò debiturus:

Laurẽtius Card. Magalottus, eminentissimarum ingenij dotium Princeps.

Melle Barberino authoris stylus dulcorandus, & simul Castelli Gandulphini laudes decantandæ.

Ex diuino Maffei Cardinalis Barberini poemate sequentia, sunt desumpta.

Arua madent pluuijs, & amabilis aura calores
Iam fregit, celerisque fuga se proripit æstas,
Rura vocant, latisque patens in collibus aër.
Hìc recreor, spatiorque libens, vbi libera longis
Lumina metiri gaudent obtutibus agros:
Hìc reficit corpus vires, seniumque moratur,
Hìc bona sollicitam tranquillant otia mentem.
Si MAGALOTTE placet, tristes deponere curas,
Quà lacus Albanus vitreis diffunditur vndis,
GANDVLPHI Pagus veteris pars altior ALBÆ,

Excipiet

Excipiet lare nos modico, qui ſufficit vſus,
Quos paruo contenta petit Natura; ſuperbæ
Non ædes, animi requies facit vna beatos;
Hanc, tibi quæ cordi, ſolùm parat ardua virtus.
Huc igitur ſecede, bonis quæ detulit anni
Hora, parenſque ſuà tellus dat ſponte, frueris.

Atque vbi hìc varias, quibus oculos ſimul ſpectator, & animum exhilarare poſſet, enumeraſſet delicias rurales; ex alto veluti proſpectu vicinarum diuitias vinearum camporumque, & circumiacentia, veteribus Hiſtoricis decantatiſsima loca, oſtendit, & oculis quodammodò ſpectanda repræſentat:

Mox gradiens vario quà tramite diuidit hortus
Areolas, miſtoque olerum florumque colore
Pingit humus, nemoris gratas aſcende per vmbras,
Eſt vbi montis Apex, capiet te mira voluptas:
Si circumſpicias, aſpectu videris vno
Oppida, camporum tractus, ſyluaſque comantes,
Paſcua, clementes colles, vineta, lacumque,
Et maria, & montes, auguſtaque mœnia ROMÆ.
Nunc age, ſolertes protende per omnia viſus.
En propè ſubiectis vites in collibus vuam
Obijciunt oculis, oſtro quæ certat, & auro,
Et latices fundit, referunt qui vina Falerni.
Oſtentat Pomona ſuos ex arbore fœtus,
Quæque fluant muſto promit ſua prælа Lyæus.
Aſpice planitiem, gregibus quæ grâmina paſſim
Exhibet, & latè campos quos præbet arandos,
Vt largà Tyberis diteſcant horrea meſſe,
Quæ populum reſerata beant ſub PRINCIPE PAVLO.
Hinc etiam diffuſa procul maris æquora cernas,
Quæque ferunt celeres albentia carbaſa puppes:
Longiùs aſſurgunt altæ faſtigia rupis,
Quam Circe tenuit: pelagi ſe prodit ab vndis
Pontia, nunc dumis horrens & inhoſpita; quondam
Chriſtiadum exilijs celebris, cùm dira premebat
Sæuities CHRISTI cultum, vicinus in auras
Prominet Albanus vertex, vbi cæca Quiritum
Eſt ætas operata Iouis Latialis ad aram:
Ardua Soractis ceruix, vt in aëra fertur?
Apparent Cimini montes, colleſque Sabini,
Et iuga Samnitum ſummas æquantia nubes.

Locorum circa Albam longam amœnitas & fæcunditas.

Cumque gratiſsimas frondoſarum arborum vmbras, & ſiluarum commoda, deſcripſiſſet, pergit porrò ligata ſtrictaque oratione illa enarrare, quæ amplo diffuſoque ſermone *Liuius*, *Dionyſius*, alijque Hiſtoriographi de *Albanorum* principijs, geſtis, & ſucceſsibus pertexunt; quæ quoties lego, denuo relego, immen-

mensamque inde alacritatem haurio, quam nec Lectori inuidebo, cùm hoc præsertim Poëma non omnium manibus teratur:

Eorundem ex antiquis historijs descriptio.

——— *Nemus hac petitur, speculumque, Dianæ:*
Hoc lacui nomen fecit, quæ pura liquentis
Lympha vitri speciem referens sinuatur in orbem.
Abditus hic inter syluas est creditus æuum
Hippolytus duxisse, nouo de nomine dictus
Virbius, auxilio Triuiæ reuocatus ad auras
Æthereas: arcebat equos hinc vana vetustas,
Quòd pauidis abreptus equis per deuia letho
Sit datus Hippolytus. Valeant insomnia Pindi,
Vt veterum quæ vera virùm iucunda recursant
Mentibus apta facem rebus præferre gerendis:
Hinc oriens primùm Romana potentia fluxit,
Post varios casus, dubijque pericula Martis:
His Pater Æneas profugus consedit in oris,
Quem tandem rapiens absorbuit vnda Numici.
Filius Ascanius constructis mœnibus Albæ
Dat Regum seriem, quorum de sanguine felix
Romulus auspicijs æternam condidit vrbem.
Linquimus Ægeriæ lucum, quo prouida virtus
Aucta Numæ, populumque rudem, belloque ferocem,
Formauit studio pacis. Non funere fratrum
Territus hìc ternos prostrauit Horatius hostes.
Immodicis Albanus aquas lacus auctibus olim
Extulerat, nullis manantibus æthere nimbis:
Si ripis emissa, maris non influit æquor
Vnda lacus, Delphis inquit consultus Apollo,
Romani capient obsessos milite Veios:
Permeat hinc subiens cæsi per viscera montis
Iugis aquæ riuus. Species ambesa Theatri,
Stirpibus innatis squallet, quater hostibus Alba
Ludibrium iacuit, densis en obsita dumis
Regia, quam posuit Romani Flauius hæres
Tertius imperij, fastu qui turgidus egit
Hìc annos epulas inter, mimosque loquaces,
Delicijs fractus. Iactet nunc stemmata gentis,
Ignotos extrema dies insignibus æquat:
Ingentem subitus syluam cum corripit ignis,
Confundunt Cineres quercus, humilesque myricæ:
Mitte superuacuum cultum, curisque solutus
Eripe te rerum strepitu. Sibi viuere dulce est.
Viue DEO, tibi sic viues, te sola sequentur.
Post cinerem benefacta, rapit reliqua omnia lethum.

O in-

O insigne & DEO, & tanto Principe dignum epiphonema: *Viue DEO, tibi sic viues*! præter hoc enim omnia momentaneus quidam fumus sunt: & inanis vmbra rerum.

Ad Campos autem illos sub *Alba longa*; Cereris, Pomonæ & Bacchi diuitijs ac delicijs affluentes, opidum illud maximè spectat etiam, quod nunc *Albanum* appellamus, non procul ab *Aricia* veteribus nominatissima, & 13. circiter millia passum à *Roma* distans: quod non nostri modò æui homines (vt *Cluuerius* obseruauit) sed iam inde CCCC. circiter annis post natum IESVM, *Eutropius*, tum *Seruius*, & alij idem esse opidum, quod Ascanius relicto *Lauinio* olim exstruxisse dicitur, & *Albam longam* nominauit, existimarunt. *Hodie etiam*, inquit Cluuerius, *ipsi Albani opidi incolæ adeò persuasum habent, opidum suum esse veterrimam illam ALBAM longam, vti etiam super portam, quæ Romam versus emittit, lapidem imponi curauerint, cui Sus illa cum 30. porcellis incisa. Verùm prisci illi mortales, & nostri huius seculi homines, præcipuum opinionis suæ argumentum, ex his Liuij sumpsisse videntur verbis; Vrbem sub Albano monte condidit. At vnus hoc tradit Liuius, reliqui omnes in monte conditam affirmant.* Hæc *Cluuerius*, qui nescio an picturâ potiùs, quam sculpturâ porcellos illos 30. expressos, & portæ impositos dicere debuit. Cæterum suam pluribus fulcire, mihi videtur & rationibus, & authorum testimonijs, opinionem.

ALBANVM nũc dictum opidũ & nunc & olim ab aliquibus creditum fuisse id quod ALBA LONGA dicebatur.

Cluuerius hoc in sua Italia antiqua luculenter cõfutat.

Dionysius certè *Halicar.* lib. 1. *Albam longam* exstructam esse testatur iuxta montem, & lacum Albanos, ita vt medium inter vtrumque obtineret spatium; ac veluti muri vterque vrbem tuerentur, ne facilè caperetur. *Nam & mons admodum altus est*, inquit Dionysius, *& lacus profundus ac magnus*. Quare ex *his verbis* situs *Albæ longæ*, non potest esse nisi omnibus notissimus, quæ dici potuit à *Liuio sub monte fuisse ædificata*, quòd reuera ab his tumulis, siue montis dorso, in quo erat *Alba*, adhuc montis iugum altiùs ascendat: & tamen rursus in monte eadem dici potuit fuisse collocata, si ad circumiacentes, & dorso hoc longè humiliores amœnissimos campos respicere quis velit. Cùm verò hodierni *Albani opidi*, quod ad *Viam Appiam* est positum, non sit hic situs, quia *Alba* olim ad orientalem lacus ripam supra prædictum *Albanum* opidum collocata erat; iam quilibet facilè cognoscet, hic vbi *Albanum* nunc est, ibi *Albam* olim veterem minimè fuisse.

Argumenta Cluuerij.

Probat item Cluuerius luculentis Ciceronis aliorumq. fide digniſſimorum testimonijs, vbi nunc *Albanum* est, ibi quondam CN. POMPEII VILLAM, ALBANVM (nempe rus seu prædium) POMPEII dictam, stetisse: & supra hanc POMPEII villam versus lacum, & Albæ longæ vestigia siue templa, P. CLODII villam & ipsam dictam ALBANVM; quæ omnia clariùs ex oratione *Ciceronis* pro *Milone* habita eluceſcunt. Quòd si quis existimet rudera illa, quæ circa recens hoc *Albanum* opidum reperiuntur, *Albæ veteris* reliquias esse, næ ille egregiè decipitur: Cum *Alba longa Tullo Hostilio* regnante, eodem *Dionysio* authore, solo æquata fuerit, cum 10. post ædificationem annos, XIII. demptis, stetisset, & triginta opidorum *Latinorum* mater fuisset, templis tantum Deùm ex ea ruina seruatis. Idem hoc *Strabo* lib. 5. affirmat, qui addit,

Vbi nunc Albanum est ibi olim CN. Põp. Villam fuisse.

post

post dirutam *Albam*, excepto templo, *Albanos* ciuibus Rom. adscriptos fuisse. *Plinius* quoque inter *Latij* opida, quæ eius ætate interierant, sine vestigijs, *Albam* nominat. Si alia, huic assertioni ex alijs scriptoribus, obijci posse videbuntur, his probè omnibus *Cluuerius* respondet, qui commodè adiri potest.

Paulus primus Albani Princeps, Bernardinus primus Aricię Dux ex antiquiss. & illustriss. Sabellorum prosapia.

Dominantur autem nunc *Albano* huic opido, & veterrimæ *Ariciæ*, *Paulus* ac *Bernardinus*; ex antiquissima illa Illustrissimaq. *Sabellorum* familia, pater ac filius, quorum hic *Ariciæ* primus *Dux*, ille verò Primus *Albani Princeps* audit, & FERDINANDI II. *Verè Pij ac Catholici* CÆSARIS AVGVSTI, apud *Summum Pontificem Orator*, vt Natalium claritudine, ita munificentiâ splendidissimus. Quem & ego, ob insignem eius erga me affectum & benignitatem, meritò colo ac veneror.

Sus Albana in marmore antiquissimo visitur.

Sed hìc non incommodum erit, si *Scrofæ* illius *Albanæ* Sciographiam cum aliquo saltem porcellorum numero (vt enim omnes adderentur, tam exiguum marmoris spatium prohibebat) expressam repræsentem.



Hanc ego *Iusto Ryquio Lynceo Gandauensi* debeo, viro in omni tam Græcorum quàm Latinorum Scriptorũ antiquitate versatissimo, quod præteralia *Capitolium* Romanum ab ipso scriptis erutum, restitutum, & vulgatum contestatur: & ob elegantiam tam versæ quam prosæ orationis celebratissimo, nunc verò Romæ *Federico* Principi *Cæsio* nostro, à cura Bibliothecæ. Hic enim primus antiquissimum hoc marmor, cui *Scrofa* hęc insculpta est, mihi demõstrauit, simulq. monuit: figurà hac *Suem* illam *Albam Æneæ* fatalem denotari; sibique videri, hunc eundem lapidem fragmentum esse, cuiusdam Arcus triumphalis, qui vni ex *Cæsaribus* illis Romanis à IVLIO originem trahentibus, ad antiquitatis ALBÆ veteris, *Romanæ Vrbis* matris, & nobilitatis ac stemmatis sui gloriam contestandam, erectus & dedicatus fuerit. Quapropter circa Scrofam hanc trium ocreatorum caligatorumq. militum, *Æneæ* puta sociorum, vestigia comparent, qui in *Laurente agro* hanc Suem primi circumsistant, & tantam porcellorum sobolem veluti rem insolitam, & Vaticinij exitum admirabundi contemplentur. Exstat hoc marmor è regione *Ecclesiæ S. Ioannis in Pinea* vt vulgò dicunt,

& an-

& angulum domus fulcit *Iulij*, ex antiquiſſima illa *Porcariorum* Romana familia oriundi, cuius maiores magnam ſimilium fragmentorum veterum ſupellectilem olim poſſidebant.

Nolo etiam Lectorem elegantiſſimo eiuſdem *Iuſti Ryquij* fraudare epigrammate, quo Suem illam Albanam luto penè obrutam, nitori & candori ſuo priſtino reddidit. Neque hac tantum de cauſa *Ryquio* meo plurimum debeo, quàm quod ab annis iam ſexdecim amicitiam meam ſanctè coluerit, cui rei & literæ ipſius ad me ſcriptæ, iamque in Centurijs eius Epiſtolicis editæ, & alia ſparſim in eius ſcriptis amoris erga me teſtimonia, abundè fidem facere poſſint. Epigramma autem hoc eſt.

Quiſquis adhuc priſcæ te Maiestatis amore
Oblectans, refugas, quæris in Vrbe notas.
Adſpice in hoc ſaxo Gradiuæ exordia ROMÆ,
Atque ALBANORVM condita ſceptra PATRVM.
Nimirum hæc illa eſt inuenta ſub ilicibus Sus
Littoreis, Phrygio quam cecinere Duci;
Alba, ſolo recubans, ter denos nixa, labores
Finijt, & longæ dura pericla viæ.
Stans humili contempta loco, ROMAM atque QVIRITES
Arguit, & Latiæ condita ſigna LVPÆ.
Debuit hæc potius TARPEIA ſede locari
Aut meriti iuxtà parte micare poli.
Nec tamen alterutras optet contingere ſedes,
Cum FABER, in Scriptis ſe videt eſſe tuis.

Aper Mexicanus tandem explicari incipit.

Ita profectò eſt (vt ibi tandem incipiam, vnde longo ſatis tramite diuerteram) quemadmodum *Plin.* lib. 11. cap. 3. ſcripſit. *Mihi contuenti ſe perſuaſit rerum Natura, nihil incredibile exiſtimare de ea.* Hoc eſt, vt ille ibidem inſinuare viſus eſt, & toties hucuſque ego inculcaui, non ſubitò rationibus, quæ bellæ etiam ſæpe vt nobis blandiuntur, ſic imbelles non rarò reperiuntur, fidendum, ſed quantum Natura valeat, videndum, & æqua prius lance ponderandum. Hoc, quod præ manibus habemus animal, rei huic fidem fecerit. Vtcunque enim hoc monſtrum maximum videri poſsit, vt paulo poſt probabo, monſtrorum tamen è claſſe eximendum videtur, quòd non *indiuiduum* (vt Scholæ loquuntur) ſolummodo aliquod, quod in monſtris contingit; ſed totum *genus* ſeu ſpecies huius, monſtroſitate illa per ſucceſsiuas *ſingularium* procreationes ita afficiatur. Legat, cui placet, *Ariſtot.* lib. 2. cap. 1. & *Plin.* lib. 11. cap. 42. vbi longo vterque ſermone animalium omnium partes pertexit, quæ tam Naturæ ordine eueniunt, quàm eiuſdem limites excedunt, & nihil tale, in noſtro hoc quod animali conſpicitur, ab ipſis obſeruatum fuiſſe comperiet. Optimè *Aldrouandus* lib. de Biſulcis: vix vllum animal eſſe magis diuerſum, quàm *Suem* animaduertit. Hunc imprimis enim *Ariſtot.* & *Plin.* non biſulcum tantum, ſed ſolipedem quoque eſſe annotarunt. Locus *Ariſtotelis* iam citatus clarus eſt. *Nam & in terra Illyriorum & in Pæonia*, inquit, *& nonnullis alijs locis Sues ſolipedes gignuntur.* *Aelianus* lib. 6. in *Macedonia* mutos eſſe, in

Dici poteſt monſtrum & non monſtrum.

Vix in vllo animalium genere maior eſt differentia quam in ſuibus.

Aethiopia

Aethiopia cornua habere, apud *Clazomenios* alatum exortum fuisse, qui agros illos vastauerit, scriptum reliquit. In Prouincia *Darieni* inter *Mexicum* iacente & *Perù*, caudis carent. In eodem nouo Orbe & in Insula *Cubagua*, nominatim vngulæ sesquipedali mensura excrescunt. In *Brasilia*, in vtroque elemento viuunt, id est, gramine pascuntur, & in aquis degunt. Eadem in regione *Hermaphroditæ* sues & sexum commutat insuper. Reperiri aiunt similiter Leonum colore, Leporinis dentibus, & qui molares palato quoque infixos habeant. In *Asia* & *Persida Europæis* nostris bobus maiores esse, quorum vnus dens molaris quatuordecim quandoq. pondo penderit. Ne hìc diuersorum mentio colorum fiat, aut piaculares recenseantur, qui superstitiosis olim Aruspicibus diuinandi ansam præbuerunt, duum pedibus, manibus, capite, aut alia humanis membris simillima parte nascerentur. Hæc videri apud *Aldrouandum* commodè possunt magis, & latius explicata, quæ ipse ex *Indicarum* Nauigationum, & terrestrium itinerum tomis collegit.

Quæ sequitur descriptio est F. Gregorij de Boliuar qui sæpè hunc Aprũ viuum & mortuum vidit.

Nunc, quem nos præ manibus habemus *Aprum*, si minus coloribus, verbis tamen *F. Gregorij* nostri *de Boliuar* potius depingamus, qui eiusmodi bestias & viuas & mortuas sæpissimè conspexit, & earundem tam interna viscera, quàm externam cum admiratione effigiem, veluti nobis fassus est, contemplatus fuit. Sequentem autem animalis descriptionem mihi fideliter communicauit.

Nomen huius Apri.

Porcus montanus siue Aper, quem Americani *Zaino* vocant, in montosis syluosisq. locis generatur, calidam tamen & humidam magis temperiem nactis. Nostratibus paulo minor hìc Apris est, ferox admodum & damnosus.

Locus vbi viuit.

Pascitur radicibus plerunq. in locis humidioribus paulo, nascentibus: & maiore qua potest solicitudine cuiuscunq. generis serpentes, ac bufones venenatos indagat.

Magnitudo eius.

Atque vbi horum aliquod animal reperit, prioribus illud pedibus apprehendit, capiti morsum dentibus infert, & vnguibus pellem serpentis aut viperæ quam dexterrimè, à capite ad caudam vsque dilaniando, excoriat, detrahit, carnemq. auidè vorat.

Victus ipsius.

Postea radicem, aut certæ arboris corticem sibi notum quærit; quem comedit, ne veneno inficiatur, & hac ratione optimè nutritur, crescit & augescit.

Mirum quid nulli animantiũ alteri concessum in hoc reperitur.

Mirum & singulare, quod *Aper* hìc obtinet, est: quòd intestina & ventris viscera contrario prorsus alijs animalibus situ obtinet, renes versùs nimirum reuoluta. Ita vt, quæ in ventris parte inferiore ac prona esse annexa deberent, superiori eadem potius ac supinæ, vbi spina excurrit, adhæreant: & quæ spinæ dorsi contigua esse nata sunt, hæc eadem inferiori in parte ventris situentur. Vmbilicus exit per spinam circa clunes. Et vtcunque satis arctè sit clausus, per ipsum tamen graueolens quidam halitus transpirat. Quare si quod animal eiusmodi mactatur, necesse est prorsus, vt confestim ipsi vmbilicus exscindatur, quod nisi mediæ horæ spatio fieret, esui haud amplius aptum animal foret, tam teter enim inde fætor efflatur, qui vix sufferri potest, & reliquam carnis massam omnem inficit.

Modus capiendi ipsum.

Venatores Aprum hunc & canibus capiunt, & sagittis conficiunt, qui acerrimè tamen se defendit & venatores æque ac canes grauiter offendit. Eorum incolæ locorum

huius

huius carnibus libentissimè vescuntur, lapida enim valde est, & pinguitudinis minimum obtinens, cum ex quatuor partibus, tres omnino macilentæ existant. Minimè pingu s est.

Hæc *F. Gregorius* non auritus, sed oculatus testis. Huic proximè accedit *Ioannes Lerius* in Nauigatione sua in *Brasil.* cap. 9. *Aper autem Americanus*, inquit, *quem illi Taiassou vocant, corporis mole, auriculis, capite, pedibus, atque ijs qui apud nos gignuntur, formà valde similis est, dentibus etiam & prolixis & acutis, vehementer damnosus: tamen cum macilentior existat & gracilior, frendeatq. terribiliter, illa quoque deformitate insignis. Habet à natura foramen in dorso, quemadmodum in capite Suem marinum habere dixi, quo spiritum emittit, admittitq. Ne quis verò illud prodigiosum existimet, Author Generalis Indicæ Hist. memoriæ prodidit, apud Nicaraguenses, qui non multum à Noua Hispania distant, Sues nasci, quibus vmbilicus in dorso est, qui procul dubio ad idem genus cum ijs de quibus hìc trado, reuocandi sunt.* Præter F. Gregorij alij authores de hoc scribunt. Lerius in Brasilia sua.

Huic *Hieronymus Benzonus Americæ* suæ *Parte* 5. adstipulatur, qui cum à portu *Achlensi* ad *Panamam* terrestri itinere cum socijs mercatoribus pergeret, & in monte aliquo ad mapalia quædam peruenisset. *Ab illis incolis*, inquit, *pane, piscibus fructibus, & aprugna carne (Apri autem illi Indici, seu agrestes Sues vmbilicum in dorso gerunt) donati; vicissim illos cultellis aliquot, & salis paulo remunerati sumus.* In annotatione ad hoc caput hæc leguntur. *Idem confirmant qui in Noua Hispania agrestes Sues viderunt. Idem de Migaraguensibus Apris scribit Gomara Hist. general. lib. 5. cap. 204. Neque dispares Brasilienses sunt, quas Barbari Taiassou vocant, de quibus Lerius in Nauigat. Brasilienſi.* Apud *Ramusium* vbi à familiari quodam *Ferdin. Cortesi, Noua Hispania* describitur, reperio hoc ipsum, ibidem Sues vmbilicum ad spinam dorsi sortitos esse. Apud eundem *Ramusium* eodem Vol. 3. *Ouiedus* in Summario Occid. Indiæ hæc habet. *Apros* ab Hispanis ad Insulas S. Dominici, Cubam, S. Ioannis & Iamaycam ab *Hispanis* conductos, multiplicatos quidem esse, verùm in *Terra firma*, vix audere nostros transportatos eò Apros, in syluis comparere, quod à *Tigribus, Leonibus* & *Ceruarijs Lupis* subito dilanietur, esse tamen quosdam etiã illarum regionum *Apros* indigenas, qui cum turmatim incedant, de eiusmodi animalibus rapacibus nihil pensi habeat. Qui tametsi caninis illis exertis dentibus careant, quales in nostris nouaculæ instar acuti, hominibus bestijsq. terrori sunt, mordacissimos nihilominus esse, & Canes sæuè dilacerare. Sunt nostris paulo minores, pluribus tamen pilis lanæ instar vestiti, vmbilicum in medio dorso gerunt, vngulas nõ partitas siue bisulcas habent, in cæteris cum nostris conueniunt. *Indiani* tam laqueis capiunt, quàm sagittis interficiunt. Hũc porcum *Chuchie* appellant. Quando *Christiani* mandram & agmen horum forte obuiam habẽt, subitò in cumulum aliquẽ lapidum, aut arboris truncum, trium modo spithamarum sit altitudine, se recipiunt, ex quo tranſeuntes hos Apros lancea aut iaculo feriant, quorum aliqui à canibus postmodum superati nostris præda fiunt, sunt autem damnosissimi, nisi venatores habeant, vbi se tutos sistant. Reperiuntur aliquando post partum absente matre eiusmodi porcelli, carne valde sapida, & magna eorum inuenitur ibidem copia. Hæc ex *Ouiedo*. Benzonus huius Apri meminit. Gomara idem facit, & Cortesi familiaris. Ouiedus idipsum cõfirmat.

Accedunt huc quoq. condimẽti loco, quæ diligẽtissimus *Iosephus à Costa* è Societate IESV, quarto loco Hist. Americæ libro annotauit. *Saynos animalia sunt*, inquit, *Apri formà vmbilicum in dorso gerentes. Horum in mõtibus integri grèges. Feroces admodum & frendentes nulli homini cedunt, sed obuios inuadentes quantùm possunt, lacerant.* Iosephi à Costa fidi tæ de hoc eodem testimoniũ.

dunt. Irritati ſetas vt nouacula, acutas erigunt, quibus inſectatores ſuos ſauciunt periculoſiſſimè, niſi ictus declinent. Hac arte capiuntur. Saynis ſe quis ſpectandum offert. Viſum illi rapidè inſectatur. Tum hic in proximam arborem ſuſſilit, & ad pugnam ſe inſtruit. Interim Sayni arboris radicem mordicus infeſtantes, rodenteſq. laborant, vt eam decutiant ſternantq. Qui in arbore eſt, telis aut miſſilibus extortis eorum quot vult, conficit. Victor prædam occupat. Caro eorum commodiſſima eſu eſt. Priuſquam tamen in cibum detur, Vmbilici tumore in tergo prominente præſecto, abiectoq. opus eſt. Niſi hoc fiat, vno die caro putreſcet ac corrumpetur. Fatemur quidem Saynos porcis ſimiles eſſe, ſed iuxta minores.

Hæc omnia cũ F. Greg. ferè deſcriptione cõueniunt, in paucis diſcrepant.

Atque hæc ſunt omnia, quæ ex varia ego rerum *Indicarum Occidentalium* hiſtoria, colligere teſtimonia potui, indubitatã narrationi noſtræ fidem adſtruentia: *Zaino*, ſiue vt Ioſephus ait, *Sayno* eſſe *Aprum* illum, cui vmbilicus non in ventre, ſed in dorſo prominet, quæ inter ſe tamen nonnihil variant: quamuis in hoc omnia conueniãt, vmbilicum circa dorſi ſpinam exiſtere. Nos interea *F. Gregorij noſtri* viginti quatuor annorum *Americæ* Incolæ, & vaſtarum non minus ſolitudinum, quàm cultarum vrbium habitatoris, relationi plurimum tribuimus,

In dẽtibus & cauda variant à noſtris Mexicani.

qui eiuſmodi animalia pluries vidit. De dentibus & cauda quãuis nullã iniecerit mentionẽ, apparet tamẽ quod paulo ante ex *Ouiedo* docui, in hoc *Apro* noſtro etiam caninos illos minaces dẽtes abeſſe. Et cum caudæ veſtigium vix vllum in hoc ipſo appareat, erit ex illorũ ſpecie forſitã, de quibus Petrus *Martyr* in Summario ſuo Occid. Ind. loquitur. In *Vraba Hiſpanos* fame adeò oppreſſos fuiſſe, vt & ex palmarum fructibus, & *Aprorum* carnibus ſe ſuſtẽtare cogerẽtur, quas magis noſtrorum porcorum carnibus ſapidas eſſe affirmabant: erat tam exigua autẽ eiuſmodi Apris cauda, vt prorſus abſciſſa iudicaretur. An verò etiã in dorſo vmbilicum ferẽtes porci, aliqui ſolidipedes ſint, quod Scriptorũ nõnulli aſſerũt, ego haud diſputabo. Noſter *Aper* certè biſulcus eſt, taliſq; à *F. Gregorio* hęc Icõ viſa, & vera iudicata fuit. Si autẽ noſtri orbis etiã Sues hanc differentiã, vt prius ex Ariſtotele docui, nacti ſunt, quid ni hoc ipſum in nouo orbe contingere poſſit, vbi pleraque animalia, ſi cum noſtris conferantur, monſtri quid ſimile alunt?

In eodem animalium genere caudata & caudis priuata eſſe minimè nouum.

Abſurdum equidẽ minimè eſt, in eodẽ animãtium genere caudata & caudis orbata reperiri. In exẽplum nobis ſolæ *Simiæ* veniãt, inter quas illæ quæ generis nomen retinent, caudis carẽt. *Cercopitheci* verò & *Cynocephali* dicti, lõgiſſimas eas habẽt. De horum vltimis nimirum refert Petrus *Martyr* apud *Ramuſium* Tom. 3. Aliquos tam forti & prælongà eſſe caudà donatos, vt *Americanum Aprum* ab ipſorũ vno præfocatum viderit, dũ arctiſſimè ſuã is gulę porci caudam implicaret, ſtrangularetq. Et hominũ genus apud *Britannos* memorant, quibus tã importunè coccyx excreſcit, vt Belgę illos *ſtertmenner* linguà ſuà, hoc eſt, *caudatos viros* appellitẽt. Adeò Naturæ plurima licent, quæ nobis etiã cogitatu vidẽtur illicita.

Verùm hoc momenti parum habet, quædam ſine cauda animalia naſci, atq. ita porrò propagari; veluti in hoc *Apro* noſtro videre licet. Id demum quoddam

Miraculum in natura, vmbilicum in dorſo eſſe.

Naturæ vel ludibrium, vel miraculum, arguit integrum aliquod animantium genus ſeu ſpeciem, præpoſtero viſcerum imi ventris ordine, & contraria *Vmbilici* collocatione ſicuq. prædita, procreari.

Hippocrates Lydius Medicorũ lapis, ad quẽ verũ ab adulterino aurũ, in noſtris cõtrouerſijs Phyſico-medicis dignoſcere ſolemus, Libello de *Natura pueri*, ſe genitũrã à fidicina illa, cũ ipſo iubente hæc ſepties in terrã deſilijſſet, excuſsã vidiſſe,

affirmat, quæ ſexto poſt cõceptũ die, pelliculà incluſa apparuit, illi prorſus ſimili membranę, quę in ouo interna eſt: *In cuius medio*, inquit, *tenue quiddam extabat, quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum primùm reſpiraſſe.* Veruntamẽ an dorſo, an abdomini fœtus huius vmbilicus reſpõſurus eſſet, idẽ author minimè aſſignauit, qui nec adhuc vllã ibidẽ membrorũ diſcretionẽ, vt puto, viderat. Hic vt obiter hoc notẽ, *Hippocrates* iuſiurãdum ſuum mihi violaſſe videtur, quo ſanctè promiſerat, ſe neque venenum vlli porrecturũ, neque vt porrigeretur, authorem futurum, neque ad corrumpendum fœtum vlli ſe operam præſtiturum, id quod *Chriſtianis* quoq. legibus, vt conforme, ita meritò ſancitum eſt ac puniendum.

In mẽdiõ genituræ vmbilicus ab Hipp. viſus.

Hipp. contra ſuum iuſiurandũ egit, dum abortum procurauit.

Sexto autẽ à cõceptu die nõ fuiſſe adhuc diſcreta corpuſculi mẽbra, *Cõſtantij Varolij* authoritate moueor vt credã, qui in abortu viginti dierũ hominẽ confuſè figuratũ, ſub magnitudine grani hordei ſe vidiſſe ſcripſit, in quo caput & alij ventres extra collũ prominentes, formã minimi *phaſeoli* repræſentabãt, exteriùs verò brachiorum, & crurũ nulla prorſus veſtigia apparebãt. In abortu quadraginta dierũ ſub magnitudine *Apis*; oculos, nares, oris cauitatẽ, cor, pulmones, coſtas, dorſũ, hepar, diaphragma, vẽtriculũ, renes, inteſtina, mẽbrũ virile, omneſq. partes cõſpexit. Extremitates autẽ pullulare inceperãt, minimę tamẽ, vt crura *panici* grani magnitudinẽ nõ excederẽt, brachia duplo maiora eſſent. Vidit ſimiliter ſub magnitudine *Fabę*, *Scarabęi*, *Ranæ* & alia quauis maiore forma, in quibus ſemper tamẽ extrema minora erãt, quã reliqui corporis proportio requirebat.

A Varolio & authore varij ac minimi abortus viſi.

Mihi quoq. duorũ, triũ, quatuor, quinq. & ſex menſiũ abortus viſi: horũ Icones aliquorũ penes me adhuc habeo, aliquorum etiam anatomẽ exercui, in quibus ritè omnia formata viſcera inueni. Sexaginta dierũ abortus demptis extremis, (quæ breuia valde erant) vix primum articulum indicis digiti longitudine æquabat, caput ſolum longius, craſsiuſq. quam thorax & integer ſimul inferior venter. Nonaginta dierũ fœtus formata magis ad corporis ſymmetriã extrema habebat. Totius lõgitudo, auricularẽ digitũ vix ſuperabat. Caput grãdius ſimiliter, quàm proportio expetebat, virile mẽbrũ valde conſpicuũ. Reliqua nõ addo.

Hippocratem tamen in abdomine, & nõ in dorſo vmbilicũ collocaſſe, & vbiq. agnouiſſe, vel ex hoc ſolo eius libro de *Alimento* claret: vbi cum docuiſſet principium alimenti ſpiritus, eſſe nares, os, guttur, pulmones & reliquã reſpirationem: alimenti verò ſicci & humidi, eſſe os, gulã ac ventrẽ, *Verum antiquius*, ait, *& primordiale alimentum per abdomen vmbilicus.* Hoc idẽ *Ariſtoteles* ſenſit 1. de Hiſt. An. cap. 13. *Venter*, ait, *infra pectus eſt parte priore, eiuſq radix vmbilicus eſt, & ſupra vmbilicum hypochondrium eſt.* Hæc ad vmbilici ſitũ in parte fœtus anteriore poſitum adſtruendũ, ſatis ſint. Nã per eundẽ augeri etiã Embryonẽ, vt vocãt, idẽ Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 5. aſſeruit cũ inquit. *Augẽtur fœtus qui formà animalis naſcuntur, per vmbilici annexum: cum enim vis quoq. in animalibus inſit, vmbilicum ſtatim quaſi radicem agũt in vterũ.* Et eodẽ capite inferius paulò. *Qui infantes ali in vtero aiũt, ſugẽtes caruncũlã quandam, nõ rectè dicunt. Idem enim & cæteris animalibus eueniret, quod tamen nuſquam videmus, atqui facilè per diſſectionẽ videretur, ſi eſſet. Omnes enim fœtus tum volucres, tũ aquatiles & pedeſtres, pari modo membranæ tenues ambiũt, ſeparãtes ab vtero & humoribus admiſſis: ſed nec in ijs ipſis tale quicquã ineſſe videmus: neq. fieri poteſt, vt per eorũ aliquod alimentũ hauriant. Itaq. nõ rectè aiunt, qui ita dicunt, vt Democritus.*

Hippocrates vmbilicum ſemper in abdomine eſſe ſcripſit.

Ariſtoteles idem ſenſit.

Ariſtoteles Democritum impugnat qui fœtus in vtero fugere ſcripſit.

Suctionem hanc etiam Hipp. agnouisse videtur.

Ab hoc ipso *Democrito* veluti congerrone & amico suo, haud scio, an non simillimum hoc dogma suum hauserit *Hippocrates* lib. de *Carnibus*, cuius hìc inserere verba, minimè pigebit, vt magnos etiam quandoque viros, diuersis in libris dissonantia docuisse palam euadat. *Cæterum puer*, ait, *in vtero comprimens labra ex vtero matris sugit, & tum alimentum, tum spiritum cordi intro trahit, vbi sanè mater respirauerit. Est enim hoc calidissimum in puero, & hoc calidum etiam reliquo corpori, & alijs omnibus partibus motum præbet. Si verò quis interroget, quomodo hoc quis sciat, quod puer in vtero trahit & sugit: illi sic respondendum est. Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes, & vbi nati fuerint, celerrimè ventrem, tum homines, tum pecora exonerant. Atqui non haberent stercus nisi in vtero suxissent, imò neque mammam statim vt natum est sugere nosset, si non in vtero suxisset.*

Hippocrates à plerisq. ab hac abiurda opinione absoluitur.

Non ignoro ægrè plerisque Hippocraticis, ob hunc textum esse, & variè, vt respondeant, se torquere. *Andreas Laurentius* certè lib. 8 quæst. 23. Hist. Anat. suæ ait, hæc vel adiectitia esse, & à Senis mente aliena, qui modus respondendi omnes veterum nęuos facilè abstergit, vel rudè *Hippocratis* seculo Anatomen fuisse. Atqui memini ego hunc eundem me locum, sæpius cum *Prospero Martiano* olim agitasse, Medico Romano doctissimo, viro probo, & mihi familiarissimo; atque acerrimo Hippocraticæ doctrinæ propugnatore, cuius posthumum nunc opus sub prælo est, (curantibus *Angelo Colio*, & *Alexio de Alexijs* Medicis Romanis pariter maximè conspicuis, eius meisq. amicis,) Commentaria scilicet in plerosq. *Hipp.* libros, in quibus ipse meris ac consimilibus Hippocraticis dictis, obscura eiusdem *Senis* loca explicare conatur, vbi sicut operam haud pænitendam lusit, ita insignem apud posteros laudem est meritus. Hic igitur genuinum hũc Hippocratis textum esse, sæpissimè mihi affirmabat, quem nec experientià destitui confirmabat, qua de re si quicquã in hoc ipsius opere extabit, libentissimè vt audiam, ita auidissimè amplexabor. Hoc interim scio: *Hippocratem* libello de *Natura pueri*, contrariũ asseruisse, cũ inquit. *Ex delapso* (in vterum) *& concreto materno sanguine caro gignitur, ex cuius medio vmbilicus extat, per quem spiritum & incrementum recipit.* Nisi quis verũ esse velit, quod absit, *Hippocratem Scepticæ* addictum sectę fuisse, inter quos Philosophos eum in vita *Pyrrhonis Laertius Diogenes* numerat, *quòd humanè scilicet & ambiguè locutus fuerit.*

Prosper Martianus Medicus Romanus doctiss.

Hipp. sibi aduersatur.

Epicurus apud Plutarchum etiam hanc suctionem sed minimè Plutarchus agnouit.

Epicurus & ipse, si *Plutarcho 5 de Placit philosoph.* credimus, hanc de suctione papillarum in vtero sentẽtiam fouit, vnde edoctum puellũ prius voluit, vt Nutricis postea mammam apprehenderet. Ipse tamẽ *Plutarchus* opusculo suo *de natiua in progeniem suam charitate*, sanguine per vmbilicũ nutriri potius fœtum voluit. Cum enim matricem mẽstruis imbribus sæpè irrigatam agro comparasset: *Postquam genituram verò excepit*, ait, *amplectens vterus eam obuoluit acta radice. Siquidem vmbilicus primò in vtero authore Democrito, vt iacta anchora aduersus fluctuationem, ne iactetur fœtus, defigitur pedamentũ & palmes cõceptui iam nato & ei qui expectatur. Iamq. menstruas & purgãtes fistulas natura obstruit, sanguinemq arripiens manãtem pro alimento eum vsurpat, partamq. qui iam structuram accipit, & conseruationem, rigat, dũ solennibus numeris interno incremento motus alia incunabula & locũ efflagitet.*

Sanè hæc de vtero, qui agri instar se habeat, & de fœtu, qui plantæ assimiletur, ideoq. radicibus in vterum, veluti terram suam defixis, ad vmbilicum tanquam

quam ad truncum corriuatis, denuo in ramos, per vniuersum fœtus corpus dispersis, alatur, nutriatur, augeatur, non recẽs sed antiquissima *Hippocratis* & *Aristotelis* fuit sententia. Huius quidem lib. 2. de gener. animal. cap. 4. *Sed cum fœtus quidem potentia animal sit*, inquit, *sed imperfectum, aliunde accipiat alimentum necesse est, quamobrem & parente, & terrà planta vtitur ad cibum hauriendum, donec perficiatur, & iam sit animal potentià gressile*. Et paulò infra. *Incrementum igitur fœtui per vmbilicum contingit, eodem quo plantis modo per radices*. *Hippocrates* autem vtcunq. suo semper Laconismo vtatur, laudato tamen de *Natura pueri* libello, luculentà certè & diffusa oratione, hanc seminis animalium, cum plantarum germinatione comparationem prosequitur, quam his demum verbis concludit; *Quæ ex terra nascuntur ea omnia ex terræ humore viuere assero, & quemadmodum terræ humor habet, ita & se habere quæ ex ipsa oriuntur. Sic & puer in vtero ex matre viuit, & vt valet mater, ita & puer. Quod si quis quæ de istis dicta sunt, ab initio ad finem vsq. secum reputare volet, is eorum quæ è terra nascuntur, & hominum naturam per omnia similem esse comperiet*.

Vterũ terræ, vmbilicum radicibus assimilari antiqua est opinio.

Hipp. in hac fusus est.

Iam autem cur in abdomine potius, quam in dorso vmbilicus figi debuerit, hoc cur nemo dixerit, consideratione dignissimum censeo. An quod censuerint veteres illi doctrinarum duces nostri, id quod aliter à Natura fieri haud potuerit, id extra quæstionis aleam esse debere? Nouimus autem (vt tandem intimiùs hoc meum thema agitem) & ex *Hippocrate* & ex ipsa rerum vniuersitate, radices arborum alimentum primò in truncos conuehere, ab his ramos & folia exoriri. Manus item ac pedes animalium, ramis arborum, vmbilicum radicibus respondere, truncum esse venam maximam *portam* & *cauam*, in quarum vtramque, (si exactiori *Aquapendentis*, quàm *Galeni* & aliorum Anatomicorum plerorunq. sectioni fides est adhibenda) *Nutricula* siue vmbilicalis vena pertunditur. Hæ ambæ autem vbi insertio est, non in gibba, sed in caua hepatis parte ortum suum nanciscuntur. Gibba autem dorso, caua abdomini obuertitur. Debebat igitur *Vmbilicus* in ipso situari abdomine, vt huius pars nutricula vena, trunco suo esset quàm vicinissima, sicut & ipse plãtarum stipes siue truncus, in corio terræ hæret, radiculis suis quampropinquissimus. Quare minimè mirum est, si Natura animantibus cunctis, in abdomen potiùs, quàm dorsum, vmbilicum inseruit; tam piscibus inquam, siue hi ex semine in vtero vt Delphin, ac vitulus marinus, siue ex ouo extra vterum, vt fermè alij omnes, siue ex ouo intra vterum generantur ac formantur, id quod hic *Romæ* in *Galeorum* genere sæpiusculè vidi, quàm pennatis, ac serpentibus, quæ intra ouum excluduntur, quod & ipsum multoties conspexi, & vmbilicum probè indagaui; quàm in quadrupedibus tandem perfectis. Hoc enim & commoditas loci & nutrimenti compendium, & ipse partium ordo, quem Natura inuiolabiliter obseruat, requirebant.

Cur veterum nemo causam ob quam vmbilicus in ventre esse debeat assignauerit.

Hæc ab authore affertur: à situ hepatis.

Quapropter non satis admirari possum, quod *Aristoteles* 6. de Hist. anim. cap. 3. vmbilicum in pullis gallinaceis, in cor, & non in hepar desinere, scriptum reliquerit, inquit enim. *Cor quasi punctum sanguineum in candido liquore consistit, quod punctum salit iam, & mouetur vt animal. Tendunt ex eo meatus venales sanguigeri, duo tortuosi, ad tunicam ambientem vtramque dum augetur*. Paulo item post.

Aristoteles ex corde & non ex hepate venas vmbilicales deducit.

Meatuum quos ex corde tendere diximus, alter ad ambiendum album liquorem fertur, alter ad luteum velut vmbilicus. Quod quidem dogma Commentario suo Scaliger Pater approbat. *Vt & hinc Galenus discat*, inquit, *ab ipsius cordis vi cerebrum constitui, & Hippocrates falsò putet secus prius corde generari.* Quas ambas ego controuersias neutiquam hic dissertabo, veluti nec illam: an ex albumine pullus generetur, & ex vitello nutriatur? id quod idem *Aristoteles* eodem loco asseueranter docuit, *Hippocrates* autem contrarium planè credidit. Hæc enim alio à me loco, & hoc ipso forsan in libro disputabuntur, & viuâ, vt spero experientiâ, hic nodus à me dissoluetur.

Huic Scaliger assentitur.

Hoc silere haud debeo, si oculis ego meis fidem quoque, non vno verùm multiplici experimento corroboratam, adhibere valeo, vmbilicum minimè ex corde, sed ex hepate scaturire, vel in idem terminare asserо. Cùm enim ante hos sex annos, plurima gallinis oua supponerem, eademq. quotidie ferè aperiendo, subinde inspicerem, vt formationem pullorum, internamque horum viscerum conformationem, addiscerem, vnum præcipuè vigesimo secundo post incubationem die, diligentius examinaui. Aperui hoc autem parte eius obtusiore, reperi ibidem cauitatem (retractâ nempè internâ oui pelliculâ) qua apertâ, ichorosa quædam materia siue aqua loturæ carnis simillima effluxit, quæ ex reliquijs non vitelli sed albuminis remanserat. Apparebat posthæc luteum oui suâ pelliculâ inclusum, ne effluere posset, & in duas quidem partes distinctum didymorum, siue duorum testiculorum instar, ex quibus ambobus communis ductus vmbilicus nempe, in ventrem animalis penetrabat, & quidem in parte admodum inferna, podici planè vicina. Erat autem prominens hic vmbiliculus intestinuli formâ, crassitudine calami gallinacei maioris. Discissâ igitur vitelli pelliculâ, & tenuiore ligneo cuspide, meatui vmbilici immisso, in ventrem penetrauit, quo aperto, venulam omnino sanguineam, rectà in hepar tendentem offendi, quod hepar cum sua vesicula fellea conspectui se manifestè offerebat. Corculum quoque ipsum vidi, veruntamen vmbilicalibus venulis destitutum, rubicundum hoc valde erat, cum hepar è diuerso minus rubrum ac potius pallidiusculum appareret.

Author aduersus Aristot. autopsia didicit, non in cor sed hepar nutriculam desinere.

Pullorum gallinaceorum anatome hoc cõstat.

Occurrit iterum hic aliquid, quo Aristoteli litem intendere valeamus, estq. ipsiusmet authoritas 4. de part. animal. cap. 12. *Vmbilicum omnia habent*, ait, *quæ vel vtero viuiparis eduntur, vel ouo ouiparis excluduntur, sed auibus iam adultis hic delitescit, incertusq. est, vt patet per generationem eorum. Intestini namq. coalitu vmbilicus auium consistit, & non venarum pars vlla est, vt in viuiparo genere.* Hæc nescio, quomodo cum supra dictis concordent, quando ex corde meatus venales sanguigeros duos tortuosos, ad vmbilici regionem ferri scripsit. Neque enim intestinum, hosce ductus, sed meatus venales, quales reuera sunt, appellauit. Est tamen rursus quo *Aristoteli* suppetias ferre valeamus, quod instar intestinuli meatus hic se habeat prorsus, vt iam ex propria obseruatione notaui, ex qua hæc quoque addiderim. In regione vmbilici, non satis adhuc perfecti pulli, foramen satis magnum mihi visum fuit, per quod commodè quis calamum adigere scriptorium, per idemq. foramen in ventrem facilè inspicere poterat, quare vmbilicalia etiam vasa hæc mobilia erant, nec ventris cuticulæ ag-

Aristoteles sibi aduersari videtur.

Quid pro Aristotele responderi possit.

la agglutinata. In alio tamen *Anatrino* pullo iam perfectissimo, foramen dictum haud amplius comparebat, sed nec vestigium vllum rubrum, nec ex vitello luteum, nec vas vspiam vmbilicale apparebat. Quare verissime scripsit *Aristoteles* in adultis vmbilicum delitescere, cum in pullis omnia consumantur vasorum orificia, nec vt in nobis, aut quadrupedibus fit, signa & eminentiæ relinquantur. Alia pullorum anatome.

Stultam ac vesanam *Paracelsi* opinionem, qua scripsit primos parentes nostros, genitalibus in *Paradiso* caruisse, nec nisi postquam ob peccatum electi fuerunt, eadem nactos fuisse, recte *Libauius* Parte prima *Singularium* suorum confutat. Quæ causa enim instituti coniugij, aut quæ generationis ratio fuisset? At non minus hic mihi ridiculus, atque Paracelsus delirus, fuisse videtur, cum inquit: *De vmbilico tamen coniectura est, Adamum eo caruisse, licet de Eua non sit manifestum, cum modus creationis non sit explicatus.* Et licet in arcana DEI inquirendum non putet, existimat tamen piè cogitari posse, cum Terra magna matrix sit, ex qua homo factus, hunc eiusdem glebæ quæ reliquæ terræ affixa erat, hæsisse; ita vt in ventrem stratus fuerit, tergo verso ad cælum: per *Vmbilicum* itaque matri suæ, telluri nempè, coaluisse, postea à DEO versum, & spiraculum vitæ ipsi inspiratum fuisse. Quasi verò is Creatori vel consiliarius, vel spectator astitisset: aut DEVS, vt *Vmbilicum* efformaret, actuali illà hæsione ad terræ glebam opus habuisset, qui vt hominem primum vndiq. perfectissimum, & non tam visceribus, quàm minimis ac singulis particulis (quas nos spermaticas dicimus) absolutissimum creauit, cur non venas & arterias vmbilicales, & seminales quaslibet partes postmodum in generatione & humani generis propagatione maximè necessarias, eidem simul omnipotente verbo suo, vt piè credere licet, indiderit? Sed luxurians nonnunquam, delirans aliquando, & non rarò famelicus intellectus noster, necesse est habeat, quam subinde offam ingerat, coquat, recoquat & deprauet. Delira Paracelsi & ridicula Libauij opinio de genitalibus & vmbilico Adami & Euæ.

Verumenimuerò, si penitius rem introspiciamus, forsan non tantum erit Naturæ miraculum, *Apros* hos *Americanos*, insculptum dorso vmbilicum gerere, vt dignum illo sit epiphonemate, quo aliquando *Galenus* exclamauit, cum per angustum adeò cerui cis vteri spatium, tam insignis magnitudinis fœtum prorumpere videret: *hoc humanum superare ingenium, & nos id mirari quidem posse, intelligere haud posse.* Sunt enim *Suibus*, cum in vtero adhuc latitant, peculiares quædam, paucis alijs concessæ bestijs, proprietates, quas *Aquapendens* suo de Formato fœtu opere diligentissimè obseruauit, annotauit, & figuris æneis delineauit. Et *imprimis* eodem lib. cap. 1. duas illis saltem tunicas in vtero concessit, non tres, veluti Oues habent & Boues, *Allantoide enim*, ait, *destituuntur.* Quamuis parum sui memor illo ipso opere figura 49. porcinum fœtum depingat cum *allantoide*, & conceptis verbis ipsum tres habere tunicas dicat. Suibus vmbilicum in dorso esse, videtur non esse præter naturæ institutum ob sequentes causas. Prima.

Secundò in omnibus fermè animantibus, dictas præter tunicas, carnea quædam adest substantia, per quam vasorum vmbilicalium radices matricum venulis adhærescunt. Hanc carnem nos in humano fœtu nunc placentam vterinam, Galenus verò adnatas carnes adenosas nominare potius voluit. *Ego in* Secunda.

omnibus

omnibus viuiparis, ait, *Aquapendens* dicto lib. cap. 3. *quæ secui, carneam hanc molem ac substantiam comperi, porcis exceptis, & equis, & piscibus, vtrumque fœtum gestantibus, hoc est, ouiparum & viuiparum. Adde his pennata, quæ ijs similiter carnibus carent.*

Tertia. *Tertiò* Cotylidones non habet porcinus fœtus, & vterus. Hos enim *Arist.* lib. 3. Hist. anim. cap. 1. cornigeris saltem concessit, & vna parte dentatis, & præter hæc etiam Lepori, Muri, ac Vespertilioni. Nam cæteris vtrinque dentatis, veluti porcis & Equis, vuluam ait non asperam sed læuem datam esse. *Galenus* lib. 15. de vsu part. cap. 4. huius rei causam reddit, quòd ad saliendum procliuia sint cornigera, ideoque cotyledonibus, quibus vmbilicalia vasa matrici fortiter hærere debeant, opus habere. Equa tamen salit, & læuem interim, vt Anatomicis patet, vterum habet.

Quarta. *Quartò* membrana Chorion dicta, propterea plurimis intertexta vasis, venis inquam, arterijsque scatet, quibus vtero pertinaciter affigitur. Hæc ideò tunica carnosior multo est, crassiorq. quàm in pleriſq. alijs animantibus euenit. Quæ cum vasa æqualiter & indifferenter tam sursum quàm deorsum discurrant, quid mirum est, si æquè in fœtus dorsum, quàm eiusdem abdomen insculpi possint, & ibidem vmbilicum constituere? Neque enim adest hic placenta illa, quæ vt in homine, sic in quamplurimis alijs animalibus, scuti instar pectus semper & abdomen integit, sub qua vmbilicus ceu radix in ventrem figitur. Quin porculus suo *Amnio* potius, *Chorioque* cinctus vndique, nec admodum incuruatus, sed pedibus haud ita retractis liberior latitat, ipsique perinde est, siue per aqualiculum, siue per lumbos alimentum recipiat, modò opimè a matre sua habeatur, & vel in vtero materno etiam (quod huic animali propriam & procliue est) saginari addiscat. Atque hæc causa est, cur neque tam longus in porco, atque in homine vmbilicus extra corpus fœtus, ad matricem protendatur. Quò enim plures sunt in vtero fœtus, eò necessariò breuiores vmbilicos existere par est. Plurimos autem Porca gestat, cuius vterus gyris & anfractibus suis, intestinis nostris haud multùm est dissimilis, ideoque fœtuum capacissimus.

Porcus cupit saginari, siue per abdomen, siue per dorsum nutrimentum capiat.

Cur porca plurimos fœtus pariat.

Addo hoc etiam, arterias vmbilicales multò viciniores esse insertioni suæ, si in dorso ingressum nanciscantur, ad *Iliacas* nimirum arterias constitutæ: cum per lumbos & dorsum descendat arteriæ Aortæ truncus, quàm si ventrem pertundant. Cum enim si per abdomen introeant, non rectà ab Vmbilici regione in dorsum eas ferri conueniat, ne intestinis, ac Mesaræo impedimentum concitent, ideò necesse fuit, vtramq. arteriam, ad vesicæ latera glutinari, propagari, & ad *Os sacrum*, vbi descendentis arteriæ magnæ truncus, propinquare: hac ratione enim arteriæ hæ nec nimis pendulæ, nec minùs tutæ incedunt. Cum inquam, tot adminiculis Natura indigeat, vt arteriæ hæ securiùs ab abdomine ad dorsum perueniant; per compendium potiùs, & ex consilio atque de industria egisse censeri poterit, si ibi ingressum molita est, vbi citra ambages viam insertionis suæ inuenit immediatam.

Arteriæ vmbilicales per dorsũ ingredientes vicinio res sunt suæ insertioni.

Vena autem nutricula, etiamsi intra gyros intestinorum inserta, in ligamentum postea degeneret, eorundem tamen anfractibus haudquidquam

obstat,

obstat, cùm neque in ventre sita eosdem impediat, & Hepatis cauæ parti dorso obuolutæ, in hoc Apro rectè infigatur, illudque non aliter suspensum teneat, quàm in nostratibus vsuuenire solet. Atque hæc fusius forsan alicui à me deducta fuisse videbuntur, sed rei nouitas, ordinis peruersitas, & anatomes necessitas; maiorem quoque lucem desiderabant. Verùm non omnia simul & semel.

Nec absurdum adeò venam nutriculam in dorso ingredi.

Hoc autem speculatione philosophicà & anatomicà dignissimum censeo, quòd nisi exiguo post mortem tempore, animali huic vmbilicus exscindatur, tam tetro carnes fætore corripiantur, vt nares etiam, nedum os illas longè horreant & abominentur. Ego hìc mei imbecillitatem ingenij ingenuè profiteor, & quid certi de hac re statuam, in ambiguo versor. Nisi alicui hoc arrideat, fętorem illum per vrinaculum à Vesica ad vmbilicùm tendens, seu *Vrachon* vas dictum, erumpere, & viciniæ implantari: quod animal hoc pessimi forsitan odoris vrinam habeat, cuius vapor in mortuo retentus, nec vt in viuentibus fieri solet, in auras à calore difflatus, integram carnis massam, per partem post partem, vt dici solet, inficere queat. Vrinæ enim quorundam animalium tam horrendum fætent, vt à nemine tolerari possint. Et quod mirum est, si quid semel imbuerint, id tincturam earundem radicitus impressam seruat. Cõtigit mihi tegumentum cuiusdam libelli à *Felis* semel vrina cõspurcari: quod licet abluissem sæpius, odoris optimi aromatis conspersissem, aeri diutissimè exposuissem, imò plures post annos aliâ Chartâ Pergamenâ cooperiri iussissem; nihil tamen egi: tam pertinaciter virus illud inhæsit, vt à reliquis planè libris is separandus mihi postea fuerit. Hoc autem salis *Ammoniaci*, qui vrinæ inest, fætori est adscribendum, quem qui experiri volet, hic salem & calcem viuam in puluerem redacta absque igne, & absque aqua, quod supra quoque monui, misceat, & eo ipso temporis momento puluerem qualibet latrinâ fætentiorem experietur.

Cur, nisi post mortem huic Apro vmbilicus subitò exscindatur, tam horrendè carnes fæteant.

Prima causa huius posset esse vrinaculum, seu Vrachos.

Vrinæ quorúdam animalium pessimè olent, & vnde hoc fiat.

Sal Ammoniacus maximè fœtet

Sed & fors etiam ad hunc vmbilicum componendum ex intestinis portio quædam deriuatur: quod licet monstrosum sit, in hominibus tamen subindè quoque accidisse Medicorum obseruationibus docemur. Simile quid *Beniuenius* 6. de abditis refert: puerum octimestrem se curasse, cuius vmbilicus digitis quatuor excreuerat ad penis similitudinem, ex quo subinde spiritus erumpebat: vnde medici iudicabant, intestini inde portionem enatam fuisse. *Beniuenius* carnem eam vinciens, ac singulis diebus arctiùs deligans, stringensque, non prius destitit, quam præmortuam partem feliciter abstulisset, illàque puerum excrescentiâ liberasset.

Secunda causa forsan à portione intestini ad vmbilicum deducta.

Parem ac geminam ferme historiam pauculos ante dies ad me perscripsit *Pet. Paulus Calorus* doctiss. *Tiferni Tyberini*, quod nunc *Ciuitatem Castelli* dicunt, non autem *Tiferni Metaurensis*, quod vulgo nunc appellatur S. *Angelo in vado*, Medicus, cuius arctiorem mihi amicitiam conciliauit *Carolus Gratianus* ex primaria nobilitate eiusdem vrbis, vir & morum iucunditate, & agendorum negotiorum dexteritate *Romæ* plurimis carissimus (à quo nec filius eius *Pallas* degenerat) *Ant. Mariæ Gratiani Episcopi* olim *Amerini*, scriptis clarissimi Nepos. Is igitur (*Calorus* adstipulante *Gratiano*, literis referebat, Mense Maio anni 1625. Nobili cuidam *Tifernatium*, natum esse filium, cum excrescentia carnea quadam

Petri Pauli Calori Medici Tiphernatiũ doctiss. obseruatio, de intestini portione ad vmbilicum delapsa.

Ant. Maria, Carolus, & Pallas Gratiani.

dam ad vmbilicum ſitâ, quæ inteſtini recti extremitatem probè æmulabatur.

Puer hic prima die per anum, inteſtinorum excrementa in vtero collecta, ſecundo verò per vmbilicum tantummodo reddidit. Fuerunt qui hunc minimè vitalem prædicerent: cum, quia rupta, laceratáq. ea in regione inteſtina exiſtimarent: tum, quòd ſtylo ferreo podicis foramen tentatum, vltra trium digitorum tranſuerſorum ſpatium, penetrationem non admitteret. *Calorus* tamen ad curam vocatus, diuerſum ſenſit, ſibique videri dixit, Naturam hìc luxuriaſſe, & aliud *inteſtinum rectum* ad vmbilicum direxiſſe. Primò, quoniam ventris crepitus (ſit venia verbis, & auribus honor) præter fæces, ex vmbilico prodirent: deinde, quia puer nec doloris indicia vlla præberet, nec ventrem tumidum haberet, quæ in inteſtinorum laceratione adeſſe ſigna debebant: poſtremò, quia nec mater in partu quicquam præter ſolitum paſſa fuiſſet. Quare ſe iudicare, vbi excreſcentia illa pauliſper conſumeretur, ductum hunc prorſus obliteratum iri, & per locum à Natura retrimentis deſtinatum, eadem deijcienda fore. Voluit igitur, vt arctè faſciolâ ſericeâ, omnis illa vmbilici prominentia ſtringeretur, eaque ignito ferro inureretur, id quod felici cum ſucceſſu peractum fuit. Poſt aliquot enim à natiuitate dies, puellus hic, abſque eo, quòd inteſtini recti occluſio interior vllo inſtrumento chirurgico aperiretur, per idem, veluti naturæ conſuetum locum, fæces depoſuit, lac ſemper alacriter ſuxit, nutritus feliciter fuit, hodieque cum annum ferme poſt natalem ſuum diem compleuerit, viuit valetque, obliteratâ illâ omninò excreſcentiâ. Hæc ex *Calori* datis ad me literis excerpta, Medicorum filijs proponere libuit.

Hiſtoriæ huius progreſſus ac felix exitus.

Mihi tamen magis perſuadetur, virulentum illum vaporem, Apri carnem contaminantem ex vrinaculo potiùs exhalare. Cui enim vſui in omnibus prorſus *Apris* illis *Americanis*, inteſtini portiuncula ad vmbilicum annecteretur, cum neque intra vterum alui excrementa (quod tamen veſica præſtat) neque extra eundem, per hunc meatum excernantur? Hoc autem vt credam, alijſque perſuadeam, mouent me, quæ apud *Ioannem Lerium* in Nauigatione Braſilienſi lego cap. 9. vbi de fætido quodam animali *Sarigoy* appellato loquitur, *quod ob fætorem*, inquit, *a Barbaris non comeditur. Nos autem hoc comedimus, extractis prius renibus, vnde fator ille manabat.* Ecce vt renes per quos veluti vrina deſtillat, omnem ſimiliter animalis huius carnem putore imbuere poſsint, quod & in noſtro *Apro* contingere poteſt. Ceterùm benignus lector non hoc ſolummodo miraculum Naturæ ſuſpiciat, plura ſuo loco ſequentur in alijs *Americæ* animantibus, quæ in ſummum nos ſtuporem rapient. Notat enim idem *Lerius* eodem loco, nullas in quadrupedum genere animantes, figurâ noſtratibus omnino ſimiles in toto Braſilienſi orbe reperiri. Neque ſolere *Tououpinambaultios* ex iſtis aliquas, niſi perquam raro cicuratas domi educare. Atque de Apro Mexicano hæc ſatis.

Probabile eſſe fætorem hunc vmbilici ex vaſe Vracho prouenire.

Locus nunc expoſceret, vt de noſtri quoque orbis Apris, Suibuſq. mitibus, aliquid produceremus. Verùm hæc abundantiſsimè *Aldrouandus* vel *Dempſterus* potius collegit, qui adiri poteſt. Non poſſum mihi tamen temperare, quin de *dentibus* ſaltem aliqua ex ſcriptoribus delibem, cum hos præſertim minaces

Poſtremo loco de dentibus aliquid dicendum.

& emi-

& eminentes in *Americano* hoc noſtro abeſſe dixerimus, vt vtriuſque animalis probè magis differentia pateſcat.

Et imprimis quidem ex *Ariſt.* Hiſt. anim. cap. 5. *Elephantes habent dentes deorſum vergentes, qui proni deuiant.* His omnino contrario ſunt ſitu poſiti Aprini, cum hi exerti tam ſuperioris quàm inferioris maxillæ, quatuor planè ſurſum vergant. Propter hos pugnaciſſimum dicitur animal, ac canibus maximè formidandum, quibus etiam ne lædantur, grauiterq. vulnerentur, lorica & Millum, à venatoribus indui, adaptariq. ſolent. *Aprum, priuſquam in aliquem inuadit, dentes exacuere ferunt. Cui rei teſtimonio eſt Homerus cum ait, Album acuens dentem.* Ælianus lib. 5. cap. 10. Et *Gyllius* apud euudem ex *Oppiano* lib. 3. de venatione. *Cum ad terram procumbit,* ait, *canibus & multis haſtis debilitatus, dentem illius inflammato anhelitu tantopere igneſcere dicunt, vt ſi quis de ceruice ſetam detractam ad eiuſdem etiam inſpirantis dentem admouerit, candens in orbem contrahatur, & aduratur, ac ſi eo dente canes inſectantes attigerit, ſtatim ignita veſtigia pelli ipſorum imprimantur.* Atque hinc eſt, niſi fallor, quod antiquitus eodem modo locoq. fulmine affiatas, & Apri dente ſauciatos haberent. Hinc *Venus* apud *Ouidium* 10. Metamorphoſeos.

Elephantorũ & Aprorum dentes contrario proſus ſitu ſunt poſiti.

Fulminei antiquitus. Apri dentes dicebãtur.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri,
Inuiſumque mihi genus eſt.

Nec ſine ratione, ſi fabulis fides eſſet habenda: cum *Adonis* tantoperè, ob præcellentem formoſitatem, à *Venere* adamatus *Apri* dente ſub inguine percuſſus, interierit, qui in ſui poſtmodum nominis florem commutatus, hodieque *Flos Adonidis*, herbula illa Chamæmelon facie æmulans floſculo ſuauerubente prædita, à Botanicis appellatur. Quapropter iure merito *Martialis* dixit.

Dente timetur Aper.

Atqui, vtcunque canibus mortem minetur hæc beſtia, quos lethaliter non rarò ferit, hoc mihi tamen ab amicis venatoribus relatum memini: viſam ſibi aliquando ſilueſtrem ſcropham, à pluribus canibus in ventre ſauciatam, ex quo inteſtina longo tractu prolapſa in terram decidiſſent, quibus alius canis mordacem interim dentem intuliſſet, eorumque bonam portionem dum ipſa partim cum canibus luctaretur, partim curſu ſibi conſuleret, deuoraſſe. Eſt enim inter *Canes* & *Apros* irreconciliabile odium, quod neque in Ceruos, Lupos, Vulpes, aut alias feras illi tam infensè exercent.

Canum & Aprorum ſummum eſt odium.

Ariſtoteles citatò iam libro cap. 3. *Maribus dentes*, inquit, *plures quam fœminis, vt in genere ouium, ſuum, caprearum patet.* Quæ ſuo à me loco perpendentur. Hoc tamen rectè noui, multò in fœmellis Suibus, quàm maribus minores dentes, illos præcipuè quatuor, qui foras exeruntur, reperiri. Ego inter *Sceleta* mea Scrophæ agreſtis caput probè perpolitum teneo, in quo præter dictos iam quatuor exertos, ſurſum vergentes, aduncos, atqué intus haudquaquam ſolidos dentes, hos quoque numero. In maxilla inferiore inciſores quatuor prælongi, & duo laterales dimidio breuiores, ſeptemq. in vtrolibet latere molares proſtant. In ſuperiore verò, non niſi quatuor inciſores, molares verò in vtroque latere octo, ſerrati omnes, & pectinatim inferioribus molaribus reſpondentes, viſuntur. Erunt igitur dentes omnes ſimul ſumpti, quadraginta quatuor.

Minores ſunt in fœminis dentes quam in maribus.

Quot dentes in Sue ſilueſtri numerentur.

Animam sui pro sale datam ait Cicero, & Chrysippus

quatuor. His voraciſſimum hoc animal molæ inſtar omnia alimenta atterit, vt pingueſcat, & humano generi non prolificum modò, ſed nutritiuum maxime exiſtit. Hinc rectè *Gyllius* apud *Ælianum*: *Sus, inquit Cicero, quid habet præter eſcam, cui quidem ne putreſceret, animam ipſam pro ſalè datam dicit eſſe Chryſippus: quà pecude, quod erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius.*

Galenus & Plinius quę alimēta & medicamēta ex porcis petantur, deſcribunt.

Quam autem ſalubris ſit porcina caro, *Galenus*, &, quæ inde medicamenta peti poſſint, *Plinius* conſulantur, ne pleraque tranſcribere videamur, & vt penſo noſtro, quod in pluribus adhuc Americanis nobis animalibus reſtat, ſatisfaciamus.

PELON ICHIATL OQVITLI

Ouis Peruana.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

EXPRESSA hæc ouis Peruanæ Icon, picturam ſatis bene imitatur, niſi quòd collum hìc paulo elongatius, & productius ſculpi debuiſſet, ad Camelorum ſimilitudinem. Caput equinum propemodum videtur. Aures erectas antrorſum porrigit. Totius color corporis ſubflauus eſt, magis tamen in ventre albicat. A capite ad caudam per dorſi ſpinam linea nigra ducitur. Collum nigricantibus ſimiliter maculis variat. Cauda breuis ſubfuſca, & fœmora verſus falcata, atque recurua eſt. Pili non criſpi vt ouilli, vel lanæ ſimiles, verùm equini potius, ac plani, & veluti ex pictura conijcere licet, molles ac delicati. Pedes biſulci, vngulæ nigreſcunt.

SCHO-

SCHOLIA EIVSDEM.

HVnc priusquam Commentarium auspicer, visum fuit *F. Gregorij de Boliuar*, exactissimam animalis huius descriptionem & historiam, quam mihi ad *Americanos* denuo abituriens, reliquit, præponere: quæ ex Hispanico in sermonem latinum versa, ita habet. F. Greg. de Boliuar Authori hanc Ouis huius descriptionem communicauit.

Aries, siue *Ouis Peruana*, animal est, quod maiore ex parte, in *Regno Peru*, veluti in proqria, ac naturali sua terra, suoque magis temperamento conueniente, ac vera patria, nascitur. Conducuntur hæ oues ad alias quoque regiones, vt est *Noua Hispania*: sed curiositatis magis, quàm gratiâ vtilitatis. Verùm in *Peruano Regno* omnibusq. eius prouincijs, quæ quatuor milliariorum millium includunt spatium, à *Potosi* ad *Caracas* vsque, numerus prorsus excedens, & infinita ferè eiusmodi animalium multitudo inuenitur, adeò vt 4000000. siue quatuor milliones, vt dicitur, singulis annis absumantur: & ita paulatim numerus vsque ad Ciuitatem *Cusco* in pluribus prouincijs, quæ includunt spatium quadrigentorum & quinquaginta milliariorum, gradatim decrescit vsque ad *Caracas*. Locus. Numerus maximus.

Animal hoc vtilissimum tam indigenis, quàm aduenis existit. Incolæ enim omnes suas prope opes ex hoc solo lucrantur. *Hispani* verò breui temporis interuallo, adeò huius operâ ditescunt, vt in *Hispanias* inde locupletissimi redeant. Quia præterquam quod esui sit valde commodum, omnis etiam generis merces ex vno in alterum locum transportat. Imponitur autem ipsi communiter centum & quinquaginta librarum, quarum quælibet sedecim pendet vncias, onus: & quod robustius paulo est, ducentas ac quinquaginta ferre non recusat. Vtilitas huius. Quantum oneris portet.

Singulis diebus decem milliariorum iter absoluunt, idque ad quinque dies hæ oues continuant, quarto enim vel quinto die plerunque quiescunt, & sic itinera etiam longiora ad quingenta milliaria perficere solent. Firmo ac securo admodum, passu incedunt, ita vt haud necesse sit, sarcinas diligentius ipsis alligare, quando præsertim iam bene cicuratæ fuerunt. Occupantur maximè in trâsportandis mineralibus, præcipuè verò ex *Monte Potosi Oppidi Imperialis*, vbi continuò trecenta millia horum animalium vecturæ adhibentur, vt ex monte illo infectum argentum, siue venas metallicas argentiferas, ad illos artifices conuehant, qui argentum à petris ac fæcibus separant. Reuehunt postmodum ad eundem montem commeatum, & alimenta, pro eorum qui fodinis præsunt, & operam suam ibi insumunt, sustentatione. Quantum itineris cõficiant. Securè incedunt. In mineris portandis valde occupantur.

Hæ Oues post tertium ætatis annum portare valent, & ad duodecimum vsq. perseuerant, quo exacto, iam senio confectæ moriuntur. Est hæc bestia valde pituitosa, cicur, domestica, & ad Indorum naturam seu consuetudinẽ maximè accommodata. Quando iter conficit, eique alicubi mora diutula standō transigenda est; tum cautissimè genua demittit, tenditurque corpore suo ad terram deorsum directè secundum longitudinem, ne ipsi quod portat onus, de dorso decidat, non secus planè, atque Cameli facere consueuerunt. Quod si sibilo Quanto tẽpore laborare possint. Cicur est valdè hæc bestia. Camelum in decumbendo imitatur.

à ſuo ductore moueatur, erigit ſe in pedes ſtatim, ſuumque decenter iter per agit, nec in alterutrum magis latus declinat. Comedit autem modò hìc, modò illic, vtcunque & vbicunque poteſt. Noctu verò nunquam comedit, maxima licet fame conficiatur, ſed ſolum illud quod interdiu dentibus ruditer commolitum ingeſſit, nocte ruminat. Dormit directè, reflexis tamen pedibus.

Noctu nũquam etiã in ſumma fame comedit.

Plurimum hæ pecudes laborando ſufferunt: ſi quando vltra modum fatigantur, oneri ſuccumbunt, nec ratio vlla, quò reſurgant, compellendi eas reperitur, etiamſi percutiantur, vel ipſis teſticuli, quod vltimum eſt remedium, comprimantur. Vt aliquando propter colli longitudinem, ex vtroque latere caput terræ illidant, nec ceſſent priùs, quàm foras ipſis oculi, ac cerebrum erumpant, atque ita miſerè moriantur.

Patientes ſunt in laborando.

Pertinaciſſimè aliquã do ſuccumbunt oneri.

Non habent, quibus ſe defendant alia arma, quam ſputum, quo ſibi vicinos conſpuunt, quod etiã *Camelus* facit; cui, auribus & dorſo exceptis, ouis hæc valde eſt ſimilis, niſi quod lanam hæc habet & circa ventrem quidem longiorem, vnde aliquando ad dimidiæ vlnæ longitudinem, ex vno atque altero latere dependet. Sunt hæ in colore ſimiles noſtratibus ouibus, albi, nigri, pardi, vel ex omnibus mixti, quæ vltimi coloris oues, vocantur ab incolis *Moromoro*.

Spuunt in vicinos.

Lanarum color.

Longitudo ipſarum octo palmorum, ſiue ſpithamarum (quæ Romanis *Canna* eſt menſura) excedit, altitudo ad quinque vel ſex palmos aſcendit. Collum ſolum quinque in aliquibus eſt ſpithamarum. Caput habent bene figuratum, oculos magnos, os aliquantulum eminens ſeu longum, labra craſſa, inferius autem nonnihil pendulum. Dentes ſolummodo in parte inferiore, anteriores nempe ſeu inciſorij adſunt, quibus ſuperior caret maxilla, in qua ſoli ſunt molares, quibus & ſui in inferiore reſpondent. In hac inferiore duo præterea, in vtroque latere ſinguli nimirum, acutiores & longiores. Aures medij palmi longitudine roſtrum verſus porrectas gerũt, quas ad auditum facillimè mobiles habent. Pedes ad vaccæ pedum formam ſunt. Cauda eſt lõgitudine vnius palmi erecta parumper, pauxillum lanæ obtinẽs. Stercus, caprinum æmulatur. Genitale maſculum tenue eſt, & recuruum, poſteriores pedes verſus declinãs, ita vt inter fæmora meiendo, eodem loco, quo fæces cadunt, vrinã profundat. Eſt autem luxurioſum valde, & turpius in exercendo Venereo actu, quam vllum Mundi animal. Fæmina enim vuluam habet nimis paruam, quę in terra iacens ita ſe componit, vt mas illi ſuperuenire queat, qui tunc temporis gemitus ſpecie maximè vociferatur, nec aliud tũc quaſi fit, quàm quod vnũ alterũ conſpuat, & non rarò diem integrum conſumant, antequam actum ipſum Venereum incipiant, & abſoluant. Ita neceſſe ſæpe eſt, vt paſtor ſiue curator earum, ipſa ad inuicem accommodet, & adaptet, ſi modò velit, vt pecudes ſe ſuæ multiplicent. Pariunt poſtea noſtratium more.

Longitudo & alsitudo ipſarum.

Collum.

Caput.

Dentes.

Aures.

Pedes.

Cauda.

Genitale.

Luxurioſum eſt animal ſed difficulter coit.

Species harum duæ.

Debiles aliquæ.

Fortes alteræ.

Sunt autem harum duæ ſpecies, & cuilibet ſpeciei ſua denuo differentia. Primum genus ſeu ſpecies illa eſt, de qua modò diximus, & in hac aliquæ collum habent ac pedes ſubtilia, & infirmarum virium, vt ſic non niſi pro lanæ & victus quotidiani gratia educentur. Aliæ ſunt paruæ & pygmææ, & curtos quidem pedes obtinentes, ſed fortes interim, vt quæ ad portanda omnia domui neceſſaria onera, prout eſt aqua, frumentum &c. adhibentur.

Sunt

Sunt hæ ita robuſtæ, vt quælibet harum pondus ferre poſſit ducentarum & quinquaginta mercatoriarum librarum. Aliam ſpeciẽ vocant incolæ *Pacos*, quę non ſunt ita corpulentæ, vt iam dictæ. Hæ minores omnes corporis partes, caput præſertim, ac aures, habent, & exigui ob id roboris: nunquam ſe onerari permittunt, niſi harum aliquæ iuxta onerarias educentur, & paulatim ferre aſſueſcant, quæ cibum poſtmodum ac veſtimenta *Indorum* portant, quando hi ad Campos proficiſcuntur. Ita lanà abundant, vt in ſolo collo, ac capite plus eius ſingulæ habeant, quàm tota noſtra Ouis, & maximam eius proinde copiam ex toto corpore *Indi* detondent. Sunt aliquæ ita nigræ, vt ex ſola lana, nullo adhibito alio artificiali colore, pannum conficiant, qui cum aterrimo quouis ſerico comparari facilè poſſit. Aliæ ſunt alterius coloris, vt pardi, albi, nigri diluti, ſubruffi & ſimilium colorum, vt apud nos quoque videre licet: eſtque ipſarum lana ita mollis, ſubtilis, tenuis ac delicata, vt ex hac pretioſiſſimi parentur panni, ex quibus aulæa, ſiue periſtromata, ſtragulæ, quibus lecti, menſæ & animalia inſternuntur, ac veſtimenta demum varia concinnantur, ſerico bombycino haudquidquam cedentia. Diutius quoque, quam vlla lanea alia ac ſericea ſupellex, durant. Quin ex hac lana panni quoque texuntur, qui Damaſcenos noſtros & vndulatos imitantur, & qui floridum ſuum colorem, poſt centeſimum etiam annum adhuc conſeruant.

Alia ſpecies Pacos dicta.

Lana maximè abundant.

Lanarum color & vtilitas.

Vera pannificia ex eiuſmodi lana.

Solent hę *Indis* delicatiores, quam reliquę, pro cibis ęſtimari. Quamuis vtręq. ſolitum & quotidianum ipſis alimentum præbeant. *Bezoardici* lapilli ſpeciem in ſe procreant, verùm parui admodum, & vllius vix efficaciæ, aut æſtimationis. Pleru mq. vnum pro vice fœtum edunt, rarò gemellos. Proles vbi nata eſt, ſubitò matrem ſequitur. Vbera tantùm duo habent, & perpuſilla. Complexionis ſunt pituitoſæ, & propterea quò magis regiones ad frigidum ęlum tendunt, eò magis generatio earum multiplicatur: peiùs ſe habent in calidioribus prouincijs, quia ſtatim moriuntur ex pruriginoſa, & combuſti ſanguinis quadam ſcabie. Quinimo in propria ſua patria, infirmitate hac, ſcabie videlicet, perſæpe vexantur, in qua curanda *Indi* maximam curam adhibent, ex ſulphure & pinguedine mixto linimento, eas inungendo.

In cibis.

Bezoar ex his.

Vnum fœtum ferunt pro vice.

Bina vbera:

Cõplexionis ſunt pituitoſæ.

Scabie laborant.

Opportunè maximè hìc accidit, vt poſt *Taurum* & *Suem* de *Oue* nunc quoque tractatio ſuſcipiatur. Hæc tria enim animalia ſunt, quæ celebratiſſima antiquis illa *Suouetaurilia*, ſiue *Solitaurilia* conſtituebant. Horum cumprimis *Romanæ* conditor hiſtoriæ *Liuius* lib. 1. in geſtis *Seruij*, meminit, qui Rex cenſum *Populi Rom.* tanto futuro Imperio, rem primus inſtituit ſaluberrimam. *Cenſu autem perfecto*, inquit ibidem Liuius, *quem maturauerat metu legis de incenſis latæ, cum vinculorum minis, mortiſq. edixit, vt omnes Ciues Romani, equites, peditesq. in ſuis quiſq. centurijs in campo Martio prima luce adeſſent, ibi inſtructum exercitum omnem, ſue, oue, taurilibus luſtrauit, idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt.* Et cum hìc cenſus populi, quinto quoq. exacto anno fieret, ac luſtrum, ſiue expiatio illa nouaretur: ſic pro quinquennali tempore, quod erat Græcis *Olympias*, *Luſtrum* dici *Latinis* cæpit. Peracta autem fuit illa luſtratio in *Campo Martio*, & forſan hac ipſa, quà ego nũc habito VRBIS regione, ad *Agrippæ Pantheon*. Erat enim, vt apud eundem diſcere *Liuium* licet lib. 2. *Ager Tarquiniorum, qui inter*

Hucuſq. hiſtoria F. Gregorij.

Suouetaurilia à Sue, oue & Tauro dicta.

Cenſus Romanus quãdo inſtitutus.

Luſtrum cur ſignificet quinquennium.

Vbi fuerit campus Martius.

VRBEM ac Tyberim fuit consecratus Marti, Martius deinde Campus dictus. Ex quo liquet, quicquid inter *Capitolium* & *Tyberim* interiacet, *Campum* fuisse *Martium*. Nam *Vrbs* prima ad *Capitolium* finiebatur. Ne quis forsan existimet *Campum Martium* solummodo illum censeri, qui flumini vicinior, hodieque quasi solus id nominis apud *Romanos* nostros adeptus est.

Marti tria dicta animalia immolabãtur.

Vetustissimum autem institutum fuisse, *Marti* dicta hæc tria animalia immolari, ex *M. Catone* summo antiquæ *Romæ* Imperatore, Senatore & Oratore, *de re rustica* doceri possumus, cuius me verba, quò priscam magis redolent latinitatem, eò delectant magis: quæ Lectori etiam grata fore existimo, ideoq. subiungo. *Agrum lustrare sic oportet imperans Solitaurilia* (siue Suouetaurilia) *circumagi cum diuis volentibus. Sic dicito. Mars pater, te precor, quæsoque, vti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ, quoius rei ergo agrum, terram, fundumque meum, solitaurilia circumagi iussi, vti in morbos visos, inuisosque viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiesque prohibessis, defendas, auerrunceſque: vineta, tu fruges, frumenta vtique, virgultaque grandire, beneque euenire sinas, pastores, pecuaque salua seruassis, duisque bonam salutem, valetudinemque mihi, domui, familiæque nostræ.* Et paulo post, *vbi porcum*, inquit, *immolabis, agnum, vitulumque.* Plura de *Suouetaurilibus, Soli* & *Sollitaurilibus* reperies apud *Dionys. Halicarnass. Cornelium Tacitum, Quintilianum, Festum, Asconium Pædianum*, & alios, qui etymi etiam rationem, quam hìc lubens relinquo, afferunt.

Verba Catonis de hac re.

Qui de solitauribus scripserint.

An hostiæ antiquæ gratæ an inimicæ falsis suis Dijs fuerint.

An verò hæc tria animalia *Marti* accepta, an inimica fuerint, quod de similibus hostijs dubitare licet, non est longioris indaginis hic locus. Supra certè ex *Labeonis* mente apud *Macrobium*, *Sus* Terræ videbatur ideò oblata, quia segetem, quam *Ceres* mortalibus tribuit, porca depasta esset: ideoque inuisa potiùs Deæ, quàm grata fuisse, asserebatur. Quare in Metamorphosi *Ouidio prima putatur*

Hostia Sus meruisse mori, quia semina pandò
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

At *Goropius* meus lib. 5. *Gallicorum*: *Egregium verò*, ait, *epulum Cereri apponunt, qui inimicum animal apponunt. Idem faciunt videlicet, si Iudæo ad conuiuium vocato, solam suillam dent comedendam.* Ne verò & pacatissimæ *Oui* deesset, quam culpam affingerent, vt ad sacrificium raperetur *Ouidio* 1. Fastor. *Verbenas carpsisse dicitur*,

Quid ouis meruerit vt hostia fieret.

Pauit ouis pratum, verbenasq. improba carpsit,
Quas pia Dijs ruris ferre solebat anus.

Improbatur hæc opinio.

Ast mihi hostiæ gratæ semper, puræ, sinceræ & immaculatæ esse debere visæ fuerunt. Et propterea à *M. Varrone* de Re rust. cap. 11. porculi non nisi decimo iam die mundiores facti, sacrificio adhibebantur, & ob id *Puri, sinceri & Sacres* appellabantur. Qui etiam loci Plautini in *Menæchmo* meminit, cuius facetissimi Poetæ hæc verba sunt.

Adolescens quibus hìc pretijs porci veneunt
Sacres, sinceri? nummos eos à me accipe,
Iube te piari de mea pecunia,
Nam ego quidem insanum esse te certò scio,

Qui

Qui mihi molestus homini ignoto.

Sic *oues* in sacrificijs *lectæ* vocabantur, vt *Virgilius*

Mactant lectas de more bidentes.

Hostiæ nô debent esse inuisæ.

Porci etiam *eximij* epitheton merebantur, quòd præstantiores ex armentis eximerentur, & *Boues egregij*, quòd è grege seligerentur. Et quis nescit hostias acceptas, & minimè inuisas esse debere, & cum ijs, quibus offeruntur, similitudinem aliquam & congruentiam habere? Hoc apud *Aldrouandum Dempsterus* quoque obseruauit, cum cæderentur *Boues fordæ*, ideſt, prægnantes in Curijs 17. Cal. Maias, *Telluri*, ipsa similitudine placituræ, vt annus proueniret fæcundior: Terra enim hoc tempore grauida quoque conspicitur. *Pordicalia*, & *Fordicalia* vocabantur istiusmodi sacrificia: & *Hordicalia*, quia *Vacca* prægnans *Varroni Horda* dicebatur. *Ouid.* 4. Fast. hæc habet.

Nunc grauidum pecus est, grauidæ quoque semina terræ,
Telluri plenæ victima plena datur.

Et veris principio, propter pabuli præstantiam, pinguissimi quoque agni immolabantur, vt videre est 1. Georg. *Tibullus* eò alludit 3. Eleg. 1.

Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet Io messes, & bona vina date.

Quę in hostijs gratis requirebãtur.

Vtque acceptiores victimæ essent, non claudæ solummodo, morbosæ atque vitiosæ excludebantur, sed floribus insuper coronabantur, & cornua auro inducebantur. Sic DEVS *Opt. Max.* apud *Hebræos* offerri sibi iussit meliora, pulchriora, & robustiora holocausta: *Et odoratus est odorem suauitatis.* E diuerso Gentiles etiam *Plutoni* suo nigram pecudem dedicabant, vt *Tibullus* habet:

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Ouis olim paci offerebatur.

Ita *Terræ* etiam aliquando ceu nigræ, *nigram*: & *Soli albam pecudem* offerebant, & *Neptuno Arietem* ad collaudandam maris placiditatem. Quæ causa fuerit, credo, vt apud *Aristophanem Paci* victima *Ouis* fieret. Hanc quoniam *Pacem* tam obnixis nunc precibus *Orbis Christianus* vniuersus exoptat, & profusis à DEO lachrimis implorat, concedat illam nobis *Ouis* illa purissima, & immaculata *Hostia DEO Patri* in Cruce pro peccatis olim nostris oblata, de qua *D. Ioannes Baptista*: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad hoc sacrificium quæcunq. prisorum oblationes non referebantur, eæ vanæ, mendaces, idolomania plenæ, ad mortem, & non ad vitam comparatæ erant.

Hãc nobis desideratissimam immaculatus Agnus Christus Iesus largiatur.

Ouium esus, & vsus tam antiquus est, vt *Varro* de re rust. putauerit has ex feris primas fuisse, ab hominibus comprehensas ac mansuefactas. Hic enim lib. 2. cap. 1. inquit, *summum gradum fuisse naturalem, cum viuerent homines ex ijs rebus, quæ inuiolata vltro ferret terra, ex hac vita in secundam descendisse pastoritiam, e feris atque agrestibus, vt ex arboribus ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad vsum: sic ex animalibus, cum propter eandem vtilitatem, quæ possent siluestria deprehenderent, & concluderent ac mansuescerent. In queis primum non sine causa putant oues assumptas, & propter vtilitatem & propter placiditatem: maximè enim hæ naturâ quietæ, & aptissimæ ad vitam hominum. Ad cibum enim lac & caseum adhibitum: ad corpus vestitum, & pelles attulerunt. Tertio denique gradu, à vita pastorali ad agriculturam descenderunt.*

Pastoritiũ studium ab ouibus cæptum esse.

Huius causa & animalis placiditas & vtilitas fuit.

Et quid ni hoc factum existimemus? cum Oues ferarum omnium (ferae autem has quoque exstitisse grauissimi scriptis prodiderunt authores) placidissimæ sint, ac quietissimæ, & facillimà curà mansuescant. *Ælianus* profectò libro 6. cap. 35. *Omnium maximè animalium oues ad parendum faciles sunt*, inquit, *Etenim ad verba pastoribus obediunt, & canibus obtemperant, & Capras sequuntur, simul & inter se amant. Luporum insidijs minus idcirco patent, quòd non ita separatim à reliquis errant, quemadmodum singulæ Capræ à gregibus suis segregantur.*

Vtilitatem autem pastoribus suis maximam viuentes, dum lanam præbent, & varia lactis opera ministrant, & plurimam in cibis quoque occisæ afferunt. Non ignoro tamen nonneminem vix agninam carnem commendare, ex hoc Horatij loco lib. epist. 1, epist. 15.

An caro agnina olim fuerit in pretio.

——————— *Patinas cænabat omasi.*

Vilis & agnini.

Fuisse tamen *Agninum caput* inter gulæ cupedias, ab *Athenæo* olim repositum, & à *Plauto exta agnina*, veteribus in delitijs habita esse obseruatum, *Aldrouandus* refert, Plautinis his in *Pseudolo* verbis.

——————— *Pseudole arcesse hostias;*
Victimas, lanios, vt ego huic sacruficem summo Ioui:
Nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter, quam Iuppiter.
B A. Nolo victimas, agninis me extis placari volo.
C. Propera, quid stas? accerse agnos, audin', quid ait Iuppiter.

Caro veruecina laudatur.

Et nos certè hìc *Romæ* tam ægrotantium nonnullis, conualescentiumq. plerisq. quàm sanorum omnium mensis, *Veruecinas* siue castratorum arietum carnes tam assas quàm elixas non sine palati delectatione apponimus. Qui in *Hispanijs* egerunt, non satis superque mihi hanc carnem, per Antonomasiam *Hispanis Carnero* dictam, ob saporis excellentiam, nutriendi præstantiam, & copiæ animalium horum abundantiam, laudare & deprædicare potuerunt. Vescuntur enim ibi Thymo, Serpillo, Satureia, Libanotide coronaria, quam Rosmarinum vocant, Cytiso, Lotoq. & alijs aromata propè olentibus herbis & fructibus, aere quoque gaudent liberiore, quibus omnibus, & carni nimia adimitur humiditas, & odor acquiritur gratissimus, compactior denique substantia ad alendum commodissima roboratur. Tradit autem *Damianus Goes* Eques *Lusitanus*, hac etiam tempestate in *Hispania* regulos multos, quos pastores, inquit, *Hispani* vocant, tricena & quadragena millia ouium possidere. Proximam ab his reor, dignitatem meretur nostra hìc veruecum caro, qui in *Ostiensi* agro, eique finitimo *Portuensi*, consimilibus ferè pascuis saginantur. Inueni enim ad maris illa littora, decimo ab vrbe lapide, ad quæ non semel ante plusculos diuerti annos, vt *Hortum* Pontificium nostrum *Vaticanum*, maritimis inde petitis plantis ornarem, plurimam Rosmarini illius copiam sponte nascentem, in siluulis illis & dumetis campestribus, *Bernardinus Gomesius* quidem lib. 1. *De sale*: vix in vllo alio locorum se suauiores, teneriores, ac pinguiores veruecinas carnes, quàm has Romanas seu Ostienses gustasse affirmauit, quas dotes eisdem præter dictas herbas, ipsi præcipuè sali tribuit. Circumfusi enim sunt hi agri multis paludibus atque Salinis. Salem autem pecori

Hispanica præsertim.

Postea Romana.

maximè

maximè prodeſſe *Plutarchus* & quærit, & prægnantes quæſiti huius rationes deducit.

Non improbabili igitur coniecturà duci quis cum *Varrone* poſſit, ſi aſſerat paſtoritium ſtudium, quod apud Veteres adeò viguit, vt non Reges id modò exercuerint, ſed etiam Deos ſuos immortales *Homerus*, *Apollinem* ſcilicet, *Mercurium*, *Mineruam* paſtores fecerit. Et apud *Apollinium Orpheus* Nymphas ὀιοπόλας, hoc eſt, vt ſcholiaſtes interpretatur, ouium curam gerentes, appellauit. Non errabit igitur, ſi quis inquam, dicat, primos omnium paſtores ouium facilè parabilium pecudum greges ſociare & curare cæpiſſe, ad maiora poſtmodum armenta tranſijſſe. Reges & Dij gentilium paſtores olim habiti.

Verùm ad noſtras nunc oues *Peruanas* redeamus. De quibus quid alij etiam Scriptores memoriæ prodiderint, volupe eſt hìc memorare, vt noſtra magis hiſtoria vel dilucidetur, vel ſi aliqua ſe ingerit varietas, dextrè eadem explicetur. Et quoniam non omnes mihi nunc ad manus libri ſunt, ex *Aldrouando*, quæ capite de Ouium loco habet, paucula huc tranſcribam. *In Perù*, inquit, *regione, quod ſit calida, oues ad aſellorum magnitudinem creſcere aſſerit Cardanus in opere* de Rerum Varietate, *longis cruribus, craſſo corpore, capite longo, collo & effigie quaſi Cameli, carne optima, agnorum maximè, caſtratos aratrum ducere, & dorſo ferre ligna, & alia, non clamare nec moleſtos eſſe, colore eſſe albo, nigro & cinereo.* Et *Leuinus Apollonius Gandobruganus Middelburgenſis*, in opere de *Peruuiæ* regionis inuentione & rebus in ea geſtis, de hiſce ouibus diligenter in hæc verba ſcribit. *Equorum egentiam quanquam imparibus, & ineptis ad bellum viribus, ouium copia ſupplet, quæ equis magnitudine pares, & ceterà formà præter toroſi pectoris ſtrumam Camelis perſimiles, quinquaginta oneris pondo ſuſtinent, & virum in terga ſublatum ad aliquod paſſuum millia vehunt. Veſci tamen ſi vrgeantur, ſedentes ore conuerſo, ringentes fœdo odore conſpurcant. Si onuſtæ ſint, tum humi ſe acclinant, nec indè vllà verberum vehementia ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus clitellis exonerentur, propelli poſſunt. Vtile profectò animantium genus, non ad ſupplendam modò abſentiam equorum in ſarcinis, viriſq. vehendis commoditatem, ſed ad alimoniam etiam, & optimi lucri vſum. Lanæ enim tenuitate, longitudineq. & copià facilè noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine vervecum atque iuuencorum noſtratium, delectabilem ſaporem adæquant. Frumento veſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt, vſque adeo verò exigui potus, vt illo triduo, quatriduoue abſtineant.* Hæc ex *Aldrouando* ſeu *Dempſtero*. De Oeibus Peruanis aliorum authorum loca laudantur. Cardanus. Leuinus Apollonius.

Hìc *Cardanus* cum *F. Gregorio* noſtro minimè congruit. Exiſtimauit enim is *Peruanas oues* magnitudine aſinis æquales, quod in calidiore degant regione: cùm hic contra referat, perire has oues, ſi ad calida deducantur loca, & vice verſa in frigidioribus non meliùs modò habere, ſed mirè etiam prolificare. Et noſtras ſimiliter oues ait *Ariſt.* 9. Hiſt. animal. frigoris patientiores eſſe, quam ſunt capræ. Cardanus examinatur.

Quod autem *Leuinus Apollonius* ſcribit, aſinis illas eſſe contumaciores, & quandam ita fatuitatem ipſis attribuit, non aberrat. Nam & *Ariſtoteles* iam dicto loco, noſtratibus ouibus amentiam aſſignat, & mores ſtultiſſimos. *Ouile enim genus quadrupedum omnium ineptiſſimum*, dicit, *cum ſæpe ſtent oues nec abire velint, niſi mares à paſtore ducantur, ita enim reliquus grex conſequitur.* Miratus ego Idem ſit de de Leuino Apollonio.

mehercle,

Oues Canem pelle arietina vestitũ sequuntur.

mehercle, non semel harum ruditatem cum risu fui, dum laniones, vt quò vellent perducere oues, possent; si arietem, quem illæ sequuntur præeuntem, forsan ad manus non haberent, cani Molosso alicui pellem arietinam induerent, & eundem, tintinnabulo simul e collo suspẽso, præmitterent, quem stultus grex reliquus non aliter atque ductorem solitum arietem, sequebatur. Atque vtinam nos quoque Naturalium nostros duces ac magistros scientiarum, non sæpiusculè pecudum more, vt aliàs monui non quà eundem esset, sed quà itur, improuidè sequeremur. Hæc pecudum stupiditas etiam in prouerbium cessit, dum

Sæpè imus quà itur non quà eundum esset.

Veruecum in patria, crassoq. sub aere natos,

Homines stupidi cur pecudes vocentur.

Dicimus, quibus ingenium non ita perspicax est, sed subtiliore spiritu animali minùs irradiatum, quos itidem minimè emunctæ naris homines appellamus, quòd ouibus nares semper muco quodam diffluant. *Ouis & asinus*, inquit, *Ælianus* lib. 5. cap. 20. *ineptissimis sunt moribus & degeneribus animis*. Non sibi tamen ideò contradicit, cum de Ouibus loquens (vt paulo supra memini) ad parendum eas faciles dixit. Ferocitatem enim tantùm, atrocitatem & vafritiem cæteris fermè communem feris, ab illis remouere, & placidam quandam potiùs simplicitatem, aut stupiditatem inesse, innuere voluit: quæ in comparatione versutiæ & fraudis Vulpium & Luporum manifesta fit, quam imbecillam rationem vocat *Gryllus* apud *Plutarchum*, *Vlyssi* de ingenio bestiarum respondens, & inesse ouibus voluit, si cum Vulpe conferantur. Reliqua quæ *Leuinus* habet, non attingo: cum quilibet facilè perspiciat historicam *F. Gregorij* relationem multo ampliorem esse, & quæ ouium harum naturam magis ac intimiùs rimetur, & ob oculos ponat.

Sopitur aliqua contradictio Aeliani.

Alia authorum loca pro nostræ historiæ confirmatione.

Non desunt tamen alia authorum testimonia, quæ conclusionis loco hic breuiter interserenda existimo, si quid præsertim habeant, quod nostræ defectum narrationis supplere queat. *Iosephus à Costa* imprimis lib. 4. cap. 41. ait, DEVM paupercularæ huic genti, de iumentis simul seu onerarijs bestijs, & cibis atque amictu, in hoc vnico animali prospicere voluisse. Hoc enim *Indi* absque vlla ferme cura, sine victus certè delectu, cum obuio vbique gramine vescatur, nec soleis ferreis calceetur, nec frænis aut ephippijs cingatur, maxima cum vtilitate vti possunt. Recenset autem duas species seu genera, laniferum vnum, & alterum quodammodo lanis carens, oneribus aptius, ex quo nisi fallor, nostrum in Icone propositum est animal: lana enim vt apparet, exigua ipsi appingitur.

Oues Peruanæ duorum generum.

Pacos primas dicunt obstinatissimas & lanigeras.

Prioris generis Oues vocat *Pacos*, quæ obstinatissimæ sunt, vt inde prouerbio pertinacissimum & duræ cerucis hominem *impacatum* dicant. Hæ vbi in terram semel ira percitæ prouolutæ, iacent, remedijs vix vllis inde dimoueri & erigi possunt. Aliquando tamen placantur, vbi Barbarorum quispiam illorum, trium vel plurium horarum spatio eis assideat, blandiatur, & suauibus ipsarum iram verbis deliniat. Ex lana huius, duplicis differentiæ, pannos texunt incolæ: viliorem *Hauasca* vocant, delicatiorem *Cumbi*: & quod mirum est, ex vtraque panni parte, ita lana prominet, vt nulla filorum vestigia emineant. Tinguntur colore ex herbis expresso.

Secundæ minus lanigeræ.

Secundi generis, quæ breuioris nempe lanæ sunt, hoc habent, quo risum mo-

uent,

uent, cum aliquando erectis capitibus diutiſſimè actores ſuos aſpiciant, quaſi admirabundæ, imperterrito quodam, & nec metus nec gaudij participe animo, elatæ. Nonnunquam tamen perterritæ fugam arripientes in ſcopulos ſe cum onere recipiunt, vnde vt dimoueantur, arte nulla effici poteſt, niſi ſclopetis interfectæ decidant, vt argentum, quod plerunque geſtant, recuperetur. Addit *Ioſephus* inſuper non ſemel ſe miratum, cum videret ex Monte *Potoſi* vſq. ad *Aricam*, ſeptuaginta ſpatio leucarum, aliquando 2000. *Barras*, ſiue argenteas quadras, quæ ad minimum 300000. ducatis cenſeri poſsint, ab his ouibus geſtatas fuiſſe, nullo comitatu aut ſatellitio ſtipatis. Nam præter pauculos *Indos*, qui viam præirent, & onera moderarentur, vix vnus atque alter *Hiſpanus* congrediebatur. Tantam eſſe ait viarum in *Peru* ſecuritatem. Ita vt etiam ſub dio dormirent, vbi actores tentoria erigebant, & ſuccenſis lignis potu ac epulis viarum tædio medebantur. Si iter longum conficere coguntur, quatuor ſingulis diebus leucas abſoluunt: ſin vnius ſolius iter diei aggrediantur: octo vel decem etiam leucas emetiuntur. Quæ ſequente capite de *Bezoardicis* lapidibus, quorum ex his ouibus, *Pacis* nempe, aliqui extrahuntur, ſed, vt ſupra quoque dictum, minimæ efficaciæ; ea ad alium à nobis locum reſeruantur, vbi datà operà forſitan de *Bezoar* fuerit diſputandum.

Hæ habent quid ridiculi.

Securitas viarum in Perù.

Ioannes Baptiſta Corteſius Medicus Meſſanenſis in ſuo laborioſo, ingenioſo tamen Miſcellaneorum medicorum opere, Decade 8. *Bezoar* lapidis hiſtoriam deſcribens ex *Ioſna Ferro* duorum meminit horum animalium, *Glamæ* & *Paci*. Et *Glamam* ait eſſe maiorem *Paço*, & vbi cum onere ceciderit illa & forſan irritetur, tanta nonnunquam bile commoueri, vt mordeat, & ſimul quicquid comederit ac biberit, ad os reuocet, & huius partem violenter in hominum faciem inſpuat. De *Paco* nihil aliud addit, quam obſtinationem ipſi ſummam, quæ vocabulo *Pacos Indis* deſignatur, ineſſe: carnem etiam habere ſapidam, & vtilem.

Quæ de his ouibus Ioan. Bapt. ſta Corteſius habeat.

Si quæ adhuc reſtant, ad ouium harum naturam explicandam attinentia, ea apud alios rerum *Indicarum Occidental.* Scriptores legi poſſunt: non lubet huc omnia tranſcribere. Hoc vnum interim non leue alicui dubium ciere poſsit: An reuera inter oues hæc animalia cenſenda veniant? Ego profectò, quid hic certi conſtituam, non habeo. Formà hæ oues, ſi gibboſitas, & ſtrumoſitas in dorſo eſſent, cum *Camelis* haud difficulter conuenirent. Biſulcæ imprimis ſunt, paruo capite, elongato collo, ruminant, & non ſunt cornigeræ: quod *Ariſtoteles* nulli excornium, excepto *Camelo* & piſce *Scaro*, conceſsit: qui, Idem lib. 5. Hiſt. anim. cap. 2. ait, *quod vterque mas & fœmina Camelus, totam diem coitu tranſigant*, quod ſupra de noſtris his quoq. *Indicis* ouibus aſſeruimus. Cruribus quoq. *Camelorum* more, onera aut depoſituræ, aut recepturæ, ſe humi componunt.

Videantur alij etiam ſcriptores.

Dubitatur an ad oues an ad Camelos potius pertineant?

Atqui hæc non prorſus euincunt argumenta, licet enim excornes ſint hæ oues, fors hoc non mutat ſpeciem ſubitò. Cum *Boues* etiam in *Scythia Hippocrates* lib. de aere, aquis & locis, abſque cornibus naſci teſtatum reliquerit, quod præ frigore regionis cornua eis non enaſcantur. Et ceruæ Ariſt. & ſenſu teſte, cornibus carent, & pleræque in *Gallia*, quod *Scaliger* quoque aduertit, & in *Germania* ſine cornibus fœminæ oues ſunt: non ita in *Italia* tamen, vbi arietes mirè quoque præ alijs regionibus cornibus luxuriant. Vidi hìc non bicornes

modò,

Ex dentibus signa veriora sumi potuissent.

modò, sed tricornes, quadricornes, quinquecornes, & secornes. Vnicornes nondum conspexi.

Quod si mihi capitis earum, aut solorum copia dentium concessa fuisset, iam ad *Oues*, an ad *Camelos* accederent, magis perfectè, quod in alijs quoque præstiti animalibus, diiudicassem. Carere eas dentibus incisorijs in superiore maxilla, & in inferiore duos grandiores & erectiones ex incisoribus, eminere, iam in historia notatum fuit. Horum occasione hic plura de *Bidentibus* dicere possem, quæ rixa tamen ad politioris tantùm literaturæ viros pertinet, quamque apud *Aldrouandum*, vbi de *Oue* tractat, videre poteris, satis bene enucleatam.

An sui generis sint animalia.

Quid? si quis hanc *Glamam*, & hunc *Pacum*, nec *Oues*, nec *Camelos*, sed sui generis animalia appellaret? non video cur grauiter ideo peccaret. Neque enim Aristoteli propterea error affingendus foret, quod præter cornigera solum inter quadrupedia *Camelum* ruminare scripsit: hæ autem *Peruanæ* nostræ pecudes, nec cornigeræ sint, nec *Cameli*, & ruminent tamen. Ignoti enim nulla scientia, aut dementia est: *Aristoteles* autem nec animalia *Noui mundi* esse sciuit,

Aristotelis error circa zonam torridam.

nec ibi viuere posse vnquam credidit, intra *Tropicos* præsertim, à quorum torrida regione & bruta, & homines, & plãtas ipsas longè exulare, ob infirmas rationes quasdam, à sensu & experientia funditus iam euersas, & solo datas, voluit. Sunt autem in *America* plurima animalia à nostris essentiali quadã ratione, non externo saltem habitu discrepantia, vt aliàs quoque monui, quorum in numero, si quis *Peruanas* has *Oues* collocare velit, per me licebit: sin minùs, *Oues* sui generis appellitet, vtrarumque enim historiam, mores, ac proprietates si intimiùs examinet, quid ipsi iudicare ac credere opus fuerit, probè & cõfestim intelliget.

Quæ autem *F. Gregorius* de Ouium earundem scabie, & huius medela ex sulphure monuit, cum nostris ea planè ouibus conueniunt. Quandoquidem & nostræ contagiosa hac lue, vnde *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile*, non

Nostræ oues cum Peruanis eodẽ morbo vexantur & ijsdẽ remedijs curantur.

rarò corripiuntur, & sulphure etiam rectè percurantur. Cum enim ante annos hos viginti quatuor, *Tibur* animi gratiã, & ad mõtem inde *Ianuarij* dictum, *Principis Cæsij* nostri proprium, videndarum, & colligendarũ ibidem stirpium causà proficiscemur, Ego & *Henricus Coruinus*, solertissimus *Romæ* pharmacopœus, & mirus phytognostes, amicus mihi percharus: vidimus per *Albulas Aquas*, sapore non satis grato, odore sulphureo, coloreq. albo & corrupto præditas, in via *Tiburtina*, oues quamplurimas sæpius transigi. Et cum rationem huius ab Vpilionibus sciscitaremur, oues scabie laborare respondebant, cui sulphureus hic & breuissimus fluuius mederetur. Distat autem hic à *Tiburtina Vrbe* quatuor passuum millibus, quod olim *Martialis* quoque 1. Epig. 13. notauit.

Henricus Coruinus miram stirpium notitiam habet.

Albularum aquarum origo & progressus.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulphureis Albula fumat aquis.
Rura nemusque sacrum, dilectaq. iugera Musis,
Signat vicinà quartus ab vrbe lapis.

Hæ ex Lacu sulphur olente (quem simul vidimus, & in eo breues insulas herbis consitas, quæ sæpe aliquot paria boum sustinent, fluctuare admirati sumus) effluentes, ad *Anienem* vsque delabuntur. Has *Virgilius* 7. Æneidos, his versibus designauit.

At

At rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro
Fata ſonat, ſæuamque exhalat opaca mephitin.

Quem ſulphuris putorem, *Martialis* itidem innuere voluit 4. Epig. 4.

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Malles, quam quod oles, olere Baſſa.

Sed proh DEVM immortalem, quàm rerum omnium eſt viciſſitudo! Vbi nunc ſunt quæ ad *Albulam* olim fuerant, *Albuneæ* nemus? *Fauni* oraculum? dilecta Camœnarum, ſiue Muſarum iugera? & *Sybillæ Tiburtinæ* fanum? Hæc omnia eo loci in paſtorum nunc tuguria, & beſtiarum ſtabula commutata, gementes admirati ſumus. Vt verè *Seneca* ſcripſerit, de Conſolatione, vel quiſquis ille poeta fuit,

Tempus inducit magnam rerum Metamorphoſin.

Omnia tempus edax depaſcitur, omnia carpit,
Omnia ſede mouet, nil ſinit eſſe diu.

Et quo nunc quæſo earundem dignitas aquarum receſſit, quæ *Strabone* ſcribente lib. 5. ad multos ſalutiferæ morbos, tum potu, tum lauationibus adhibitæ laudabantur? Atque vt *Andreas Baccius*, quem in hac profeſſione mea Anteceſſorem habui, opere ſuo non ſatis laudando de *Thermis* teſtatur, illæ in *Auguſti Cæſaris* & *Neronis* quoque vſum ceſſerunt. Hæ à primarijs priſcorum temporum Medicis approbatæ fuerunt, *Antonio Muſa*, *Andromacho*, *Aſclepiade Archigene*, *Cælio Aureliano*, *Galeno*, *Aetio*, *Paulo Ægineta*, alijſque, ad neruorum morbos, coxendicum dolores, ſeminis profluuium, muliebres fluxus, ſanguinis vomitum & tardas veſicæ paſſiones. Recentiores etiam ad vrinæ ardorem, veſicæ vlcera, callos, arenulas, lapides extenuandos, ad calidas hepatis intemperies, & manantia vlcera puſtulaſque mirè commendarunt.

Albulæ olim in vſu medico laudatiſſimæ nunc in deſuetudinem abierunt.

Sed quotuſquiſque nunc *Romanorum* eſt Medicorum, qui *Galenum* ſuum lib. 1. de ſimpl facult. cap. 7. ſecutus, in vſum haſce reuocare, vel tentet ipſe, vel conſulat ſolummodo?

Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas!

Recentia & abſentia veteribus & propinquis præferuntur.

Vt vetera pleriſque & præſentia ſordeant, longinqua & noua mirificè placeant. Et ſic, quæ olim Imperij *Romani* Principibus medebantur, nunc abiectæ ac neglectæ, viliſſimarum vix ouicularum ad ſcabiem medicina remanſerunt. Cum tamen nunc eadem ſit Natura, idem cælum, tellus illa, quæ olim fuit: An igitur medicamenta, quæ quondam profuerunt, nunc eadem obfutura exiſtimemus?

Sed, ne hìc iterum nimietatem accuſes meam lector, hæc de *Ouibus Peruanis* ſatis ſunto.

AT O-

ATOTOTL

ALCATRAZ.

Onocrotalus Mexicanus dentatus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ROSTRVM in hac Aue crocei eſt coloris, dentes albi, lingua rubeſcit, quæ non ſatis porrecta apparet. Sacculus, quem piſcatoriam perã dicere queas; inferiori roſtro nexus ex rubro flaueſcens pendet, plurimis iſque rubellis fibris, venuliſq. diſtinctus. Superioris acumen roſtri, vnguis inſtar recurui, ad inferiora prominet. Oculorum area flauet, quorum albumen croceum, pupilla rubet, cuius centrum citrineſcit. Circulus verò tunicas oculorum ambiens, albus eſt admodum, vt hæc colorum varietas, miram intuenti hos oculos delectationem præbeat. Totam hanc peripheriam alia adhuc exterior linea ambit, carnei coloris, à naribus incipiens (quæ oculis ſunt viciniſsimæ) ad aures recurrens, & ab his ad oris rictum pertingens. Cæterum caput albicat, criſtã ad collum reflexa, alba croceaque, & denſa conſpicitur. Collum integrum, & venter inferior totus ad caudam vſque albentis ſunt, & ſuauerubentis coloris. Alarum principium candicat, poſtea nigret, dein iterum albet, extrema in longum denuo nigrent. Cauda capiti ae criſtæ, colore reſpondet. Pedes trifidi diſtincti apparentes, intermedia tamen membrana cohærentes, vngues conſpicui, at recurui, calcar in poſteriore pedis parte, crocei coloris omnia, rubedine intermixtà. Totus animalis huius habitus magnam auem repræſentare videtur: in qua hoc etiam valde mirabile eſt, quod dentes, vel dentata roſtra habeat, quibus illæ, quas noſtris in regionibus vel captas vidimus, vel deſcriptas legimus, prorſus carent.

ATOTL

ATOTOTL

Onocrotalus Mexicànus non dentatus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

AVIS hæc vt clarè patet, priori congener eſt: hæc ſola inter vtramque differentia conſpicitur, quòd dentes in hac nulli adſint. In ſuperiori roſtri parte membranaceum quid eminet, eiuſdem cum roſtro coloris, rubri nimirum, quo ſacculus etiam venis hinc inde diſcurrentibus tinctus apparet. Oculi in hac omnino minores, quorum medium nigricat, circulus autem & veluti halo, ipſos ambiens, eſt croceus. In criſta plures, ſubtiliores, ac longiores ſunt plumæ. Reliquum corpus & alæ, à priore aue non differunt colore. Pedes autem non flauent, ſed rubent. Sacculus in vtraque alite principium ſuum à gutture deſumit, & ad roſtri vſque inferioris extremum protenditur, & vt apparet, cum hoc ipſo pertuſo ac peruio continuatur. Lingua in hac tota rubra, quæ conſpiciendam valde ſe præbet. Adeſt tamen adhuc inſignis in vtriuſque collo diſcrepantia, vt intuenti eſt manifeſtum; quod illud in priore cygnæum quaſi ob longitudinem, hoc columbaceum veluti, ob breuitatem exiſtat.

SCHOLIA EIVSDEM.

ADmiranda magis, abſtruſiora, & pluribus inuoluta controuerſijs, non puto in vniuerſo animantium genere, quàm quod *Auium* eſt, à naturalium Scriptoribus hiſtoriarum, literis conſignata fuiſſe. Cauſam hanc ego eſſe facilè conijcio, quod à noſtra, in qua nos viuimus regione, pleræque aues diſſitiſſimæ volent, quæ aerias habitare domos, vt plurimùm aſſolent. Quare & Pſaltes dixit: *Benedicite omnes volucres cæli Domino*, per cælum aerem ipſum intelligendo. Hinc mirum minimè eſt, ſi minorem earundem, quàm alia-

Cur tam perplexa ſit Auium hiſtoria.

rum beſtiarum quæ terram & aquas incolunt, notitiam poſſidemus, ſi non tam exterum corporis habitum, quàm mores atque ingenium earundem conſideremus.

Quibus authoribus plurimum debeamus in auium hiſtoria.

Maximam itaque gratiam debemus *Ariſtoteli, Plinio, Solino, Æliano* & *Alberto Magno*, qui auium diffuſam nobis cognitionem reliquerunt: nec minorem ex Iunioribus *Vlyſſi Aldrouando*, qui tribus ſuis Ornithologiæ voluminibus eam poſteritati conſignauit, quæ antiquorum non modò ſcripta dilucidarunt, ſed & veteribus noua plurima adiunxerunt.

Verumenimuero, cum Naturæ campus tam ſit amplus, vt rectè *Plinius* dixerit, *Nos omnem experimentis naturam aſſequi non poſſe*, nedum vt vnius hominis vita, breuis illa & ærumnoſa, peruideat omnia; commendandi ſunt quorumcunque etiam conatus, qui antiquis recentia, & non rarò veriora addere moliuntur. Ex horum ego numero laudare poſſum Illuſtriſs. Equitem *Caſſianum Puteum Lynceum*, & *Carolum Antonium* ipſius Germanum, nobile par fratrum.

Caſsianus Puteus Lynceus & Carolus Ant. fratres laudatiſsimi, in animal. hiſt. enucleanda.

(*Queis non deſidias molles, nec marcida luxu*
Otia, nec ſomnos animus permittit inertes)

Qui animi ſcilicet, gratiâ ad iucundiſſimam animalium contemplationem, à grauioribus ſubindè negotijs ſtudijſque diuertentes, nullis parcunt ſumptibus, vt ex peregrinis etiam regionibus *Aues* conquirant, & præſertim domi ſuæ detineant atque examinent, per proprium ad id operis deputatũ pictorem delineari quoque curent, hunc ſolum ob finem; vt veritatem, quæ tam profundo latitat *Puteo*, ex hoc eodem, qui ipſis pro nomine, & armis Gentilitijs eſt datus, expiſcentur, & Naturæ ſtudioſis libentiſſimè communicent vniuerſis. Id quod nuper quidem ſimili cum ipſis ſtadio decurrens, *Ioan. Petrus Olina* I. V. Doctor familiaris eorundem, in præclaro ſuo Romæ euulgato Auiario comprobauit.

Ioan. Pet. Olinæ auiarium laudatur.

Perplexam autem eſſe auium hiſtoriam, vel hinc ſaltem dignoſcere licet. Vt enim iam nihil dicam de auibus illis, quas etiam *Plinius* lib. 10. cap. 49. pro fabuloſis habet, alatos eſſe *Pegaſos* ex volucriũ genere, & *Gryphas* aurita roſtri aduncitate, licet idem lib. 7. cap. 2. ex *Herodoto* & *Ariſtea Arimaſpos* ad Septentrionem ſitos populos, (ſine vlla fere hæſitatione) cum gryphis ferarum volucri genere, vt aurum his cuſtodientibus eripiant, bellum gerere ſcribat. Et fabula quoque ſit, ex *Democriti* mente aues eſſe, ex quarum confuſo ſanguine ſerpens naſcatur, quem qui comederit, alitum colloquia ſit intellecturus. Vt inquam, de his ac ſimilibus nugis nihil memorem; an non æquum fuerit, de alijs nonnullis dubijs non minùs, quamuis pro certiſſimis à nonnemine creditis, inquirere, & quid firmi ſtatuendum ſit, ſemel tandem explorare?

Cur auium tractatio ſit perplexa.

Fabuloſæ aues.

Et de *Phœnice* quidem quid referam? de qua licet *Plinius* dubitet, *Manilius* tamen apud eundem, hanc annis viuere dixit centum & ſexaginta, & ſeneſcentem, ex Caſiæ & Thuris ſurculis conſtruere nidum, rogumq. replere odoribus, & ſuperemori: atque vt *Herodotus Mela, Solinus*, plureſque fide digni Scriptores conteſtantur, inde renaſci quoque. Quid de *Vulture*? num verum ſit, omnes in hoc auium genere eſſe fœminas, vt *Ælianus* affirmat, quæ ex vento concipiant, ideoque nec nidificent, nec oua ponant & excludant, ſed ſtatim alatos & volatiles

Præter fabulas meras ſunt multa dubia in auibus exploranda.

De Phœnice.

De Vultre.

tiles pullos pariant. Quid de auibus illis? quas *Bernecas* quidam doctiſſimi viri, *Berneſtas* alij vocant,& Anates Scoticas in *Scotia* & *Hibernia* ex putrido ligno in mare delapſo naſci ſcribũt, quas ideo quadrageſimali ieiunio eſiles cenſent, veluti ab animantibus non procreatas è ſanguine. De his *Fabius Columna Lynceus* noſter circa finem *Phytobaſani* ſui, doctiſſimè diſputat,& *Balani marinæ* ſpeciem eſſe arguit. Quid de *Iſida* aue? cuius detractam cum plumis pellem, & parieti affixam Libro de *Natura rerum* Author, & alij tradunt,quotannis pennas mutare, ac ſi auis viueret. *Albertus magnus* hoc negat, *Simon Maiolus* verò in diebus ſuis *Caniculatibus*, adhuc Neapoli id videri aſſeueranter affirmat.

De Anatibus Scoticis.

De Iſida.

Simon Maiolus colloquiador. canicular. ſcripſit.

Apud hunc eundem *Maiolum* ſexcenta alia de noſtri etiam Orbis auibus reperies, quæ lecta vel audita miraculi inſtar animum concutiunt, & Authoribus tamen ſuis fidem his aſtruentibus, minimè deſtituuntur. Eſſe nimirum aues cornutas,deplumes,piloſas,noctu lucentes,ſolo aere victitantes,ferrũ deglutientes & digerentes,humanas voces tam Latinè quam Græcè imitantes,in deferendis epiſtolis nuntiorum loco ſeruientes, perpetuo volatu vitam finientes,nidos ſuos mari ſoli credentes,ſupinas etiam;cũ pleræq. pronæ hoc faciant,volitantes.

Apud hunc plurima de auibus mira legũtur.

Sed vt propiùs ad inſtituti noſtri rationem accedam, controuerſia minimè caret,quid ſit *Pelicanus*,adeò à veteribus decantatus, à pictoribus delineatus, & à plebecula, veneratione ferme quadam cultus & æſtimatus, quem aliqui *Onocrotalum* (de quo inpræſentiarum nobis ſermo eſt)eſſe voluerunt, alij negarunt, alij eiuſmodi auem quæ, veluti depingitur, pectori vulnus ſuo infligat, & ex ſanguine proprio ſemimortuos ſuos pullos reſuſcitet, in rerum vniuerſitate reperiri audacter pernegarunt.

Pelicanus etiam dubius.

Quare nec ego operam omnino luſero,*nec me labor iſte grauabit*,ſi eandem adhibuero diligentiã in *Auibus*,quas præ manibus nunc habeo, quã in Quadrupedibus à me hiſtorico ſtilo expeditis,vel præſtiti,vel præſtare ſaltẽ anniſus fui, cũ à *F.Gregorio* præſertim in his parum adiutus fuerim: operi itaque me accingo.

Commodùm certè euenit,vt *Quem Peruanam* ruminantẽ ſcilicet beſtiam, Auis nunc inſequatur inter omnes forſan volucres,hęc ſola illud admirationis habẽs, vt ruminanti quid ſimile moliatur, *Onocrotalus* nimirum, de quo *Plinius* lib 10. cap.47.hęc concepta verba habet.*Olorum ſimilitudinem Onocrotali habent,nec diſtare exiſtimarentur omnino,niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal cõgerit,mira vt ſit capacitate. Mox perfecta rapina ſenſim inde in os reddita,in verã aluũ ruminãtis modo,refert. Gallia hos Septentrionalis proxima Oceano,mittit.*

Onocrotalus quaſi ruminans auis, aliam ruminãtem beſtiam hìc ſequitur.

Atqui vt vt ſit,*Cygno* in multis *Onocrotalum* eſſe ſimilem,cum vtræq. aues ſint γναμπόδες ſiue palmipedes, & aquas non modò ament, ſed in his ob pedum præcipuè ſtructuram, etiã natent;quod Ciconiæ, Ardeæ,& Grues,licet frequentiſsimè aquis adſint,facere tamen rarò ſolent, quibus volatus quam natatio magis congruit: & vt corporis ſtaturà, & pennarum colore vix etiam differant (niſi quod *Cygni* candidiſsimi,*Onocrotali* alterius coloris eſſe poſsint,qui etiam,vt mihi videtur, Cygnis longè maiores excreſcunt) vt ob dictam iam ſimilitudinem, *Aldrouandus* etiam in tertio ſuæ *Ornithologiæ* volumine *Cygno Onocrotalum* ſubiungere nõ dubitauerit. Differunt tamen haud parùm,nõ ob ingluuiem (ſeu vt *Plin.* vocat, vterum) ſolummodo roſtro ſubnexam, ſed ipsà etiam formà

Conueniũt & differunt inter ſe Cygnus & Onocrotalus.

tam roſtri, quod longius multò eſt in *Onocrotalo*, quàm colli, quod vice verſa in *Cygno* longitudine præcellit. Hæc mihi vtramq. gnauiter intuenti auem comperta ſunt, non ſolùm cum politiſſimum ex *Cygno* (quem fel. mem. *Virginius Cæſarinus Lynceus* mihi donauerat) ſceleton confici curarem, quod domi adhuc meæ aſſeruo; ſed cum aliquoties *Onocrotalum* viuum quoq. *Romæ* Anno Iubileo 1625. viſum accederem.

Quæritur ad quodnã genus auiũ Onocrotalus pertineat.

Verumenimuero, antequam de proprio hìc ego quicquam dicturus ſum, pro mei ratione inſtituti diſquirẽdum erit, ſub quo nam auium genere *Onocrotalum* collocandum cenſeamus. Et an communi præceptori noſtro *Ariſtoteli* is innotuerit? De hoc enim plurimùm inter ſe *Aldrouandus*, & Germanus Ornithologus (a quo *Aldrouandus* pleraq. in ſuos deſumpta commentarios tranſtulit) altercantur. Et eſt hæc non omnino de nihilo diſputatio. *Aldrouandus* igitur in veſtibulo ſtatim ſuæ de *Onocrotalo* tractationis, *Sed priuſquam* ait, *huiuſce alitis historiam exordiar, beneuolum lectorem volo admonitum, eum verò potiſſimum qui Ornithologi* (hoc autem nomine Geſnerum intelligit) *de auibus lucubrationes legit, ne vnà cum ipſo Onocrotalum diuerſum à Pelecane Ariſtotelis exiſtimet. Ornithologi enim Pelecan (ſiue vt vocant recentiores, Pelicanus) Ardeæ genus eſt.* Vult igitur *Aldrouandus*, cum apud *Ariſtotelem*, nuſquã Onocrotali vox reperiatur, quotieſcunq. *Pelecan* apud ipſum legitur, intelligi à nobis *Onocrotalum* debere. Quam etiamopinionem ſuam firmiſſimis probari poſſe argumẽtis, ſibi perſuadet. Interpretes *Ariſtotelis Gaza* & *Scaliger*, & ante hos *Plinius*, pro *Pelecane Plateam* reponũt. *Cum enim* Ariſt. lib. 9 Hiſt. animal. cap. 10. dixiſſet *Platea* (Græcum verbum eſt πλατεια) *fluuiatilis conchas maiuſculas laueſq. deuorat, quas vbi ſua ingluuie coxerit, euomit, vt hiantibus iam legat, teſtis exuens, atque edat.* Et hæc ex Gazæ verſione. Hæc ipſiſſima penè verba *Plinius* lib. 10. cap. 40. repetit. *Platea*, ait, *cum deuoratis ſe impleuit conchis, calore ventris coctas euomit, atque ita ex ijs eſculentas legit, teſtas excernens.* *Plinius* igitur, quod *Ariſtoteles Pelecani* tribuit, ad *Plateam*, & non *Onocrotalum*, traduxit. Quin diuerſo etiam capite de *Onocrotalo* locutus eſt, quem locum ſupra attulimus, cum *Cygno Onocrotalum* ſimillimum fecit.

Aldrouandus putat Ariſtotelis Pelicanem eſſe Onocrotalum.

Videntur huic repugnare Ariſtotelis interpretes.

Hi potius Pelecanem vocant Plateam.

Volui porrò ad vaſta *Scaligeri* Patris commentaria, ceu aliquod veritatis tribunal appellare, vt ipſe æquum ſe iudicem inter litigantes hoſce interponeret, & rixas has tandem cõponeret. Verum nihil extorſi, hic enim modò affirmat, modò negat, & nos ſub cultro relinquit. Cum enim *Ariſt.* lib. 8 cap. 14. vt ipſe textum Scaliger diuidit, dixiſſet. *Et Plateæ locum mutant, volantq. à Strymone fluuio ad Danubium, atque ibi pariunt. Scaliger* hæc in commentario. πελεκάνες *Plateæ ex Plinij Decimo, quem miror, quòd nomen Græcum non appoſuit. Qui Plateam & Onocrotalum putant eſſe eaſdem aues, Plinij authoritate ſuam ſi velint, tueri poſſunt opinionem: videtur tamen eas diuerſas facere. Onocrotalum quidem Galliæ ſeptentrionalis facit incolam: at Plateam Ariſtoteles Strymonis, & Danubij.* Hic idem *Scaliger* tamen ad iam *Ariſtotelis* laudatum locum 9. Hiſtor. *Plateas quæ in fluuijs degunt, deuorant magnas conchas, eaſque laues &c.* Hæc in commentario adiungit. *Plinius in Decimo Plateam* πελεκάνα *vocat. Puto eſſe Onocrotalum, quem etiam nonnulli Italorum Tarabuſum dicunt. Huic prolobus, ſiue ingluuies vaſtiſſima. Conchas quia non poteſt frangere, integras deuorat. Ex calore coactæ hiant, ita*

Scaliger conſulitur, ſed amphibologicè loquitur.

ita euenit vt carnes exeant. Vides, vt dormienti similis modò annuit, modò abnuit.

Aldrouandus interim pertinacissimè sua in opinione persistit, *Pelecanem Aristotelis* esse nobis dictum *Onocrotalum*; & quam pro Platea, & Pelecano auem Ornithologus depingit, quæ etiam *Cochlearia*, *Anser Cochlearius*, ab Italis *Cuchiarella*, à Germanis *Lœffelgans*, appellatur; quòd rostrum huius auis Cochlear apprimè imitetur, hanc inquam *Aldrouandus Ardeam* potius *Albam*, siue *Albardeolam*, & λευκορώδιον *Aristotelis* firmissimè credit, vt quæ cum *Aristotelis Pelecane* commercij, prorsus nihil habeat. Aldrouandus suam adhuc tuetur opinionem.

Argumenta suæ huius opinionis duo promit planè Herculea, quorum *primum*, sed minoris vt ait, ponderis hoc est: *Pelecanem Aristotelis* τὸν ἐν τοῖς ποταμοῖς γενόμενον, *id est, in fluuijs agentem, hoc est, palmipedem esse. Leucorodius verò, siue Platea illa, & Ornithologi putatus Pelecanus, prope tantum fluuios & aquas versatur*, ergo Aristotelis *Pelecan* minimè esse poterit. *Alia ratio est*, ait, *eaque longè maioris momenti: capacissima illa ingluuies, quam vt diximus, Plinius tribuit Onocrotalo, nam & Aristoteles suæ Pelecani eam attribuit, nimirum* τὸν πρὸ τῆς κοιλίας τόπον. Quod nempe Arist. dixerit Pelecanem suum ingerere conchas in ingluuiem &c. Duo Aldrouandi argumenta.

Veruntamen hæc, vt quod res est, dicam, non talia sunt, quæ si Ornithologo fauere velim, in partes *Aldrouandi* me trahere valeant, Neque etiam Ornithologi rationes eiusmodi sunt, quæ, vt ipsis assentiar, me cogere possint. Euenit huic planè, quod nonnullis Iuris & æqui peritis accidere solet, qui bonam dum causam & actionem, non bonis satis, firmisq. legibus tueri moliuntur, fine suo haud quaquam potiuntur. Hæc tamen parum mouent.

Quod autem *Aldrouandus* minoris efficaciæ argumentum, & primo loco, quod maximum tamen est, se afferre dixit, hoc fuit. Plateam, siue Ornithologi Pelecanum esse *Ardeæ* speciem, *Ardeæ* autem nõ sunt palmipedes, est autem *Aristotelis* Pelecan palmipes; consequitur igitur facilè victoria *Aldrouandum*. Et habet is Ornithologum hìc sibi obsequentissimum, qui lib. 3. de auibus Cap. de *Pelecano*, his verbis *Pelecanum* ex Ardearum familia facit. *Videtur sanè mihi Pelecanus noster, ardearum generi adnumerandus, in quo non tam alio insigni, quàm rostri latitudine differt, quamquam Aristoteles etiam Ardeæ albæ rostrum latum & porrectum attribuit*. Verba hæc totam euertunt Ornithologi machinam, & *Aldrouando* suffragantur. Si enim hìc *Aldrouandus* euicerit *Plateam*, siue *Pelecanum* Ornithologi, siue anserem hunc Cochlearium ex Ardearum esse genere, iam meritò de sua causa triumphabit. Primum argumentum efficax est, & examinatur.

Duo igitur hìc pro indubitatis sunt præsupponenda, priusquam priori huic obiectioni respondeatur. *Primum* nempe, *Pelecanem Aristotelis* auem esse aquaticam & palmipedem, quod superiùs quoque probatum est. Palmipedes autem eodem teste *Aristotele*, in aquis maximam partem viuunt, vnde etiam Natura pedum digitos ipsarum membranà coniunxit latiore, vt his tanquam remis, ad natandum vti valerent. Fidipedes verò illæ appellantur, quarum pedum digiti sunt diuisi. Harum aliquæ nonnunquam etiam aquas ingredi solent, & ex harum genere sunt *Ardeæ*: *Aristotelis* textus lib. 8. cap. 3. hist. anim. clarissimè hoc docet. *Omnium ferè auium aliæ victum è terra petunt, aliæ à fluuio, aliæ à lacu, aliæ* Vt quæstio hæc resoluatur, duo sunt præsupponenda.

Differentia inter palmipedes & fidipedes.

à mari. Sed palmipedes in ipsa aqua partem maximam versantur, & aliquæ ingurgitantes se, quærunt quod comedant. Fidipedes circa aquam, earumque nonnullæ terra contentis altilibus vescuntur, quæ scilicet carnem non tangunt. Petit lacus & fluuios Ardeola & Albardeola, quæ magnitudine minor est, rostro lato porrectoque.

Secundum præsuppositum.

Secundum verò, quod tanquam concessum pono, & iam ex Aristotele probatum existimo, hoc est. *Ardeas* non esse palmipedes, nec in aquis (quod tamen *Pelecan* facit) vt plurimùm agentes. Cum enim ait Aristoteles: *petit lacus & fluuios Ardeola & Albardeola*, iam præsupponit eas non esse ex fluuiatilibus, de quibus paulo ante locutus fuerat. Et eò magis, quia de his mentionem facit, cum iam de fidipedibus deseruisset, quod his potius *Ardeas* associaret.

Pelecan non est ex Ardearum genere.

Ornithologus quoque de *Ardeis* in genere agens, hæc habet verba. *Digiti pedum terni, longi, membranis modicè iuncti, & quartus retro pro calce similiter longus.* Quæ ipsissima verba *Aldrouandus*, ardeas in genere explicans, repetit. Non igitur Ardeæ fuerint palmipedes. Accedit huc, quòd vterque picturâ & iconibus ostendant, quantum *Ardearum* pedes liberi, explicati, nullâ fere membranâ connexi, differant à *Cygni*, *Onocrotali*, *Anseris*, *Anatis* & similium palmipedum volucrium pedibus, qui non aliter ac vespertilionum alæ tenaci & coriaceâ membranâ compinguntur. Et ego, qui Ardeæ sceleton adhuc inter alia habeo, & olim etiam Plateam, siue Cochleariam secui, quod discrimen in harum pedibus repererim, adhuc bene memini.

Vt Pelecã Arist. non est Onocrotalus, sic neque Cochlearia est Ardea.

Non igitur, quia apud *Aristotelem Pelecan* scribitur fluuiatilis auis, qualis *Onocrotalus* est, ideò *Onocrotalus est Pelecan Aristotelis*, vt iam *Aldrouando*, hoc probare tentanti, cum rationibus firmis refragati sumus. Neque Ornithologo me addico asserenti, *Plateam* sibi dictam, siue *Cochleariam*, esse ex *Ardearum* genere: certissimum enim est, longè differentem *Ardeis* magis faciem esse, quam huiusmodi *Plateis*, quod ex supra dictis itidem deduximus. Ego itaq. existimo *Plateam*, siue *Cochleariam*, ad *Anserorum ferorum* speciem potius reducendam, non modò quia *Anser cochlearius*, *Germanis* (quod idem est) *ein Lœffelgans* nominatur, sed quia rostri, colli, alarum & pedum constructio ad anserem multo viciniùs, quàm *ardeam* accedit.

Cochlearia videtur ad anseres accedere.

Videndum modò, an *secundum Aldrouandi* argumentum tantæ sit efficaciæ, vt in ipsius nos manibus pedibusq. cogat ire sententiam. Est autem hoc, quòd *Pelecani* suæ *Aristoteles* velit inesse *ingluuiem*, in quam conchas nonnihil coquendas, indeq. reuomendas conijciat: hanc autem ingluuiem non esse in alia aue, quàm in *Onocrotalo*.

Respõdetur secũdo Aldrouandi argumẽto.

Sed hìc *Aldrouandus* pro vero supponit, quod probandum priùs fuerat, per ingluuiem *Pelicanis*, sacculum illum *Onocrotali* externum intelligendum esse. *Gaza Aristotelis* textum ita vertit: *Quas conchas, vbi sua ingluuie coxerit, euomit, vt hiantibus iam legat, testis exuens, atque edat.* Paulo aliter *Scaliger*: *Quas cum receperint eum in locum, cui ventriculus subest, euomunt, vt hiantibus illis, exemptâ vescantur carne.* Scio quidem *Scaligerum* hìc *prolobum*, siue peram illam externam designare velle. *Plinius* loco citato, hunc locum suis ita verbis retulit: *Eadem Platea, cum deuoratis se impleuit conchis, calore ventris coctas euomit, atque ita ex ijs esculentum legit, testas excernens.*

Variæ interpretum Arist. versiones.

Hæc

Hæc omnia adducta ſimul loca, neſcio quomodo nos cogant, vt potiùs externam, quàm internam, vel ingluuiem propriè in auibus dictam, vel ventriculum, vel aliud huic annexum, concharum receptaculum intelligamus. *Plinius* manifeſtis inquit verbis, *calore ventris* (qui intus eſt, & non extra propendet venter, quem non ventrem in *Onocrotalo*, ſed alterum veluti vterum appellauerat,) conchas prius macerari, & poſtea euomi. *Auguſtinus Niphus* quoque dictum *Ariſtotelis* locum ita explicat, vt de interno aliquo, non externo ſinu loquatur. *Ælianó*, inquit Niphus, *eluuies, & ingluuies, & receptaculum gulæ appoſitum idem eſt, quàm Albertus perperam pappam appellat, quoniam pappa ſecundum Latinum ſenſum eſt puerorum cibus, tamen Albertus conſueuit accipere pro receptaculo auis, in quo primum cibus reponitur, ſcilicet antequam deducatur in ventriculum, vbi concoquitur.* Viden' vt huic non de illa determinata Onocrotali pera, quam aliæ non habent volucres, ſed auium plerarumq. aliquo ante ventriculum poſito receptaculo, ſermo eſt? Et eſt quidquam *Æliani* verbis clarius? qui lib. 15. cap. 46. *Pelecanes*, ait, *quæ alio nomine Platea, ſiue Plateleæ appellantur, fluuiatilibus ſe conchis complent, eaſque, cum ſtomachi calore concoxerint, euomunt, atque teſtis iam alui calore diductis, eligunt ex his, quæ ſunt eſculenta.*

Quid per ingluuiem poſſit intelligi.

Auguſtin. Niphus Ariſtot. commentator in lib. de animalibus.

Sed quid amplius nos authoritatibus pugnamus? ipſummet *Aldrouandum* confiteremur habemus, reperiri prope *Platea*, ſiue *Cochlearia* noſtræ quoq. ventriculum, intus ſcilicet, ingluuiei loco, magnum aliquem ſinum; in quo, quin *Platea* hæc conchas poſſit reponere (id quod *Aldrouandus* ſoli proprium *Onocrotalo* putabat) euomere, carnes ſecernere, & ad verum poſtea ventriculum demittere, atque digerere, quis amplius dubitabit? Cum is enim auem hanc, quam minimè cum Ornithologo *Ariſtotelis Pelicanem*, ſed huius *Ardeam* albam eſſe contendit, ſectam examinaſſet, ait ſe præter alia, quæ ibi deſcribit, ſequentia reperiſſe. *Ventriculus*, inquit, *nullis ſinibus aut aſperitatibus inæqualis, ſed læuis & ſimplex intus, Lucij piſcis fruſta quatuor ſemicocta continebat. Ingluuiei loco, quam nullam habebat* (cum ſint plurimæ aues, quæ hanc obtinent) *proxima ventriculo pars, ſeu orificio ſuperiori imminens, amplam ſatis habet capacitatem, ſeu ſinum. Vorax enim auis eſt, & integra omnia eſculenta deglutit, & in ventrem demittit, traijcitq.*

Aldrouandus ipſe noſtram tuetur ſententiam.

Qualis ventriculus ſit in Platea.

Ex his iam in vtramque partem agitatis, duo hæc elucere manifeſtiſſimè arbitror: *Primum, Aldrouandi* argumenta, hoc vltimum præcipuè, non id quod præſeferebant, probare: *Secundum*, apertum ſimul fieri, quàm arduum ſit, quod initio quoque dixi, ex antiquorum ſcriptis aliquid certi eruere. Incertum igitur eſt, an *Ariſtoteles Onocrotalum* nouerit: Incertum pariter, ad quodnam auium genus eundem referre æquum ſit. Hoc interim ex dictis certum eſt, *Pelecanem Ariſtotelis*, non eſſe *Onocrotalum*, vt *Aldrouandus* ſenſit. Obſcurum autem, an *Pelecan* ſit *Platea* illa, ſiue *Cochlearia* Ornithologi, & Recentiorum. Neque enim hæc ſola, *Pelecan* nempe, cibum deglutit & reuomit, facit hoc idem *Ælianó* teſte, *Ciconia* & *Ardea*: nec *Pelecan* tamen ideo *Ciconia*, aut *Ardea* eſt. Nunc itaque ad *Onocrotalum* properare libet.

Quæ certa quæ incerta in hac diſputatione ſint.

Principium hic ab epiſtola ſumam *Franciſci Stelluti Lyncei* noſtri, viri non tam ob Mathematica & Poetica ſtudia ſpectabilis, quàm ob moderatioris ani-

mi

mi virtutem amabilis, de quo aliàs quoque memini. Hic itaque ex patria sua *Fabriano*, ante sesquiannum sequentia de aue hac ad me perscripserat.

Amicissime & doctissime Domine Faber.

Epistola in qua Franciscus Stellutus Lynceus auem hãc describit, ad authorẽ missa.

Non dubito, quin iam aliæ tibi meæ redditæ sint literæ, quibus felicem meum, DEO fauente, reditum in patriam significaui. Cùm autem iam noua scribendi se offerat occasio, quam tibi non inrucundam fore spero, propter annotationes, quas in libri *Mexicani* Animalia meditaris, hanc prætermittere nec volui, nec debui.

Scias itaque, cùm ab amicis hìc inaudissem, auem peregrinæ formæ, & staturæ non solitæ, huc perlatam esse, ego absque morâ, qui eiusmodi rerum naturalium curiosissimus sum spectator, eò me loci contuli, vbi ostendebatur. Et ex primo statim picturæ, quæ præ foribus prostabat, intuitu, *Onocrotalum* esse cognoui, cum plures ante annos, in celeberrimo *Ferdinandi Imperati*, tibi olim amicissimi, Musæo *Neapoli*, eiusmodi auem sed mortuam, suâ tamen formâ integrâ conseruatam, vidissem. Volupe mihi est, hac in re opellam tibi meam vsui esse, & libro simul *Mexicano* symbolam meam conferri, cum non ignorem, in ijs animalibus, quæ doctâ tuâ indigent explicatione, *Onocrotalum* quoque reperiri.

Statura Onocrotali.

Est autem auis hæc, longè maximo *Anseri* maior, *Cygno* vel par, vel magnitudine etiam superior: coloris albicantis, verùm nõ candidi omnino, sed qui fuscedine & rubedine aliqua obscuratur. Nec vniformis hic etiã totius est color, cum alarum pennæ reliquis totius corporis plumis sint magis fuscæ. Tribus digitis membranâ quadam connexis, & retro calce, pedes constituuntur. Rostrum brachialis fere est lõgitudinis, sed minimè dentatum: superior rostri pars ad extremitatem instar vnguis alicuius auis, recurua deorsum flectitur. Non potui linguam videre. Conspexi tamen, vbi alioquin linguæ radix fixa hæret, corpuscula quædam perforata. In Capitis vertice eleuatæ quædam pennæ emicabant, cristam æmulantes.

Color.

Pedes.

Rostrum.

Ingluuies.

Burſa, quæ sub rostro pendet, & quæ ab alijs *Onocrotalum* alitibus differentem admodum efficit, membranacea est, quam ita nonnunquam auis hæc rostrum versus retrahit, vt ampliùs ferme non sit conspicua, eandem postmodum ita sibi dilatari permittit, vt plurimarũ etiam aquæ librarũ capax reddatur. Imo is ipse, qui auem hanc circumducebat, totum planè huic caput proprium inferebat, & in aliquam etiam Oesophagi partem penetrabat. Hanc etiam saltitare, & in spectatorum gratiam ludos alios exercere iubebat. Sed quoniam mihi certò persuadeo, eandem sequente anno, qui *Iubileius* erit, *Romam* deferendam fore, ideò reliqua breuitatis gratiâ, quæ ibi obseruare poteris, data hìc operâ, relinquo. Hoc solum adhuc mihi dicendum restat: dum, vbi locorũ *Onocrotalus* hic captus fuisset, inquirerẽ, hoc me retulisse respõsi; in *Germania* captũ prope *Danubium*, dum adhuc iuuenculus esset: quãuis postea intellexerim, quòd ab *Indijs* allatus esset, ductorem eius aliquibus persuasisse. Piscibus nutriebatur recentibus, quando ad manus erant; sin minus, sale saltem conditis. Qua ratione in fluminibus piscaretur, & ingluuiem suam inferciret, se monstraturum

Capacitas ingluuiei.

Locus natiuus.

Victus.

pro-

promiſit, quod prætermiſſum tamen fuit. Atque hæc quæ obiter obſeruare potui, boni fac conſulas: feliciſſimum interea tuorum tibi ſtudiorum progreſſum apprecor. *Fabriani* 10. Decemb. 1625.

Euenit prorſus ita, vt *Stellutus* prædixerat, anno enim proximè elapſo, qui fuit poſt *Chriſtum* natum milleſimus, ſexcēteſimus & vigeſimus quintus, iſque *Iubileius, Romæ* eundem *Onocrotalum* aliquoties cum voluptate vidi, & eadem ſingula, quæ ad me *Stellutus* perſcripſerat, annotaui. Miratus autem in primis ſum, cum ampliſſimè diducto roſtro, in vaſtam illam *prolobi*, ſiue ingluuiei voraginem, à viro magnæ ſtaturæ caput integrum abſcondi viderem, in quam poſtea triginta ferme librarum aquam fundebat, & effundebat, adeò ſacci illius membranà diſtentà, vt tranſparens etiam plurimis intercurrentibus fibris venuliſque, appareret.

Idem Onocrotalus Romam delatus ab authore viſus.

Prolobus caput viri magni abſcondebat, & triginta libras aquę recipiebat.

Duo recentes piſces *Merlucij* dicti, qui quatuor facilè libras pendebant, funiculo colligati, aui præbebantur, quos vlla abſque mora non in ſacculum ſuum recondebat, ſed per Oeſophagum repente in ventriculum deglutiebat. Paulo poſt deducto denuo animalis roſtro, vir is cubitum cum manu integrum in gulam demittebat, & apprehenſo funiculo piſces minimè fractos extrahebat. Tenuiter ipſum Dominus ſuus, & vilioribus piſcibus nutriebat, quod ſi mediocris pretij piſces offerre voluiſſet, aureus vix vnus in ſingulos dies nummus ſuffeciſſet. Vorax enim, quod alij omnes quoque annotarunt Scriptores admodum hæc volucris eſt. Addebat idem auis ille ductor, naturalis quodammodo loco miraculi, hanc ſolam reperiri beſtiam, quæ narium foramina non in capite, ſed intra roſtrum ad gulam ſita haberet, ibi enim foramina duo manifeſta mōſtrabat. Sed fallebatur vir bonus: erant enim illa non *Narium*, ſed *Aſperæ arteriæ* foramina, membranulà quadam intermedià diſcluſa, quæ principium laryngis conſtituebant. Nam in capite quoque duo manifeſta, quamuis exigua valde foraminula, ad cerebrum penetrantia deprehendi, quæ olfactui ſeruiebant.

Gula quātum dilatari poſsit.

Voraciſsimū eſt animal.

An mares habeat intra roſtrū.

Aſperæ arteriæ foramina pro naribus credita.

De *Lingua* (quæ in altero ex noſtris *Mexicanis* clariſſimè perſpicitur) hoc verum eſt, hìc eam me ſedulò perquiſiuiſſe, reperire minimè potuiſſe. Ornithologus in anatome huius auis, quam in ſuo opere deſcribit, mecum ſentit, *Linguam nullam eſſe*. Solius igitur Laryngis organo, abſque linguæ opera, abſonam illam rudenti *Aſino* ſimilem vocem edit, à qua ipſi nomen, cum *ἀπὸ Aſinum* ſignet, impoſitum arbitrantur. Ego hanc non audiui, verùm magiſter huius auis, ad iram cum ipſam prouocaret, & roſtrum percuteret, hæcque mordenti ſimilis facta, manum ipſius aliquando apprehenderet, ſtridorem & ſonum Ciconiæ (de cuius voce author philomelæ, *Gloterat immenſo de turre Ciconia roſtro*) aut aſeris inſtar emittebat, eumque ſatis exilem, & raucum. *Bellonius* vult, illam dum volat; ſonum alarum ictu ciere inſtar *Cygni*. Et quamuis videri poſſit, hanc grauem, tardam, melancholicam, & ad volatum ineptam prorſus eſſe; ſunt tamen qui mihi referunt, *Florentiæ* in Sereniſſimi *Magni Ducis* Theriotropheio viſam eſſe, quæ valde in aerem ſe libraret, & in eundem ſe placidè poſtea locum demitteret. Hæc autem, quam ego diligenter contemplabar, menſulæ cuidam quieta ſemper inſiſtebat, quam cum ipſius curator in terram deponeret, iuberetque, vt ad eundem locum, qui vix ſex erat palmorum altitu-

Lingua nulla inhacaue viſa.

Quem ſonum edat.

Quis ipſis volatus ſit.

altitudinis, euolaret, hoc ab illa ægrè impetrabat. Atqui hoc ego illi cauſæ, quod cicurata fuerit, & domi perpetuò detenta torporem quendam & corporis & animi contraxerit, tribuendum putauero. Scribit enim *Bellonius*, alioquin illam alacrem, animoſam, & capite recto ac ſublimi eſſe.

Valdè dubium eſt, quod ſit natiuum ipſius ſolũ.

De *Patria* huius certi nihil aſſeuerare valeo. Is ipſe enim, qui *Stelluto* meo hanc auem *Germanicam*; alijs poſtea *Indicam*, mihi *Luſitanicam* eſſe affirmauit, niſi ab *Indijs* in *Luſitaniam* allatam fortaſſe voluerit. *Plinius Gallicam*, *Martialis* his verbis,

Turpe Rauennatis guttur Onocrotali:

Italicam, & *Rauennatem*, *Matthiolus Hetruſcam* fecit, dum ait. *In Hetruriæ maritimis vulgaris eſt, omnibus præſertim his, qui circa Argentarium promontorium habitant, nam circa Herculis portum, & Vrbicelli ſtagnum frequens reperitur: Incolæ agrotto nominant.* Hæc quantum fidei mereantur haud ſcio: hoc ſcio, plures *Matthioli* populares, vix pictos aliquando Onocrotalos vidiſſe, qui ſi ibi adeò frequentes eſſent, *Romæ* & alijs *Italiæ* locis non tam peregrini æſtimarentur. Alijs dicuntur *Padum*, alijs *Mantuanum* lacum amare; quibuſdam *Danubij* accolæ perhibentur. Quod ſi ita eſt, non ſubitò tamen *Ariſtotelis Pelecan* fuerit *Onocrotalus*; quòd hoc authore *Pelecan* à *Strymone* ad *Iſtrum* ſeu *Danubium* migret, cum & in *Danubio* frequenter *Platea* ſiue *Cochlearia*, nonnullis *Pelecan* credita, capiatur.

In Danubio ſæpe videntur.

Retulit mihi Nobilis Dominus *Ioannes Carolus Schaad*, quem ſupra quoque dum de *Lynce* agerem, laudaui; tres olim in *Danubio* qui *Bauariam* interfluit, *Onocrotalos* globulis bombardicis petitos fuiſſe, & duobus interfectis, tertium adhuc viuum, ad Sereniſſimi *Bauariæ Ducis* Aulam perlatum, ibidem annos quadraginta integros vixiſſe, hominum conuerſatione apprimè, & muſicâ tam vocali quàm inſtrumentali mirè delectatum fuiſſe. Canentibus enim, ac tubis clangentibus, libentiſſimè aſſiſtebat, & erecto capite, atque inclinatâ ad muſicam aure, qui tamen ipſe aſininum dicitur ruditum edere, dulciſſimam illam ſonorum harmoniam hauriebat. Confirmant hęc illa, quę apud *Aldrouandum* leguntur de ætate *Onocrotali*, qui *Mechliniæ* quinquaginta annis altus fuit, & octuagenarius certò credebatur.

Onocrotalus 40. annis in aula Bauarica vixit & mirè muſica harmonia capiebatur.

Cum autem ſciſcitarer ego, an *Bauariæ* incolæ eſſent eiuſmodi aues, à *Georgio Grembſio* populari meo, & Sereniſsimi Electoris *Bauariæ* doctiſsimo Archiatro & Conſiliario, his ille verbis reſpondit. *De Onocrotalo hoc ſcias velim, hanc auem non eſſe Bauariæ indigenam. Cum enim Sereniſſimi noſtri Electoris aucupes interrogarem, an in Bauaria nidificaret, hoc ad vnum omnes negarunt, ſed à maritimis ſubinde locis huc aduolare, tam in Danubio, quàm alijs Bauariæ lacubus capi, aſſerebant: Præter piſces nihil vorare aliud. Memini me Bambergæ, dum puer adhuc eſſem, iuxtà Peninſulam Geierſwerd dictam, eiuſmodi auem, cum oblongo collo, & enormi gutture, meo & aliorum plurium cum ſtupore vidiſſe.* Plurimæ etiam circa Danubium in *Vngaria* conſpiciuntur, minus plures in *Croatia*, & pauciores in *Polonia*. In *Heluetia* rariſsimè capiuntur. *In Ægypto ſæpe Onocrotalorum greges ſe vidiſſe Bellonius* memorat. *Orientales* etiam, Author de *Natura rerum*, facit. In *Finlandia* verò, & Septentrionalibus regionibus, *Olaus magnus* frequentes enumerat. No-

Georgius Grembſius primarius Electoris Bauariæ Medicus.

In Bauaria ſæpe videntur.

Danubium præcipuè amant.

In noua Hiſpania nidulatur.

minis

minis ratio huic noſtræ Aui hìc præfixi *Nouæ Hiſpaniæ* incolam eſſe ſimiliter conuincit. *Ouiedus* quoque in Summaria ſua Indiarum Occident. *Hiſtoria*, & illius præcipuè tractus, qui *Terra ferma* Hiſpanis appellatur, animalia enarrans, Auis recordatur *Alcatraz* ibi dictæ, ſimilis planè *Onocrotalo* eiuſmodi, qualem ipſe *Bruxellis* prandente *Carolo V.* ad iocum productum viderat, magna ex pelui piſcibus & aquâ plenâ, roſtro ſuo piſcantem, & piſces integros deuorantem; Auem ait eſſe aquaticam & marinam, anſerinos pedes habentem. Horum *Americanorum* autem *Onocrotalorum* ſcribit maximum ſæpenumero gregem conſpici volantem, circa *Panamam* præcipuè, vbi mirum, & iucundum ad fluxum & refluxum maris habitatoribus ſpectaculum præbeatur.

Ouiedus Onocrotalos in Indiæ Occident. Terra firma ait eſſe.

Cum enim Oceano intumeſcente, & ad *Panamam* appellente, ingens piſcium *Sardorum* aceruus & alluuies ſimul congregetur, infinita *Onocrotalorum* eorundem multitudo aerem ibi obnubilat, qui in mare ſe modò præcipites dant, vt piſciculos ſuffurentur, modò in aera ſe ſubleuant, vt illis tutò veſcantur, idque totics repetunt, donec diræ ſuæ fami ſatis parentauerint. Sed quod adhuc magis ad ſpectatorum voluptatem facit, hoc eſt: quod aliæ ibidem grandes admodum, & rapaciſsimæ volucres dimorentur, *Caudæ infurcatæ* dictæ, quæ mirum eſt, quam *Onocrotalos* hoſce perſequantur, vt coacti etiam ſint piſcium prædam euomere, quam aues rapaciſsimæ illæ priuſquam in mare decidat, inter volandum in aere piſcantur. Subiungit demum tantum ibi *Onocrotalorum* numerum reperiri, vt *Chriſtiani* ad ſcopulos, & inſulas *Panamæ* vicinas ſubinde mittant, pullos volatui adhuc ineptos deprædatum, quibus nauiculas & Canoas ſuas impleant, domumq. reportent. Verùm cum propter nimium hi adipem haud quaquam eſui ſint idonei, eundem liquant & lucernarum vſui adhibent. Nouo itaque & veteri Orbi haud deſunt huiuſmodi volucres. Ita vt *Onocrotalus* iure merito dici poſſit *Coſmopolitanus*, hoc eſt vniuerſi orbis terrarum ciuis & incola.

Quomodo ibi piſces ſuffurétur.

Onocrotalus eſt Coſmopolitanus hoc eſt vniuerſi orbis ciuis.

Inſignes adeò duæ in *Onocrotalis* Mexicanis notæ eluceſcunt, vt per has à noſtratibus primâ ſtatim facie, à quouis etiam internoſcantur. Intuere ſi placet, *Secundum*: quid huic cum *Oloribus* ſimilitudinis quæſo eſt? à quibus Plinius tamen vix *Onocrotalos* diſtare aiebat, niſi illo è faucibus altero veluti veteri genere propendente. Habet enim *Cygnus* collum longum: ſecundus hic *Onocrotalus* noſter breuiſſimum, nec roſtrum adeò erectum, quod ſupra quoque inſinuaui. *Primus* autem à *ſecundo*, & noſtri ſimiliter Orbis Onocrotalis, roſtro ſuo denticulato, manifeſto latis diſcrimine ſeparatur.

Duæ notæ quibus Mexicani à noſtris Onocrotalis diſtinguũtur.

Aldrouandus in ſui anatome *Onocrotali*, conſpectam ſibi fuiſſe ait ſuperioris roſtri mandibulam *Plantaginis* anguſtifoliæ, quinqueneruiæ dictæ, intus exactè figuram expreſſam gerentem, excurrentibus per eam quinque lineis, quæ cum aſperæ fuerint, ac veluti oblonga tubercula, ſe credidiſſe eadem huic aui ideo data, vt comprimendo piſces ad inferiorem mandibulam, totidem veluti dentibus illos interimeret. Aſt noſtri huius *Onocrotali* longè diuerſior eſt figura roſtri, quod euidentibus ſanè dentibus eſt conſpicuum, tam ſupra enim, quàm infrà, roſtri margines dentiformibus apicibus inſigniuntur.

Noſtri Onocrotali habent tuberacula quædam loco dentium.

Similes dentatas aues apud eundem reperio *Aldrouandum*, *Mergum* nimirum *Cirrhatum*, in quo dentes eſſe ſcribit duros, firmos, ſerratos & retrorſum flexos.

Aliæ dentatæ aues apud Aldrouandum.

Hoc

Hoc ipsum in aue *Fibro Bellonij* reperitur. *Anseres* quoque serratis esse dentibus scimus, quos elegantissimis apud *Petronium Arbitrum* verbis, *Encolpius* ille fabularum dux, nobis descripsit. *Vix ad casæ*, inquit, *hostiolum processeram, cum ecce tres Anseres sacri, qui vt puto, medio die solebãt ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt, fœdèq. ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem, atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calciamentorum resoluit, ac trahit: vnus etiam dux ac magister sæuitiæ non dubitat crus meum serrato vexare morsu.* *Cardanus* tamen lib. 10. *subtilitatum*, inter omnia animantia minimo esse capite aues ob volatum voluit. Ad huius paruitatem duo ait sequi: primum, vt stolidæ essent, alterum vt dentibus carerent.

Hunc Scaliger refutat.

Hunc *Scaliger* Exercit. 241. more suo salsè ridet. Et ne de paruitate capitis hìc quicquam aduersus ipsum ex eodem *Scaligero* afferam, dentes ait esse & auibus *Diomedeis*, & *Anserino* generi, & alteri illi *Cornicis* magnitudine Oceani incolæ, quæ Balænæ os hiantis ingrediatur, vẽtriculum erodat, cor petat, & tam vastam belluam interficiat, quæ à fluctibus eiecta postmodum & secta, aues eiusmodi viuas intra se nutritas plures habeat pinguissimas, & in cibis gratissimas.

Cardanus à Plinio defenditur.

Non destituitur suo interim patrocinio *Cardanus*. *Plinius* enim grauissimus author lib. 11. cap. 37. *Volucrium nulli*, inquit, *dentes præter Vespertilionem*. Veros autẽ, & alueolis suis infixos *Vespertilioni* dentes esse, meum inter murem & auem ambigentis huius animalis Sceleton ostendit, quod maiore ideo est industriâ filo argenteo connexum, quia subtilissimis à Natura fuit officulis compactum. Sed quid *Vespertilioni* cũ auibus commune est, si solum excipias volatum? Huic enim nec pẽnæ, nec veræ sunt alę, nec pedes habet auium. Adsunt præterea vbera, & est viuipara bestiola, & caudam insignem trahit, quæ quoniam non nisi in Sceleto videtur, aliquibus deesse fuit credita. Estque vt vno dicam verbo, *Mus volans*. Poterat igitur absoluto potius sermone *Plinius nullam auem dentatam esse* pronuntiare. Nam eiusmodi veros dentes in nulla adhuc volucri inueni, quarum plures tamen & vidi, & aperui. Quid igitur? monstrane Naturæ fuerint, si quas aues dentibus minaces exhibemus?

Vespertilionis meũ Sceleton monstrat huic cum auibus nihil esse cõmune.

Aues veræ non habẽt dentes veros.

Quid ad hanc controuersiam respondẽdum.

At non libet hìc omnem dentium notionem excutere, fiet id alio magis commodo loco. Hac sola puto, controuersiam hanc distinctione interea sopitum iri: si dicamus nempe, analogicè quosdam dentes dici, quòd aliquam cum veris similitudinem; tam si ipsam figuram intuearis, quàm si actionem respicias, gerant.

Natura nonnunquam metaphora vtitur;

Dentes igitur quoque nominabuntur, licet haudquaquam alueolis infixi per gomphosin, ex illis vel arte eximi possint, vel morbo vetustate ue excidere soleant, quemadmodum in perfectis pleriſque quadrupedibus vsuuenit: sed ex ipsa vel maxilla, vel rostro exorti non contigui, sed continui illis, Serræ alicuius denticulatæ figuram exhibeant, non formà vt in nostris fit dentibus, distincti, nec ad determinata ac varia masticationis officia distributi. Concedenda enim nonnunquam videtur Naturæ etiam, non Oratoribus solummodo & Poetis metaphoræ vsus, si loco hæc verorum dentium præsertim, pinnis quibusdam dentiformibus abutatur. Quinetiam absque his solà labrorum acutie ad frangendum, & scindendum in nonnullis tantùm pollet, vt dentibus

nihil

nihil concedant. Noui, cum quidam temerario prorsus ausu, ex *Testudinis* marinæ maximæ ore, pressum adhuc, fixumq. *Truttæ* caput (nam plurimis hæc alijs *Truttis*, capita saltem, in piscina quædam morsu præsciderat) extrahere satageret, nec dentes eius, quod nullos haberet, pertimesceret; huic semipollicem subitò à bestia hac præmorsum fuisse, sine dentibus quidem, ast non sine vicario dentium instrumento, nouaculæ instar ferme incidente. Habet enim hæc rostri margines præacutos, itaque artificiosè compositos, vt inferiores simplices à superioribus bifidis, pyxidis modo recipiantur, & arctè adeò claudantur, vt quicquid apprehendant, diuidant necesse sit, atque comminuant. Sunt mihi tam marinæ, quàm terrestris exquisita sceleta *Testudinum*: in quibus hoc mirabile valde extiterit, quòd *Pulmones* nõ in medio ventre seu thorace, verùm sub diaphragmate, inusitatissimo Naturæ ordine, repererim. De quarum anatome alia vice. Hoc meum magis magisq. *Paradoxon* interim corroborat, *nullum à pulmonibus receptum aerem cor ingredi*, de qua re supra aliquid, dum de *vitulo bicipite* agerem commentus fui.

Rostrum acutissimũ loco dentium Testudine datum.

Pulmones in ventre inferiore Testudinibus.

Sed hic mirari subit, cur *Onocrotalo Mexicano* dentes dati fuerint, qui ad tria in plerisque alijs animantibus inseruiunt officia, ad vocem inquam explanandam, masticationẽ iuuandam, & vim aduersus alia animalia propulsandam. Atqui vox nostris etiam edentulis est Onocrotalis: masticatio molaribus potiùs quàm serratis, quales hìc conspiciuntur, fit dentibus: defensio verò exertis tributa est, *exerti autem nulli sunt, quibus serrati*, Plinio teste: nec auis hæc nostra multum est belligera, vt exertis egeat dentibus. At natura nihil frustra molitur. Quid igitur stabiliendum? *Plinius* idem lib. 11. cap. 37. *Præterea in os vergentes sunt dentes*, ait, *ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum*. Huiusmodi planè sunt dentes huic *Onocrotalo* exotico in os recurui, vt his capiat commodiùs, retineat faciliùs, deglutiat perfectiùs.

Cui vsui esse possint dẽtes Onocrotali.

Et tales prorsus in os vergentes dati sunt dentes etiam inter pisces voracissimo, & anthropophago, *Lamiæ* inquam seu *Carchariæ*, veluti cum admiratione in capite carnibus denudato vidi sesquipedalis tantùm longitudinis, quod in *Cassiani Putei Lyncei*, iam sæpius laudati musæo adseruatur. Hoc quatuor solummodo dentium ordinibus est instructum, & ob id vt conijcio iuuenculæ alicui fuit ablatum, cum sex alioquin ordines habeat, & ad eam, bestia hæc *Cerberum* infernalem rictu suo terribilissimo æmulans, immensitatem excrescat, vt *Rondeletius* scripserit, aliquando *Massiliæ Niceæ* captas fuisse *Lamias*, in quarum ventriculo homo loricatus inuentus fuerit. Quinimo seipsum, ait, in *Santonico* litore eam oris gulæq. vastitate *Lamiam* conspexisse, vt hominem etiam obesum facillimè capere potuerit, & canes ventriculum eius, piscium reliquias voraturi subire commodè valuerint. Quare existimare se *Ionam* in eiusmodi piscis ventriculo, diuinà prouidentià viuum triduo cõseruatum fuisse. Sunt igitur huiusmodi serrati dentes, non ad masticandum, sed rapiẽdum potius, & escæ suæ vulnera raptim infligendum, a Natura efficti. Hinc non est mirum, alicui ex *Onocrotalis* etiam *Americanis* nostris, voraciori quippe animali, ex rapto furtim, & vt diximus in fluxu ac refluxu maris *Sardarum* prædà viuenti, tales etiam dentes concessos fuisse. Et sic finio, plura qui velit *Aldrouandum* adeat.

Terribiles dentes & rictus in Lamia.

A C I T L I

Mergus Americanus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

MERGORVM familiæ aggregari hanc auem debere, totius videtur corporis habitus præseferre. Penitus enim ad *Anates* pertinere eam, rostrum refragatur, quod minimè largum, sed omnino acutum longumq; hic existit. Nigricat autem, nisi quòd extremitatem versus luteolum sit. Oculi flammantes cum nigerrima pupilla. Superior pars capitis cum crista ad collum reflexa, ad fuscedinem tendit, quo colore superior quoque pars corporis tingitur. Alarum pennæ maiores in marginibus albicant. Cauda, quàm reliquum corpus, dilutioris nigriusculi est coloris. Inferior tamen colli, ventrisque regio plumis albentibus vestitur. Instar *Anatis* pedes gerit, tres in digitos quidem diuisos, (calce sua addit a) sed hos membranà simul coriaceà, & latiusculà coniunctos natationi idoneos. Crura pedesque eiusdem sunt coloris, castanei nimirum. Notandum hìc, rostrum longius paulo, & acutum magis, quàm sculptum est, in pictura prostare.

SCHOLIA EIVSDEM.

QVò penitiùs in hoc aquaticarum auium pelagus, piscandi illas, captandi q. gratiâ me promoueo, eò in Syrtes magis incido laboriosas, & obscurato cælo meras palpo tenebras. Hanc enim, quam præ manibus habemus, coloribus suis egregiè depictam, & membrorum proportione sua aptè scriptam, in *Mergorum* genere reponendâ esse Auem, animus diu suasit, nec adhuc penitus dissuadet. Ast cum *Mergis* interim ipsis, & ego mergor, & dũ auxilium à veterum nostrorum monumentis imploro, auxiliatricem quidem hi manum mihi porrigere tentant, verùm ambo demum à vorticibus illis obscuritatum, & perplexitatum inuolucris, quæ oscitantia nobis antiquorum in describendis auibus peperit, prorsus absorbemur.

Videtur hæc auis ad mergos pertinere.

Sed de Mergis apud veteres maxima est difficultas.

In

In primis enim, cum *Mergi* vocabulum haud Græcæ ſit originis, & à Græcis illis ſcientiarum culminibus *Ariſtotele* præcipuè, nos pleraq. nunc temporis mutuemur, variæ Iuniorum qui *Græcos* interpretati ſunt, natæ fuerunt opiniones, quænam vox Græca, *Mergos* ſignificare debeat. *Mergos* enim vbiuis in aquis obuias volucres quin veteres Græci nouerint, extra omnem controuerſiam eſſe debet. Sed cum & *Anates* aquis ſe mergant, & *Mergis* vulgò, hoc tempore ita appellatis, in pluribus ſignis ſint ſimillimæ, hinc non leuis & hæc dubitatio orta fuit: an *Mergorum* etiam nomine *Anates* donare æquum eſſet.

Dubitatur quæ vox Græca latinis Mergũ ſignet.

Ariſtoteles lib. 2. cap. 1. vbi aquaticorum animalium differentias aſſignat, inter ea, quæ in aqua quidem degunt, in hac victum, ſed non aquam pro victu capiunt, nec ibi pariunt, etiam *Mergum* collocat, Græcà voce *Aethiam* eum appellans: hanc enim vocem & *Gaza* & *Scaliger* ita vertunt. Et hic quidem eo loci, *Mergum*, inquit, *Latini, quoniam mare agat: hoc enim eſt mergere, Græci à colore fuſco* Αἴθυιαν. *Eſt autem ſub vno ſummo genere cum Ardeis*. Atquì hoc ipſum *Scaligeri* argumentum, *Aethiam Ariſtotelis* eſſe *Mergum* à colore fuſco quẽ *Mergus* obtinet, deſumptum; vnde & nomen *Aethiopibus* datum, perſuaſit forſan *Edoardo Vuotono Anglo* cap. 144. lib. 7. de different. animal. pro *Aethia Ariſtotelis Cornicem marinam* potius reponẽdam eſſe. *Eandem eſſe*, inquit, *Aethiam cum* Κορώνη θαλαττίᾳ, *id eſt, cũ Cornice marina: Authores ſunt Heſichius & Suidas*: Quãuis rurſus *Aethiam* & *Cornicem marinã* ſeparet *Arrianus*, vt apud eundẽ legere eſt *Vuotonum*.

Putant aliqui Mergũ eſse Ariſtotelis Aethiam.

Alij per Aethiam alias aues ſignant.

Aldrouandus & ipſe audiendus: *Ornithologus*, inquit, *ex cuiuſdam eruditi Hiſpani relatu Mergum coruum marinum* (*Cueruo marino*) *Hiſpanis appellari aſſerit. Sed hoc nomen apud eos vnam tantum fortè Mergi ſpeciem ſignificat; illam ſcilicet, quam Mergum magnum, nigrum, & Carbonem aquaticum Albertus vocat, & multi Ariſtotelis Coracem ſeu coruum marinum eſſe volunt. Idem de Anglorum Cormorant eſt dicendum*. Sed idem *Aldrouandus* ait poſtea, hìc more ſuo cuique ſuum ſe relinquere iudicium, cum nihil certi hìc ſtatui poſſe videatur. Quid? quod aliqui, vt *Perionius*, credunt *Virgilium Fulicas* appellare, quas *Aratus Aethias* dicit. Alij, inter quos *Scaliger* quoque, exiſtimant *Mergos* ad *Ardeas* pertinere. *Bellonius* aliam ac peculiarem auẽ producit, in *Creta* vrinari ſolitam, diuerſam à *Cormorant* & reliquis *Mergis*, eamq. *Ariſtotelis Aethiam* eſſe arbitratur.

Huc facit non exigui momenti argumentum, quòd *Ariſtoteles* lib. 5. cap. 9. Hiſt. An. dixerit, *Mergi* (hoc eſt Æthiæ) *& Gauiæ ſaxis maritimis oua bina, ternaue ponunt*. *Plinius* verò lib. 10. cap. 22. *Mergos* ſuos in arboribus nidificare ſcripſerit. Ex quo loco cogere nonnulli volunt, *Mergos Latinos* non eſſe *Aethias* apud *Græcos*, cum aues quæ in marinis ſcopulis nidos fabricant, quàm maximè differre videantur ab illis, quæ in arboribus pariunt. Quamuis hoc ego tanti non faciam, cum *Plinij* hæc ibi verba legantur. *Gauiæ in petris nidificant, Mergi etiam in arboribus*. Quaſi dicere velit, *Mergos*, & in ſaxis, & in arboribus nidum ponere ſolere. *Anates* certè ſilueſtres ſiue lacuſtres, à quibus *Mergi* non multũ differunt, licet cõtinuò in aquis degãt, fide digniſſimorũ tamen, partim relatione, partim experientià ipſa edoctus noui eas non modò turmatim in *Germania*, ex locis illis, vbi aquę gelu rigeſcũt, & corio duriſſimo claudũtur, diſcedere, calidiora loca petere, & in itinere ſæpe integros agros herbis ſatis luxuriantes

Argumentum ex Plinio Aethiã & Mergum eſse differẽtes.

Huic argumento reſpondetur.

denudare,& herbam illam ad radicẽ vſque demetere ac deuorare: ſed ſua ſemper oua in proximis arboribus veteribus ponere,ibique,ne à maribus reperiantur, abſcondere. Mares enim harum vbi oua inuenerint, frangunt, & deuorant, vt ſuis cum fæmellis denuo coire queant. Excluſis verò pullis, vnum poſt alterum ore arripientes in vicinum deportant lacum,donec omnes cõgregauerint. Deinde matres per totum diem pullos comitantur, donec pennis hi corpore tecti liberè natare, ſecurè auolare, & cibum ſua ſponte quærere valeant. Interea tam ardenti ſuos amore pullos proſequuntur, vt licet fugentur, redeant tamen ſubitò, ipſoſque imbelles filios ſub alis, ab omnibus tutos inſidijs tegant, & quantum licet, tueantur.

Aquaticæ aues etiam in ſicco oua ponũt.

Sed non eſt mirum aquaticas aues etiam ad ſicca concedere. Nam *Virgilius* etiam lib. 5. *Æneidos* ipſos gaudere *Mergos* locis ſiccis nouit,cum *apricos* eos his verbis, *& apricis ſtatio gratiſſima Mergis*, vocat: licet hoc ita *Aldrouandus* interpretetur, quod ament loca ideo aprica, vt ſicceſcant, cum aquis continuò fere immergantut. Mirum hoc magis eſt,quod mihi iucundum ſimul & ridiculum præbuit ſpectaculum:cum viderem *gallinam*,terreſtrem voluerem, quæ pullos *Anatinos* excluſerat, quæq.eos ceu mater aſcititia comitaretur, quando iam ad paludem forte fortuna anaticulæ illæ prima vice peruenisſent, & relictis pullis gallinaceis ſocijs ſuis, *Natura* duce, aquas petijſſent; cum viderem inquam,*gallinam* eam hæſitantem diu,gemebundam,glocitantem,& anaticulas ſuas euocantem: tandem, quòd plus apud has Naturæ motus, ceu veræ matris amor & inſtinctus poſſet,quàm affectus quo in nouercam veluti ſuam, *gallinam* inquam nutriculam,ferebantur,redire noluiſſe comperi. Vnde & *gallina* aduerſus naturalem ſuam inclinationem,materno potius amore,quàm nouercali odio commota, aquam ingreſſa & ipſa, & aliquouſque anaticulas illas natando comitata fuit.

Gallina terreſtris volucris etiã aquas petijt.

Verumenimuero nondum de *Mergo* ſopita hæc lis tota eſt: nouum hìc ego ex *Ouidio* argumentum, & nouum ſimul emergere *Mergum* procurabo. Cùm *Æſacus* regia progenie ſatus, nymphen adamaſſet *Heſperien*,hæcq.inſectantem fugiſſet, & à *Colubro* morſa interijſſet; *Æſacus* dolore motus, vt mortem ſibi ſimul conſciſceret,è ſcopulo in mare ſe præcipitem dedit.Sed huius *Tethys* miſerata cadẽtis,molliter ipſum excepit,& plumis texit,& in *Mergum* vertit. Quod dũ ille ægrè ferret,& mori continuò tentaret,ſub mare repetitis vicibus mergebatur.Huius deſcriptionẽ ex *Ouidij* libri vndecimi fine *Metamorphoſeon*,cum ad noſtrum iuuentum mirè faciat, huc adferre planè neceſſarium eſt. Ait igitur:

Authoris nouus Mergus ex Ouidio allatus.

Hic ex libris Metamorphoſeon deſcribitur.

Indignatur amans ſe inuitum viuere cogi,
Obſtariq. animæ, miſera de ſede volenti
Exire, vtque nouas humeris aſſumpſerat alas,
Subuolat, atque iterum corpus ſuper æquora mittit.
Pluma leuat caſus, furit Æſacus, inque profundum
Pronus abit, lethiq. viam ſine fine retentat,
Fecit amor maciem: longa internodia crurum,
Longa manet ceruix, caput eſt à corpore longè.
Aequor amat, nomenq. manet, quia mergitur illo.

Conſi-

Conſiderandi hi quoque diligenter ſunt, qui in principio huius fabulæ leguntur verſus:

Protinus aut idem, ſi fors tulit, hic quoque dixit,
Quem mare carpentem ſubſtrictaq. crura gerentem:
Aſpicis, (oſtendens ſpatioſum in guttura mergum)
Regia progenies, &c.

Hæc profectò verba, niſi omnia me fallunt deſcripta ſigna, minimè nobis eam depingunt auem, quam hoc tempore pro *Mergo* venditamus. Quare locus hic *Ouidianus* etiam *Aldrouando* negotium faceſſit: ob id inquit, *peculiarem hic Mergum deſcribi: quis autem ille ſit, vnicuique ex his Ouidij verbis hariolari licitum eſſe.* Certum enim eſt, noſtris vulgaribus *Mergis collum* nec adeò productum, nec *longa internodia crurum* eſſe, quin ab *anatum* cruribus non multùm ea recedere. Et propterea *Ornithologus* dicebat, veteres non plura *Mergorum* genera feciſſe, quòd cum *Anatibus* ea confuderint. Sunt enim *Mergis* noſtris crura non admodum abſoluta, & breuiora potiùs, & non eodem ſitu, ſed poſteriùs: quamobrem incommodè ingrediuntur. Et vt lib. de *Natura rerum* legitur: *pedes habent in cauda, ita, vt in terra ſtantes inſtar hominis pectus erectum præſeferant.*

Ouidij Mergus non poteſt eſſe ille quem nũc ita vocamus.

Rationes afferuntur.

An autem *Ouidianus* hic *Mergus* tam affabrè deſcriptus, ſit idem cum *Virgiliano* & *Lucretiano* (hi ambo Poetæ enim non corporis figuram, ſed clamorem potiùs deſignant, varium pro varia tempeſtate) adhuc valde eſt ignotum. Et *Virgilius* quidem Georgicor. lib. 1.

Iam ſibi tum curuis malè temperat vnda carinis,
Cum medio celeres reuolant ex æquore Mergi,
Clamoremque ferunt ad littora, cumque marinæ
In ſicco ludunt Fulicæ.

Dubitatur an Virgilij & Lucretij mergi ſint ijdem cum Ouidiano

Lucretius autem lib. 5.

Accipitres atque oſſifragæ, mergiq. marinis
Fluctibus in ſalſo victum, vitamq. petentes,
Longè alias alio iaciunt in tempore voces,
Et cum de victu certant prædaque repugnant,
Et partim mutant cum tempeſtatibus vna
Rauciſonos cantus.

Hæc cum animo meo probè conſideranti omnia, in mentem venit; nullam ex illis auibus, quas *Aldrouandus*, & ante hunc *Ornithologus Germanus* pro *Mergis* deſcripſerunt, verum *Ouidianum Mergum* eſſe. Quare quouis contendere pignore auſim, nulli aptiùs aliti, carminibus ſupra delineatam formam, quàm illi, quæ omnibus nunc *Ciconia nigra* vocatur, conuenire. Videtur hanc meam coniecturam *Oppianus* quoque ratam habere, cuius verba (cum is ad manus mihi iam haud ſit) ex *Aldrouando* recitabo. *Æthiæ* (has mergos plerique vertunt) *inſatiabiles ſunt*, ait, *& maximè voraces, piſces ingeſtos mox aluo reddunt, atque etiam viuos nonnunquam. Solæ inter amphibias aues volitando piſcantur, ita vt ſimul vtrumque faciant. Congros, Anguillas, & alios lubricos læueſq. piſces deglutiunt. Alios quoque piſces Delphinorum & Caniculorum in-*

Probabile valde eſt Ciconiam nigram dictam, eſſe Ouidij mergum.

Rationes huius afferuntur.

star perſequuntur. Ex his luce clarius eſt meridiana: *Æthiam*, ſiue *Mergum* hunc in magnarum ſubſellijs auium volitare, cum *Congros Anguillaſq.* poſſit & viuas deuorare, & viuentes per aluum reddere. Hoc autem *Ciconias* albas factitare (quibus *nigræ* magnitudine reſpondent) *Germani* norunt, quibus auis hæc eſt communiſſima. In vulgò dictis *Mergis* tam maioribus quã minoribus, tale quid hactenus minimè eſt animaduerſum; vt qui corporis mole longè à *Ciconijs* ſuperantur. Noui, qui autopſiã didicerunt, *Ciconias*, & *Pauones*, cum ſæpius ſerpentes, quos deglutiuerant, per podicem viui illis exijſſent, erecto vropygio adparietem, tam diu anũ applicuiſſe ne inuitis elaberentur, donec ſenſiſſent nempe intus ſerpentem demortuũ fuiſſe. Vocamus autẽ *Ciconiam* communi nomine *Albam*, licet nigris quoq. pẽnis veſtiatur. *Nigram* verò *marinam* hanc *Ciconiam*, quam *Ouidij Mergum* credimus eſſe, quòd excepto ventre, tota nigricet: albis verò nigriſque alarũ pennis altera illa *Germaniæ* & *Galliæ* communiſſima, in *Italia* verò rariſſima, adornatur. Ego ſanè viginti octo his annis, quos *Romæ* egi, non niſi ſemel, & vnicam quidem albam in culmine *Turris Comitum* (*Torre di Conti* vulgò) conſpexi *Ciconiam*, neſcio quo vento huc perlatam. *Aldrouandus* quoque *Italus* ſe nondum, iam tamen ſenex capularis, *Ciconiam* (quòd ager hanc *Bononienſis* non alat) vidiſſe fatebatur. Sed mirandum prorſus: cùm certum ſit *Ciconias* ante hyemis aduentum, ex *Germania* ad loca tepidiora, & calidiora migrare; *Italia* autem *Germaniæ* ſit contigua, & calidior, quòd huc non peruolent. Quare optimè *Plinius* dixit lib. 10. cap. 20. *Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quò ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo venire non dubium, eodem quo Grues modo, illas hyemis, has æſtatis aduenas*. *Ariſtoteles* quoque lib. 8. Hiſt. anim; cap. 16. inter aues quæ hyemo latent, & *Ciconiam* numerat. Verùm apud *Ariſtotelem* capitis huius ſenſus adeò latet, vt neque *Gaza*, neque *Niphus*, neque *Scaliger* illum ſatis hactenus eruere potuerint, quos adire poteris interpretes. Atque de *Ciconia alba* hæc obiter dicta ſatis ſint.

Ciconijs & pauonibus ſæpe per podicem viui deglutiti ſerpentes exeunt.

Quæ differentia ſit inter Ciconiam nigrã & albam.

Ciconię albæ in Germania frequẽtiſſimę, in Italia rariſſimæ.

Vnam ſolã author Romæ vidit in viginti octo annis.

Ciconiæ, neſcitur vnde veniãt, & quò abeant.

Nigram verò *Ciconiam*, ſiue *Mergum* hunc noſtrum *Ouidianum* diligentiùs deſcribere lubet, cum hunc domi meæ & exenterari, & perpolitum ex hoc Sceleton, integrum inter alia plura adhuc exiſtens, erigi curauerim. Huius longitudo à roſtri cuſpide ad pedes vſque, ſex cum dimidia, eſt ſpithamarum, quam eandem menſuram expanſæ alæ conficiunt. *Roſtrum* ſolum, (in quo lingua ſubrubens & breuis conſpicitur,) *Romanum* pedem eſt longum, duarum verò ſpithamarum crura ſunt. Capacitas *gulæ* tanta erat, vt aue per pedes appenſa, ex eadem ſua ſponte *rana* grandis excideret, & adhuc quatuor integræ in eius *ingluuie* reperirentur. In *ſtomacho* verò ex duriore carne compacto, oſſicula erant plurima *ranarum*, & exucca quædam maſſa, ſimo haud abſimilis. Ceruix etiam ſeſquiſpithamam erat longa. *Pedes* & *crura* macilenta. Quæ omnia *Ouidianæ* deſcriptioni apprimè quadrant:

Nigræ Ciconiæ, ſiue Mergi Ouidiani exacta deſcriptio.

Author habet Sceleton huius.

———— *ſubſtrictaque crura gerentem*,

Hoc eſt, non in breuitatem contracta: ſed macra, & exilia, veluti *ſubſtrictam*, hoc eſt, aridam pellem & cutem dicimus. Dixerat enim poſtea *Ouidius*: *Fecit amor macies*. Et addit, *Aſpicis* (*oſtendens ſpatioſum in gutture mergum*) Hoc eſt, tantæ capacitatis *gulam*, *vt & ranas* integras, eaſque plures, & vt *Oppianus*

Ouidij delineatio examinatur.

vult

vult, viuas quoque *Anguillas* & *Congros* ingurgitare valeat. Hunc *Mergum* quoque noſtrum, ſiue *Ciconiam nigram*, vt iam à me annotatum eſt, inſinuare voluit, vbi dixit, idem *Naſo*: *Longa manet ceruix, caput eſt à corpore longè*. Adſunt demum *longa internodia crurum*. Solum pennarum colorem *Ouidius* nobis haud depinxit; qui talis eſt, vt & ipſum ego examinaui, & ad viuum artifice pictoris ſui manu, coloribus exprimi curauit ſæpe iam memoratus *Caſſianus Puteus* noſter *Lynceus*. Alarum, dorſiq. totius color ſubniger eſt, vſque ad ventrẽ imum. Hæc tamen nigredo ſubcæruleo, purpureoq. licet obſcuriore, colore eſt mixta, ſed prædominante fuſcedine, in maioribus præcipuè alarum pennis. Collum à dorſi colore iam ampliùs recedit, & gratiſsima quadam ſubcærulei, purpurei, rubeſcentis, ſubuireſcentiſq: miſcela, oculos mirè delectat. In *Columbarum Anatumq.* collo eundem reperetis florentem colorem. Et quoniam non niſi inferior ventris regio longè ſub pectore incipiens, plumas habet albicantes & molliores; auis tota, nigra potiùs propterea, quàm alba appellatur. Graciſſimus eſt in oculorum orbita, in toto roſtro, in cruribus, pedibuſq. puniceus, & *Minium* antiquorum, ſiue *Cinabrium* noſtrum æmulans rubor: quæ omnia ſimul iuncta, hoc eſt, magnifica corporis totius ſtructura, & ex varijs iucundiſq. coloribus compoſita ſymmetria, auem oculis noſtris exhibent elegantiſſimam. Non eſt quidem omnino *palmipes*, vt *Anates*; ſed tres pedum digiti tenaci tamen ad medietatem vſque membrana cõnectuntur, calce ſua retro ſatis longa, & vngue forti roborata. Quare non ſine ratione *Oppianus Æthiam* hanc *amphibiam* dixit, quòd nempe volando, & natando ſibi victum indagare poſſit. Et *Ornithologus* ideo in *Heluetia* hanc reperiri in ſiluoſis, montanis, ſimulq. in fluuiatilibus locis, bene animaduertit.

Vocatur nigra & tamen non eſt verè nigra.

Cur vocetur amphibia.

Huic noſtræ opinioni robur addit, quòd à nullo veterum *Ciconia nigra* hæc deſignata fuerit. Vnum enim genus ſolum *Ciconiarum*, album illud, quod in vrbibus agit, in ſummis tectis, fumariorum cuſpidibus, & turrium apicibus nidos ædificat, ab *Ariſtotele* & *Plinio* proditum fuiſſe, animalium hiſtoriæ ab ipſis editæ probè nobis conteſtantur. *Albertus* tamen hunc *Mergum* noſtrum *Ouidianum Ciconijs* aſſociat, dorſo omnino nigram, ventre ſubalbam, & in locis non habitatis ab hominibus, ſed in paludibus deſerti nidificare eam voluit. At ſi colorem acutiore oculorum acie perluſtres, non eſt niger, qualis in veris *Ciconijs*; ſed ex varijs mixtus, qui *anatibus* nonnullis, *Indicis* præſertim dictis, eſt vſitatus. Atque, vt ex aucupum noſtrorum mihi fide conſtat, paludibus, lacubus, & maritimis ripis hæ aſſident aues, in has volant aquas rapinæ inhiantes, & ſæpe ſub has ſeſe mergentes piſcando vitam ſuſtentant. Non eſt admodum frequens *Romæ* hæc auis, quæ nonnunquam tamen cum alijs maritimis alitibus in *Campo Floræ* venũ exponitur. Tã verò piſcoſum caro habet fœtorẽ ſaporemque, vt etiã *Felis* noſtra illã ſibi proiectam auerſaretur, nec attingere vellet.

Ciconia nigra a veteribus non reperitur deſcripta.

Hæc circa paludes & loca maritima reperitur.

Caro habet piſcoſum odorẽ.

Neque eſt quod mihi obijcere quis poſſit: veros *Mergos* piſcibus potius, quibus inſidiantur, veſci; in hac autem *Ciconia nigra* nos nihil piſcium, ſed ranas meras reperiſſe: Inſuper Ornithologus in ſua diſſecta hac *Ciconia nigra* inuenerit quiquilias quaſdam ſtercoroſas, cum reliquijs *ſcarabæorum*, vel *locuſtarum*, eorundem nempe capita & vaginas; vnde conijcit eam tum herbis, tum cruſta

Varijs cibis veſcitur.

inte-

intectis veſci *inſectis*. Exiſtimo enim non inter quadrupedia ſolummodo, ſed quoque in volatilibus pamphaga quædam reperiri animalia. Nouimus *Ciconias albas* ſerpentibus, lacertis, ranis, non modò intentas & infenſas; & ob id lege in quibuſdam regionibus cautum eſſe, ne interficiantur, cum à venenatis illas purgent animalibus: ſed nouimus hoc quoque, inuiſas ſimul eſſe illis, qui alueária plurima habent, & mellificio dant operam: mirum eſt enim, quàm ingens *Apibus* damnum inferant, cum floribus inſidentes incautas adoriantur, & confeſtim deglutiant, vt in earum ventribus myriades *Apum* non rarò repertæ fuerint. Quare huius gratiâ nocumenti, non arcentur modo à pratis, ſed ſclopetis etiam petuntur nonnullis in locis, & prorſus necantur.

Hoc etiam Ciconiæ albæ faciunt, quæ ranas, ſerpentes & apes vorãt.

Verùm quid magis mirabile, quàm cogente fame aliquando ab hominibus non ſolùm, ſed viliſſimis quoque animalibus ea deuorari alimenta, quæ nunquam priùs guſtauerunt? *Talpas* ſub terra viuentes ſolo radicum eſu vitam traducere certiſſimum eſt. Nuperrimè tamen binas viuentes captas, viginti quatuor horarum ſpatio ex pede ſuſpenſas domi habui: ac cùm iuberem vt puer meus alteram viuam aperiret, vt internorũ viſcerum ſtructuram in ea, & cordis rectiùs motum intuerer; vbi primùm alteram huic dilaniatæ famentem admouerem, tam rapido motu, tam auido morſu in mortuam viua inuolauit, vt non ceſſarit, niſi & inteſtina, hepar, ventriculum, cor, pulmoneſq. priùs, quin carnem omnem muſculoſam, ſola pelle & oſſibus integris remanentibus, quàm citiſſimè abſumpſiſſet, atque ita integrum ferme animal in aluum ſuam recondidiſſet. Quæ & ipſamet *Talpa* viginti alijs ſuſpenſa horis vixit, & poſt mortem vix quicquam in ventriculo ſuo chyli, ex tanta carnis portione reliquum habuit. Inſtruxit profectò *Natura* hoc cæcum animal pulcherrimo dentium ordine, cui ſimilem prorſus in nullo adhuc alio conſpexi. Valde autem (quod vix credideram) murium dentes ab his variabant. Habent enim *Talpæ* in vtrauis maxilla ſex inciſores, binoſq. caninos, & hos ſuperiores triplo longiores inferioribus, & quinque vtrinque molares pectinatim, & ad amuſſim ſeipſos recipientes, atque duriſſimam quamq. materiam comminuentes molenteſq. ita vt tota dentium ſeries, ad triginta ſex aſcendat, & tam abiectum, lucifugum, cæcum, ſubterraneum, puſillumq. animalculum, hominem *Naturæ* magnum miraculum, quaternario dentium numero etiam ſuperet.

Cogẽte fame animalia non rarò edũt inſuetiſſima ſibi.

Exemplum de Talpis, quę carnes etiam vorant.

Mira ſtructura dentium in Talpis.

Atque hæc mea de *Ciconia nigra*, eſt ſententia: quæ ſi cui minus arridet, is veriora nos doceat, & auem cumprimis producat, cui *Ouidiani Mergi* notæ competant magis, & ad quam ſpeciem ſimiliter auium, hæc eadem *Ciconia nigra* ſit reducenda, aſtruat. Non ignoro placere nonnemini, hanc *Ciconiam nigram*, *Ibin* facere. Sunt enim *Ibes* ex *Ariſtotelis* teſtimonio lib. 9. Hiſt. anim. cap. 27. *Albæ & nigræ*. Sed obſtat imprimis: quòd hic nempe author Ibes, ſiue Ibides *Ægypti* incolas facit, quam mirè amari ab illis ſcribit *Ælianus*, propter humiditatem, lib. 15. cap. 20. *Si quis enim*, ait, *vi atque impetu Ibin ab Ægypto exportet, illa quidem ab inſidiatoribus vltionem capit, vel cum magna ſua pernicie: mortem enim ſibi fame conſciſcens, raptoribus ſtudium in ſe exportanda extra Agyptum vanum eſſe oſtendit*. Et idem *Plinius* lib. 10. cap. 28. *Inuocant & Ægyptij Ibes ſuas contra ſerpentium aduentum*. Hanc alij timent rurſus auem, vnde *Iuuenalis* Sat. 15.

An Ciconia nigra ſit Ibis.

Ibis Aegypto eſt propria tantũ.

Cro-

Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet saturam serpentibus Ibin.

Per *Ibin* puto rapacem diramq. volucrem intellectam ab *Ouidio* fuisse, quod Elegia suà in *Ibin* mordacissimà demonstrauit, cum detractorem, inimicum & calumniatorem suum, suppresso proprio, *Ibidis* saltem nomine dirè proscindit, & mala huic simul omnia imprecatur.

Ibis ad rapaces videtur pertinere.

Quid Ouidius per Ibin suam intellexerit.

Secundò repugnat, quod *Ciconia hæc nigra*, siue *Mergus Ouidij* rostrum habeat rectum, *Ibis* verò aduncum. *Plinius* enim lib. 8. cap. 27. *Simile quiddam*, inquit, *& volucris in eadem Ægypto monstrauit, quæ vocatur Ibis: rostri aduncitate per eam partem se perluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre est.*

Post tam varias igitur disceptationes hæc tandem subijt mentem sententia, posse forsan non incongruè *Gallis Anglisq.* Auem dictam *Cormorant*, antiquorum *Mergum* appellari, de qua necesse prorsus iudico hìc illa enarrare, quæ *Carolus Antonius Puteus* obseruauit in piscatione, quam auis hæc exercebat in Gallijs, præsentibus huic ludicro spectaculo Christianissimo Rege, & Illustrissimo Cardinale Barberino; hoc verborum tenore ad me perscripsit.

Cur Ciconia nigra non possit dici Ibis.

Videtur Cormorant Gallorum esse Mergus antiquorum.

Solent in *Anglia* assuefacere *Coruos marinos* ad piscium prædam, nõ aliter atque nos in *Italia* volucres rapaces ad auium rapinam edocemus. Vendũtur autem ita edocti *Corui marini* pretio nõ exiguo. Huiusmodi piscatoriam venationem in gratiam *Legati Cardinalis Barberini* exhibitam, & *Coruos* seu *Cormorants* simul piscantes in Fontebellaquensi, Gallicè Fontenablo, dicto loco quatuor vidimus, qui omnes cum *vulture* quodam maximo *Galliarum Regi* ab *Angliæ Rege* dono missi fuerant, vnà cum harũ auium magistris & instructoribus. Corui hi sæpius in canali ibidẽ in *Truttarum* piscatione exercitabãtur. Dum autẽ è cubiculis suis ad piscinas transportarentur, capita & oculi ipsis obuelabantur, ne in transitu perterrefierent. Detractis igitur vbi ad flumina peruentum erat, obuolucris illis, & ima colli parte prius per ligulam coriaceam leuiter astrictà, ne deglutire quos cæperant pisces, valerent, in torrentẽ præcipitabantur. Hi repente aquis sese immergebant, diuque sub his pisces velocitate mirabili sequebantur fugientes, quas vbi assecuti rapuissent, ex aquis emergebant, piscemq. quilibet rostro suo leuiter compressum deglutiebat, donec quatuor vel sex pisces hoc modo quiuis ingurgitasset. Tum demum à magistris suis *Anglicanà* linguà ad manum seu pugnum vocabantur, ad quem obedientissimi conuolabant, & paulatim pisces omnes, vnum post alterum nempe, eosq. tantillùm saltem rostri pressurà læsos euomebant. Finita autem piscatione, loco eminentiore his coruis collocatis, ligulam ex collo soluebant, viâ ipsis ad ventriculum liberà permissà, & pro cibo, prædæ partem cuilibet piscem vnum inquam, proijciebant, quem dexterrimè hi per aera descendentẽ hiante rostro excipiebant. Voces autem quibus ad manum vocitabantur hi *Corui*, erant *Con*, *Con*, (*Germani* dicerent *Kum*, *Kum*) quod linguà *Anglicanà*, nihil aliud sonat, quam *Veni*, *veni*, Hæc *Carolus Antonius Puteus*, cuius supra quoq. industriam in explorandis animalium plerorumque, *Auium* tamen præcipuè proprietatibus, iure ac merito laudaui.

Carolus Ant. Puteus piscationẽ quã Auis Cormorant dicta exercet ad auiorem exactè perscripsit.

Immensi laboris esset, si nunc eas quoque controuersias componere ausim, quæ de hac ipsa aue *Cormorant* occurrunt. An sit *Corax* nimirum, siue *Coruus*

Aqua-

Superſunt plurimę de hac auę cormorant cõtrouerſiæ quas alij decidãt.

Aquaticus (vt *Gaza* vertit) *Ariſtotelis*? Et an *Ariſtotelis* hic *aquaticus Coruus* idem ſit cum illo, qui à *Plinio* ſub hoc nomine producitur? An verò *Plinianus* hic *Corax* ſit *Phalacrocorax* Iuniorum Græcorũ? Et an hic idem *Phalacrocorax* idem ſit cum *Ariſtotelis Coracę*? Has lites, quas neque *Ornithologus*, neque *Aldrouandus*, nec alij plurimi decidere hactenus doctiſſimi viri potuerunt; cõponant, quibus maius eſt otium. Hoc ſolum dicam, productam à nobis auem piſcatricem hãc *Cormorant Gallis & Anglis* dictam, prorſus eſſe illam, quam *Albertus Carbonem aquaticum*, & *Mergum magnum* vocat. *Aues palmipedes ſunt*, ait, *Mergus varius & Mergus magnus niger, qui à quibuſdam Carbo aquaticus vocatur*. Et cum hic niger ſit, vt paulo poſt ſubiungam, ideo nonnullis, inter quos *Ornithologus*, non ineptè *Aethia* eſſe *Ariſtotelis* exiſtimatur. Alij potiùs *Coracem*, quàm *Aethiam* eſſe volunt eiuſdem *Ariſtotelis*. Adeò *Cimmerijs* obruta omnia ſunt tenebris in veterum monumentis, vt veritatis tibi ſol nuſquam illuceat. Nobis certè non licet eſſe tam beatis, vel placet eſſe tam laborioſis, vt in abſtruſis veterum ſenſibus, aut poſſimus ſemper veritatem eruere, aut velimus ſubinde quod hodie plurimi conantur, dum Naturam negligunt, tempus perdere.

Sæpius altercãdo, & ſubtiliusve terum ſenſus inquirẽdo veritatem & tempus perdimus.

Cormorãt eur hodie Scharbus dicatur.

Hoc interim quod affirmem, nunc vnicum habeo: hunc *Carbonem aquaticum* ſeu *Corunm marinum* ſiue *Cormorant*, pleriſq. nunc *Scharbum* dici, vt coniecturam non abſonam prorſus *Ornithologus* ducit; *Vel*, inquit, *à Coruo, qui Italis Corbo & Coruo dicitur, vel ab atro carbonis colore: nam vicini nobis Galli carbonem vocant Scharbon, ipſi charbon ſcribunt:* (pronunciant nempe aliter quam ſcribunt) *in qua ſententia etiam Albertus fuiſſe videtur, carbonem aquaticum hanc auem nominans, vel ab acumine marginum roſtri eius, noſtri Germani enim acutum dicunt Scharpf.* Hæc ille.

Cormorãt Gallis ſonat Coruus moriens.

Claudius le Feure doctiſs. & humaniſſimus vir.

Atque ob hanc reor cauſam *Galli Cormorant* quoque, quod nihil aliud ſonat quàm *Coruus moriens*, appellant, id quod etiam ab eruditiſſimo, & reconditioris doctrinà philoſophiæ pollente, ſuauiſſimorumq. morum viro, amico meo *Claudio le Feure Pariſiano* mihi approbatum fuit, quod ob colorem nempe luridum, nigrumq. morti dedicatum, hoc nominis auis hæc ſortita fuerit. Hic mihi idem affirmabat, dum *Sequana Pariſijs* inundaret, eiuſmodi *Cormorant* non paucos comparuiſſe, qui & ipſe eorundem piſcationem paulo ante deſcriptam in patria ſua ſæpius conſpexerat.

Vera delineatio Scharbi ſiue Cormorant à Caſſiano Puteo authoti cõceſſa.

Hanc ſimiliter auem idem *Eques Puteus* noſter, genuinis ſuis coloribus, & vera partium magnitudine in *Gallijs* exprimi curauerat, quam penes me iconem habeo apprimè *Ornithologi* & *Aldrouandi* deſcriptioni competentem. *Longitudo* quatuor & amplius eſt ſpithamarum, corporis craſſities *Anſerem* ferme æquat. *Color niger*, niſi quod capitis vertex capillatus, colli ſupremi mediocris portio, & ſub capite ad roſtri principium plumæ albeſcant, maculà inter hanc albedinem nigriuſculà & non parua interclusà. Sub ventre quoque ad crura præcipuè candidæ ſunt pennæ. Reliqui corporis pennæ omnes nigrent, verùm non tam ſaturo atroq. colore vt in *Coruis* noſtris, ſed aliquid cinerei ſub obſcuri, atroq. rubentis & in collo ſubcærulei admixtum habeat. Oræ pennarum in cauda quoque albent. *Crura* quæ breuia ſunt, & *pedes* valde nigrent, quorum *digiti* perpetuis circulis annulati, craſſa coriacea membrana nigraq. ad extre-

mos

mos vsque vngues validè satis compinguntur. *Rostrum* (quod longum erat quinque digitos,& luteolum) hoc peculiare obtinet, quod superior eius pars in fine acumen habet, quo vnco veluti harpagone acutissimo, ad extrahendos firmandosq. pisces dexterrimè vtitur. *Gulam* patentissimam habeat oportet, cum hæc quatuor, & sex etiam mediocrium piscium priusquam in ventriculum detrudantur, capax existat.

Tot igitur relictis alterationibus, hanc quam hic exhibemus aquatilem auem, *Mergum Americanum* asseueremus, quæcunque tandem auis illa sit ab *Aristotele Aethia* appellata, quam *Gaza Mergum* vertit. *Si namq. omnia argumenta pro vtraq. parte ad lancem exegerimus, silentium tamen indicetur. Pauca enim admodum sunt sine aduersario, cetera etiamsi vincunt, litigant*, vt *Senecæ* hic verbis & ipsa rei veritate vtar. *Mergum* hanc auem voco, non quod *Mergis* nostratibus, quorum & icones & descriptiones apud *Aldrouandum* & *Ornithologum* videre licet varias, in omnibus sit similis, si *rostrum* præsertim consideres (quod huic *Americano* est acutum magis, longiusq. & *collum*, quod productius quàm *Europæis*) sed quòd authoritate *Americanorum* hominum hoc ità esse edoctus nunc probè fuerim.

Mergus Americanus esse hæc auis astruitur.

Non est carnen omnino nostris Mergis similis.

Non ignoro à *Carolo Clusio* in *Exoticorum* suorum lib. 5. *Mergum* similiter *Americanum* proponi, verùm is cum nostro hoc similitudinis prorsus parùm habet. *Mergum* autem eam auem esse *Iacobus Plateau*, à Nautis ex *America* redeuntibus acceperat, nautarum eorundem solo fretus testimonio, & *Clusio* ita persuaserat. Hos ego nec laudo, nec vitupero testes. Possunt enim in *America* æquè, atque penes nos diuersæ *Mergorum* species existere.

Carolus Clusius alium Mergum Americanum producit.

Veluti autem anno proximè elapso à *F. Gregorio de Bolsuar* plurimum cognitionis & auxilij in hac mea componenda historia accepi, ita nunc iterum à Reuerendo admodum *Fratre Petro de Aloaysa* maximè fui adiutus. Est autem vir hic doctissimus, *Ordinis S. Dominici* sodalis, in *America* & quidem in principalissima *Peruani* regni ciuitate *Limana* natus, qui adfectum etiam librum habet de *Americanis* sui ordinis negotijs, prælo propediem committendam. Huius amicissima confabulatione, cum sæpe hic *Romæ* de *Americanis* rebus colloqueremur, mirabiliter fui recreatus. His autem mihi verbis *Mergum* hunc delineauit.

Frater Petrus de Aloaysa Limensis in pluribus authorem iuuit.

ACITLI ad speciem illarum auium accedit, quæ Hispanico nomine *Pato* dicuntur, & *Mexicana* hæc vox *Acitli* aliud proprie non significat, quàm hanc auem, quæ quoniam in aqua & subtus aqua continuò commoratur, ideo hoc nomen accepit. *Acit* enim idem dicit, quod *Aqua*, & *Li* rem aliquam, ad aquã nimirum pertinentem. Vocatur autẽ auis hæc *Peruanã* linguã, *Nunnuma*, & duplex earum differentia reperitur. *Vna* earum est quæ longissimè volant: sunt enim corporis mole graciliores, & sapore in victu excellentiores, cum carnem habeant absque onerosa pinguedine. De his compertum est, quod pullos suos statim vt eos natare vident, derelinquant, vt ipsi pulli cibum sibi quærere cogantur inter *Iuncos* præcipuè, vbi procreantur. Sunt hæ in natatu præstantes, & sub aqua quidem velociores, quàm supra eadem; ita vt nullus eos facilè piscis effugiat. Submergunt sese aquis, diuq. valde sub ipsis dimorantur.

MERGVS AMERICANVS.

Auis hæc nostra Mergus esse Americanus à F. Petro di Aloayla approbatur & describitur.

Vocis Acitli explicatio.

Visu

Visu pollent acutissimo, ita vt turbata etiam aquâ, & longè & acutè cibum suum speculentur, capitanq. *Indi* varijs has modis capiunt, sed præcipuum dicam. In *Palude Mexicana*, vbi harum plurimæ stabulantur, *Indus* aquam intrat, suumq. caput in *Angaram* aliquam immittit, quæ similitudinem habet cum quadam cucurbita rotunda; ibique ad collum vsque submersus manet, eminente solo capite vasi eidem infixo. Vas itaque tantummodo supernatare conspicitur, quod cum auibus imponat, securæ lignum illud esse putantes, circumnatant. Quare *Indus* arreptis auium pedibus, capit eas submergit, enecatq. donec ceteræ insidias olfacientes diffugiant.

Prima Mergorum species describitur.

Modus capiendi hos Mergus.

Secunda species earum est, quæ nunquam volant, licet alis haudquaquam destituantur, sed quoniam ab his grauior corporis moles, haudquaquam sustentari potest. Propria harum imago auium hæc est, quæ hac in tabella prostat. Sunt *Mergi* hi in natando admodum veloces & promptissimè ad piscium raptum se submergunt. Ponunt oua sua in terra, & pullos suos non aliter ac gallinæ procreant. *Indi* has aues immundas censent, ideoq. ab earum esu abstinent, nescio qua vana persuasi opinione, quòd eas cum *buſonibus* sub aqua coitu commisceri censeant. Penis in his est longus valde & retortus? Nescio etiam an non superstitionem sapiat, quando *Americani* tantopere aduersus fascinationem laudant auium harum pedes & rostra, quæ subinde infantulis suis è collo, ceu certissima quædam amuleta, suspendunt, ne ipsis maleficus aspectus noceat. Hispani dicunt *Aojar con mal ojo*. Vnde & *Virgilius*.

Secunda species describitur.

Ab harum esu abstinent Indi.

Medicamẽta ex his desumpta.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Pinguedo harum quoq. laudatur ad tollendas maculas, in facie oriri solitas, *Hispano* sermone *Pecas* dictas. Pennis quoq. earundẽ vtuntur ad medendum mulieribus vteri dolore vexatis. Harum enim combustarum pẽnarum fumus naribus ab ipsis hauritur, quamuis hoc commune sit alijs rebus fætentibus crematis, lanæ præsertim sordidæ, si ab hystericis fumus incẽsæ recipiatur. Verùm *Indi*, qui vera CHRISTI fide nondum sunt imbuti, existimant Deorum suorum futilium nutu, iussuq. auem hanc mulierum vuluis, & infantium morbis destinatam atque dicatam fuisse. Hæc *Frater Petrus*, de *Americano* suo *Mergo*.

Superstitio Indorum de hac aue.

Hactenus F. Petrus de Aloysa.

Nos etiam nostros habemus maiores, minoresq. *Mergus maior* aliquibus etiã *Colymbus* maior, à κολυμβᾶν, id est, natare, & *Vrinatrix maior* vocatur. *Minorem* solemus *Mergulum* appellare. Talibus *Franconia* nostra in stagnis suis, ac piscinis, quarum plurimas & vtilissimas habet, abundat, & in fluminibus etiam eiusdem *Pegnitio* & *Moeno*, vbi non rapidè feruntur, sæpius cum voluptate mergentes & emergentes, veluti ludibundos eos conspexi.

In Francoma plurima sunt stagna & plurimi Mergi.

De *maioribus Mergis* referebat mihi olim *Theophilus Molitor Lynceus*, hos semper in aquis degere, in littore rarò sedere, nidificare in lacubus, in foliis nempe *Iuncorum* ac *Typharum* inclinatis, in hisque tam artificiosè nidum construere, & erigere, aquis innatantem, vt à vento hinc inde vllo absque periculo moueatur. Quinque etiam aut sex oua ponere. *Minores* aiebat frequentiùs sub aqua se abscondere, quando præcipuè sibi insidias strui aduertunt, & post longum denuo interuallum, alio in loco erumpere. Quare à piscatoribus sub aqua interdum in retibus capi.

Relatio Theoph. Molitoris Lyncei de nostris Mergis.

PICVS

PICVS AMERICANVS.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

NOMEN hìc nullum adſcriptum eſt. Roſtrum in aue nulla maius reperiri exiſtimo. Superior autem huius pars roſtri, inferiore dimidio latior eſt, variegantibus multa cum venuſtate coloribus ex viridi, albo, cæruleo, croceo, rubro, flauo verſus extrema tamen, & acumen ipſius, magis magiſq; rubello. Eſt & hoc cũ admiratione quadã ſpectandũ, medietatẽ capitis, adeoq. frontem integram in roſtrum abſumi. Oculorum pupilla nigerrima, reliqua tunicarum pars flaua circulus has ambiens puniceus, & extra hunc area alba eſt. Colli inferior pars crocei diluti coloris, pectus verò caſtanei ſaturati, inter hoc tamẽ & collũ rubedo leuis apparet. Dorſum nigriuſculum. Alæ ex triplici colore conſtant, fuſco nempe, ſubfuſco & caſtaneo mixtæ, qui in extremis magis diluitur. Inferior ventris & poſterior pars niuea, & caudam verſus rubello colore ſcintillat. Cauda autem nigerrima ſimulq. ſolito longior, id quod à ſculptore hìc non obſeruatum fuit. Pedum digiti ante ac retro bini, ijque duplo, quam in hactenus deſcriptis auibus videre licet, longiores, coloris ſubalbidi ſunt, & recuruis vnguibus. Crura per interualla cæruleo colore notantur.

SCHOLIA EIVSDEM.

ANtequam de meo hìc quicquam addam, operæpretium eſſe cenſeo, eam prius breuiter delineationem ſimilis ferme auis ſubnectere, quam *Carolus Antonius Puteus* mihi lubens communicauit ex viua aue deſumptam, Carolus Antonius Puteus ſimilem auẽ viuã apud

Regé Galliæ vidit, cuius iconem autho ri dedit.

quam ipse apud *Galliarum* Regem in *Fontebellaquensi* atrio, loco Gallis *Fontainebleau* dicto, viderat. Quantum autem ex effigie coloribus suis inducta, mihi animaduertere licuit, hæc eius facies, hi colores fuerant.

Auis huius in Gallijs visæ descriptio.

Auis hæc Picà ordinarià paulo maior est. Rostrum quod latum est admodum, superiore sui parte, vbi capiti adhæresçit, viridiusculo colore tinctum ex eodem virore ad acumen ipsum lineam producit, inferiore verò parte capiti quoq. commissa cæruleo lucet colore. Totum reliquum rostrum instar ligni serpentini atro rubentis, intercursantibus nigris maculis ac lineis quamplurimis est pictum.

Magnitudo.

Rostrum.

Rostrum autem eidem vacuum fuit & concauum, & adeò propterea leue, vt vires exiguas haberet, & neque morsibus acrioribus rem apprehenderet, neque perstringeret. Hocque interna sui parte croceo, versus extremitatem tamen illius cæruleo, fulgebat colore.

Lingua mirabilis.

Linguam gerebat compressissimam, non multum formà suà dissimilem prælongis pennis illis, quas in collo galli gallinacei habent, hanc per rostri longitudinem deducebat, & extendebat; eratq. coloris verè carnei, & quod miratus esses, ex vtraq. sui parte quibusdam veluti plumulis filisq. minutissimis distinguebatur, quæ eandem veræ pennæ faciem æmulari faciebant.

Pennæ in collo.

Pennæ autem in collo vsque ad pectoris medietatem, vt albicantes erant, quarum extrema fuligineus terminabat color, sic in dorso & capite erant nigricantes.

Oculi.

Area rotunda oculos ambiens, nuda pennis, crispatá tamen aliquantulum pilis, violacea cernebatur, prout in *Psittacis* quoque videre licet.

Reliqui corporis pennæ.

Reliquum corporis coopertum erat pennis mustelini coloris. Caudam non habebat, verùm in procinctu erat, eandem emittendi, aut potius delapsam remittendi. Cuius initia quidem ex pennis constabant obscurè albicantibus, nigri, mustelini, & cinabrium æmulantis coloris. Hæc etiam caudæ suæ præludia, auis sæpissimè eleuabat, ac demittebat, quemadmodum facere Reguli auiculæ minimæ, aut Motacillæ assolent.

Pedes.

Pes quilibet in binos erat fissus digitos, tam retro quam ante, & coloris quidem superiùs violacei, inferiùs cinerei. Saltitabat frequenter, & cantum siue garritum picarum non absimilem voci, edebat. Hanc minimè caueæ inclusam, sed ligatis alis, in quodam asserculo parieti infixo, seruabant; ibi garriebat & spatiabatur.

Vox.

Victus.

Rebus omnibus fermè, vti & psittaci faciunt, vescebatur, auidissima tamen erat acinorum, ex vuarum racemis decerptorum, quos euulsos sibiq. proiectos dexterrimè per aerem delapsos raptabat. Caro totius corporis saturatum violaceum referebat colorem. *Hæc Carol. Ant. Puteus.*

Alia relatio de simili Aue Fratris Petri Aloaisij.

Et cum in hoc sim, vt eorum qui similem auem viuam aliquando conspexerunt, testimonia producam, non prætermittendum censeo quod *Fr. Petrus de Aloisa Americanus*, quem supra etiam cum laude nominaui, de eadem mihi narrabat.

Vocatur hæc auis Hispanica lingua Carpintero, & Peruanà Tacataca.

Quæ de hac aue, *inquiebat*, vernaculo ab Hispanis sermone *Carpintero*, & linguâ *Peruanâ*, *Tacataca* dictà, commemorantur, hæc sunt. Quod caput videlicet habeat rubrum, & illius proprietas sit arborem excauare, multisque

in

in partibus perforare, vt nidum ibi pullis ſuis conficere valeat.

Perſuaſum autem ſibi habent *Indiani*. huic aui notitiam eſſe cuiuſdam herbæ, quæ vim habeat, ferrum etiam diſrumpendi, aperiendiq. omnes ſeras. Vt autem herbam illam *Indiani* conſequi valeant, aiunt ſe peſſulo nidum occludere, & ad arboris pedem aliqua linteamina apponere: tum ad herbam iſtam confugere auem, eandem apportare, clauſtro admouere, quod ſtatim frangatur & diſſoluatur; quo effracto, herbam dimittere, quæ in terram cadens ab iſtis colligatur. Vocatur autem *Peruanis* herba hæc *Pyto*, ex qua ſimiliter auem *Pyto* quoque appellare conſueuerunt. Si eos quæras, vbi locorum herba ea reperiatur, omnes ad vnum ſe hoc ignorare fatentur.

Indis perſuaſum eſt hanc auem reperire herbã quæ clauſtra ferrea etiã aperiat.

Vocatur etiam Pyto Americanis.

Cerebrum huius auis ſi dentibus applicatur, qui iam mouentur & caſum minantur, tam firmiter iterum conſolidat, vt nunquam laboraſſe videantur. Hæc *Fr. Petrus de Aloayſa*.

Nondum quicquam hìc à me determinãdum eſt, priuſquam aliorum quoq. hiſtoriæ Americanæ, ſcriptorum de ſimili aue teſtimonia producam, vt quantùm cum noſtra conueniant aut diſcrepent eorundem deſcriptiones, vnicuiq. clarum euadat. Placuit autem primo loco ipſiſſima *Ioannes Lerij* verba recitare quæ cap. 10. leguntur hiſtoriæ nauigationis ſuæ in *Braſiliam* factæ. *Inter reliquas aues* inquit, *Americanorum, primus locus cuidam Toucan nomine, dabitur. Is columbi eſt magnitudine, colore ceu Coruus, excepto pectore, quod crocei eſt coloris, torque miniato ab inferiore parte circumducto, detracto Barbari ad genarum, aliarumq. partium corporis ornatum vtuntur. Tum verò maximè apud illos eſt in pretio, quod ſaltaturi ea vtantur. Nomen inde eſt ſortitum Toucan tabourace, hoc eſt, plumæ ad ſaltandum. Nihilominus tanta illis earum auium ſuppetit copia, vt mercibus noſtratibus permutare eas non grauentur. Auis illius roſtrum reliquum corpus longitudine ſuperat, cum quo Gruis roſtrum minimè eſt comparandum. Itaque pro monſtroſiſſimo totius orbis roſtro eſt habendum. Ergo non immeritò Bellonius vnum cum nactus eſſet ſub finem tertij libri deſcriptionis auium depingendum curauit: nomen quidem non edit, at ea omnia quæ ab illo narrantur, de iſto roſtro neceſſario ſunt intelligenda.*

Quæ Ioannes Lerius de ſimili aue ſcripta reliquerit.

Color.

Nomen.

Hic idem *Lerius* eodem libro capite 7. ſe magis his verbis de pelle detracta explicauerat. *Partis illius pellem (* quæ circa ingluuiem eſt nimirum *) detractam ſiccant (auis nomen retinet) ſiccatam vtriq. genæ applicant cera agglutinatam, quam Trayetic nuncupant. Quibus ita aptatis dicas vmbones lupatarios ex ære inauratos ab illis geſtari.*

Volupe fuerit lectoribus meis huc ea ſimiliter interſerere, quæ in Summ. *Ouiedi* hiſtoriæ Occident. Indiæ Italico idiomate ſcripto, & quidem capite 43. reperio. Aitl autem in *Terra firma* auem reperiri, quæ à Chriſtianis *Picuto* appelletur, quod roſtrum obtineat admodum grande, ſi cum corporis reliqui paruitate hoc compares, & quod valde graue ſit, & plus omnino quàm reliquum corpus totum ponderet. Hanc enim auem non maiorem aut certè paulo maiorem eſſe *Coturnice*, plurimis tamen pennis veſtitam, ideoque minus carnis habere quàm plumarum, quæ venuſtæ planè ſint, ac diuerſorum colorum. Roſtrum ipſi datum maximè longum, & tellurem verſus recuruum, vbi capiti adhæreſcit tres digitos tranſuerſos latum. Linguam quam obtinet, &

Quæ Ouiedus de eiuſmodi aue ſcripta reliquerit.

Roſtrum.

Lingua pẽna videtur. qua ſibilum edit, pennam videri potius. In arboribus foramina excauare in quæ intret, ibique ſibi nidum fabricet. Auem eſſe profectò viſu mirabilem,

Cur ſit mirabilis auis. quoniam plurimùm ab alijs differat, tam quod linguam attinet, quæ vt dictum, potius penna ſit, quàm ſi roſtrum ad reliquum corpus, vbi ferme nulla videatur proportio, metiaris. Nec vllam reperiri auem, quæ ſecurior de ſuis pullis ſit, nec *Cercopithecos* inſidiantes pleriſque auium pullis, per-

Quomodo reſiſtat Cercopithecis pullorum ſuorũ raptoribus. timeſcat. Siquidem non poſſunt ipſi pullos ſuffurari ex nidis, quoniam vigilantiſſima hæc auis ſit, nam vbi inimicorum aduentum animaduertit, iam ita ſe in nido ſuo componere, vt ex eiuſdem foramine roſtrum exſerat, atque eo modo *Cercopithecos* excipiat, vt confeſtim diſcedant, & gratiam etiam aui habeant, ne peius quid ipſis contingat.

Quę Aldrouandus de hac aue habeat. Sed nolo iam diutius illis immorari, quæ de hac aue alij recenſuerunt, ſolum ex recentioribus *Aldrouandum* adducam, qui lib. 12. capite 19. Ornithologiæ ſuæ hiſtoriam huius breuiter perſtringit, ſub nomine *Picæ Breſſilicæ*, quòd

Cur vocet Picã Breſſilicam, *Picæ variæ* ſit ſimilis, ſi roſtrum demas, & quod in *Breſſilia* reperiatur. Scripſerat olim ad Ornithologum *Ioannes Ferrerius* hanc latinis *Piperiuoram* dici,

Vocatur etiã piperiuora, quod piperis nempe eſſet voraciſſima, & vbi hoc ingeſſiſſet, egereret citiſſimè; quod poſtmodum eius regionis incolis maximo eſſet in pretio. Verùm *Americani* amici mei, quibus hac æſtate hic familiariter vſus ſum *Romæ*, de hoc ne verbum quidem, quare non leuem hac de re dubitandi anſam habeo. De-

Qui ſcriptores alij huius meminerint. ſcribunt hanc ſimiliter *Theuetus* in ſua Gallica Antarctica hiſtoria, & *Ambroſius Pareus* in opere ſuo chirurgico, *Boterus* demum ſed breuiſſimè, in ſuis Relationibus.

Vix vlla icon ab alijs producta cum noſtra cõgruit. Hoc monere ſatis nunc habeo, duas ab *Aldrouando* proponi icones, veluti ab ipſo quoq. Ornithologo; ſed neutram cum noſtra vſquequaq. conuenire, ſicut nec illa quæ in *Gallijs* à *Carolo Ant. Puteo* viſa fuit, cum noſtra quadrat prorſus. Id quod me, vt credam mouet, non vnicam tantum huius ſpeciem eſſe. *Theuetus* certè vt ipſum Ornithologus citat, duas agnoſcit, vnam quæ magnitudine

Theuetus duas habet ſpecies. pipionem ſeu pullum columbinum, alteram quæ *Picam* referat. Et qui harum nobis depinxerunt effigies, in roſtro non paruam diſſimilitudinem oſtenderunt. In altera enim denticulatum ſiue ſerratum hoc faciunt: alteri aſperitatem eam omnino adimunt. Noſtra profectò effigies dentibus carere manifeſtè cernitur.

Roſtrum in aliqua harum auiũ denticulatum depingitur. Sed animaduerſione dignum cenſeo, quod *F. Petrus* & ſocij ipſius *Americani Hiſpaniq.* diu Noui orbis incolæ, pro certo mihi affirmauerint, hanc auem roſtro ſuo arbores perterebrare: illa autem in *Gallijs* viſa tenuiſſimum & leuiſſimum roſtrum habuiſſe aſſeratur, quo vix molliuſculam materiam, nedum

Quomodo intelligendum ſit quod tenuiſſimæ ſubſtantiæ roſtro arborem excauet. duriorem arboris corticem lignumq. perforare potuiſſe iudicata fuerit. Et *Aldrouandus* tale ſibi roſtrum in ſuo Muſæo adſeruatum fuiſſe ſcripſit, tenuiſſimum membranæ inſtar, ſed oſſeà tamen ſubſtantiâ, ſplendidâ, leuiſſimâ, cauâ, atque aeris intus capaciſſima. Vbi rectè obſeruandum exiſtimo, quòd licet tenuiſſima fuerit ſubſtantia, oſſea tamen exſtiterit: qua ſi animal viuum dextrè vtatur, mirandum minimè eſt, ſi repetitis tot vicibus atque percuſſionibus, corticem etiam arboreum, & lignum forſan putridum, (hoc enim inſtin-

inſtinctu quodam ab hac aue quæri crediderim) forare ac penetrare valeat, cum gutta etiam leuiſſima ſæpe cadendo lapidem cauet. Et vel formicarum puſillorum exemplo animalculorum docemur, quid labor improbus poſſit. Cum enim *Plinius* lib. 11. cap. 30. miram earum diligentiam curſum ac recurſum deſcripſiſſet. *Silices*, inquit, *itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re quid poſſit quantulacunq. aſſiduitas.* Quare non inuenuſto *Hiſpani* vernaculo ſermone ſuo, hanc auem *Carpintero*, hoc eſt fabrum lignarium, & *Peruani* à continuæ percuſſionis ſono, qui tac tac eſt, *Tacataca* appelarunt.

Formicæ continua ambulatione ſilices atterunt.

Atque hæc me cauſa mouit, vt *Pici* potius, quàm *Picæ* nomine inſignirem eam voluerim, contra omnium eorum, qui ante me de hac aue quicquam commenti ſunt, ſenſum ac mentem. Aſſentietur mihi, qui nidi fabricam conſiderauerit, quam *Pica* non in cauis arborum, ſed in arboribus altiſſimis ſibi concinnare ſtudet. Lege ſi placet apud *Aldrouandum*, & oculis intuere depictum mirabilis artificij nidum, quem *Pica* in media arbore *Malo*, ex enaſcentis viſci ibi ramulis conſtruxerat, ſpinoſis plurimis ramis ex *Oxyacantho* & *Pyraſtro* obſeptum, atquè ita arctè clauſum, vt nec vnde exiret, nec vbi *Pica* ingrederetur, obſeruare quis facilè potuerit.

Pici verò nidos ſibi conſtruunt omnes in cauis arborum, vt rectè *Plinius* lib. 10. cap. 18. monuit: ſed non item rectè, quod *Picos* omnes *Martio* cognomine inſigniuerit, adeoq. ſpecie pro genere (vt ſcholæ loquuntur) vſus fuerit: cum *Picus martius* determinatam *Picorum* formam ſignet. Niſi quis hoc ipſum modo tueri velit, quod *Pici* forſitan omnes, veluti animoſæ aues, cum integram etiam crebra roſtri percuſſione arborem deijcere poſſe credantur, *Marti* ideo ſacræ fuerint; vel quia auſpicatæ ſint aues, & in bellum ſiue *Martem* abituri *Romani*, non niſi auſpicato *Vrbem* egrediebantur. Libet *Plinium* ipſum audire. *Sunt & paruæ aues, vncorum vnguium vt Pici, Martio cognomine inſignes, & in auſpicijs magni. Quo in genere arborum cauatores, ſcandentes in ſubreptum felium modo, illi verò & ſupini, percuſſi corticis ſono, pabulum ſubeſſe intelligunt, pullos in cauis educant, auium ſoli.* Aſt neque ſolos *Picos* in arborum cauis nidulari, ſed *Vpupam* quoque hoc factitare, ex *Ariſtotele* diſcimus lib. 6. de Hiſt. animal. cap. 1. *Vpupa vna*, inquit, *ſuo in genere non nidificat, ſed ſtipitem arborum ſubiens, parit ſine vllo ſtramento in cauis.* Miror hoc in loco *Ariſtotelis* interpretem *Auguſtinum Niphum*, quòd *Albertum* reprehendat, inquiens: *Hæc quæ Ariſtoteles ait de vpupa Albertus mentitur de pico marino.* Licet enim *Ariſtoteles* non dixerit, *Picos* in cauis arborum nidos ponere, *ſed ſupra arbores, & non humi conſidere veluti perdices faciunt, & coturnices*: veriſimum tamen eſt, quod *Albertus* dixit, cui & experientia, & *Plinius* adſtipulatur. Erit igitur ob nidi ſtructuram, locumq. *Auis* hæc noſtra *Americana*, *Picus* potius appellanda, quàm *Pica*.

Pici in cauis arborum nidos ſuos ſtruũt.

Cur Pici Marti ſint ſacri.

Non ſoli Pici nidificant in cauis arborũ vt Plinius vult.

Niphus malè reprehẽdit Albertum.

Ratio prima cur noſtra auis ſit potius Picus quam Pica.

Et quoniam in *Picorum* varietate enumeranda, non conuenire reperio, qui de his aliquid memoriæ prodiderunt, addam breuiter illa, quæ olim mihi ſcripta reliquit *Theophilus Molitor Lynceus*, non auritus, ſed oculatus teſtis, in auium enim natura atque proprietatibus indagandis, perſpicaciſſimus fuit. Hìc igitur ſeptem omnino *Picorum* ſpecies obſeruauerat. *Primus*, aiebat

Authores in Picorum speciebus variant, de quibus certiora retulit Theophilus Molitor Lynceus.

ille, est *Picus niger*, de hoc multa fabulantur chymici, de radice quadam nempe, quam ore ipse apportet, & nidi sui foramen ligno per vim intruso, clausum reseret. Hic *Picà* maior longiorq. est, capite rubro, rostro longo & nigro, linguam non latam (quam falsò *Aristoteles Picis* tribuit) sed teretem & in acumine corneam habet. Pennas in cauda acutas obtinet, quibus in ascensu arborum quoque vtitur. Excauat arbores durissimas, in quibus oua sua locat.

Prima species.

Secundus est *Picus martius*, seu viridis notissimus, & hic in cauis oua quinq. sex & octo etiã, sine vllo stramine ponit, pullos suos vermibus & muscis educat. Hic ramos aridos hyeme excorticat, sub illis vespas, ac vermes quærit, quos comedit, his deficientibus ad aluearia conuolat (quod plerisq. *Picis, Paro, Rubeculæ & Ciconiæ, Apiperdis* illis auibus est familiare) rostro illa aperit, apes euocat & deuorat. Maio mense in silua arborem quærit interiùs putridam, ascendit, rostro percutit, audito sono violenter ferit. Corticem & lignum quercinum viride etiam, interdum ad quatuor vel quinq. digitorum transuersorum crassitudinem perterebrat, donec ad lignum putridum perueniat, quo inuẽto, dimidiæ etiam vlnæ profunditate arborem excauat, in qua oua sua excludit.

Secunda species.

Pici apibus insidiãtur.

Tertia species.

Tertius & in ordine primus, ex maculosis (triplex enim maculosus est) *Picarius* etiam vocatur. Hic niger est & albus, per corpus totum maculatus. Plures tamen nigras pennas in tergo habet, quàm albas. *Picà* paulo est minor. Sub cauda rubet vti & in capite. Rostrum huic longum & lingua teres est. Apibus valde est infensus. Oua ad plurimum septem ponit.

Quarta species.

Quartus est *Merulà* paulo minor, priore adhuc maculosior. Pennæ in cauda mediæ sunt nigræ, & acutæ. Oua sex ponit.

Quinta species.

Quintus & in maculosorum ordine tertius, & inter hos minimus, circulos habet in pennis per integrum corpus, quorum vnus albus, alter niger est. Hic *Passere* domestico paulo est minor. Carne *Rubeculum* ferè æquat. Linguam prælongam habet ac corneam: pedes paruos, sed vngues longos.

Sexta species.

Sextus Cinereus vel *Cæruleus* dicitur. Hic rostrum quidem longum sed linguam breuem habet. Non est ei cauda acuta, in qua tamen veluti in alis quoque & capite cinereum ac cæruleum, in pectore, collo & sub cauda luteum, vel ex luteo rubrum; in gutture album obtinet colorem. Pedes ipsi breues sunt. Nidum hoc exstruit modo. Inuento aliquo sibi congruo foramine sed ampliusculo, circumlinit illud luto, vel terrà madidà, quam rostro adducit, nõ aliter ac *hirundines* facere solent, & foraminis eam relinquit capacitatem, quæ sibi ac fæmellæ suæ ad ingressum sufficiat. In hoc oua locat & pullos educat.

Septima species.

Septimus gryseus vix *Carduelem* magnitudine excedit, ascendit & descendit per arbores victum quæritans, maculis eiusdem coloris in nigro conspersus est, vt *Perdix*. In rimis arborum aridarum nidificat, intra cortices ac lignum. In cauitatibus etiam murorum inter lapides oua sex plerumq. ponit, vna ex parte rotunda, ex altera verò oblonga valde, & acuta. Non canit, quamuis nec reliqui *Pici* cantillando aliam vocem exprimant; quàm Ghik, Ghik. Hæc *Molitor* noster, qui exactissimam plerarumque nostratium auium historiam vllo absque libro (adeò ipsi familiaria hæc erant) mihi reliquit.

Hucusque Theoph. Molitor.

Accedit huc alia, & potior quoque coniectura, ad *Picum* potius, quàm

Picam

Picam referendam esse hanc auem *Americanam*. Quòd pedes nimirum hæc binos in digitos, ante ac retro diuisos gerat. Id quod solis *Picis* peculiare esse *Albertus* annotauit, si *nocturnas* tamen quasdam *aues*, *Psittacum* etiam, & *Iynga* excipias. Quamuis & *Pico murali* & *nigro* tres ante, & retro vnum, esse alij scribant. Et scimus nos etiam *Cuculo* binos ante, & retro totidem digitos concessos esse. Sed quoniam & in cæteris proprietatibus, tam aptè cum *Pico* magis quàm *Pica*, quæ tres ante, & vnum retrò habet digitos; cõgruit, ad *Picum* libentius eã retulero. Vnde maximopere miror, plerosq. *Ornithologos*, & inter hos diligentissimum nostrum *Aldrouandum*, rostratæ huic *aui Americanæ* siue *Picæ Bressilienſi*, vt ipsi vocant, in suis omnibus Iconibus, tres digitos ante, & vnum pro calce appinxisse, cùm tamen & nostra pictura, & sculptura, & ipsum animal viuum in *Gallijs* visum & depictum, reclament, vt ex supra datis descriptionibus, cuilibet manifestum euadit.

Alia ratio ex pedibus desumpta cur Picus potius quã Pica sit hæc nostra auis.

Aldrouandus & alij male huic aui Americanæ digitos in pedibus tres ante, & vnũ retro appingunt.

Nomen autem illud *Picuto*, quo ipsum *Ouiedum* hanc insignijsse, supra monui; neque à *Pica*, neque à *Pico*, sed à rostro deriuatur, quod *Hispani* suo idiomate *Pico*, & Itali *Becco* appellitant. Sub huius *Picuti* nomine, hanc etiam *Cardanus* lib. 10. subtilitatum descripsit, cum inquit. *Rostrum maius est toto corpore, corpus autem coturnice paulo maius. Rostrum igitur longius, latum vbi capiti iungitur, tribus digitis, aduncum quo terebrat arbores, atque ibi à caudatis Simijs arte ac rostro, quanquam pusillum se tuetur pulchrè. Illud in eo mirum quod pennam habeat pro lingua, vnde à natura aliorum omnium multùm dissidet, sibilat vehementer.*

Cur dicatur Picuto.

Cardanus hanc sub Picuti nomine intellexit.

Ridet hæc omnia falsè *Scaliger* pro ingeniosa subtilitate sua, Exercitatione 234. *In maxima omnium coturnice*, ait, *pectus nunquam vidi latum digitos binos. Quantum igitur caput, cui affixum sit rostrum sesquialterum? Rostrum etiam debebat potius rectum fuisse, quam aduncum, ad perterebrandam arborem, & inferendos ictus.* Sed cur risu dignus sit *Cardanus*, si ipse hęc ad verbum ex *Ouiedo* oculato teste, (licet hunc non nominet) transcripsit? Et cur non reprehendit *Ouiedum* potius *Scaliger*, quem ipse dubio procul vidit, legitq. cum non rarò ex hoc, & ipsemet suppresso *Ouiedi* nomine, *Indica* naturæ quædam miracula narret? Et cur accusandus *Cardanus*, si Natura in monstroso hoc ludere rostro voluit? quod cum reliqua aue non eam habet proportionem, quam in plerisq. nostris videmus alitibus. Κοσμος hic mundus noster est, in quo polydædala Natura pro varietate sua, pulchritudinem inducit, & vt *Plinius*, ait, *quæ nobis miracula, ipsi ludibria sunt*. Præterea cum auis hæc non terebri modo arborem directè perforet, sed bipennis loco rostro suo ad excauandam arborem, & ibi nidum suum collocandum vtatur; non video cur non æquè aduncum, quàm rectum volucris rostrum, hoc præstare & fortasse commodiùs possit.

Scaliger Cardanum hìc ridet sed absque vlla causa.

Quæ natura ludibria, hæc nobis miracula censentur.

Sed finiamus tandem, & admiremur simul, idem nunc, & olim persuasissimum fuisse figmentum, barbaricæ illi *Americanæ* genti, claustra aperiri nido huius auis applicita, ab herba quadam, quam ea ore apportet, quod *Plinius* etiam de *Picis*, ad quos hanc nostram retulimus, scriptum reliquit, loco paulò supra laudato. *Adactos*, inquit, *Cauernis Picorum à pastore cuneos, admotà quadam ab his herbà, elabi creditur vulgo. Trebius autor est, clauum cuneumuè adactum, quanta libeat vi, arbori, in qua nidum habet* (Picus) *statim exilire cum crepitu arboris*,

Miram est, quod Americanis etiã hæc fabula de herba claustrum aperiente fit persuasa.

Plinius hāc olim scripsit.

boris, cum insederit clauo aut cuneo. Hoc ipsum quoque *Democritum* & *Theophrastum* credidisse *Matthiolus* in nūcupatoria sui Herbarij epistola scripsit: quem ego miror magis, hæc ibi verba addidisse. *Quin etiam Æthiopide herba tactu claustra omnia aperiri, quibusdam admurmuratis cantilenis: id quod mihi miraculo non est. Memini enim dum superioribus annis Venetijs agerem, me quendam suspendio damnatum vidisse, cui fores omnes patefierent disiectis seris, vna tantùm herbà admotà, signaculis quibusdam decantatà. Talis ferè facultatis alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proueniens, qua ab equis calcatà, continuò ferrei soluuntur calcei.*

Mirum magis quòd Matthiolus similia friuola credidit.

Ego vt ingenuè fatear, potiorem vitæ meæ partem herbarum quoque studijs insumpsi, & plurimorum simul familiaritate rhizotomorum sum vsus. Verùm eiusmodi naturalia plantarum miracula, nec vidi vnquam, nec à fide digno quoquam audiui.

Authori difficillimè hæc persuadentur, qui similia nec vidit nec audiuit.

Quòd si admurmuratis verbis cantilenisq. res agitur, iam illa de diaboli commercio, auxilio, & suggestione suspecta fit. Scio equidem, plerosq. hominum non facilè contentos esse, ijs, quæ vbiuis obuia, & quotidiana sunt: Sed παράδοξα illa libentissimè credere, appetere, & amplecti. Adeò fabulæ, deliramenta anilia, & superstitiosæ, Cacodæmonis astu excogitatæ ceremoniæ, per vniuersum orbem facillimè disseminantur, vt ad *Americanos* & *Antipodes* nostros quoque iam olim penetrauerint.

In huiusmodi miraculis supernaturalibus res sepe suspecta est de diaboli commercio.

Et quidni? Cum enim luce Euangelica variæ orbis nostri cogniti regiones essent illustratæ, & fraudes Sathanæ ideo detectæ migrandum sibi putauit ad gentes noui orbis barbaricis ritibus plenissimas & veri DEI cultu orbatas. His cum superbiam, arrogantiam & tyrannidem suam diu miserè exercuit, apud has idololatriam perfidè fixit, vt licet iam bona pars earum CRISTI doctrinam amplexata fuerit, remanserint tamen antiquarum superstitionum fomites quidam, è quibus continuò adhuc idolomaniæ igniculi exhalant. Et quantum apud illos Americanos perditissimus hic humani generis hostis possit, partim historiæ eius orbis nos docent, partim ab ipsismet ego Americanis sed iam Christianis; partim ab illis etiam qui ad infidelium loca penetrarunt, vt miseros illos & à dæmone dementatos homines CHRISTO lucrifacerent, edoctus fui. Sed legat hac de re qui velit, Iosephi à Costa quintum librum historiæ suæ occidentalis Indiæ: mirabitur simul & gentis illius miserebitur. Atque de *Pico Americano* hæc satis sunto.

HOITZITZILTOTOTL

Auis picta Americana.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ROSTRVM oblongum, acutum, tenue & tantisper curuatum nigricat: cum hoc caput, collumq. quod longum satis, in magnitudine proportionem obtinent. Colores niger, viridisq. saturatus, adeò per minima commiscentur, vt oculis se quasi nostris ambo occultent, qui tamen paruorum instar punctorum ex croceo, aureoq. pulcherrimo colore effulgent. Ex nigro vndiq. sed diluto magis, inferiorem colli partem color, vsque ad pectus, idemq. dorsum venustat, nisi quòd in hoc albæ minimæq. maculæ quædam apparent interspersæ. Putares in hac elegantissima & exotica aue, merum superbi P*auonis*, aut P*hasiani* masculi, aut variegatum rutilantis *Columbæ* collum intueri. Alæ nigricant, sed anteriores harum partes candidis maculis lucent. Cauda subfusca ferme tota, principium huius tamen viresçit, albescit extremitas. Pedes habet longos, nigricantes, subtiles, tribus ante distinctos digitis, cum quarto posteriore, ex breuibus cruribus enatos.

SCHOLIA EIVSDEM.

PArum est, quod commentarij loco hìc adnectere possum, & iam nonnemini diffusior paululum visus fui. Adponam tamen hìc primo loco quæ *Fr.* P*etrus de Aloaysa* mihi reliquit. Hæc auis, *inquiebat ille*; quam *Mexicani* *Hoitzitziltotl*, P*eruani* verò P*illeo*, appellant, non comedit frumenti grana, nec corpore um quicquam, nisi tantùm substantiam & medullam florum, sed præsertim

Fr. Petri de Aloaysa Americani de hac aue verba.

Alimẽtum huius auis melleus liquor.

sertim florum spinis armatorum. Habet autem pulcherrimas pennas, quarum vsus est imagines conficiendi picturis simillimas, & alia huiusmodi precij magni opera.

Recchus nostrę huic consimiles alio loco describit.

Nardus Antonius Recchus noster, hoc ipso *Mexicani* voluminis sui, quod nunc primùm mundo publicamus, libro 9. cap. 11. Auiculas plurimas sub *Hoitzitzil* nomine, & pictas exhibet, & calamo describit, cum quibus magnam hæc nostra vt corporis effigie, sic nomine similitudinem gerit. Hæc sola inter vtrasq. est differentia, quod nostræ præter vtrisq. communem appellationem *Hoitzitzil*, additur vox hæc *Tototi*, quamuis & illis septem differentibus vnius speciei auibus, sua differentia etiam nomina dentur à *Reccho*, quæ tamen in hoc omnes videntur conuenire, quod sint *Hoitzitzil* Quapropter fere adigor, vt credam, hanc nostram auem quæ sine historia hìc prostat, ad illas referri posse, de quibus loco laudato singulare caput *Recchus* scripsit. Licet enim ibi colores non enumeret, sed varios solummodo esse dictitet, quare & auem illam latinè *variam* nominat: credi tamen potest, eas huic nostræ haud absimiles esse, cum & ex illarum, & nostræ pennis ac plumis, artificum *Indorum* industriâ, imagines elegantissimæ constrúi dicantur. Et cum his verbis caput illud concludat: *Plures sunt harum auicularum differentiæ, colorum varietate ac corporum distantes magnitudine*. Æquum est credere & nostram hanc, licet picturâ grandiusculam, in illarum classe locum habere. Confirmat hanc opinionem meam, quod *Fr. Petrus de Aloaysa* dixerat, hanc nostram sola florum medullâ nutriri; & *Recchus* asserat, suas illas tamdiu solummodo esse superstites, quamdiu melligenarum herbarum flores ex quibus aluntur, perdurent.

Quæ differentia inter nostrâ & illas sit.

Rationes cur conueniant.

Prima.

Secunda.

In mentem itaque venit, an non affinitate quadam hæc nostra auis & à *Reccho* enumeratæ *variæ* seu *pictæ*, attingant illam, quam *Carolus Clusius* Exoticorum lib. 5. cap. 2. describit, quæ *Ouissia*, siue *Tominejo* appellatur. De hac enim sequẽtia apud ipsum legũtur. *Franciscus Lopez de Gomara in Historia, quam de Mexicanæ vrbis expugnatione scripsit, Vicicilin eam auiculam* (quæ alijs nempe *Ouissia*, & *Tominejo*, & *Passer mosquitus*, & *Gonambuch* dicitur) *nominare videtur. Maximè inquit, admirabilis est in noua Hispania auicula incolis dicta vicicilin, corpore non maiore quàm Crabronis, oblongo & gracili rostro: melle rore & florum succo alitur, rosæ tamen non insidet. Eius pennæ valde exiles, elegantis mixti coloris, à Phrygionibus admodum expetitæ, vt aureis staminibus intertexant, præsertim illæ quæ in collo & pectore natæ. Expirare, siue obdormiscere creditur Octobri mense, pedibus ex aliquo ramo appensa, aprico loco: renasci autem siue expergisci Aprili multis floribus iam vigentibus, propterea Renata vocatur.* Qui plura de hac nosse velit, ipsum adeat *Clusium*, vel ipsos potius oculatos testes consulat, quos ipse citat *Consaluum*, *Ferdinandum Ouiedum* cap. 48. sui Summarij. *Augustinum Caraten* lib. 1. cap. 8. Hist. Peruanæ. *Iosephum à Costa* lib. 4. cap. 37. *Theuetum* cap. 48. singularium Franciæ Antarcticæ, & *Ioannem Lerium* cap. 11. Hist. Americanæ.

Videntur hæ nostræ aues cum paruula illa Tominejo Clusij conuenire.

Hæc dicitur sex mẽsibus arbori affixa dormire.

Conueniunt mehercle omnia quæ modò retuli, cum *Recchi* nostri historia, quæ suis ille *Hoitzitzil*, siue auibus varijs tribuit, de somno præcipuè illo quo arbori affixæ pluribus detentæ hærent mensibus, *nec nugæ sunt*, inquit, *aut*

cuiquam

cuiquam debet esse dubitatum, seruata quippe est non semel auis stipiti affixa intra cubiculum, & cum sex menses exanimis pependisset, quo tempore sibi natura comparatum est, reuixit, ac demissa in vicinos agros volitauit.

Somnum huius auis etiam in suis cognoscit Recchus.

Sed de mirabili hac & pusilla auicula, ea quoque commemorare libet, quæ *Fr. Gregorius de Boliuar* mihi pro certissima historia communicauit. In multis, *aiebat ille*, prouincijs ac Regionibus Indiarum tam *Nouæ Hispaniæ*, regionis *Peruanæ*, *Brasiliæ*, & *Guineæ*; quàm *Indiæ Orientalis*, in *Insulis Philippinis*, & alijs, numerosa est diuersitas magnarum auium & paruularum, varijs coloribus distinctarum. Quapropter cum de paruulis agamus, quas in suo libro refert *Nardus Antonius Recchus*, quæ in *Noua Hispania* reperiuntur, dico relationem eam quam de illis habet, quæ sub nomine *Hoitzitzil* depinguntur, à veritate nequaquam alienam esse: excepto tamen, quòd illæ omnes, quarum septem sunt, ibique à *Recchо* referuntur, eam proprietatem non habent, ad arborum concaua confugiendi, ibique per sex menses hyemis mortuas, vel quasi mortuæ videantur, latitandi, rostelliſq. suis in arborem defixis, firmiter inhærendi. Ineunte autem vere, reuiuiscere, alimoniamq. sibi quærere ex melle, quod in arborum, plantarumq. floribus delitescit. Quoniam primum hoc, quòd dictum est, videtur tantummodo verum esse, in illa specie auium, quæ minima est omnium, & à *Peruanis Tomin*, vel *Tominejo* appellatur. Reliquum verò, quod de illis commemorat, certissimum est, quodq. ex earum pennis pretiosæ vestes & imagines conficiantur & elaborentur. *Tomin* itaque auicula est adeò parua, vt nulla in orbe vniuerso minor reperiatur. Eius magnitudo est instar *Crabronis*, varijs perfectissimisq. depicta coloribus. Pedibus admodum pusillis & curtis. Est ex his aliqua, quæ caudam curtam habet, & rotundam pipionum more; alia verò tam longam & completam, vt bis, teruè longitudine sua reliquum totum adæquet corpusculum: In hac tres vel quatuor sunt pennæ colore precioso variegatæ. Rostrum habent longum, tenue ac delicatum, & linguam instar acus, quam dum proferunt, duplo est, quam rostrum, longior. Hac mel extrahunt ex occultiore & profundiore centro florum, etiamsi sit *Lilium album*, vel flos etiam oblongior.

Fr. Gregorij de Boliuar de hac parua auicula historica relatio, authori communicata.

Sola illa parua auicula ita dormit.

Hæc graphicè describitur.

Et quemadmodum DEVS & Natura neque in minùs vtilibus abundantiam, neque in necessarijs defectum monstrare voluerunt; sic etiam huic auiculæ idoneâ pro alimentorum suorum acquisitione, instrumenta procrearunt, linguam inquam, longissimam, qua ad intima florum penetrare posset, & mirabilem hanc facultatem concesserunt, vt ipsa rei nulli inhærens, in aere saltem libero volitando, persistere tamen & ex floribus, sursum deorsum vbi velit, illis haudquaquam innitens, linguâ exertâ melleum lambere rorem, pro illo temporis spatio, quo indiget, valeret.

Linguam longam valde habet, qua mel exugit.

In aere hiçrens nec floribus insistens ex illis mel sugit.

Alas autē tāta pernicitate mouet, vt visu percipi motus minimè possit; quin alis potius carere videatur, & vel tam exile corpusculum, absque alis subsistere appareat. Sic autem in aere suspensa, & ad partem inferiorem superioremq. floris conuersa, liquorem illum rostello colligit, & linguâ suâ quam deducit eò vbi necessarium est, suffuratur. Tanta autem velocitate ex vna arbore ad aliam, ab vno loco ad alterum se confert, vt in hoc reliquas aues antecellere

Alas celerrimè mouet.

tecellere & ſuperare longè videatur vniuerſas, & ipſa volans oculis ſæpiſsimè percipi minimè poſſit.

Hucuſq. F. Gregorius.

Hæc ſunt præcipua quæ de huiuſmodi auiculis *Tominejos* nuncupatis, dici poſſunt. Reliquæ ſpecies dictum hunc modum inſequuntur plus vel minùs, pro earum corpulentia vel natura, quamuis maxima etiam illarum, creſcendo nunquam attingat medietatem minimæ auiculæ, quæ in *Europa* inuenitur. Hæc Fr. Gregorius.

Quæ de hac aue ampliùs examinari poſſent.

Duo ſunt, quæ ampliorem hìc diſquiſitionem mererentur. *Primum*, quomodo hæc auis ſolo melleo florum liquore paſtuq. cibetur? *Alterum*, qua ratione tot menſium inediâ macerata, ſuperſtes tamẽ adhuc arbori adhæreſcat? Veruntamen hæc cum altiora ſapiant principia, quæ hoc loco examinare operæ minimè eſt pretium, ad alia tranſeamus æquum exiſtimo, cum præſertim de mellis ex floribus hauſtu, naturâ, & fabricâ, ſuccinctè quidem, ſed neruosè, & ſolidè diſputauerit *Princeps Cæſius* noſter, in *Apiario* ſuo *Romæ* typis expreſſo, quod conſuli poteſt. De fame verò diuturna, quam varia ſufferre innoxiè animalia poſſunt, ſi temporis permiſerit anguſtia, aliquid inferiùs, vbi *Chamæleontis* dedero hiſtoriam, delibabo.

Ariſtoteli notiſſimũ fuit aues quaſdam hyeme occultari.

Hoc vnum nunc reticẽdum haudquaquam cenſeo, *Ariſtoteli* minimè ignotum fuiſſe, aues quaſdam hyeme abdi, & occultari, inter quas lib. 8. cap. 16. de hiſt. An. præcipuè *hirundines* numerat. *Iam enim viſæ ſunt*, inquit, *multæ hirundines in anguſtijs conuallium nudæ, atque omnino deplumes*. *Scaliger* ad hunc locum. *Sed & in cauis arborum*, ait, *deprehenſæ ſunt aliæ aues apud nos nudæ, idque hyeme. Mutant enim quotannis aues plumas, idque æſtate. Natura ſapiens, cum plumas aduerſus frigoris incommoda condidiſſet, non abſtulit eas per frigus*. Atqui nos ſcimus eas quæ hyeme ſe abſcondunt, hyeme plumis ſpoliari. Hunc eundem *Ariſtotelis* textum explicans *Auguſtinus Niphus*, hæc habet. *Vnde vt Albertus inquit, iam viſæ ſunt hirundines, quæ in concauis arborum ſe condiderunt, & ſpectatum eſt in Germania in ſylua quadam, vbi quercu putridâ incisâ inuentus eſt cumulus hirundinum deplumium. Nec ſolum Albertus hoc probauit, ſed Pompeius Columba vir maximus rerum naturæ rimator, ſe idem in Germania reperiſſe in concauo cuiuſdam arboris in imo fluminis exortæ, teſtatus eſt mihi*.

Scaliger hoc idem probat.

Hoc ipſum Niphus docuit.

Et quando iam *Germaniæ* facta eſt mentio, prætermittere haud debeo, quin pro rei huius confirmatione, & illa producam, quæ *Fortunius Licetus* lib. 3. cap. 10. *de his quæ diu viuunt ſine alimento*, annotauit. *Afferenda huc ſunt*, inquit, *quæ de natura hirundinum Germanicarum mihi retulit Mathematicus inſignis Galilæus, fratrem nempe ſuum in Germaniæ ſtagnis hyeme vidiſſe retibus à piſcatoribus captas congeries multarum hirundinum, pedibus, roſtro & alis mirum in modum ad inuicem conſarcinatarum, quæ in thalamis tepidioribus comportatæ, quaſi reuiuiſcentes mouerentur primùm, ſeſe expedirent poſtea, mox etiam auolarent: audiſſeq. ab incolis aduentante hyeme, quotannis hirundines in ea regione, aeris inclementiam fugientes, non in remotiſſimam inde Aphricam (quod efficiunt Italicarum plurimæ Lybiæ vicinores) ſed multas, vt dictum eſt, in vnam congeriem colligatas, ſub aquas demergi, vbi minus ſæuit hyemis, atque ibi latere ad vernum tempus ſemianimes*.

Hirũdines ſub aquis latescere Galilæus in Germania vidit.

Addam & ego aliquid ex *Germania* noſtra ab oculato teſte *Theophilo Molitore*

tore Lynceo de *Cuculo* mihi relarum, finiamq. Hoc itaque ſibi domi ſuæ contigiſſe affirmabat. Cum famuli etenim aui paterni ſui in prato quodam *Salices* vetuſtas, aridas & arboreas eradicaſſent, domumq. vexiſſent, & duo earundem capita in fornacem, pro calefaciendo hypocauſto conieciſſent, audiuerunt in eodem hypocauſto tertiâ vice *Cuculum* cantantem. Admirati hâc *Coccygis* hyeme vocem, exeuntes, & capita *Salicum* è fornace extrahentes, in altero ſe quidpiam motitare animaduertetunt: quare arreptâ ſecuri foramen aperuerunt, & immiſsâ manu primùm pennas meras extraxerunt, poſtmodũ viuum quoque animal arripuerunt, hoc eſt ipſiſſimum *Cuculum*, vegetum quidem, ſed nudum ac pennis omnibus exutum ſpoliatumq. & commeatu planè deſtitutum: quem pueri geſticulantes, per biennium integrum in hypocauſto enutrierunt.

Theophilus Molitor Cuculum pẽnis ſpoliatum in arbore latitantem vidit.

AVIS MEXICANA

Pſittaci colore.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

HÆC auis ſtatim in roſtro, (quod aduncum nonnihil & cineritium eſt totum) inferiore parte ad caudam vſque, hoc eſt in ventre toto minij colore rubet: qui idem color ſurſum per vropygium, ad dorſum porrigitur, niſi quod alarum verſus principium cum virore rubor confunditur, qui ad ipſum ita collum protenditur, quod omnino virescit. Caput autem amethyſtino, aut hyacinthino colore diluitur. Circulus qui pupillam ambit, valde albet, orbita verò oculi eſt cærulei ſaturati coloris. Vbi ſuum ſumunt principium alæ, color eſt ſubluteus. Sequitur primus pennarum in alis ordo cum ſecundo & tertio dicti hyacinthini coloris. In medio tamen harum pennarum circumferentia intercurrit linearis ſubuiridis vſque ad finem. Cauda tota eſt amethyſtini coloris abſque viriditate, dilutioris tamen verſus finem. Pedes, qui tres ante & vnum retro digitos habent, inter cinereum ac violaceum ambigunt.

AVIS ANONYMA.

Noua Hispania.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ROSTRVM imprimis aduncum satis, & nigri admodum coloris est. Nigerrimos quoque oculos ostendit. A rostro ad verticem cæruleus color emicat. A collo verò per dorsum integrum, ad caudam vsque ex nigro & viridi commixtus scintillat. A rostro autem inferiore per ventrem luteolus color cum albicantibus quibusdam maculis hanc auem venustat. Alæ sunt viridis saturatioris coloris, maculis tamen eiusdem coloris, sed longè dilutioribus, hinc inde pulchrè intercursantibus. Cauda similis cum alis est coloris. Tibias pedesq. fuscos habet, & vngues digitosq. prælongos, tres anteriùs, & ponè vnum.

SCHOLIA EIVSDEM.

QVod ex sacratissimo suo ore salutis æternæ reparator nostræ *Christus* Matthæi sexto capite pronunciauit inquiens: *Et de vestimento quid solliciti estis. Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salamon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Hoc æquissima nos ratione de auibus quoque prædicare possumus, quas Deus in nouo præcipuè orbe, tam speciosis ornauit pennis, tam varijs distinxit coloribus, tam splendidè & superbè vestiuit, vt *Peruani* olim atque *Mexicani* Reges, ex pulchriformibus earundem plumis, regalia sua parauerint indumenta, easq. argento, auro, gemmisq. longè prætulerint, & hodieq. illius orbis habitatores, perizomata, & insignia capitis cæteriq. corporis sui ornamenta,

Aues splẽdidè à Deo vestitæ.

Auium pulcherrimæ pennæ in nouo orbe auro præferuntur.

menta ex his elaborata geſtent, aulæa & tapetes texant, clypeos, gladioſq. ſuos ornent, & miro artificio vtenſilia ex his varia conſtruant. Quin in locis quibuſdam mercatura publica plurium dierum ex hiſce exercetur, & apud Mexicanos nundinæ ex auibus inſtruuntur, quæ cùm ad victum, tum ad opera plumaria coemuntur.

Varia parantur ex his vtenſilia.

Ex his publica mercatura exercetur.

Sed & quicquid pictores penicillo tentare valent, hoc ipſi Apellæa planè arte, paruis plumulis æmulantur, & ex his variarum icones rerum, plantarum, inquam, animalium, hominumq. effingunt, quæ ad nos quoque deferuntur. Veluti & magni valoris, elegantiſq. decoris tabulas aliquot, ex pennis elaboratas vidi in *Summi Pontificis* cubiculis, quæ *Chriſti* & *Sanctorum* imagines repræſentant, tam ab *Occiduis*, quam *Eois Indijs* huc tranſmiſſas.

Et imagines pulcherrimæ concinnãtur.

Verùm & ad *Germanos* quoque plumatilis hæc ars iamdudũ tranſijt: quandoquidem domi meæ habeo ex minutiſsimis plumulis, auiumq. villis, varij generis auiculas, tam concinnè compoſitas, tam veris expreſſas coloribus, inter quas & *Pſittacus* triumphat, vt ipſas te viuas contemplari, & tuis palpari digitis putares, geſtireſq. volucres, non quidem in pictura adumbratas, ſed ſtatuarum ritu ſolidè exſtantes. Has cum ego olim *Scipioni Cobellutio Cardinali* ampliſsimo, doctiſsimoq. Bibliothecario Apoſtolico (cuius vt ego ſemper religioſus cultor exſtiti, ſic ipſe me vnicè amauit) monſtrarem, proh Deum immortalem! inquiebat, & quò non humani ingenij induſtria peruadit? In quo artificio *Europæis*, imò *Americanis* quoque omnibus palmam longè præripiunt, induſtrij & dexterrimi *Auguſtæ Vindelicorum* incolæ, Vrbis *Germaniæ* totius, dixero, nitidiſſimæ, amœniſſimæ, & ingenioſorum opificum feraciſſimæ, ne quicquam nunc dicam de literarum bonarum, variarumq. linguarum, quibus habitatores eius plurimi pollent, cultu & exercitio: de ſplendore nobilitatis, in qua præter cæteros Illuſtriſsimi *Comites Fuccari* religionis Catholicæ aſſertores ibidem florent: & de regimine Reipub. illius, in qua non ita dudum *M. Velſerus Lynceus* eiuſdem *Duumuir* ſapientiſsimus, Vrbi & orbi notiſsimus, & rei literariæ illo ſeculo *Triumuir* dominatus eſt.

Germani quoque norunt hanc artem plumatilem.

Author habet varias auiculas arte ex plumis elaboratas.

Scipio Cardinalis Cobellutius.

Auguſtæ Vindelicorum encomium.

Ex eadem igitur Vrbe prædictas dono accepi auiculas, cum raris alijs munuſculis à *Gregorio Aichingero* ibidem Canonico, ob muſiceſq. præſtantiam *Germaniæ Orpheo*, & ob incorruptam triginta annorum amicitiam noſtram, vero meo *Pylade*.

Gregorius Aichinger Germaniæ Orpheus.

Sed miſſo antilogio ad rem accedamus. Hanc itaque, quam præ manibus habemus auem in earundem venuſtiſsimorum colorum claſſe volucrium collocandam eſſe autumo: ex quarum pennis & olim ſe *Americani* ornauerint, & eas nunc quoque maximi faciant. Quæ autem hæc auis ſit, & quo nomine decoretur, cum ignariſsimis equidẽ & ego ignoro. Cùm huius nec nomen, nec hiſtoria in noſtro autographo vlla exiſtat. Malui tamen *Pſittacis* eam, quàm alijs aſſociare alitibus, ſi colorem ſaltem ſpectes varium & pulcherrimum. Nam ſi roſtrum aduncum magis haberet, & pedes in duos tantum, ante retroq. digitos fiſſos gereret, iam quin omnino *Pſittacum* appellaremus, nulla penes me dubitatio exſtaret. Hoc enim *Pſittacis* omnibus, at non ſolis competit. Aſt notaui ego hoc ſedulò, quod à nemine ſcriptum reperio, ipſos nempe

Cur auis hæc noſtra ad pſittacos pertinere videatur.

Quomodo pſittaci modò duobus modò tribus pedum digitis vtantur.

psittacos, quotiescunque gradiuntur, ascendunt, descenduntq. per clathras suas duos pedum digitos ante retroq. porrigere, vbi verò cibum capiunt, & ori admouent, tribus hunc digitis carpere, stringere & ita strictum tenere, donec rostro comminuerint, & deglutiuerint. Et quod mirum videri queat, maiorem posterioremq. digitum tam dextrè antrorsum, retrorsumq. flectunt ac mouent, vt te nescire fatearis, an Natura illum magis ad gradiendum posteriùs, an ad vescendum anteriùs, vtendum voluisse creauerit.

Aues psittacis in America plurimæ similes, maiores & minores.

Quòd autem tam minores quædam, quàm maiores *Psittacis* aues, ob similes ferè colores *ad Psittacos* referri soleant, licet tales minimè sint, ex *Vlyssis Aldrouandi* lib. 12. Ornithologiæ disco. *Nam cum in vtraq. Indiæ*, inquit, *quamplurimæ auiculæ minutiores reperiantur, & multiplici colorum varietate haud secus atque psittaci picturatæ, certè harum specie prima fronte multas ab initio descriptas fuisse constat, quod eas à psittacis minusculis ægrè dignoscerent. Tales suo loco sub nomine passerum Indicorum aliquot describentur.* Et paulo inferius subiungit. *Ad psittacos etiam, quàm ad aliud auium genus potius referendæ sunt, quas in India teste Iosepho à Costa Guacemaias vocant, aues psittacis maiores, sed colorum diuersitatis venustate illis per omnia similes.* Operam hìc ego prorsus luderem, & post *Apellem* pingere velle viderer, si quæ idem *Aldrouandus* à *Ioanne Bittnero Germano* (vt ipsemet ingenuè fatetur) egregiè adiutus, exquisitissimè, tam in *psittacorum* differentijs enodandis, quam in capitis totius & linguæ præsertim atque loquelæ organis eorundem anatomicè explicandis, posteritati consignauit; vel renouare, ac veluti *Crambem bis coquere* hìc tentarem, vel plura nouaq. magis attexere existimarem. Si præcipuè *Carolus Clusius* in Exoticis suis quoq. consulatur, qui nonnihil post *Aldrouandum* adiunxisse visus est, ad quos ambos benignum ego lectorem meum ablego.

Aldrouandus in historia psittacorum exactissima à Ioanne Bittnero Germano maximè adiutus.

Ne tamen mori nostro morem non geramus, hoc est, omnino nobis dissimiles atque Laconici prorsus iam fiamus, quæ hìc *Romæ*, de pulchritudine saltem, & humani sermonis imitatione, nobis in *Psittacis* quibusdam obseruare licuit (à duabus enim his dotibus, animi, vt ita dicam, ac corporis, verè laudantur) & nos proferamus, æquum iudico.

Quæ Romæ ab authore in psittacis obseruata.

Egregiæ magnitudinis sanè ac pulchritudinis, cæteros, quos *Romæ* videre potui, antecellit *Psittacos*, ille, quem S.R.I. Princeps, & S.R.E. *Cardinalis Madrutius* omni cultu à me honorandus alit, *Phasianum* masculum non adæquans modò, sed superans etiam. Quatuor enim spithamas, seu mediam cannam, vt *Romani* nostri vocant, quæ quatuor est palmorum, ferè superat, si à summitate rostri, ad imum caudæ mensuram extendas. Hìc coloribus tam variè bellèque pictus est, vt octo diuersos in toto eius corpore facilè numerare valeas, rubrum nempe, viridem, luteum, subluteum, albicantem, nigrum, cæruleum, subcæruleum, quem etiam colorem venetum, siue marinum appellamus.

Maximus & pulcherrimus ab authore visus fuit Romæ apud Cardinalē Madrutium.

Descriptio huius psittaci.

Hic ipsissimus est, quem *Aldrouandus* inter *Psitaccorum* species, secundo loco enumerat, & *Psittacum maximum alterum* vocat. Rostri pars superior alba & & adunca valde, inferior nigra est. Circa oculos, qui subuiridem colorem ostendunt, campus apertior & tempora albicantia. Caput, gula, pectus, dorsum, venter, femora, alarum principia, omnia pulchro ac puniceo colore rutilant.

lant. Et vt reliqua *Aldrouandi* potiùs aptissimis, quàm meis verbis dicam. *Denique cauda*, inquit, *tota supernè pulcherrimo colore puniceo decoratur*. (Addo ego extrema subcæruleo, mixtoq. ex rubro ac cæruleo elucere) *Sed & remiges pennæ interiore parte simili colore puniceo rubent. Remigum tegetes, secundo in alis ordine luteo sunt, puniceis marginibus, cæruleo velut ocello prope apicem ornatæ. Remigum exterior superficies, & vropygium infernum saturo cæruleo colore tinguntur. Crura breuia ac pedes, digitis oblongis, vncis vnguibus armatis composita, fusca seu cineritio obscura.* Psittacus hic heri sui nomen, quod *Carolus* est, sæpe ingeminat, sed præter hoc & *Papagalli* vocem, pauculas profert alias. Olim plura loquebatur, musicales notas proferebat quoque, *vt, re, mi, fa &c.* nunc ætate prouectior, viginti nempe duorum annorum, pleraq. obliuioni tradidit.

Cardinalis Pij encomium.

Ad hunc coloribus & corporis mole (nisi quòd caudà iam, quæ prælonga erat, mutilatus sit) accedit ille, qui apud Illustriss. Cardinalem *Carolum Emanuelem* I'ium Principem verè magnificum, & præter prudentiam, qua maximè pollet, physicis quoque, mathematicis & alijs amœnioribus studijs exculti ssimum, conspicitur. Veruntamen virium robore priorem hic superat. Cum enim liberrimè nuper in cubiculo quodam deambularet, paucis rostri sui durissimi morsibus ligneum quendam sedis pedem ita vulnerauit, vt illum mordicus quasi disruperit. Vnde *Oppianus* etiam monet, non in ligneis caueis, quas rostro corneo suo exedit, sed ferreis eũ seruari debere, quæ nec ipsæ quandoque illæsæ permanent. Hic ob loquacitatem olim hero suo charus, nunc nescio an ob senium, an ob desuetudinem plurimas certè humani sermonis voces dedidicit.

Hic magnum & robustum valde psittam habet.

Et his similis planè *Psittacus* apud Amplis. Cardinalẽ *Scipionem Burgheſium* videtur, qui varia alia in amœnissimo Suburbano prædio suo ali curat animalia. Hunc cum liberè expatiari permittat, coerceri tamen ferreà catenà sesquilibram pendente pedi affixà, mandat, quam facilè trahit nõ solum, sed non rarò etiam perrumpit. Quod & ipsum insignem auis fortitudinem demonstrat.

Apud Cardinalem Burgheſiũ varia animalia exotica.

Sed cum hi omnes veterum psittacum ab *Aristotele*, *Plinio* & *Solino* memoratum, coloribus & facie sua haudquaquam agnoscant: hinc fit, vt aliqui potius *Corvos Indicos* (nescio quàm bene) quàm *Psittacos* appellare maluerint maiores hos, & versicolores. Antiquorum enim ille viridis totus fuit, torque tantum miniaceo in collo notatus, quod præter *Plinium* etiam *Apuleius* monuit his verbis. *Sed color ille est viridis*, ait, *& intimis plumulis, & extimis palmulis, nisi quòd sola ceruice distinguatur. Enimuero ceruicula eius circulo mineo velut aurea torque, pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur.* Vnde & *viridis auis*, quasi per antonomasiam olim à poetis dicebatur.

Veterum psittacus ab enumeratis iam distat.

De hoc *psittaco Statius* lib. 2. Syl.

Psittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmatâ volucris Iunonia, caudâ
Vinceret, aspectu gelidi non phasidis ales.

Describitur veterũ psittacus.

Ast hoc encomium longè veriùs, nostri temporis, & à me iam commemoratis *Psittacis*, quàm veterum illi toti viridi conuenire queat.

Sed audio Aristarchum, *Iulium Cæsarem Scaligerum*, in Exercitation. suis

Scaliger negat pſittacum eſſe pulchrum.

Cardano, mihi, illiſq. omnibus qui in *Pſittacis* pulchritudinem agnoſcunt, obſtrepentem. *Auis enim hæc*, inquit, *non admodum pulchra. Nihil inquam pulchri præter oculos. Caput excreuit ſupra modum indecora magnitudine. Roſtrum fœdum. Crura fœdiſſima. Linguâ nihil turpius. Quin etiam fuſcis ſiue cineritijs color triſtis, nitor nullus: ne à colore genus commendes vniuerſum.* Sed æquum fuit hic quoque *Scaligerum* quærere, quod reprehenderet in *Cardano*, ne ſcilicet Scaliger non eſſet. Quare *Aldrouandus* laudato iam ſupra de *Pſittacis* loco, huic Momo reſpondet his verbis, & *Cardanum* ſimul ac nos tuetur: *Aſtutè hoc poſtremum velut tacitæ occurrens obiectioni adiecit Scaliger. Subolebat enim neminem fore tam ſtolidum, qui non ſtatim ipſi reſponſurus eßet, pulchrum eſſe pſittacum non roſtro, aut pedibus, ſed colorum variorum decore, quæ etiam procul dubio Cardano mens erat. Sed ludit Scaliger, non diſputat. Multa à viris etiam doctiſſimis ſæpe extundit contradicendi, aut forſan exercitandi ingenij ſtudium, quæ alioquin, vtpote non vndequaq. ſatis firma procul dubio tacituri erant.*

Cui Aldrouandus ſalsè reſpondet.

Scribendi & contradicendi ſcabie multi pruriunt.

Quod ſi hoc viris, doctis vſuuenire ſolet, quid de indoctis cenſeas? quibus minimè penſi eſt, in philoſophia & rerum naturalium hiſtoria, ſuſq. deque omnia habere, & pro libitu ſuo, quicquid in mentem ipſis, in buccam, ac pennam venit, chartis illinere, modò viris ſe magnis opponendi campum ſibi dari, & aliorum creſcere, atque clareſcere ſe nomine poſſe, ita præuè iudicent. Adeò ſcripturiendi hoc à meris calumnijs natum, ſotumq. cacoethes, ceu ſcabies quædam, multorum nunc animos occupat, miſere torquet, maceratq. Verùm ad *Scaligerum* redeamus, qui eodem reor, argumento formoſiſsimam auium omnium, non Europæ modo noſtræ, ſed orbis, vt ego iudico, vniuerſi, turpitudinis arguere poterat, *Pauonem* inquã, quod caput in hac alite, pro reliqui proportione corporis minutum nimis, & pedes luridi triſtiſq. coloris appareant. Attamen cum ſuas explicat alas, & ſurrigit vropygium.

Poterat Scaliger etiã Pauonem ſic turpem dicere.

Quam non gemmatâ volucris Iunonia caudâ
Vinceret?

Pauo tamẽ eſt pulcherrima auis.

In quam hos aureos fudit *Oppianus* verſiculos. lib. 2.

Non ſecus ac ſi ales Iunonis Pauo ſuperbus,
Caudâ verſicolor decorum corpus obumbrat,
Quo nihil ipſa Iouis prudentia & alma voluptas,
Pulchrius aſpectu mortalibus ante creauit.

Et lib. 3. idem

Quippe feris tanto præſtat formâ inclyta Tigris,
Quanto præcellit Pauo genus omne volantum.

Si tam excellentem igitur veteres *Pſittaco* ſuo, viridi prorſus & vnius coloris aui, formam gratiamq. tribuerunt, vt neque à *Phaſiano*, neque à *Pauone*, illum vinci putarent, quid de maioribus his noſtris pulchricoloribuſq. quos tam Occidentales, quàm Orientales nobis iam Indiæ mittunt, dicturos fuiſſe eos, ſi vnquam vidiſſent, exiſtimabimus?

Habemus & nos veterum Pſittacum.

Sed neque adhuc deſijt ad nos adferri *Alexandri magni* ætate notus, & *Romanis* olim non infrequens, *Pſitacus* quem appoſitiſsimis profectò verbis deſcribit *Aldrouandus*, cuius delineationi ad vnguem vidi ſimilem hoc ipſo tempore,

pore, quo hæc commentaria edo, apud Excellentissimam *Principis Cæsij* nostri coniugem, quæ suauiter auis huius garrulitate, dum aduersâ nuper affligebatur valetudine, recreabatur. Hanc *Perroquet*, & si minor paulo sit etiam *Parochino* vulgò, nominant. Non sum tamen nescius, maximos illos versicolores, & bicubitales ob vocis sonum, quem plerumque edunt, ab alijs quoque *Perroquet*, appellari. Nolo hic omnia ex *Aldrouando* repetere. Hoc saltem in minore tali *Psittaco* de torque miniaceo monebo. *A rostro (quod supernè rubet, infernè ex rubro nigricat) sub mento linea ducitur deorsum nigra ad pectoris vsque initium, quæ vtrinq. ad colli latera abit, donec cum circulo seu torque illo miniaceo, qui posteriorem ceruicem & collum cingit ad latera coeat.* Loquitur psittacus hic totus viridis, non paucas voculas hominum sermonis: Classici, seu tubæ militaris clangorem, sed & canem latratu, eiulatu felem articulatissimè imitatur. Puellarum, puerorumq. aspectu & præsentiâ mirè afficitur & delectatur.

Atque hæc de forma satis videri queant. Neque enim ego tot nunc Romæ species, quot *Aldrouandus* aliquando vidit, obseruare potui, quæ in totô *Psittacorum* genere adeò variant, si colores & magnitudinem præcipuè inspicias, vt is dicat ἀδύνατον planè esse, omnes pennâ exprimere, sed penicillo potius delineandos fore. Visus mihi tamen etiam ille fuit, quem idem *Ornithologiæ* suæ lib. 11. cap. 10. describit, à se *cinereum, siue subcæruleum* appellatum. Plurimæ sunt species psittacorũ.

Est hic columbæ domesticæ magnitudine & non maior, quare rectè *Bellonium* falsum fuisse *Aldrouandus* notauit, dum is cinereos omnium maximos putauit. *Rostrum* huic nigrum, lingua valde crassa ac breuis. *Pupilla* oculorum nigerrima, *Iris* lutea, circa *Oculos* area largior candida. Totius *corporis* color est *cinereus*, vertex tamẽ albicat, & vẽter dilutioris quàm dorsum, est coloris. Et nisi *Cauda* quæ pulcherrimi cinabrij est coloris, breuiorẽ obstaret, *Accipitrem* potiùs, quàm *Psittacum* dicere liceret. Neque enim in hoc caput tam deformiter excrescit, vt suprà de *Psittacis Scaliger* conquerebatur, sed pro reliqui proportione corporis iustæ satis est magnitudinis. Hanc alit nunc Illustrissima Domina *Constantia Gonzaga*, *Asdrubalis Matthæi Marchionis* coniunx, quem ex *Germania* dono sibi missum, à *Gaudentio Madrutio* acceperat. Vnde adhuc *Germanici* aliquid callet sermonis, & non paucas hìc quoque *Italicas* voculas addidicit. Cineritij Psittaci descriptio.

Verùm vnus, (qui hìc agmen claudat) instar omnium mihi sit, quem cum admiratione non rarò loquentem & ludentem conspexi, apud *Balduinum Breyel Antuerpiensem* morum honestissimorum & suauissimorum virum, qui negotia & mercaturam Romæ agit, amicum meum haud vulgarẽ. Non quòd hic pennarum pulchritudine, primos à me descriptos vel superet, vel æquet *Psittacos*; sed quòd mores, ingenium & loquela fermè humana, huic insint. Hunc esse illum existimo, quem *Aldrouandus* citato libro cap. 5. depingit, & *Psittacum* vocat *viridem alarum costa supernè rubente*, quamuis descriptio eius cum hoc non per omnia quadret. Mirabilis psittacus non à forma, sed ab ingenio & sermone describitur.

Maior hic est quam modò dictus *Cinereus*, quare *pullastrum* etiam anniculum corpulentiâ vincit. Totus ferè est viridis, absque miniaceo colli torque. *Caput*, & prior inferiorq. colli pars pulchrè flauent. *Rostri* cuspis albicat, nigrescit Forma huius adumbratur.

greſcit tamen verſus narium foramina quæ capiti valde ſunt vicina. Oculi *pupilla* ſimiliter nigra, ſed *iris* aurantij eſt coloris. *Oculos* circulus ambit albus exiguus. *Venter* dilutiore viridante, quàm dorſum, & alę, eſt colore. In *alis* hoc ſingulare eminet. Quod in his nempe coſtæ illæ, vbi hærent pectori, & vbi dorſo ſunt contiguæ, rubellæ florent plumulæ. Maiores etiam & remiges pennæ earundem, atropurpureæ, circa finem micant. *Cauda* præterea triplici colore interſtinguitur. Vbi enim podici hæret, cinabrinus, paulo inferius luteolus, & in extremis pennarum viridis, per tranſuerſum cernuntur colores. Veruntamen hæc exactè haudquaquam videntur, niſi auis hæc alas explicet, caudamq. diſtentam ſurrigat. Hoc autem facere aſſolet humanum quaſi aſſecuta ſenſum, quando ipſi palpum obtruditur. *O' quàm pulcher eſt noſter, hic pſittacus, & ſponſus!* idque linguà *Belgicà*. Tunc enim alas diſtendit, caudam dilatat, collũ torquet, deambulando conſpiciendum ſe præbet, ac veluti criſtas præ gaudio attollens, & neſcio quæ ſecum immurmurans, laudatori applaudit, atque de ſua ſibi forma mirè gratulatur.

Videtur humanum ſermonem nõ callere modò, ſed etiã intellige-re.

Sermo & intellectus hominibus propria.

Sed quid dicturus fueras, ſi mecum ſæpiuſculè vidiſſes, audiſſeſq. quæ modò ſubiungam? An non ſummam Creatoris noſtri ſapientiam, & omnipotentiam laudaſſes, & admiratus eſſes, qui etiam in aue hac vmbram quandam intellectus humani, diuinitatis nempe ſuæ radium illucere voluerit, humanum ſermonem, inquam, & rationalem quandam ingenij ſagacitatem, quæ duo nos à beſtijs omnibus longa intercapidine diſtinguunt.

Hiſtoricè docetur, hunc pſittacum aliquid intelligere.

Loquitur autem hic *Pſittacus* tam articulatè *Belgicum* ſermonem, vt etiam ſuperioris *Germaniæ* incola aliquis, hunc facilè (quòd ipſi tamen difficile eſt, ſi *Belgas* properanter, vt ſolent, loqui audiat) intelligat. Et quod mirum magis eſt, auis ipſa loquẽtes intelligere, & ad rhombum reſpondere videtur. Cum enim hoc ipſo quo hæc ſcribo, manè, ex *Balduini* familiaribus quidam auem hanc me præſente increparet, vrgeret, & virgulà ligneà, niſi cantillaret, minaretur, reſpondit auis, *Relinquas me, iam iam* ſcilicet cantatura ſum, dicere volebat. Has enim voces ingeminabat, *lat my gan, ter ſtunt, ter ſtunt*, quod idem eſt, quod iam latinè expreſſi. Audiui hæc & penè præ admiratione non obrigui.

Alio exemplo probatur.

Eiuſdem farinæ & hoc ſit. Cum nuperrimè puerum quendam, qui in feneſtra *Pſittacum* hũc ſtantem, è platea ad loquendum prouocabat, in cubiculum vbi auis morabatur, accerſeremus: *Seyt Vvilkom*, ait, *pſittacus*, hoc eſt, *gratus ſit aduentus veſter*. Et cum per quadrantem horæ, puer illum loquentem detinuiſſet, & abire ſimularet, *Vvaer gaed ghy*, ait auis, id eſt, *quo abituri eſtis*? Cum poſtmodum ad caueam eius digito pulſaſſet. *Vvye clopt daer*? hoc eſt, *quis hìc pulſat*, interrogabat.

Et adhuc alio quod authori cõtigit.

Hæc plures mecum *Belgæ* & *Leodienſes*, qui tunc aderant & audiuerunt omnia, & obſtuperunt, & in alite hac præter brutam naturam, aliquid ſimul excellentius ineſſe debere, affirmarunt. Ego quoq. cum ipſi caput ſubinde ſcalperem, quod facilè patiebatur, ob pruritum forſan, quem ibi percipiebat, appoſitiſſimè mihi dixit, *crau, crau*, hoc eſt *ſcalpe, ſcalpe*.

Sed hæc omnia leuia & exilia adhuc ſunt, præuit *Cantilenas* modulatur integras

tegras, deprimit & exaltat vocem, veluti muſicalibus characteribus mox eaſdem expreſſas dabo. *Cachinnũ* tam verum variumq. ſuſtollit, vt ſi auem haud videas, certiſſimè hominem eſſe, qui rideat, iures, cum ipſam quoque longè abſentem audias. *Tubæ* ſonitum & ipſum diuerſis exprimit modulis. *Peregrinantium*, qui ex *S. Iacobi* in *Galitia* itinere reduces cantando ſtipem colligunt, cantus modulationem artificioſè imitatur. Multis miriſq. modis *canum* latratus effingit, *gallinas* in plateis ſpatiantes cum videt, certa voce conuocat.

Mira alia hic pſittacus præſtat.

Canit, ridet, tubæ ſonum, & canum latratus imitatur.

Dumquè ſua ſolus ſecum ſpatiatur in ædes;

Neſcio, quæ tacitè modò murmuret, garriat, rideat, & quaſi cum altero loqui, loquentem audire, & audientem interrogare videatur.

Aſt hoc pulchrum magis iucundumq. auditu eſt. Auis cum famet, & herus prandet, mirum quibus illi blãditijs ſe inſinuet. Matrẽ ac ſeruam tunc implorat, vt aliquam ſaltẽ ex ferculis buccellam miſero *Papagallo* (ſic ſe ipſum nominat) præbeant, vel offam ex pane & vino, quam vocat *Vvinſuppe*, ingerant, & hæc omnia linguà *Belgicà* petit. Solet tamen iam etiam *Italicum* addiſcere ſua ſponte idioma, ab illis præſertim, qui Romam perambulando, & ædes ipſius pertranſeundo, quæuis venditant victualia, & ſuo quęlibet nomine proclamant. Itaque expreſſis nunc clamat verbis *Sal bianco*, *Finochio* & ſimilia.

In mensa cibum petit.

Didicit ſua ſponte Italica quædã vocabula.

Mirabatur & rectè quidem, olim *Plinius Luſciniæ* cantum, tantam in tam paruo corpuſculo vocem nimirum, tam pertinacem ſpiritũ, ita puſillo in gutture tam varios ſonos, plenum, grauem, acutum, crebrum, extentum, vibrantem, conciſum, inflexum, contortum. *Deinde in vna*, inquit, *perfecta muſicæ ſcientia, modulatus editur ſonus*. Et licet *artis eſſe*, dicat, *cum plures ſingulis luſcinijs ſint cantus, nec ijdem omnibus, ſed ſui cuiq. Breuiterq.* reperiantur *omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit*. Habet tamen *luſcinia* à primæuis ſuis exordijs, propriam & vocis diſpoſitionem, & abſque hominis diſciplina canit. Atque vel ſolà naturà ducente, vel matre docente, tam aptè cantillat, quod meditata eſt, & cantillando ſe ipſam emendat ac perficit. Aſt quid hæc habent miraculi, ſi cum *pſittaci* noſtri cantilenis comparentur? Quandoquidem hæ non ab alia aue, ſed ab hominibus excogitatæ ſunt variæ varijs; & muſicalibus hìc notis quoque deſignatæ. Has igitur nunc ſubiungo.

Plinius rectè luſcinię cantum mirabatur naturalem.

Sed pſittacus eum non à natura, ſed ab arte habet.



Poſſem

Possem hic totidem *Latinis* interpretari verbis, quæ *Belgica* & *Gallica* iam expressimus. Sed quia verbo verbum reddendo, aut quoquo modo sensum explicando, gratiam forsan amitteremus, quam quærimus; ideo hæc intacta, & lectori potiùs indaganda relinquemus, vbi hoc solum monuerimus. In *Gallica* cantilena scilicet, *Papagallum* insinuare velle. *Quòd vbi vinum claretum bibo*, inquit, *tunc mihi caput vertitur, vertiturq.* atque vt poeta ille ait,

Sola cantio Gallica hic explicatur, & quare.

Totum vertigine tectum
Ambulat; & geminis insurgit mensa lucernis.

Ast vbi aquam poto, ait, *tunc ægrè Papagallo est, nec aliud nosse cupio.* Quasi Italicè diceret, *Quando beuo l'acqua, non voglio sapere altro.* Reliquæ duæ *Belgicæ* cantiones de amasijs potiùs, quam vinis loquuntur. Hoc ridiculum interim factum reticere non debeo, cum tritissimo apud *Germanos* nostros prouerbio, Papagallos illos homines appellemus, qui multa sæpe blaterant lecta, vel ab alijs audita, cum ipsi tamen quid verè dicant, non intelligant. Me æquissimo nunc iure dicere posse, *Psittacum* hunc nostrum, pueros illos *Italos* in vicinia habitantes *Papagallos* reddidisse, quòd illi nempe cum *Psittacum* toties cantantem audiuerint, & cum ipso confabulati fuerint, non paucas *Belgicæ* & *Gallicæ* cantilenarum voculas tam probè addidicerint, vt conceptis easdem verbis cantent, quid autem dicere velint, prorsus ignorent.

Psittacus hic effecit quasi Papagallos, pueros Italos.

Recensentur insignes psittacorũ mores.

Ex Ioanne Lerio.

Scio probè, quæ *Ioannes Lerius* sua in *Brasiliam* nauigatione, de *Psittaco* quodam ita bene edocto memoret, vt ad heræ suæ nutum ac imperium, in pertica subito saltauerit, sibilauerit, cantauerit, & à cantu cessare iussus, dicto obediuerit, quem ipsa tanti æstimauerit, vt nec æneo illũ belli tormento permutare velle dixerit, quemq. ob id *Cherimbaue*, hoc est, dilectissimum suum appellabat.

Ex Carolo Clusio.

Noui quoque, quæ in Exoticis suis *Clusius* de alio scriptum reliquerit, qui *Gallicà* ridere linguà iussus, riserit quidem, sed & hæc subitò verba eodem idiomate reposuerit: *O te Stolidum, qui me ad risum prouocas!*

Ex Vlysse Aldrouando.

Legi demum, quæ Aldrouandus habet omnia, de auis huius loquela, moribus & ingenio, vbi inter reliqua hoc mirabile ex *Cælij* antiquis lectionibus narrat: *Psittacum* fuisse *Romæ*, *Cardinali Ascanio* centum aureis emptum, qui veritatis Christianæ symbolum integris & continuatis verbis enuntiauerit. Hunc *Ascanium Cardinalem* ex nobilissima & antiquissima *Sforzarum* familia fuisse; verùm non integrum, sed plurima saltem symboli Apostolici verba recitare *Psittacum* consueuisse, mihi postmodum contestatus est *M. Antonius de Prosperis* vnus ex primarijs amicis meis, polyhistor, & ob memoriæ dotes mirabilis, omnisq. ita philosophiæ gnarus, vt in Vrbe per antonomasiam, *Philosophi* nomen iam adeptus sit. Rediuiuum in ipso te *Diogenem* videre, & audire arbitrareris.

M. Antonius de Prosperis rediuus Diogenes.

An fames sit in causa, vt Psittacus discat.

Veruntamen hæc omnia, à dictis iam scriptoribus enumerata, & ex auditu potius, quàm visu percepta, vix aliquid memorandi habent, in quo *Psittacum* nostrum vincere valeant. Disputat idem *Aldrouandus*, qua ratione, artificiosa hæc in psittaco loquela comparetur. *Persius* eam fami, in suo proloquio tribuere visus est, cum ait.

Quis

Quis expediuit pſittaco ſuum χαίρε? Perſius ait.
Coruos quis olim concauum ſalutare?
Picaſq. docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis, ingenìq. largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Coruos poetas, & poetrias Picas
Cantare credas pegaſeum melos.

Auidè expecto, quàm concinnis hæc & reliqua nobis verſibus *Italicis*, & luculento ſuo commentario, explicaturus ſit *Franciſcus Stellutius Lynceus*, qui iam adfectum, & ſub prælo diſpoſitum habet à ſe *Italico* ſermone verſum, & loquentem eundem *Perſium* poetam.

Attamen *Aldrouando* videtur, neceſſitatem ab inedia inductam, vix poſſe præcipuam eſſe cauſam induſtriæ & loquelæ in *pſittaco* conciliandæ. *Cuculum enim, quantumque inedià domes*, inquit, *aſſiduò inſtruas, vt humana efformet verba, nihil vnquam præſtabis, eſt enim Cuculus, non pſittacus aut luſcinia.* Et ego in hoc ipſi aſſentior, Nam Negat Aldrouandus.

Pariſios ſiquis ſtolidum tranſmittat aſellum,
Si fuit hìc aſinus, non ibi fiet equus.

Hoc tamen etiam pro *Perſii* honore reticere non debeo, ipſum non huius fuiſſe mentis, vt quamlibet auem per inediam eò ducendam fore putauerit, vt humanas addiſceret voces, ſed illas ſolùm, in quibus idonea ad loquendum Natura ſtruxit inſtrumenta. Quare hìc *pſittacos* ſolos cum *picis* & *conuis* nominat. Verùm nec hæ quidem, niſi præmio alerentur, fameq. tantiſper macerarentur, frugi quicquam facerent.

Hoc enim certiſſimò affirmare valeo, hunc noſtrum, quotieſcunque famet obedientiorem ſuo inſtructori eſſe, ſaltare, geſticulari, ridere, loqui, cantare, & vt vno dicam verbo, omnia concinniùs, ad hominum voluptatem præſtare, quàm poſt epulas, quando ſomniculoſus quaſi torpet potius, ipſiq. accidit, quod de ſenectute extrema affecto dicitur, At' exẽplo noſtri Pſittaci probatur.

Vt lauit, ſumſitq. cibum dat membra ſopori,

Verè itaq. de ſe *Horatius*, quod *Aldrouandus* tamen improbat, canit,

Et laris & fundi paupertas impulit audax
Vt verſus facerem.

Et *Epictetus* tam inſignis philoſophus, ſolus à *Luciani* ſcõmatis non tactus, plus puto olei quàm vini absũpſit, vnde & lucerna ipſius tãto precio æſtimata fuit.

Non ſum tamen neſcius, vt ingenium, *duris in rebus egeſtas* acuit, ita in philoſophia præſertim naturali, remoram eam eſſe longe maximam. Cum ad variorum veritatem aſſequendam experimentorum, nummi plurimi, & *Cræſi* etiam theſauri requirantur. Quam in *Magno Alexandro* ſuo liberalitatem *Ariſtoteles* eſt expertus, & magnus inde quoque ipſe euaſit. Paupertas ingeniũ quidem acuit, ſed in quibuſdã ſcientijs magno eſt obſtaculo.

Sint Mecænates, non deerunt Flaccæ Marones.

Itaq. cum apud neminem adhuc ſcriptum repererim, quod oculis ipſe meis vſurpaui, & his auribus hauſi, quæ *pſittacus* hic noſter præſtat, is certè omne

tulit

tulit punctum, & meritò ab hero ſuo ita amatur, vt ducentis etiam aureis venum illum haudquaquam daret.

Heliogabalus profuſi luxus in dapib. ex pſittacorũ capitibus.

Næ, ſi nunc *Heliogabalus* illud vitiorum monſtrum, & luxus omniuarij magiſter reuiuiſceret, ac Palatinis ſuis, quod olim facere conſueuit, ex *phaſianorum*, atque tam carè emptorum (veluti hic noſter eſt) *pſittacorum* capitibus, ingentes iterum dapes inſtruere vellet, næ, inquam, ille *Cleopatræ* quoque luxorioſiſſimæ fæminæ lautitias, opes & dapes, vnica vnione, vnà in cæna profuſas, ſumptibus hiſce ſuperaret.

De puellarum ac puerorum amore, quo tam perditè ardere dicuntur *pſittaci*, veriſſimum eſt, quod plurimi annotarunt, & *Albertus* quoque nouit. *Amat hæc auis loqui cum pueris*, ait, *à quibus etiam ceteræ aues faciliùs loqui addiſcũt.*

An pſittaci puellarũ & puerorum amore libidinoſo capiantur?

Hic etiam noſter *pſittacus* puerum decennem puto, præ reliquis elegit, cum quo totis è feneſtra garrit horulis, hunc vt videt, vt ridet, geſticulatur, confabulatur. Hoc an libidini ſit adſcribendum ignoro equidem, licet *Scaliger* alitem hanc libidine flagrare ſcriptum reliquerit.

Oſcula à pſittacis prębentur.

De moribus eius (pſittaci) *hoc compertum quoque nobis eſt, ait. Fuſcũ mediocris magnitudinis obſeruauimus, cũ ei affectata abblandiremur attrectatione, accendi libidine ſolitum, mihiq. vltro offerre oſculũ, adeoq. obturbari, vt ex ingluuie cibus in os redundaret.*

Hunc profectò *Balduini pſittacum* ſæpiſſimè pedẽ petenti porrigere, & oſculum poſtulanti præbere vidi, cuidã ex eiuſdẽ *Balduini* familiaribus iuueni, qui cũ hoc *pſittaco* ex *Belgio Romam* venit, & ipſi ſæpius cibũ miniſtrare ſolitus eſt.

Cardinalis Barberini duo pſittaci.

Sunt & *Cardinali Barberino*, cui has inſcribimus vigilias noſtras, duo eiuſdem cum hoc noſtro commemorato coloris & magnitudinis *pſittaci*, quorum alter ridiculus valde eſt & garrit plurimùm, & præterea puerorum præſentia & colloquio adeò capitur, vt ex feneſtra (veluti mihi relatum eſt) ad vnum ex illis ſe præcipitem dederit, etiam, & cerebrum ſaltem non illiſerit. Hos ille à matre ſua Excellentiſſima Domina *Conſtantia Magalotta*, prudentiſſima & pijſſima Heroina, dono acceperat.

Nouũ & peregrinũ libidinis genus in Simia erga pſittacum.

Coronidis loco & hoc addidero, nuperrimè ab amico quodam mihi relatum, hìc *Romæ* nempe fuiſſe Dynaſten quendam, qui laſciuum & pulcherrimum *Cercopitheculum*, ac *pſittacum* ſimul alebat ſpecioſiſſimum. Illam autem *ſimiolam*, ad *pſittacum* ſæpius acceſſiſſe, & obſcæna neſcio quæ coitus exercere genera cum illo tentaſſe: Herum autem vtriuſque animalis turpitudine illa turbatum, iuſſiſſe vt *Cercopitheco* teſticuli exſecarentur. Hoc vbi factum, refrixiſſe in illo Venerem, illecebras deſijſſe, & omnem ludendi ſimul voluntatem, cum aliquo etiam heri mœrore extinctam fuiſſe.

Finis hiſtoriæ de pſittaco.

Atque hìc ego *pſittaci* metas pono, qui plura de his noſſe deſiderat *Aldrouandum* & *Cluſium* conſulat. De ſequente *Aue*, quam *anonymam*, ſiue innominatam voco *Mexicanam*, non habeo quod quicquam vel noui proferam, vel ab alijs prius authoribus memoratum in lucem producam. Cum nec ad quã ſpeciem ex noſtratibus facilè reducenda ſit, diuinare queam. Si quid tamen poſthac mihi innotuerit, id beneuolum meum lectorem celare haudquaquam volo, in ſecundo operis huius vniuerſalis volumine, cui *Deo fauente Lynceï*, ſtatim, hoc euulgato, manus admouebunt.

De altera aue nihil nec noui, nec ab alijs relati adferi poteſt.

CYA-

CVAPAPALCATL,

Chamæleo Mexicanus.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

ANIMAL hoc lacertam vtcunque æmulatur. Cuius ſuperior pars capitis, cum auribus coloris eſt ſubfuſci. Aures longas, latas, patulas, crenatasq. ſeu in ambitu ſectas, habet. Oculorum pupilla nigra, iris lacteſcit, flaueſcit albugo. Orbita extra oculum albicantem conſtituit circulum. Cutis, quæ vtraſque maxillas veſtit, ſubflaui eſt coloris. Palearia, vt ita dicam, ſiue pellem ab imo mento ad pectus propendentem, linea ſerrata interſtinguit. In collo ad auris radicem, oualis figuræ macula eſt cineritia, nigro circumducta circulo. Cutis à collo, per dorſi ſpinam ad caudam vſque protenſa ſimiliter crenata, hiſpida & aculeata videtur. Totum corpus, ex cinereo ac ſublutco colore conſtat. Colli tamen & ventris latera ſubnigrent. Animal ita macilentum apparet, vt coſtæ etiam tranſparere videantur. In collo verſus vſque medietatē dorſi, & in femoribus, ac circa eadem, minuta quædem punctula, ſiue grana ſquamoſa veluti, atque nigricantia eminent. Quinque tam in poſterioribus, quàm anterioribus pedibus, digitos habet, ſed hos in poſterioribus longiores, mediosq. longiſsimos, ex quibus vngues prominent, ceu felibus noſtris acutiſsimi, ſed non ita adunci. Cauda ad corporis proportionem eſt ſeſquialtera, & ſpithamæ quadrantem ſuperat. Vtriuſque verò longitudo eſt ſpithamæ ſeu palmi maioris. In dorſo renum verſus regionem, magnæ & quadratæ eminent maculæ quædam. Prima in ſcapulæ ſuperiore parte, verſus ſpinam dorſi. Secunda iuxta ſpinam, in lumborum regione. Tertia in oſſe ſacro verſus caudam acuminata. In his præcipuè ſquamoſa illa punctula, vt & in dorſo & femoribus, (quæ in principio ſui ſunt carnoſa) conſpiciuntur.

SCHOLIA EIVSDEM.

AB admirabili aue *Psittaco*, ad non minùs admirandum transimus animalculum, *Chamæleontem* inquam, quadrupes ouiparum, quod *Democritus*, si *Plinio* credimus, peculiari etiam dignum volumine existimauit. *Aristoteles* profectò, non vllum aliud diligentiori descriptione declarauit. Quod idem si vbique in animalium historia studiũ præstitisset, næ ipse nos posteros suos, tam tædioso indagandi labore, & per coniecturas non rarò inueniendi conatu liberasset. Ast ipse quoque non pauca auditu potiùs, quàm visu didicit (quod in *psittaco* eidem contigit) & sicco ob id eadem pede pertransiuit. *Chamæleontem* autem, cum dubio procul sæpius oculis vsurpauerit, non mirum est, si luculentà eundem magis historià sit prosecutus.

Arist. diligẽtissimus fuit in describẽdo Chamæleonte.

Veràm quoniam & post *Aristotelem* fuerunt, qui plura in *Chamæleonte* sunt commentati, & Naturæ rerum inexhaustus esse thesaurus videtur: forsitan & nobis eiusdem relicta portiuncula fuit, quam vt aliquem lectori nostro gustum præbemus, hìc quoque attexemus, cùm & nobis viuum hoc animal, cum animi stupore quodam videre sæpiusculè concessum fuerit.

Post Arist. tamen alia adhuc de Chamæleõte dici possunt.

Et quid ni in tam mirandi fabrica animalis expatiaremur? *Curiosum enim nobis natura ingenium dedit*, inquit *Seneca* libro de otio sapientis, *& artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia, spectatores genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formosa solitudini ostenderet. Hæc qui contemplatur, quid Deo præstat? ne tanta eius opera sine teste sint.*

Præmittam autem hìc epistolam, quam vir bonarum literarum studijs, praxiq. medicà præclarus, peregrinatione quoque in *Gallias*, *Hispanias*, *Italiam & Germaniam* vniuersam consummatus *Franciscus Nydermaier* Monacensis, Sereniss. *Landgrauij Georgij Hassiæ* Medicus primarius, hoc anno ad me perscripsit, & *Chamæleontem* tam viuum quàm mortuum anatomicè descripsit, cũ eundem prius nos ambo *Romæ* vidissemus apud *Ludouicum Hassiæ Landgrauiũ, Georgij* patrem, cum hàc iter faceret, & viuum hoc animal à Sereniss. magno Magistro Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani in Melitensium Insula dono accepisset. Sic autem eius habet epistola.

Franciscus Nydermaier authori Chamæleõtem viuũ & mortuũ describit.

Admodum Illustris Domine, & fautor obseruandissime. Quod vestris beneuolentià & amore pleniss imis literis, subitò vt animus mihi erat, & acceptorum gratitudo beneficiorum iubebat, non responderim, benignè apud Dom. vestrã me purget absentia mea à *Darmstadio*, vbi Princeps nunc meus clementissimus commoratur. Eò igitur vt perueni, lapidem omnem moui, vestro vt quæsito satisfieret.

Huius epistola.

Chamæleontem itaque eundem, quem Sereniss. *Hassiæ Landgrauius* anno 1619. *Melità*, *Romam* tulit, quemq. nos vnà viuum ibi vidimus, hunc eundem inquam, ego biennio prius, dum eàdem in Insula *Melitensi* versarer, sæpius

Ludouicus Landgrauius Hassiæ Romam viuum tulit Chamæleõtem.

sæpius conspexeram. Fuit autem *chamæleon* hic summa industriâ, in caueâ quadam conclusus, pellibus ac pannis, à vento & frigore, quod in *Germania* quando eò appulimus adhuc asperum erat, præmunitus & custoditus. Quoniam in frigidiusculo magis aere, animal hoc torpidum, & quasi immobile persistebat. Hunc author quoq; vidit. Nō patitur frigus.

Sed & diuersissimo situ, mirisq. posituris, apparebat: modò pedibus anterioribus sursum prorepens, seqb appendens, posterioribus insistens: modò autem contrario ordine pedibus vtens, quod ad stuporem vsquè sæpissimè intuebamur.

Sereno verò tempore & calidiusculo, splendescenti soli, suo cum claustro exponebatur, vbi aliquem motum reptilem, sed tardissimum edebat, vnum post alterum eleuans pedem, & nisi firmiter vni innixum insistebat, alterum haudquaquam mouebat. Claustrum illius illinebamus nonnunquam melle, aliquando eidem sacharum inspergebamus, vt muscæ allectarentur, quarum vbi vna forsan eidem appropinquabat, quatuor insistens tunc pedibus suis, corpus commouebat, *linguam* exerebat longam, flaui coloris, exilem, sed in apice latam ac rotundam, caputq; aculeæ magnitudine & formâ adæquantem. Et tametsi in omnibus actionibus suis animal culum hoc esset tardissimum, in sola tamen muscarum venatione, mirâ præstabat agilitate. Nam temporis quasi momento linguam vibrabat, & eiusdem extremitate muscam agglutinabat, quam illico deuorabat. Tardissimè mouetur. Muscas capit celerrimè. Linguæ in viuo descriptiō.

Os ad tam paruum collatum corpusculum satis grande habebat, quod ipsum alio haud vnquam tempore aperire animaduerti, nisi quando muscā capiebat, quod equidem quatuor aut quinque mensium spatio, sexies vel septies, ab eo factitatum fuisse arbitror. Propterea non absurdâ omnino coniecturâ diuersi authores ducuntur, cum *chamæleontem* ex aere viuere autumant. Quod equidem, vt absolutè non est verum, cum & Sereniſſimus Princeps meus, & ipsemet ego, multiq. mecum alij, magnō sæpiusculè cum risu venationis illius muscarum spectatores fuerimus: sic consideratione dignissimum iudico, quomodo hoc animal, ex vnica musca, tanto temporis tractu plurium non solum dierum, sed vnius atque alterius etiam mensis spatio, sufficiens haurire nutrimentum potuerit. Os habet magnum. Quomodo dicatur ex aere viuere.

Nares constituebant duo foramina paruula, sed patula. Attractionem aeris tamen, aut pectoris commotionem in hoc nullam vnquam aduertere potui. Nō videtur thoracē dilatare aut constringere.

Oculi proni, nigri, cooperti, cum rotunda palpebra, maiores interiùs & minores exteriùs apparebant. Et quod mirum est, hos in gyrum & rotationem omnimodam ad libitum versabat. Oculos in gyrum voluit.

Caudam satis longam trahebat ad ventrem inflexam, quā in rependo vtebatur, siquidem nunquam proreptabat, nisi illam bene affixam, & cauēæ suæ firmiter inflexam teneret. Caudā inflexam habet.

Quod ad *colores* attinet, nullos alios, quos assumeret obseruare mihi licuit, quam nigrescentem, cineritium, albumq. & aliquando ex his omnibus mixtum, modò maculis nigris, albisq. punctatim, modò ijsdem in lineas transuersas non longas diductas. Qui colores in hoc aduertātur.

Alios colores verò, viridem præcipuè, ac rubrum, quorum animal hoc capax & susceptibile affirmant non pauci nec vulgares scriptores, ego equidem diligenti adhibita obseruatione, videre haud vnquam potui. Et indubitatam velim Domin. vestram his verbis meis fidem adhibere.

Internarum ipsius partium descriptio.

De interioribus ipsius partibus, hoc quod subiungam habeo: non quidem me post animalis mortui sectionem earundem spectatorem fuisse, hæc tamen quæ sequuntur, ex *Darmstadiani* Medici, & Principis nostri veridica relatione Chirurgi vobis communicare posse. Dictus igitur *Chamæleon* paucas septimanas, postquam *Darmstadium* perlatus fuit, superuixit, an incuria hoc illorum acciderit, quorum concreditus custodiæ fuerat, an aeris potiùs inclementiâ, qui tunc temporis frigidiusculus, pluuiosus, ac ventosus erat, affirmare non ausim.

Parum sanguinis habet.

Aperto igitur per incisionem *ventre*, nihil quasi sanguinis profluebat, ad latera *costarum* tamen, quæ costis, siue spinis piscium assimilabantur, venulæ aliquæ minutæ conspiciendas se præbebant, quæ vbi apertæ fuerunt, sanguinis instar quidpiam stillabant.

Huic pulmo, hepar & cor parua.

Pulmo paruus fuit, cum mea tamen quoque opinione prægrandis censeretur, quod aeris plurimi attractione sola plerique hoc animal diutius absque cibo viuere posse sibi persuaserint. *Hepar* itidem paruum, in quo aliquid sanguinis repertum, obseruabatur. *Cor* verò minutissimum apparebat.

Intestinum quasi omnino rectum.

Intestinum à gutture vsque ad anum aut excrementorum exitum, vnicum, album, non admodum crassum, & circa ventris medium nonnihil curuatum conspiciebatur, & ob id longius paululum quam totus corporis tractus erat. In hoc aperto, & secundum longitudinem scisso, aliquid instar materiæ excrementitiæ nigricantis ad viriditatem tendentis, absque vllo tamen fœtore, reperiebatur. Vtrùm fuerit excrementum ex muscis, quas præteritis mensibus comederat, & paucis illis quidem relictum, an ex humidiore aere attracto collectum, atque compactum, hoc ego alijs enucleandum relinquo. Circa ventris medium intestino, huic *ouorum piscium* simile quid adhærescebat.

In hoc excrementa, vix scitur vnde veniant.

Linguæ in mortuo delineatio.

Lingua post mortem animalis in oris cauitate acutissima, & parua prorsus delitescebat, cum illam tamen ego, quando muscas venabatur, longiusculam satis, & in apice specilli globulum siue caput referentẽ, viderim. Ast in promptu ratio videtur, euanescentibus nimirum vitalibus & animalibus spiritibus, post mortem plurima, quæ in vita tumescebant, collabuntur. Sub *lingua* porrò *venula* humore quodam flauescente turgens videndam se præbebat. Vtrùm veneno hæc scatuerit, non vlla absque ratione prorsus dubitandum existimo, cum non pauci *Chamæleontem* venenatum perhibeant.

Humor sub lingua flauescens latitat.

Sceletõ huius, Saxoniæ Sereniss. Electori transmissum.

Sceleton huius *Chamæleontis* postmodum, cum sceleto vnius ex duobus illis animalibus *Gazellis* vocatis (quæ simul mecum Dom. vestra Romæ vidit) ab eodem quoque magno Magistro Equitũ *Melitensium Landgrauio Ludouico* donatis, imò cum altero viuo masculo nimirum, transmissa ad Sereniss. *Saxoniæ Electorem* fuerunt, qui non pauca exotica alit animalia, & sceleta diuersissimorum

rum adseruari iubet, *Leonum* videlicet, *Tigrium*, *Equorum*, *Camelorum*, *Simiarum*, aliorumq., & in hoc Musæo vestro, in quo sceleta quamplurima quoque prostant, nihil conceditur quin prorsus superetur.

Atque horum nunc ego breuiter recordari potui, reliqua cum vnà essemus, voce etiam me explicasse memini. Quæ omnia boni velim consulat, & pro ingenij sui perspicacitate, cum reliquis Academiæ vestræ doctissimæ Lynceorum socijs, ponderet, dilucidet, amplificet. Cuius me fauori & beneuolentiæ committo. *Darmstadij*, duodecima Decembris 1626.

Atque hæc amicus meus. Hoc mihi similiter animalculum in cauea, cui auiculæ includi solent, viuum est visum, dum *Princeps* supra laudatus *Romam* veniret, meaq. operà in adeundo, ac venerando PAVLO V. *Pont. Opt. Max.* vteretur. *Longum* erat, si caudam cum cætero corpore metireris; spithamam vnam, siue palmum maiorem, *Cauda* nempe medietatem, hoc est eandem, quam reliquum corpus, longitudinem efficiebat, quam semper recuruatam gerebat, & inæqualiter ac miro quodam situ pedes diuaricabat.

Huiusque Franciscus Nydermaier. Author quoque viuam hanc vidit bestiolam.

Hoc capere semel *muscam* ego quoque ex inopinato, cum quadam animi alacritate vidi, & risi. Cum enim forte fortuna propè illud hæc conuolasset, & fraudis nescia consedisset, hoc oculi ictu celerius, sagittæ instar linguà, digiti indicis longitudine, eiaculatà muscam arripuit, ac deuorauit. Veruntamen plurimi solent elabi dies, antequam simili prædà fruatur, quo tempore ex aere solo, vt sustentetur, credibile par est.

Quomodo chamæleo muscam capiat.

Narrabat idem, *Franciscus Nydermaier*, *Chamæleontem* hunc nunquam bibisse, nec vocem vllam edidisse. Et cum inquit, nunquà bibat, rarissimè edat, mirũ videri tamen debet, in cauea illa excrementa semper aliqua reperiri, parua, magnitudine grani canabini, nigricantis ac viridantis coloris, ab aluo subinde egesta.

Nunquà bibit rarissimè edit. & excremẽta tamen alui emittit.

Motum quoque tardissimum perficit, vt longiusculo etiam temporis tractu, vix spatium octo pedum ambulando emetiatur. Quare cum è suo semel effugisset claustello, & per fenestras egressum, lacertarum more, per muros reptaret, & ascenderet, facillimè cohiberi, & capi manibus, tunc potuit. Hoc quoque idem *Nydermaier* referebat, quòd cum *Chamæleon* hic aliquando pilum cũ musca fermè deglutiuisset, in ipsaq. deglutitione tantùm pateretur, vt saltem non suffocaretur; se aperto bestiolæ ore, digitum inseruisse, pilumq. extraxisse: os autem tam amplum se reperisse, vt primorem pollicis articulum capere facilè potuerit. Attestari hoc ego & ipsum valeo, colores ipsi dicto chamæleonti eosdem fuisse, qui suprà memorati fuerunt. Vbi enim pelliculæ albæ insedit albicantem, vbi panno nigro impositus fuit, nigricantem assumpsit colorem, minimè autem rubrum, aut viridem, licet hi ipsi supponerentur.

Tardissimũ edit motũ.

In quos colores se vertat.

Inter iuniores rerum naturalium obseruatores reperio diligentissimũ fuisse *Bellonium*, qui exactam etiam huius nobis tam externam, quàm internam anatomen reliquit, veluti totidem ipsius concepta verba ex Gesnerianis Com-

Bellonius anatomen huius fecit.

mentarijs, si opus foret, huc transportare possem, mihi enim ad manus nunc non est *Bellonius*.

Ex huius descriptione quid discere valeamus.

Quod autem nostræ descriptioni deesse videtur, hoc mihi sedulò annotare placuit. Quod duplicem nempè *Bellonius* describat *Chamæleontem*, sed neutrum, cum neutro nostrorum, hoc est, neque cum *Mexicano*, neque cum eo, quem huc allatum vidimus, congruentem. *Arabicus* enim *Bellonij Chamæleon* pusillus est, vix *viridem* excedens *lacertam*, colore albicante, subfuluis ac rubentibus maculis distinctus. *Aegyptius* verò, duplo maior, colore inter viridem & indicum ambiguo, quem ex luteo in fuluum variè commutare solet.

Variarum partiũ eiusdem descriptio.

Quæ sequuntur, cum nostris quà conueniunt, quà discrepant. *Oculis* hoc proprium nimirum esse inditum, vt vnum sursum, alterum deorsum flectere, & res diuerso collocatas situ, intueri possit. *Famem* ait, ab ipso octo mensibus, aut integro etiam anno tolerari posse. *Nam cum pulmonibus magnis per ventris latera exporrectis sit*, inquit, *ventum intro magno impetu attrahit, eoque intumescit*.

Præter foramina *narium*, etiam ad auditum sua adesse ait. Et *maxillas* dicit dentibus serratis præditas. *Linguam* esse longam sesquipalmum. Palmum autem, hìc minorem intelligit, qui quatuor est transuersorum digitorum. *Hanc*, inquit, *à longè in insecta, muscas scilicet, scarabæos, locustas, formicas, iaculatur, & mucore suo, quem in extremo linguæ spongiosum habet, arripit, & in os deducit*. In *pedibus* naturam lusisse memorat (quod *Aristoteles* quoque nouit,) cum in anterioribus sint terni digiti intra, & bini extra, contrario in posterioribus se res habeat. Duodecim insuper ait, *ouа* excludere lacertarum more. *Hepatis* lobos duos esse, *& cor* muris domestici magnitudine.

De sanguine nihil *addidit*, qui vbi reperiatur in hac bestiola, supra memorauimus. An verò Splene careat, quod *Plinius* voluit, haud scio. Aristoteles hoc sensisse visus est, cum inquit. *Lienem conspicuum nusquam continet*. Nec noster dissector de hoc quicquam meminit. Nec *Plinius* aut *Aristoteles* de *Intestino* aliquid latiùs consignauit memoriæ.

De pulmonibus res cõtrouersa est.

De pulmonibus res mira prorsus est, cum noster Anatomicus dicat pusillos in hoc *chamæleonte* fuisse. *Bellonius* verò magnos eosdem descripserit, per ventris latera exporrectos, qui in causa sint, vt fames diutiùs ab hac bestiola feratur. Quasi hi aere repleantur, & hic alimenti posteà vicem eidem præbeat. *Aristoteles* nullam pulmonum mentionem fecit. *Plinius* tamen lib. 11. cap. 37. *Chamæleonti*, inquit, *pulmo portione maximus est, & nihil aliud intus*. Et ob id nisi fallor, lib. 8. cap. 33. dixit. *Ipse* (chamæleo) *celsus hiante semper ore solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aeris alimento*.

Plurimi scriptores maximum ipsi pulmonem tribuunt.

Solinus hunc ipsissimum ijsdem ferme verbis cap. 43. expressit. *Hiatus eius aeternus* ait, *ac sine vllius vsus ministerio, quippe qui, cum neque cibum capiat, neque potu alatur, neque alimento, quàm haustu aeris viuat*. Sed longè ante *Solinum* & *Plinium*, ipsi *pulmonem* maximum & aere humidum *Theophrastus* concessit, vt videre est apud *Plutarchum* lib. de animantium comparatione. *Vertit se Chamæleon*, (ait *Plutarchus*) *non quò quicquam struat, vel tegat se se* (sicut facit *Polypus* piscis)

Solinus & Theophrastus quoq; pulmonem magnum in chamæleonte agnoscunt.

piſcis) *verùm metu, nullaq. alia de cauſa variat, naturâ trepidus ac timidus. Conſequitur etiam venti vis, vt eſt author Theophraſtus. Corpus enim huius animalis penè vniuerſum eſt vento* (vel vt alij legunt *pulmone*) *refertum*. Et ob id *Ouidius* 15. Metamorphoſ. cecinit.

Id quoque quod ventis animal nutritur, & aurâ,
Protinus aſſimilat, tetigit quoſcunque colores.

Videtur hoc ipſum Scaliger ſẽtire.

Scaliger præterea in exercitationibus ſuis aduerſus *Cardanum*, hæc habet: *Quod aer Chamæleonti pro cibo ſit aliquandiu, ex eo patet: quòd & annum integrum aiunt inediam tolerare: & vbi excipit hiatu auram, & occluſit malas, turget ei venter.* Quod ſi venter turget, non exiguo, ſed maximo conſtare pulmone hunc par eſt, eoq. per ipſum ventrem deſcendente, qua enim alia quæſo ratione adeò ipſe intumeſceret?

Dubitatur vtri opinioni ſit adhærendum.

Hic ego in biuio hæreo, & quò me vertam neſcio, An ſpreta veterum authoritate, anatomico noſtro aſſentiar? qui autopſiâ minimum in *Chamæleonte pulmonem* ſe inueniſſe affirmat. An potius hallucinatum hunc eſſe dicam, *Plinio* autem *Solino* & *Bellonio* ſubſcribam? Vtrumuis ſtatuam, vix culpâ vacare videar. Venit nunc in mentem mihi, ne (ſi modò venter attracto aere in hac beſtiola turgidulus ſit) ſimilis hîc ſit *pulmonum* conſtitutio, quam præter omnem rerum ſeriem in *teſtudine* inueni. Habet enim cum *teſtudine* neſcio quid conformitatis *Chamæleon*. Vtrumque animal eſt quadrupes ouiparum. Et vt *Ariſtoteles* ait, viuit *Chamæleon* diſſectus aliquandiu, vt *teſtudo*, & vt hæc ſimiliter tardè incedit. Addo ego, quòd vtrumque egregiè famere poteſt animal.

Dubitatur ne eadẽ ſit chamæleõtis & teſtudinis pulmonũ conſtitutio.

Subiungam igitur vel in curioſi naturæ perſcrutatoris gratiam, quæ mihi non vna tantùm vice in *teſtudinis* anatome obſeruare, cum quodam animi ſtupore, licuit.

Teſtudinis anatome quod ad organa præcipua attinet.

Cum ante ſeptem annos inſignis magnitudinis mihi *teſtudinem* marinam ex *Neptunio* oppido maritimo ſubmiſiſſet Illuſtriſſ. *Virginius Cæſarinus Lynceus*; quem aliqui *Pico* illi *Mirandulano* æqualem, multi etiam ſuperiorẽ agnouerũt, vt ipſum de internarũ partium ordine poſtmodum, (qui noſtræ *Academiæ Lynceæ* mos eſt, mutuis ſe ſe iuuare ſtudijs) edocerem, perſcripſi ad ipſum ea, quæ omnia ſibi viſa fuiſſe paradoxa reſpondebat. Quare *Romam* rediit, & aliam huc paulò minorem teſtudinem perferri ex mari curauit, voluitq. ipſe in ædibus meis anatomæ huic præſto eſſe, eamq. manibus proprijs, *Democritum* magnum imitans philoſophum, adiuuare. Veruntamen ex ea huc transferre ſolummodo illa placeo, quæ reſpirationis organa attingunt. Vt ipſum itaque certiorem redderem, quod promiſeram, *pulmones non in thorace* hîc, *ſed in ventre inferiore ſub ipſo ſitos eſſe diaphragmate*, rem totam hac ratione demonſtraui. Curaui *aſperam arteriam*, aliqua ex parte detruncari, ac tubulo ex arundine immiſſo, eandem inſufflari. Statim ambos *pulmones* in ventre imo conſpicuos habuimus, ad extremum eiuſdem, vbi *inteſtini recti* exitus habetur, pertingentes, & verſus thoracem ſurgentes, in latitudine valde creſcentes, rubicundos, ac plane coloris elegantiſſimi.

Hanc Virginium Cæſarinum Lynceus cum authore exercuit.

Pulmones in hac teſtudine fuerunt in ventre imo.

Hoc ita eſſe, *Cæſarinus* ſuiſmet digitis explorauit, comprimendo *pulmones* à parte inferiore ad originem ipſorum, quæ ſub ipſo eſt ſepto tranſuerſo. Tota autem

Quomodo situs pulmonum in testudine hac se habeat.

autem ita se res habet. Descendit à *larynge* in thoracem *aspera arteria*, quæ in eadem pectoris capacitate quoque bifurcatur, & vbi ambo hi rami Diaphragma perfoderunt, sub hoc in pulmones ingrediuntur. Hi sua substantia sunt subtilissimi, ita vt inflati vesicæ quædam rubræ esse appareant, sed verè tamen pulmonum substantiam obtinent, & parte illa, qua dorsum respiciunt, firmiter adhærent, ita tamen, vt digitis, non cultro auferri, & à dorso liberari valeant.

Quid in thorace repertū fuerit.

In medio ventris verò, siue thoracis cauitate, *cor* nobis conspicuum fuit, suâ intra capsulam siue pericardium concluſum, quo discisso, aqua effluxit, & cor erupit, hocq. ad corporis totius comparationem perexiguum. Aderant verò ad cordis latera, duo corpuscula tam magna, vt ambo coniuncta cordis molem longè excederent, quæq. prima statim fronte, imponere alicui potuissent, vt pulmones crederentur, nisi hoc vnicum obstitisset, quod intra capsulam cordis hæc scilicet reposita fuerant. Erant autem hæc corpuscula *cordis auricula*, quæ veluti duæ vesicæ, non corpora planè solida comparebant, sanguine ambæ prætumidæ. In vtramque deriuabatur *vena*, vna ex dextro hepatis lobo in dextram, ex siniſtro in siniſtram altera. Ambæ postea auriculæ inuicem communicant, & sanguinem in dextrum cordis sinum refundunt.

Cordis, auricularum eiusdem & vētriculorum descriptio.

E dextro autem ventriculo manifestus fuit in siniſtrum aditus, sine vllo intermedio pariete, vbi vero siniſter incipit, crassior tantummodo quædam ac neruosior substantia, & formà foraminis manifestam se præbuit. In siniſtro hoc sinu duo erant vasa arterioſæ substantiæ, quæ vbi paululum ex cordis ventriculo sunt egressa, in alia duo diuidebantur, quò autem porrò abirent, penetrare satis haud potui. Reperi interim, in hoc specu diuersa illa ostiola semilunaria nempe, & tricuspidem referentia. Mirum etiam fuit, quantum in aquatico hoc animali sanguinis nigricantis inquam, ac crassi venosi, tenuis itidem, & rubicundi valde & arterioſi contineretur.

Pulmones cum corde hic nullam videtur habere communionē.

Sed quid me cēses de *pulmonibus* dicturū? Hi verò non in *thorace* (vt sole clariùs patuit) sed in ipso ventre collocati sunt inferiore, hac saltē in maritima testudine. Quomodo enim hi aerē cordi subministrabūt, si ipsi cor minimè amplexantur, nec etiam cum venis atque arterijs cordis per *asperas arteriolas* communionem vllam sortiuntur? Cor enim in medio ventre recluſum, & per diaphragma à pulmonibus, sub hoc latentibus secluſum exiſtit.

Insigne argumentum aerem ex pulmone in cor non ferri.

Quin & hoc cōsideratione digniſſimum autumo, quod non solùm pulmonibus & corde intra animal suo in situ remanentibus, cor nullo modo elatum motumve fuerit inflatis pulmonibus, verùm hi etiam euulsi, & extra animal inflati, aerem probè tamen receperint, nec illi vllā in partem exitum permiserint. Id quod vel idiotæ cuilibet argumento esse potuit, quam minima *cordis* cum *pulmonibus* in *testudine* esset, per vasa pneumatica, aerem ex his in illud deferendi vt creditur, consensus atque connexio.

Authoris speculatio, cur in ventre imo sint testudini pulmones.

Atque hoc ego philoſophica medicaq. trutinà digniſſimū arbitror, & illis præcipuè, qui *respirationis vsum* anxiè magis enucleatiusq. perscrutari moliūtur. Ego tūc *Virginio Cæsarino* nostro mentē ita meā explicaui, & valde ipsi sententia arriſit;

arriſit. Videri nimirum mihi, cũ *teſtudo* hæc ſit animal aquatile, propter domũ, quam inhabitat terreſtrem, & grauiſſimum, ſibi periculum eſſe, ne in profundo maris ſemper ſtabuletur, nec dias in luminis auras emergat, ibiq. ad tempus quoddam cõmoretur: huic à natura pulmones fuiſſe conceſſos adeò grandes, aerisq. ita capaces, vt thorax ijs capiendis haudquaquam ſufficere potuerit. Debuiſſe ergo in ventre poni eos inferiori, & ſemel inflatos, animal in aquæ ſuperficie ſuſtinere. Non aliter atque pueri, dum natare addiſcunt, veſicas aere plenas, vel cucurbitas exiccatas axillis ſupponunt, ne profundentur. Ne quis autem exiſtimet, pulmones hos eſſe meras veſicas quaſdam, ſciat velim, pulmonum verorum, tenuiorem tamen, ſubſtantiam obtinere, & aſperis arterijs ſimillimis, quæ in nobis ſunt, præditos exiſtere. Neque tales veſicas eſſe, quales in *Barbis* alijſve piſcibus aere ſemper tumefactæ reperiuntur.

Alia dubitatio de pulmonibus in terreſtri teſtudine.

Verum enimuero dum ita mecum ipſe philoſophari ſoleo, & *Cæſarino* noſtro mihiq. placeo, hæc interim quoque ſubit ſententia mentem. Debere igitur in terreſtri teſtudine contrario modo pulmonem in thorace, & non ſub thorace collocatum eſſe, quod terreſtris teſtudo videlicet amphibia non ſit, aquam non petat, & ſi in eandem ponatur, exitum citò quærat, maritima quoque ad tempus ſolummodo aliquod liberiore aere fruatur, & tunc præſertim, quando ſomnum ſereno cælo, & ſplendente ſole captare deſiderat. Tunc enim ſuauiter dormiens, dum in maris ſuperficie fluitat haud dubiè pulmonũ follibus aere diſtentis ſubleuata. Hoc ſe vidiſſe non modò mihi affirmauit *Alexander Rondininus* Nobilis Romanus, elegantioribus literis, & prudentiæ vſu vir præſtans. & ob botanicũ ſtudium mei amantiſſimus; ſed & in eadem qua vehebatur naui, talem, & maximam quidem teſtudinem à nautis captam, ac dormientem ita in nauem depoſitam fuiſſe, vni pedum iniectis vinculis, ne elabi poſſet, quæ vbi è ſopore emerſit, ſeq. illigatam ſenſit, vi maxima, & ingenti ſtrepitu aduerſus nautas pugnauit, manus tamen vel pedes dicam potius, captori ſuo poſt coacta dedit. Similem ferè piſcationem teſtudinum narrat Plin. lib. 9. cap. 10.

Teſtudo marina dormiens & mari innatans capta.

Vt itaque huic me dubitationi eximerẽ, *terreſtrem teſtudinem* aquæ immerſi, quam vbi multùm reluctantem, exitumq. quærentem animaduerterem, id facilè ob pulmones in thorace ſitos euenire coniectare cœpi. Quare & hanc incidi, pulmones tamen non aliter atque in maritima eſt dictum, ſub diaphragmate ad pedes vſque poſteriores deſcendere, per inſufflationem tumefactos vidi. Sunt hi ex ſubſtantia tariſſima, ac meris quodammodo veſiculis, & pelliculis ſubtiliſsima compoſiti.

In terreſtri teſtudine, quod mirũ, idem pulmonum ſitus.

Iam itaque philoſophandum foret, quem vſum hi in terreſtri hac teſtudine obtineant. Hoc ſanè perſuaſiſsimum cuiuis eſto, nullam horum cum corde connexionem exiſtere. Exciſo enim corde, adhuc per tubulos tamen pulmones ipſi retento in ſe aere, nec per ſpiracula ſiue aperta, ſiue cæca erumpente, optimè inſurgebant. Et priùs inflatis pulmonibus, corde præſente, hoc ne tantillum quidem attollebatur. Habebat autem *cor* ſyſtolem ſuam, atque diaſtolen, abſque vllo pulmonum motu, hi enim depreſſi remanebant, nec

Pulmones cum corde nullam habuerunt cõnexionem.

infla-

inflabantur ab illa aeris attractione, quod fieri potuisset tamen ab animali adhuc viuente, licet capite truncato, quod ego subitò antequam aperiri curarẽ, abscindi iusseram. Hoc autem huius maximè gratià tentaueram, vt sanguinem tam arteriosum, quàm venosum probarem, calidus ne actu, an frigidus in viuo animali hoc existeret. Quem volà manus exceptum, frigidum reperi, non quidem vt est glacies, sed vt aqua erat fontium illius temporis, sub mense nempe Augusto. Viuit itaque hoc animal actu & tactu cum sanguine frigido. Imò & cor ipsum eodem modo actu erat frigidum, quod similiter eximi iussi. Vitales autem hæc testudo actiones habuit horæ spatio absque corde (quod etiam Aristoteles nouit) sed & absque capite, nam pedes mouit ad tactum nostrum, & sine eodem quoque retraxit. Tamdiu similiter cor iam exemptum & mensæ impositum, vibrante suo motu vixit. Sed iterum parerga hæc esse exclamabis, quæ tamen Medicinæ studiosis non ingrata fore auguror. Reliqua de testudine marina non addo, quæ iustæ etiam magnitudinis libellum efficere possent.

Sanguis & cor in hac testudine viua sunt actu frigida.

Hæc sine capite & corde, & hoc sine animali vixit.

Adduci non possum, vt credam hunc pulmonum situm, oculatissimi *Aristotelis* industriam effugisse, in animali tam noto præsertim, & ipsi vbiuis obuio, licet hunc non expresserit. Lib. enim 3. de part. anim. cap. 6. hæc habet. *Quæ viuipara sunt maiorem & copia refertum sanguinis habent pulmonem, propter calorem suæ naturæ. Quæ contra ouipara sunt, exiguum & siccum, sed aptum ampliari & extumescere, cum inflatur; qualis eorum est, quæ ex terrestribus, quadrupedes ouipara sunt, vt lacertorum, & testudinum, & cæterorum generis eiusdem.* Nisi quis ex hoc eodem capite *Aristotelem* hoc ipsum insinuasse autumet, cum ait, ad cordis palpitationem nihil pulmones conferre; cum quia in homine spes rei futuræ eandem ciere queat, *tum quia in pluribus animalibus* (& hic intelligere testudinem potuit) *cor laxo interuallo à pulmone distat, situmq. superiùs tenuit.*

An Arist. hunc pulmonũ situ nouerit?

Attamen propiùs ad nos accessit *Plinius*, qui hunc *Aristotelis* locum dubio procul vidit, & vt plurima alia quoque, in sua commentaria retulit. Nouisse videtur pulmones in testudine sub diaphragmate totoq. sub tegmine comprehendi. Lib. enim 11. cap. 37. hæc habet verba. *Sub corde pulmo est, spirandiq. officina, attrahens, ac reddens animam, idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cauus. Pauca eum (vt dictum est) habent aquatilia, ac cætera oua parientia exiguum, spumosum, nec sanguineum, ideo non sitiunt. Eadem est causa, quare sub aqua diu ranæ ac phocæ vrinentur. Testudo quoque quamuis prægrandem, & sub toto tegumento habeat, sine sanguine tamen habet.* Videntur eadem & diuersa dicere *Aristoteles*, ac *Plinius*. Hic magnum in testudine, ille paruum agnoscit pulmonem. Aristoteles tamen, ex paruo magnum fieri vbi inflatur (quod verissimum est) non diffitetur modò, sed pro confesso quoque ponit. Vterque non multo sanguine turgere, quin eum exanguem quasi statuit, quod ipsum quoque experientia attestatur.

Aristoteles & Plinius in describẽdo hoc pulmone discrepant & conueniũt.

Hactenus rectè *Aristoteles*. At quod mox sequitur, naturæ minimè respondet. Lib. 1. enim cap. 16. Hist. anim. *Cor etiam*, ait, *arteriæ* (*asperam* semper intelligit, nam quam nos dicimus nunc *arteriam* simpliciter, ille venam aortã appellat ibidem) *obesis, cartilagineis, fibrosisq. vinculis: & quæ annectitur cauum est.*

Arist. putat è pulmonibus aerẽ in cor trãsire.

est. Spiritus dum arteriæ inflatur, an subeat cor? minùs in nonnullis constat, scilicet minutis. At in grandioribus animalium, spiritum cor subire ipsum apertum est.

Atqui marinæ testudines, in quibus nos probauimus minimè aerem è pulmonibus cor subire, non minuta sunt animalcula, cum *Plinius* dicat, *in mari Indico tantæ magnitudinis reperiri, vt superficies earum singulæ, casas integant habitabiles, atque inter insulas rubri maris his cymbis nauigent. Nicolaus Trigautius* quoque, qui primus è *Iesuitis* ex *Sinarum* Regno *Romam* redijt, aliosq. socios (inter quos *Ioannes Terrentius* meus fuit) eòdem, ad prædicandum *Christi Euangelium* traduxit, hic inquam, cum aliquoties domi meæ esset, certo mihi asseuerauit, in mari illius Regni *testudines* vidisse se, tantæ magnitudinis, quantæ est cubiculum meum, quod passus est longum decem, latum septem. Licet autem hìc *Theodorus Gaza* ex suo potius addiderit, *scilicet in minutis*, cum textus Græcus *Aristotelis*, hæc non habeat, nihil tamen impedit, quin hoc Aristoteles voluerit, cum dicat statim, in grandioribus animalibus spiritum ab arteria inflata in cor subire. *Scaliger* hunc locum explicans, hoc Aristotelis, atque adeò totius scholæ medicæ dogma ratissimum habet. *Necessariò in cor dimittitur aer*, ait. *Quid enim ageret in arteria nisi prorsum subiret? Porrò altera ratio est. Non eget arteria aere ad refrigerandum, exanguis est. Frigida est sua naturà. Cor calidum. Igitur eget inspiratione. Item expiratione vt exoneret se fumis.*

Reclamat experiẽtia in marina testudine.

Nicolaus Trigautius Iesuita, primus, ex regno Chinæ Romam venit.

Hic ingentes ibidẽ testudines vidit.

Scaliger cõfirmat aerẽ inspiratum ad corde ferri.

Sed hoc Aristoteli statuisse nõ satis est, vias quoque cap. 17. & meatus docet, quibus aer in pulmonibus contentus, ad cor corriuetur. Et quoniam limpidiore hic *Scaliger* oratione mihi vsus videtur, quàm *Gaza*, eius potius latina verba adducam, quæ sic habent. *Meatus autem qui à corde in pulmonem ferunt, ij & eodem scinduntur modo, quo arteria: & arteriæ fistulas totum per pulmonem assequuntur. Sunt autem in parte cordis superiori. Neque verò vnus communis est, sed inter se coaptati recipiunt spiritum, quem ad cor transmittunt. Alter enim in dextrum sinum: alter in sinistrum meatum.* Horum nisi fallor, verborum hic est sensus. Non communem vnum meatum esse, qui aerem ex omnibus *arteriæ asperæ* fistulis recipiat, sed anastomosin fieri meatuum, ex corde prodeuntium in pulmonem, & cum minimis fistulis arteriæ coalescentium, hinc introire aerem, exire fuligines. Verum hunc textum declarans *Augustin. Niphus* ita concludit. *Animaduerte tamen hæc, quæ dixit de meatibus, & de colligantia meatuum, esse obscura, nisi per dissectiones, quæ visu constant, innotescant.* Rectè profectò, præterquam enim, quòd Arist. hìc vult aerem ad dextrum quoque cordis ventriculum deferri, nulli vsui ibidem futurum: sectiones, mihi credas, nihil quàm minus obscurum hoc axioma dilucidabunt. Quam enim anastomosin non detegit, per tubulos intrusus flatus in vasis minutissimus, eandem minimè scias, per diligentissimam etiam sectionem manifestatum iri. Sic equidem mihi sæpius, hoc solo insufflationis medio visa fuit venularum & arteriolarum, in plexu choroide intra cerebri ventriculos existente, subtilissimarum symphisis, quam frustra quamuis taberrima dissectione indagare quis potuisset.

Arist. etiã huius transitus vias reperit.

Nunquã vasorum minimorũ cõnexionem sectio detegeret, quàm insufflatio non patefecit.

Nec moueat quemquam communis obiectio in mortuo corpore omnia collabi & occludi oscula, ideòq. aerem penetrare haud posse. Fallum id esse ipsiusmet

siusmet pulmonis per tubulum inflati extrema tumefactio ostendit, & venularum arteriolarumq. in cerebro minutissimarum reseratio.

Natura in alio dogmate Aristoteli est contraria.

Necdum hìc quiescit natura, quæ in alio quoque *Aristoteli* filio suo reclamat dogmate. Hic enim hoc ipso & capite & lib. 7. supra *septum transuersum* sua *pulmonibus* subsellia assignauit. *Sub pulmone septum*, ait, *transuersum pectoris est, quæ præcordia & cinctum appellant* &c. Nos tamen in testudine tam terrestri, quàm marina, contrarium demonstrauimus. Miror mehercle, exercitatissimi in piscium anatome *Rondeletij* manum hæc non obseruasse, vel saltem tacuisse ipsum, quin lapsu maiore ruisse. Hic enim lib. 16. de piscibus cap. 3. sic habet. *Pulmones in testudine maiores sunt, & multò densiores, quàm in terrenis animantibus, ne vt opinor aquæ maior copia, vnà cum alimentis hausta in tenues meatus se penitus insinuans, reijci tota non posset per foramina illa, quæ narium loco in superiore rostro habet, quibus aquam reijcit non aliter quàm delphini per fistulam.* Miror magis hoc ipsum ab *Aristotele*, quem *Rondeletius* ceu communem præceptorem neglectà autopsià secutus est, statutum fuisse. Cum etenim *Arist.* lib. 3. cap. 7. & 8. de partibus animal. decreuisset quadrupedibus ouiparis omnibus fungosum esse pulmonem, & ob id vesicam illis deesse, excepit tamen ab hac regula testudinem marinam. *Vesica enim omnia carere*, ait *insecta, pisces, penna, squama & cortice intecta, tum propter humoris assumpti exiguitatem, tum quia quantum excrementi contrahitur in ea ipsa absumatur, excepta testudine inter corticata, in hac enim tantummodo natura castrata est. Cuius rei causa est, quòd marinæ testudines pulmonem habent carnosum, sanguineum & similem bubulo, terrestres autem proportione maiorem, superficies etiam quia obtenta præduraq. modo silicis est, facit ne humor diffluat, euaporariq. possit per carnem laxiorem.*

Doctiss. Rõ deletius pulmones in testudine male obseruauit

Sed hic Aristotelem quam naturam sequi maluit.

Sed eadem reprehensione qua Aristotelẽ mactat dignus videtur.

Possem hic eàdem ego *Rondeletium* excipere compellatione, qua is in *Aristotelem* inuehitur, quod hic splenem admodum exiguum in testudine lutaria videre potuerit. Renes autem & vesicam videre non potuerit, quæ lutariæ inesse negauit. *Quare* inquit *Rondeletius, cum maiorem τῆ αὐτοψίᾳ, quam cuiusdam hominis authoritati fidem adhibeam; affirmo testudinem lutariam & vesicam manifestam ac magnam & renes carnosos habere prope testes.* Quod si bene igitur *Rondeletius* oculis suis in terrestri, marina, & haud dubiè lutaria testudinibus vsus fuisset, in his pulmonem non densum & bubulinum, sed flaccidum, ac tenui substantiâ præditum reperisset.

Relicta testudine chamæleontẽ prosequimur.

Reuertamur modò ad *Chamæleontem*, de cuius diuturna ab omni alimento abstinentia, & longissimo hominum quorundam ieiunio, ex iunioribus medicis, ac philosophis variè varij philosophati sunt. Quorum omnium opiniones, cum in cumulũ vnum congesserit, & perspicacissimi ingenij sui acumine examinauerit atque explanauerit *Fortunius Licetus*, doctissimis quatuor libris *De his quæ diu viuunt sine alimento*: eò lectorem meum ablego, qui si plura scire aueat, *Paulum Zachiam* consulat censeo Medicum Romanum in lib. tertio *Quæstionum suarum Medico-legalium*, quem propediem prælo committet, cum in prioribus duobus, egregium ingenij sui specimen exhibens, vtilissimam tam Iurisconsultis, quàm Medicis operam nauauerit. Equidem non plurimarum solummodo bestiarum, *Testudinum* inquam, *Glirium*, *Vrsorum*, *Hirundinum*,

Agitur de longa ab omni alimento abstinentia.

& *Insectorum plerorumq.* ad multos etiam menses nutrimenti carentia, iam scriptis & experientiâ certa est: sed miram & insolentem eandem quoque in hominibus quibusdam, tam nostris, quàm auorum nostrorum temporibus, animaduersam fuisse fidelissimorum monumenta historicorum nos docere possunt.

Hipp. septẽ dierũ inediam in homine mortalẽ censet.

Hippocrates noster lib. de *carnibus* seu *principijs* probare volens *hominis vitam septem dierum numero circumscribi: Quòd tot diebus genitura eius ad vterum perueniens omnia acquirat quæcunque ex corpore ipsi accedere par sit.* Id ex hoc quoque fonte deducit. *Quod plerique quidem ex his qui septem diebus nil edere aut bibere volunt, in his moriuntur. Quod si qui eos superauerint, nihilominus tamen moriuntur. Nonnulli etiam ne per inediam è vita discederent, sed vt comederent, & biberent persuasi sunt: verum venter non amplius admittit. Ieiunum enim intestinum in his diebus cohæresçit, quibus etiam illi moriuntur.*

Crudeles veteres quidam Medici qui ęgris triũ & sex dierũ inediam præscribunt.

Quare mirari subit tam crudeles olim quosdam medicos extitisse, quorum *Gal.* 8. *Methodi* cap. 6. meminit, qui *Diatritariorum* sectam introduxerunt, quòd non nisi tertio exacto die ægris suis cibos primùm exhiberent. Et *Cornelius Celsus* inter priscos illos fuisse memorat, qui quinque etiam & sex dies ab omni alimento abstinere ægrotis suis imperitabant. Longè mitiores & indulgentiores sunt hodie Medici, nostri præcipuè *Romani*. Quamuis *Neapolitani* hos ipsos ceu parcos adhuc calumnientur. Quare cum ante plures iam annos *Neapolim* vrbem pulcherrimam visum iuissem, & à primario quodam eiusdẽ Medico (claruit autem ea præstantissimis semper & opulentissimis Medicis) libellus dono mihi oblatus fuisset, *de modo cibandi ægros in vrbe Neapolitana*, hoc mihi is circumstantibus nonnullis iunioribus Medicis improperauit. Velim hunc legas libellum, discasq. ait, qua ratione ægri sint cibandi, cum vos Romani Medici strictà ac tenui nimis diæta maiorem ægrotantium vestrorum partem perdatis. *Tortam, tortam*, hoc est ex carnibus contusis succum ipsis præbere oportet, & liberaliter magis egregièq. nutrire. Ego longiori non esse locum disputationi concessum aduertens, cum eidem, ceteri ridentes omnes applauderent. Bene mones, inquam, mi Domine, & magnam tibi gratiã, quin forsan statuam quoque ex auro *Philippeo Neapolitani* tui, pro tam salutifero ipsis documento relicto debebunt. Semel profectò saltem, dum aura hac fruimini vitali, vobis sufficienter & bene est comedendum. Id quod integrà dum sanitate estis, haud facitis, cum vix alio tunc cibo, quàm *brassicà*, (vos *bruocoli* vocatis) victitetis. Æquissimum igitur est, ægrotis vestris opimiori magis cibo prospicere. Atque ita reciproco risu rixæ nostræ, quæ nullæ erant, solutæ fuerunt. Veruntamen posse & mori & mortem euadere, qui septem dierum spatio inediam etiam in morbis periculosissimis tolerarunt, ego ipse testimonio suffragari possum. Ante annos viginti tres, ad *Nosocomium* nostrum *S. Spiritus* in Vrbe perlatus fuit, qui manià percitus, penem & ambos sibi testiculos ad vnguem abscíderat, & cum ad ripam *Tiberis* habitaret, in idem flumen & hæc & cultrum proiecerat. Qui cum non solùm in suammetipsius carnem iniurius fuisset, sed in *Deum* quoque ac *Diuos* eius, contumelias iaceret: reprehendit ipsum acriter, qui illius loci *Prior* dicitur, & num *Symboli* nostri

Hodie sunt liberaliores Romani præsertim.

Hos Neapolitani adhuc pro parcis proclamant.

Author defendit Romanos iocosè aduersus Neapolitanos.

Moriuntur & viuere nõ possunt qui septem dierum ieiunium tulerunt.

Mirabilis casus eius qui pudẽda sibi abscidit, & decẽ diebus ab omni alimẽto abstinuit

ſtri *Apoſtolici* articulos veraciter crederet, obteſtabatur. Credo, inquiebat ille' hæc omnia, *Et credo di più, che chi non fà, come hò fatto Io, che non và in Paradiſo.* Hoc eſt, & hoc amplius credo, quòd niſi quis meo exemplo ita ſeipſum caſtrauerit, regnum cœlorum ingredi non valeat. Cui ego, atqui tu paucos certè ita ſocios habebis.

Hic decem integris exactis diebus, nec cibum, nec potum vllum aſſumpſit.

Denæ illum noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina, viderunt inopem, potusq. cibiq.

Hic inedia ſpontanea ſe occidere voluit.

Quin etiam vbi per vim ipſi aliquid ingereretur, aut in faciem præbentium expuebat, aut de induſtria prouocato ſibi vomitu id eructabat. Redierat enim, per ingentem illam ſanguinis arterioſi & venoſi profuſionem, ad mentem ſaniorem, & ſe ipſum, turpitudine facti, & verecundiâ ductus, inediâ interficere cupiebat. Vndecima demum die perſuaſi ipſi, vt vitellos ouorum duos aſſumeret, quod factum, & poſt hos eadem die, binos alios capiebat. Sequentibus porrò diebus paulatim cibari & pauxillum vini ſorbere perrexit. Decimaſeptima verò die non ex vulnere, quod omnino perſanatum fuit, ſed ex obſtinata illa inedia obijt.

Decē dies abſque omni cibo vixit.

Fœmina quædam ægrotās vndecim diebus nihil potus aut cibi ſumēs conualuit tamen.

E regione eiuſdem Noſocomij fœminam quandā mea ſub cura habui, pauperculam ac vetulam, miris vexatam ſymptomatibus, nunc epilepſiâ, modò cataphorâ, iam lethargo, mox ſingultibus, & ventriculi ſucculſionibus, horrendisq. motibus agitatam; ita vt vndecim dierum ſpatio nonniſi vnicum oui vitellum ſorbuerit. Quæ cum ſiti ingenti vexaretur, & aquam auidiſsimè peteret, ori quoque admoueret, hanc tamen ob conuulſiuos ſtomachi motus, ac gulæ læſionem tranſglutire haud potuit. Dixiſſes illam *Tantali* pœnâ affectā, quærebat enim aquas in aquis. Siquidem is vt *Ouidius* ait,

Semper eget liquidis ſemper abundat aquis.

Quare, & hi *Ourdiani* verſiculi miſerculæ illi fœminæ quadrare poterant.

Oraq. vana mouet, dentemq. in dente fatigat,
Exercetq. cibo deluſum guttur inani.

Euaſit tamen Dei gratiâ, ex periculoſiſſimis illis accidentibus omnibus, & continuo vndecim dierum ieiunio, quam biennio poſt, pleuritide laborantem feliciter denuo curaui.

Licetus recēſet hiſtorias illorū qui ad plures menſes & annos abſque alimento vixerunt.

Verùm non his ſimilia modò plurima, ſed vnius, duorum, quinque & ſexdecim menſium abſtinentiam, quin ad annos quoque duos productam, ad tres & quatuor ſimiliter protenſam, ad duodecim durantem, & vltra duodecim demum protractam, reperies apud eundem *Licetum*, & cum quodam animi ſtupore lectitabis. Memorandum hoc factum eſt, quod *Nicolaus Heluetius* (hunc *Bruder claus* vocant ijdem *Heluetij*, & ob vitæ tranſactæ ſanctimoniam in veneratione habent) *poſt ſuſceptos ex coniuge quinque liberos, cum haud longè poſt ab oppido ſolitariam vitam ageret, peracto decimoquinto anno ſine vllo cibo potuq. deceſſerit.* Vt apud *Eborenſem* legimus. Hunc vt Beatorum catalogo adſcribatur, *Epiſcopus Conſtantienſis*, in cuius Dioceſi is vixit, iam *Romæ* adnititur, productis quæ in vita, & poſt mortem edidit, miraculis.

Memorabilis hiſtoria Nicolai Heluetij etiam ob Sanctos vitæ mores conſpicui.

Neque hic conſarcinare placet, ſingulorum opinantium, & tam portento-

ſæ

ſæ inediæ cauſas & argumenta dicentium ſeriem, neque ſub incudem reuocare, quas de hac re diſquiſitiones idem *Licetus* exquiſitiſſimè examinat. An animalia videlicet & homines illi interea, dum alimentis abſtinent, inſpirato alantur aere? an exhalatione magis per aerem ſparſa? vel pituitâ intra corpus ante congeſtâ? aut ſucco melancholico potius in nutrimentum poſtea cedente? an pinguedinis colliquamento? an ſanguine menſtruo benigno tantiſper in homine latitante? an ſit diuinæ virtutis & Dei opus, tam longa inedia? an ad Angelos, Cacodæmones aut aſtra rectiùs referenda? num ſympathia & indiuidualis proprietas quædam, ecſtaſis, cataphora, cutis conſtipatio hìc aliquid valeant? aut viſcerum conſtrictio, tabes, atrophia, ventriculi ſtupor ſint incauſa? an pharmacum aſſumptum hoc poſſit præſtare? an demum hoc ipſum conſuetudini ſit attribuendum?

Varijvarias cauſas tam diuturnæ inediæ afferunt.

Hoc interim ſilere haud debeo, eundem *Licetum* nullatenus permittere, aerem inſpiratum in alimentum cedere. Quod alimenti requiſita aer non habeat. Non ſit tangibilis ſcilicet, ſapore careat, nec animatus ſit, nec exanimato deſumptus, & proximà careat potentià ad induendam animam. Sed neque mixtum perfectum ſit, quod neceſſe foret, cum ex ijs nutriamur, ex quibus conſtamus. Et cum *Hippocrates* lib. de *Corde*, alimentum intra corpus retineri velit, aer autem inſpiratus denuo expiretur, hanc ipſi quoque conditionem deeſſe.

Licetusnullo modo vult aerem nutrire poſſe.

Aſt neque ſpiritus etiam ſolos, licet retineretur aer, ab hoc ali pugnat *Licetus*. Si dicas *Galeni* placitum hoc fuiſſe, ſpiritus nutriri & cibari aere, vt in opere de *vſu partium* videre eſt. Reſpondet, *Galenum* communiore nutritionis vocabulo vſum, adeòq. metaphoricè & æquiuocè locutum fuiſſe. Quemadmodum *Virgilius* quoque fecit, dum 1. Æneid. ait.

Quomodo Gal. intelligat ſpiritus aere cibari.

Quem ſi fama virum ſeruat, ſe veſcitur aurâ
Aetherià.

Nam neque aerem poſſe verti in præexiſtentis ſpiritus ſubſtantiam vult, quòd eſſet eos alere, neque in nouos ſpiritus commutari, quod propriè generatio foret, quod fieri tamen poſſe *Galeno* placet, *Liceto* diſplicet. Et quoniam huc perueni, atque *Licetum* meo egregiè fauere paradoxo comperio, quod eſt, ex aere inſpirato gignendis in corde ſpiritibus vitalibus, nullam præberi materiam poſſe: cum hic illud minimè ingrediatur. Operæpretium eſt, philoſophiæ & artis duo culmina noſtræ, *Ariſtotelem*, inquam, & *Hippocratem* ipſum in theatrum producere, & quid ipſis animi de hac re fuerit, ex dicto *Liceto* referre, ac cunctis æqua lance ponderandum proponere.

Licetus fauet authori neganti ex aere ſpiritus fieri.

Hic itaque philoſophus prætendit *Ariſtotelem* cap. 8. de *reſpiratione*, *minimè velle reſpirationem fieri alimenti gratia, quaſi calor internus* (hoc eſt ſpiritus) *alatur aere inſpirato, qui ceu igni ſuccenſo, velut fomes per inſpirationem adijciatur, abſolutaq. nutricatione foras quæ ſuperſunt excrementa per expirationem detrudantur, fictitiumq. eſſe calorem ex aere fieri, quem ex alimento, nimirum ex ſanguine fieri conſpicimus, caloris & ignis interni nomine ſpiritum appellans.*

Probatur hæc ſententia ex Ariſtotele.

Hippocratis autem verba, niſi candidè explicentur, vulgari Medicorum errori ſuppetias adhuc ferre videntur. In libro enim de *Flatibus*, *Animantium*

Probatur ex Hipp. quoque licet hic pri-

ma fronte cõtrarium sentire videatur.

corpora à triplici nutrimento sustentari inquit: *nempe à cibo, potu & spiritu. Spiritũ verò* in corpore animalis contentum appellari flatum, extra corpus dispersum esse aerem, qui maximus sit in omnibus, quæ corpori accidunt, & author & dominus. Accedit ex lib. de Alimento Hipp. adhuc clarior sententia. *Pulmo*, inquit, *contrarium corpori alimentũ trahit, reliqua omnia idem. Principium alimenti spiritus; nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio. Principium alimenti & humidi, & sicci, os, gula, venter. Verùm antiquius & primordiale alimentũ per abdomen vmbilicus.*

Explicãtur Hippocratis loca.

Hucusque ex *Hippocratis* authoritate deduci videtur, spiritus aere inspirato, ceu vero suo pabulo nutriri. Sed quoniam hic eodem opusculo, paulò ante dixerat: *Alimentum non alimentum, si nutrire non potest, nomen est alimentum, non opus: opus & res est alimentum, non nomen.* Obscurioribus his verbis dilucidat magis priora *Licetus*. Duo nimirum apud *Hippocratem* alimenti nomine insigniri. Vnum reuera cum nutriat, alimenti nomine re & opere dignum est: alterum cum verè non alat, solo nomine contentum est, & æquiuocè alimentum appellatur. Hoc ita intelligendum esse asserit. Cum cibus & potus conseruent viuentis substantiam, re ipsa præstant, quod *Aristoteles* ab alimento requirit, & *Hippocrates* opere ac re ipsa alimentum nominat. Et hæc est vera nutricatio. Ad quam cum & hoc requiratur, vt calor contemperetur, ne ipsius æstus subitâ ac vehementi sua operatione consumat humidum, hunc autem æstum aer inspiratus moderetur, qui vt ingreditur, ita egreditur, propterea hic non opere, sed nomine solo alimentum vocatur.

Alimẽtum duplex vnũ re, alterum solo nomine.

Quid intelligatur per cõtrarium alimentũ.

Atque hinc est, quod *Hippocrates* ait, *per pulmonem* (quod etiam per nares, os, guttur, & reliquam respirationem fit) *contrarium corpori alimentum trahit. Non contrarium autem per os, gulam ac ventrem deferri.* Quasi dicere velit, pulmonem attrahere contrarium alimentum, quoniam aer ad contemperationem æstus, qui in spiritibus residet, ductus, contrarius dicitur, quoniam calorem refrigerat: quicquid enim excedentem quamcunque qualitatem remittit, id rectè illi contrarium statuitur. At cibus & potus, cum in substantiã corporis verti debeant, sunt idem ipsum corpus in potentia, quemadmodum sanguis est potentiã caro, licet & ipsi cibi ac potus, antequam concoquantur, actu corpori dissimilia dicantur. Tamen siue concocti, siue non concocti, merentur veri alimenti nomen, quod re ipsa tale esse possint. Si enim aer quoque in spiritus ex *Hippocratis* sententia commutari valuisset, non illum vtique contrarium alimentum dixisset, esset enim is potestate spiritus vitales, qui corpori nequaquam sunt contrarij, sed ad eiusdem constitutionem pertinent. Quare æquiuocè tantum erit alimentum, quo sensu, alio loco, Hippocrates, vbi de principijs videlicet, dixerat, *Alimentum calidi frigidum est.*

Cibus & potus re ipsa, aer tantũ nomine, & contrarium alimetũ dicitur.

Authori Liceti explicatio placet.

Audax authoris pronunciatum nec aerẽ in aquam, nec hanc in aerem verti.

Ego hanc *Liceti* ingeniosam explanationem non modò non repudio, sed ambabus etiam vlnis amplexor. Et tantum abesse autumo, vt aer inspiratus vel in spiritus, vel in animalis vllam corporis particulam conuerti valeat, vt quasi pronunciare ausim, *nullo vnquam tempore vllam aeris atomum, vel in aquam, vel in ignem, vel vice versa aquam in aerem* (quod strenuè tamen à plerisque philosophorum, Peripateticorum præcipuè scholis, propugnatur) *commutatam fuisse.* Possem clarissima ad placitum hoc meum παραδοξότερον corroborandum, argumenta,

menta, & saltem non demonstrationes producere. Verum hoc alio à me loco fiet, factumq. iam est in vna ex meis prælectionibus, quas tempore studiorum renouationis, in hoc nostro *Athenæo Romano* quotannis, præmittere in publico doctissimorum consessu, & Illustrissimorum corona virorum, eram solitus.

Placiti huius aliqua probatio.

Hoc interim, ne prorsus nihil dicam, æquus sibi lector persuadeat. Quod si vllus exstaret aerem in aquam cõuertendi modus, is dubio procul esset summa aeris compressio. Nam veluti, si ita aer rarefiat, vt amplius sub forma aeris consistere nequeat, ignis efficitur, quemadmodum contingere aiunt illi, si aer exempli gratia, inter silicem ac chalybem interceptus subtilissimè attenuetur, & ignis euadat: sic vbi adeò compingitur, adigitur, cõstringitur, & incrassatur, atque in locum quendam, vbi exitum nullum inueniat, arctissimè compellitur, aer esse desinet, & aqua fiet. Id quod existimo in nubibus, ex mente ipsorum, vsuuenire, quando aerem in aquam densatum guttatim decidere credunt.

Vincentius Vincẽtij Vrbinas, nouo ausu nobis bõbardam pneumaticã confecit Romæ anno 1617.

Atqui *Vincentius Vincentij Vrbinas*, quo ego familiarissimè vtor, subtili ingenij sui speculatione, & dexterrimà manuum operatione nouo planè ausu, ante hos quinque menses, in hac ipsa *Vrbe Roma* inuenit, qua ratione *Bombardam manuariam* fabricaret, quæ globulum ex argilla durissimum, aut glandem etiam plumbeam, ea celeritate, impetu & violentià expelleret, illaq. ferme omnia præstaret, absque vllo igne & puluere fulminali, sed solà aeris dynami & agitatione, quæ præstare est solita vsitatissima nobis *bombarda* fulminea & igniuoma dicta. Atque hoc inquam, mero fit aeris in illam cõpulsu, adactione, & vt credere par est, constrictione violentissima, quem ibi ad vigintiquatuor pluresue horas detinere, secumq. hinc inde deferre, & ad libitũ postea, data aeri viâ, glandes illas explodere, atq; ad scopum quam directissimè collineare solet. Res, quæ doctos, indoctos, magnates æquè ac idiotas ita in admirationẽ rapuit, vt cateruatim ad ædes ipsius quotidiè peruolent hoc artis miraculũ spectaturi.

In hanc cõpellitur maximè aer qui in aquã nunquam abit.

Plurimi hoc artis miraculum visum eũt.

Ioan. Bapt. Porta Lynceus aliquibus creditur primus inuentor.

Sunt verò multi, qui primum inuentum & excogitatum instrumentum tribuunt, & meritò, *Io. Baptistæ Portæ Lynceo*, quod etiam suæ Nat. Magiæ 19 libro non segniter legenti clarissimè patet. Et iamdiu retulit mihi Illustriss. *Princeps Cæsius* noster (qui apud hunc eundem *Portam* antequam penè ætatis crepundia reliquisset, auspicatus est seueriorum scientiarum primordia) cui tum adolescentulo Auditori suo dictus *Porta* significauit, se inuenisse & exposuisse *lib.* suæ *Taumatologiæ* modum conficiendi non solùm Sclopetũ pneumaticũ, sed & alia similia sine aeris aut ignis auxilio. Ita mirabilia inuenta huius in omni scientiarum genere excellentissimi Viri, velut superiùs quoque cum *Telescopio* accidisse commemoraui, à posteris fideliter praxi commissa suum effectũ quotidie cõsequuntur; Vt vt ea initio multis visa hyperbolica, ac velut à tumultuario philosophantis enthusiasmo profecta, impossibilia iudicata fuerint.

Vocatur ab authore bõbarda pneumatica.

Nunquam aer in hac conclusus, in aquam abijt.

Atqui nunquam compertum fuit, inclusum hic aerem in aquam resolutum fuisse. quin hoc diligenter est annotatum, quotiescunque in loco humido, vel subterraneo, vel vbi fontes & stagnantium aquarum essent receptacula, aere bombarda solo sine glandibus impleretur, & manus foramini, vnde erumpere in explosione ille aer solet, opponeretur, volam manus paulisper quod mihi quoque contigit, madefactam fuisse. Vbi autem eadem bombarda aere in-

aperto loco, aut ſolaribus illuſtrato radijs, vaporibusq. ob id minùs ſcatente, oneraretur, humiditatem illam minimè poſt viginti etiam quatuor horas animaduerſam eſſe. Quo ſpatio & ampliore paululum præterlapſo, non ampliùs effectum aer ille incluſus, in extrudendis adeò fortiter globulis præſtare ſolet: non quòd in aquam is abierit, ſed quòd per poros forſan etiam orichalci, ex quo *ſclopetum* hoc totum eſt confectum (eſt enim *aer Plinio* teſte, *per cuncta rerũ permeabilis*) & per occulta commiſſurarum ſpiracula expirauerit. Amplius quid dicam, hic artifex in fontes quoſdam portatiles, vi, aeris maximam copiam impellit, & ſex ac octo dierum ſpatio ibi detinet, cui vbi laxamenta data fuerint, mirùm, quo impetu aquam is eiaculetur, ſed quod hic interea in aquam abeat, nec vilum, nec auditum eſt vnquam.

Expirat ſuo ceſſu tẽporis hic aer.

Detinetur tamen inte ger per octo dies in fontibus artificioſis.

Eſt autem pars, ac veluti ciſtula illius bombardæ, in quam aer quaſi per ſiphonem compellitur, longa duodecim tranſuerſos digitos, & lata quatuor, quę eandem duodecies multiplicatam per impulſum, portionem aeris recipit, cuius ſimpliciter, per ſe, & naturaliter capax eſt. Non arbitror profectò, in vlla aeris regione, in arctum magis locum, & compreſsiùs aerem compingi poſſe, quando ex hoc pluuias generari aiunt,

Hæc bombarda recipit duodecies plus aeris, quã naturaliter eſt capax.

Nunquã cũ pluuię fiũt, ita arcte aer cõſtringi videtur.

Cum ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſisq. nigerrimus auſtris,

vt poeta Latinus loquitur, cum aeris regio ſit fluida, & mollis vt ita dicam, nec parietes habeat aut ligneos, aut lapideos, multò minus metallicos, quibus tàm duriter aer, veluti in carcere quodam denſatus concludatur. Neque hic frigus in aeris regione exiſtens, mihi obijcias, quod ad aeris condenſationem & aquæ generationem plurimùm iuuet. Noſtra bombarda in media & cruditſſima hyeme eundem effectum præſtitit, quem iam in æſtate experimur. Et videmus in Chymicorum ergaſterijs, ſæpiſsimè *Capellum* vt ipſi barbarè vocãt rei diſtillandæ ſuperpoſitum calidiſsimum, vt ne contingere quidem manibus abſque harum læſione illud valeas, & tamen quod ex re ſubiacente, in forma vel aeris, vel vaporis aſcendit, vbi eò pertigerit, condenſari probè & per roſtrum in aquæ forma delabi conſpicimus.

Frigus non eſt præcipua cauſa vt ex aere fiat aqua.

Harum vna bombardarum potentiſſ. *Hiſpaniarum Regi*, alia *Poloniæ Regi* fuit hinc tranſmiſſa. Curaui & ego vnam fabricari pro Sereniſſ. *Leopoldo Archiduce Auſtriæ* Principe magnificentiſsimo, & benefactore meo munificentiſsimo, ſubiectiſſimè ſemper à me colendo.

Pauęq hactenus huiuſmodi bombardæ cõſtructæ & pro quibus præcipuè.

Atque hæc alio fine à me adducta non fuerunt, quàm vt partim indè hoc paradoxon meum, *nec aerem in aquam, nec hanc in illam verti*, probarem: partim artificis huius amici mei nomen immortalibus, ſi fieri à me poſſet, chartis conſignarem.

Cur hactenus author de hac bõbarda egerit.

Nunc ad colores quoque eſſet tranſeundum, in quos *Vertumni* inſtar ſe mutat varimodos hæc beſtiola, vt inde prouerbio hominem verſipellem & varium ſi notare velimus, dicamus *Chamæleonte mutabiliorem* eſſe. Et *Tertullianus* libello *de Pallio* ſcripſit, propriè *Chamæleonti* datum eſſe, quod vulgo fertur, *de ſuo corio ludere*, hoc enim animalculum, ſi *Polypum* & *Tarandum* excipias, penè ſolum in ſua pelle, dum variè coloratur, egregium hominibus luſum exhibet.

Reddenda cauſa eſſet variationis colorũ, ſed hoc difficillimum eſt axioma.

Verùm,

Verùm, si vllo in axiomate physico & mathematico inscitiam meam professus vnquam fui (ego enim quàm pauca sciam, multaq. me fugiant, & plurimos socios habeam, qui multum tamen sibi sapere videntur, iam toties inculcaui) in hoc, illam quæ de coloribus est, audacter omnibus denuncio. Noui equidem, si quæ à philosophis circumferuntur, sub *rationis incudem* reuocentur, & *experimentorum malleis* probè contundantur, haud diu subsistere posse. Si præcipuè à quatuor in mixtis persistentibus elementis dictis, (quorum cuilibet, sui quilibet colores attribuuntur) hos eosdem venari voluerint.

Fatetur author spõte ignorantiã suã, & plurimos habet socios.

Solus *Mercurius*, & *plumbum* solum, pro diuersa tantùm digestione, coctione & alia quauis chymica elaboratione, quàm varios quæso & elegantes sortiuntur colores? *Plumbum* vstum enim modò virescit, modò flauescit, modò citrinum, rutilum, & cineritium euadit, idq. ex sola sæpissimè contusione contingit. Ita vt persuasissimum haberes, toties iam formas suas vtrumque innouasse, quoties faciem & vestitum externum ceu laruas quasdam singulares, in totidem coloribus mutarunt, & in idem tamen *plumbum* sine qualitatum, nedum substantiæ noxa, & in eundem *Mercurium* seu argentum viuum, quod magis quàm *Chamæleon*

Argent. viuum & plũbum coloresmaximè mutant.

Omnia transformat sese in miracula rerum

pauxillo artis auxilio, imò sua sponte postliminio reuertuntur.

Mercurius inter metalla miraculum.

Aristoteles noster 2. de Hist. an. cap. 11. *Mutat suum colorem Chamæleo*, inquit, *inflatus*. Et 4. de part. anim. cap. 11. ad metum hanc colorum variationem refert. *Est*, ait, *omnium ouiparorum p. destrium tenuissimus Chamæleo: quippe qui omnium maximè inopia sanguinis rigeat. Causa ad mores animæ eius referenda est, quæ nimio namq. metu multiformis efficitur, metus enim refrigeratio per inopiã sanguinis, calorisq. est*. Ast hìc *Arist.* dissona sibi docere videtur, cum supra per *inflationem*, hìc per *constrictionem*, colorum variationem effici scripserit. In metu enim animalium habitus non intumescit, sed comprimitur.

Aristot. sibi contradicere videtur in variatione colorũ in Chamæleonte.

Plutarchus hoc dilucidissimè argumentum, quomodo per contractionem nempe cutis, & non eius eleuationem id fiat, in *Quæstionibus* suis *naturalibus* explicat, quem philosophantem audire operæpretium fuerit. Quærit ibi, *cur polypus* (quod quæsitum æquè ad *Chamæleontem* transferri debet) *colorem variet? Vtrum*, inquit, *vt Theophrasti opinio fuit, quod animal natura meticulosum sit? Ergo vbi perculsus est, vnà cum spiritu conuerso, vertat hominis more colorem. Hinc in prouerbio est, vertitur ignaui color*. Sed non satis esse, addit, variati coloris causam indagasse, quærendum restare, cur similem exprimat ei rei, cui se applicat. Vt si *Polypus* videlicet illius saxi marini colorem repræsentet, cui proximus adstat. Vnde *Theognis*,

Plutarchi philosophia in hac varietate colorum.

Polypodis mentem cape versicoloris, adæquat
Qui corium petræ, cui sese adiunxerit omni.

Videturres quælibet effluuia pati.

Quare altiùs *Plutarchus* penetrat, & ita ex mente *Empedoclis* speculatur,

Effluuium noscens res natas mittere cunctas.

Non enim, ait, *ex animantibus modò & plantis, & terra & mari multa assiduè effluunt, sed & ex saxis, ære, & ferro. Intereunt enim cuncta, & exolescunt, quod perpetuò resoluatur ex eis aliquid, & pereat continenter*. Vult igitur à petris marinis (vt has

nunc

nunc in exemplum ducat) ramenta, & fragmina minuta frequentia decidi cõtinuò, quæ alijs, atque alijs infecta coloribus, non cuilibet corpori, sed determinatis quibusdam adhæreſcant. Nam quæ animalia ſpiramenta habent admodum adſtricta, ab his dilabuntur, quæ admodũ ſpongioſa, per hæc effluunt & perlabuntur. *Polypi autem caro*, ait, *eſt aſpectu fiſtuloſa & fungoſa & effluuijs patens. Quoties iam in trepidatione eſt, ſpiritu varians & profugiens, ex timore conſtringit corpus, contrahitque: vt capiat & retineat rerum, quibus adiunxit ſe, in facie corporis effluuia. Huiuſce cauſæ indicium eſt magnum, quod non omnia quibus ſe applicat, referat, neque colorem Chamæleon albus: ſed ſola vterque, quorum effluuijs reſpondentia habet ſpiramenta.*

Plerique antiquorũ tribuũt variationem colorum in chamæleõte ipſi metui.

Cui hæc arridet philoſophia, is eam per me acceptet licebit. *Plinius Ariſtoteli & Plutarcho* de timiditate ſubſcribit, cum dicat *nullum animal pauidius, & ideo verſicoloris mutationis eſſe*. In hoc cenſu eſt *Solinus* quoque, qui cap. 32. *Tarandum, Polypum & Chamæleontem vertere metu habitum*, ſcribit. Sed in his poſtremis duobus, aliam adhuc cauſam addit, quæ ipſi hæc, mihi nulla eſt. *Faciunt hoc idem in mari*, ait, *Polypi, in terra Chamæleontes* (ſcilicet colorem variant) *Sed & Polypus & Chamæleon glabra ſunt, & pronius eſt cutis læuitate, ſpeculi modo proximantia æmulari.* Et mox ſui oblitus tamen cap. 42. non læue, ſed aſperum, quale reuera potius eſt, in *Chamæleonte* coriũ agnoſcit. *Corpus in Chamæleonte*, ait, *aſperum eſt, cutem qualẽ in Crocodilis deprehendimus.* Aſt in Crocodilis maioribus, tuberculis vndique prona pars corporis maximè exaſperatur. Quamuis nec hoc vſquequaque verum ſit, in minimis Crocodilis etiam, cum ego paruulum admodum habeam, qui ſemiſpithamà ſaltem *Chamæleontis* longitudinem ſuperat, eſtq. certè vtriuſque corij ſumma differentia, cum eminentias illius & protuberationes, quæ in hoc ſunt, in Chamæleonte nequaquam videas, vt qui abſque his aſperam cutem nactus eſt.

Solinus ſibi cõtradicit.

Quæ differẽtia ſit inter cutem Crocodili & Chamæleontis.

Aliam ſibi cauſam Geſnerus excogitauit. *Ego tenuiſſimam*, ait, *cutem (qualem eſſe in ſceleto animaduerti) inſtar tenuis laminæ corneæ colores facilè reddere puto, præſertim, cum neque ſanguis impediat, neque viſcera admodum, cùm ſolus ferè pulmo manifeſtus in eo ſit.* Sit fides penes authorem. Ego tamen in duobus mortuis & exiccatis *Chamæleontibus*, hanc pellis tranſparentiam vt vt probè illam indagauerim, videre non potui. Quorum vnum planè integrum habet in phyſica ſua ſupellectili, ſæpe laudatus *Princeps Cæſius* noſter: alterum ſed caudà mutilum adſeruat Eques *Franciſcus Gualdi Ariminenſis* in Muſæo ſuo, varijs Antiquitatum reliquijs, numiſmatis, & curioſis induſtriæ artis operibus inſtructo. In vtroque aſperitatem quandam exiguam, & cineritium colorem reperies, non palleſcentem, vt *Ariſtoteles* in mortuis deſignabat.

Alia variationis colorum cauſa.

Franciſci Gualdi Muſæum.

Miratus tamen non parum fui, dum ventrem adhuc tumidum, à tot poſt mortem annis, vidi & contrectaui, quando viſcera ibi reperiri ſolita hoc minus efficere queant, cum *hepar* non admodum magnum habeat, & vt aliqui volunt, *liene* careat, vel puſillum valde obtineat, & *vnico intestino recto* potius, quàm in gyros reflexo conſtet, quæ res me cogit ferme, vt *pulmones* in ventre inferiore ipſi aſſignem.

Ratio aliqua, cur in ventre pulmones ſint.

Videtur & *Seneca* in *Quæſtionum ſuarum natural.* lib. 1. *Ariſtotelis* ac *Plinij* ſenten-

ſententiam ratam habere. Agit autem ibi aduerſus eos, qui nubes tanquam ſpecula ſe habere, in arcu cæleſti aſſerebant. Colorem igitur ab illis tantum recipi, & non imagines, quod erat ſpeculorum proprium, affirmat: id quod etiam fieri ait in ceruice *pauonum*, & quando

Senecæ de coloris mutatione ratio.

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata Columbæ.

Nunquid ergo dicemus, ait, *ſpecula eiuſmodi plumas, quarum omnis inclinatio in colores nouos tranſit? Non minùs nubes diuerſam ſpeculis naturam habent, quàm aues, quas retuli, & Chamæleontes, & reliqua animalia, quorum color aut ex ipſis mutatur, cùm irà aut cupidine accensà cutem ſuam variant humore ſuffuſo, aut poſitione lucis, quam prout rectam vel obliquam ſuſceperint, ita colorantur.* Atque hæc de coloribus ſatis ſunto, quos enim nos in noſtro viuente animali, alij in ſuis quondam reperierint, abundè dictum eſt. Differunt igitur, vt credi poteſt, hæ beſtiolæ inter ſe, & colore & aliquo etiam corporis habitu; cum noſtro *Mexicano Chamæleonti cauda* nec ita longa ſit, nec in ſui extremitate in ſpiram conuoluta, vt *Aphricani* præ ſe ferunt.

Hactenus de colore.

Hunc denique impigro *Ariſtotelis* mei ſectatori nodum proponendum, & diſſoluendum duxi. Cum itaque is lib. 1. cap. 4. de *Generat. animalium*, probare cogitaret, ad generationem non eſſe neceſſarios *teſtes*, quòd *ſerpentes* & *piſces* his careant, & tamen coeant, & copioſum ac prolificum ſemen emittant. *Vtq. in ratione cibi*, ait, *voraciora, auidioraq. ſunt, quibus inteſtinum rectum*: (non conuolutum nimirum) *ſic ea quæ teſtibus carent, meatusq. tantùm habent, aut non carent, ſed intus habent; omnia propenſiora, celerioraq. ad venerem ſunt.* Hæc confirmata ſunt 3. *de part. animal.* cap. 14. cum ait: *Cetera etiam omnia, quibus inteſtina ſunt recta, ciborum auida ſunt, cum enim cibus celeriter egeratur, proindeq. breuis vſus fruendi ſit, breui repetant cibum auida neceſſe eſt.* Hæc eodem capite paulò infra adhuc magis explicat cum dicit. *Quæ igitur animalia continentiora eſſe ad cibi deſiderium conuenit, hæc ſua in aluo laxiores ſinus non habent, ſed anfractus, orbesq. plures continent, nec recto inteſtino vtuntur. Laxitas enim inteſtini auiditatem auget cibi, rectitudo accelerat auiditatem. Quamobrem animalia quæ vel ſimplex habent inteſtinum, vel conceptacula ampla, cibum aut copioſum capiunt, aut celeriùs repetunt.*

Scrupulus de inteſtinis chamæleontis ex ſcriptis Ariſtot. natus.

Hæc ſi vera ſunt *Ariſtotelis* dogmata, & *Chamæleo* noſter, vt ex anatome ipſius ad nos perlatum eſt, inteſtinum rectum & vnicum obtinuit, næ ille non colorem ſolummodo ſuum, ſed naturam prorſus omnem & eſſentiæ proprietates mutàbit, hoc eſt vel *Leo*, vel *Lupus* potius euadet, voraciſſima & auidiſſima beſtia ab *Ouidio* depicta.

Oblitus & ſpumis & craſſo ſanguine rictus,
Fulmineus rubrà ſuffuſus lumina flammà,

Si Chamæleon habet vnicum inteſtinum & rectũ, erit voraciſſima beſtia ex Ariſtot. dogmate.

Lupo enim, ob voracitatem vnicum ſaltem à *ſtomacho* ad podicem, illudq. rectum vulgus tribuit inteſtinum. Et *Plinius* lib. 11. cap. 37. ita in *Lupo ceruario* eſſe voluit, *Inſatiabilia animalium*, inquit, *quibus à ventre protinus recto inteſtino tranſeunt cibi, vt Lupis ceruarijs & inter aues Mergis.* Quod ſupra ego in *Lupo* meo *Mexicano* ad oculum falſum eſſe demonſtraui. *Leonem* autem imitabitur, cum & hic ex *Ariſtotele* lib. 8. de Hiſt. animal. *Cibo incontinenter admodum*

vtatur,

vtatur, multaq. deuoret solida sine vllo dissectu. Verum in hoc non imitabitur, quod *Leo* postea biduo aut triduo inediam ferre potest. Quia nimirum ventrem priùs vltra satietatem etiam inferciuit, & quia intestina eius gyris conuoluuntur, in quibus diutiùs alimenta moram facere consueuerunt.

Cur chamæleo hæc bestiola vocetur.

An igitur animalculum hoc *Chamæleo* veteribus nostris non iusta absque ratione aliqua dictus fuit, quasi paruus, pumilus & *humilis leo*. Veluti herbas quasdam *chamæcyparissum, chamædryn*, & *chamæpityn* dicimus, ab arboribus, quas vel foliis, vel odore æmulantur, à *Cypariſſo*, *Quercu* & *Pinu*. Volunt autem sic appellatum aliqui *paruum leonem*, quod *capite leonem* æmuletur, quod tamen *Aristoteli* haud placuerit, cum dicat huius *rostrum esse simiæ porcariæ simillimum*. Alij vt Gesnerus, à cauda deriuant nomen. *Cauda sanè animalis huius leonis alcæam*, ait, *quodammodo repræsentat*. *Liceto* magis placet ita dictum à rapina & venatione, quam in alia animalcula exercet. Annotat enim ex alijs *Dalechampius* in cap. 34. lib. 8. *Plinij*, Quamuis famem multos *Chamæleo* menses toleret, linguâ tamen sesquipalmum minorẽ longè exertâ, ac vibratâ, mucoq. oblitâ, *locustas, formicas, muscas, scarabæos* & alia insecta, quibus vescitur, eum corripere, retinere, & ad se adducere. Hæc siquis Aristoteli aliquo modo suffragari posse crediderit, me minimè repugnantem, vt communis Præceptoris semper dicta & facta tueri valeam, habebit.

Alij à capite, alij à cauda, alij à rapina dixerunt paruum leonẽ.

Scrupuli suppositi aliqua solutio.

Et tamen adeò Plinij aliorumq. opinio, qui solo aere victitare *Chamæleontes* sibi persuaserunt, præualuit, vt qui nunc etiam diligentissimè orientalium nationum, & animalium mores descripserunt, & loca eadem ipsa adierunt, ab ea dimoueri nondum potuerint. Notat *Pigafetta* in *Regni Congiani* descriptione, & quidem in *Bamba*, quæ ex eiusdem regni sex prouincijs principalior est, ibi reperiri *Chamæleontes* quoque, qui habitent in altissimarum rupium cacuminibus. Non autem nutriri vt reliqua animalia herbis, aut alijs fructibus è terra nascentibus, sed solo aere sustentari.

Adhuc recentiores non desunt qui hoc animal solo aere viuere putant.

Lintschotanus quoque, in quarta *Indiæ orientalis* parte cap. 1. hæc habet: *Chamæleonum, quos solo aere victitare famâ fertur, ibi numerus frequens est, qui tamen innocui, & nullis infesti oberrant*. Miror magis *Bernardinum Paludanum* in annotationibus suis ad hunc locum, hæc adiunxisse. *Solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aeris & roris vapidi alimento vtitur*. Adeò difficile est, magnis quoque viris, qui iurarunt in verba magistrorum, veteribus inmanifesta etiam re falsis obloqui, vt hoc tentantes aduersus quodammodo stimulum calcitrare sibi videantur. Et *Paludanum* fugisse, quòd *Chamæleontes muscas* saltem venarentur, easq. deuorarent, vix credideram, virum in animalium & plantarum historia versatissimum, quique apud *Enkhusanos* suos, animalium, aliarumq. rerum omnium *Indicarum*, tam *orientalium* quàm *occidentalium*, penum habuit instructissimam: quorum omnium catalogum ad Illustriss. *Cardinalem Barberinum*, transmissum nuper cum voluptate perlegi.

Alij scriptores credentes Chamæleontẽ vel ex aere solo viuere, vel ex vapido etiam rore.

Vel ex solaribusque radijs.

Ioannes Leo præterea, in 9. sua *Aphricæ* parte, etiam ex *radijs solaribus* nutriri hoc animal scripsit. Ex hoc scriptore *Scaliger* in fine Exercitationis suæ centesimæ nonagesimæ sextæ, quæ habet, & quomodo præcipue *Chamæleon* ex ore, filo saliuæ transmisso in caput venenati serpentis, hunc occidat,

omnia

omnia transcripsit. Qui amplius quid de hoc nosse cupit, Tomum primum nauigationum *Ramusij* adeat, & Relationem *Andreæ Corsali Florentini* consulat, in qua *Sucotram* Insulam & *Chamæleontem* bene describit, deq. coloris variatione suo modo argumentatur.

Chamæleo hactenus descriptus est paruus leo metaphoricus.

Hucusque *paruum leonem* metaphoricum dedimus, quòd ob exiguam nempe similitudinem aliquam, ita *Chamæleo* vocatus fuerit, nunc verum autem *paruum leonem* describemus, quem longè magis *Chamæleonis* nomen mereri comperiemus. Huius, vti & plurium aliorum animalium, atque plantarum Americanarum (quæ singula aliquando publici iuris faciam) descriptiones mihi lubens communicauit Reuerendus admodum P. Fr. *Bartholomæus dela Ygarza Hispanus*, ex Ordine *S. Dominici*, qui septennis in *Americam* delatus, ibi quadraginta annis ad montem illum argentiferum, toto terrarum orbe celeberrimum, & metalli huius fertilissimum, *Potosi* dictum, vixit, & operationum metallicarum exquisitissimam habet peritiam, cuius doctissimis colloquijs anno proximè elapso aliquot etiam mensibus, recreatus fui. Sunt autem hæc F. Bartholomæi verba.

F. Bartholomæus de Ygarza verum nobis paruũ leonem Americanũ descripsit.

Verba Fr. Bartholomæi.

In montibus del *Cuzco* quædam species est *leonum paruulorum*. Quidam enim albi sunt & nigri, alij vero rubei, varijsq. distincti coloribus. Verùm tamen in omnibus sunt *leones* veriſſimi, coronam in capite gestant, iubàq. è collo pendente decorantur. Vnguibus paruulis leoninis acuminatis sunt præditi. Ad iram non aliter, atque si magni essent *leones*, se quoque componunt & efferantur. Generantur verò tantum in huiusmodi partibus, quæ montuosissimæ quidem sunt, sed in extremo tamen quasi gradu calidæ & humidæ. In quibus hac de causa omne genus arborum, & animalium nociuorum, ac venenosorum procreatur. In hisq. tantummodo partibus del *Cuzco* istiusmodi leonuli, (vt sic dicam) reperiuntur, quos ego meis quoque oculis vidi. Tantopere hi ibi æstimantur & amantur, vt mulieres nobiles in pectore vel manicis eos deferant, quia frigoris inclementiam pertimescunt, quod vbi aliquo in excessu sentiunt, moriuntur. Qua de causa vsque ad Ciuitatem *de Lima*, quæ distat ab illa de *Cuzco* centum & quinquaginta leucis, deferri necdum potuerunt, propter loca frigidissima, per quæ necessariò iter est habendum. Hinc factum est, quòd ad manus *Regis* peruenire hactenus non potuerint, qui sanè dignissimi essent, vt Regiæ suæ Maiestati præsentarentur.

In Cuzco reperiũtur pusilli admodũ leones.

Gaudẽt humiois & calidis locis montuosis.

Frigore perculsi facilè moriuntur.

Hucusque F. Bartholomæus.

Atque sic Deo gratiam suam conferente, optatum *Chamæleontis* etiam historiæ finem imposui. Hic Colophonis loco, de remedijs ex hoc desumptis aliquid annectere tempus moneret: sed dehortantur me & experimentorum ab ipso sumptorum defectus, & Græcæ vanitatis mendacia pro veris remedijs credita, quæ *Plinius* lib. 28. cap. omnia recensuit, vt ipse & lectores indè voluptatem potius, quàm vtilitatem caperent. Quis enim tam bardus est, vt credat Chamæleontis ipsius iecur combustũ imbres & tonitrua ciere? Linguam viuenti exemptam ad vincendas lites, cor verò alligatum ad quartanas pollere? Dextram maxillam (quam scilicet non habet) contra formidines & pauores valere? Sed hæc, & alia, Lector abundè legit apud Plinium.

Finis historiæ de Chamæleonte. Cur de remedijs ex hoc deprõptis nihil dicamus.

Vanissima & risu digna sunt, quæ Græci pro remedijs vẽditarunt.

TECHI-

TECHICHICOTL.

Stellio Nouæ Hiſpaniæ.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

EX Lacertorum genere quin ſit hoc animal nulli ignotum eſſe poteſt figuram hanc intuenti. A maxilla inferiore per totum ventrem inferiorem cærulei diluti valdè eſt coloris, qui in parte crurum interna quoque emicat. A roſtro ſuperiore per tergum ad radicem caudæ, cum externa crurum parte, color viridis ſaturatior, cum maculis vtrobique plurimis cæruleis ſe pulchrè manifeſtat. Totum corpus eſt ſquamoſum. Squamæ porrò ſunt diuerſorum iam aſſignatorum quoque colorum. Pedes (qui in digitos quinque finduntur) diluti virides. Cauda cum rubro luteſcit, quæ eandem cum toto corpore, excepto capite, dimenſionem habet, & non paucis ex viridi ſaturatiore colore maculis ornatur. Oculus oblongus eſt, vt in lacerta, quod in alijs album, hìc cæruleum apparet albumen. Pupilla nigra, & orbita lutea eſt.

SCHOLIA EIVSDEM.

Author petit veniam ſi forſan nõ commodè ſatis hæc animalia latinis nominibus donet.

HIc iterum quod initio horum quoque commentariorum feci, à beneuolo lectore meo, æquioris animi ſui aura mihi imploranda eſt. Vt, ſi forſan in aſſignandis animalium *Mexicanorum* latinis nominibus hæſitem, id, quòd ignarus ſim idiomatis *Mexicani* potius, quàm vt oſcitantiæ meæ, tribuat, rogitem.

Videtur aliquo modo Yguanæ quadrare, quã P. Petrus de Aloayſa deſcripſit.

Et cum lacerta hæc ſit, atque venuſto ſmaragdino ſimul colore decoretur, & ſimilis in *Yguana* eniteſcat, dubitaui primùm, an non huius nomine inſignienda foret. Huius autem *Yguanæ* deſcriptionem exactam & hiſtoriam cum mihi iam ſupra laudatus quoque *F. Petrus de Aloayſa Americanus Limanus* reliquiſſet, ſubnectere huc eam placuit. Non ſum tamen neſcius *Carolum Cluſium*

quoque

quoque in *Exoticis* ſuis hoc ipſum animal ex *Ouiedo* totidem latinis nobis verbis deſcripſiſſe, & ex ſuis aliqua quoque addidiſſe. Veruntamen, quia noſtra hiſtoria vel cum illis variat, vel plura & minimè ignoranda continet, hanc neutiquam intactam relinquam, quæ ſic habet.

Yguana lacertæ figurà animal eſt aquatile & terreſtre, quod in *Regno Mexicano*, & præſertim in *Terra Firma* de *Panama*, in magna quantitate reperitur. & in illis regionibus huiuſmodi animalis carnibus (quia dicunt piſcem eſſe) diebus prorſus omnibus veſci licet, etiam in *Quadrageſimali ieiunio*. Generat hoc in ventre ſuo copioſam ouorum multitudinem, quorum aliqua *pipionum* ouis ſunt maiora, & aliqua minora, egregij ſaporis, ſicuti ſunt oua *gallinarum*.

F. Petri ab Aloayſa verba.

Huius animalis carnes ſapidiſſimæ etiam in Quadrageſima eſitantur.

Hoc animal ex fructibus & herbis terræ ſe ſuſtentat, curſuiq. aptum, velox ac pernix eſt, ſed magis in aſcendendo arbores valet. Eſt coloris *viridis*, & ſub gutture ingluuiem ac veluti ſtrumã habet, longa ipſi ac pinguis eſt cauda, in cuius fine ſeu acumine inuenire licet lapides *Bezoares*, ſed hi non ita ſunt albi, nec ita duri, vt in alijs animalibus *Bezoar* generantibus. Admirabilem hi vrinæ vitijs medelam præſtant. Calculos renum & veſicæ lapides exterminant, viſcoſumq. in vrinarum meatibus contentum, & harum exitum retardantem humorem diſſoluunt.

Veſcitur herbis & fructibus.

Gerit lapides Bezoar in cauda, qui mirè præſtant in affectibus vrinæ.

Eſt hæc præterea animalis huius proprietas. Cum capitur, viginti etiam dierum ſpatio vix quicquam comedit, etiamſi ei cibus præbeatur. Contriſtatur tunc temporis maximè, & tamen licet neque bibat nec manducet, non moritur, quia (vt communis fert opinio) proprijs ſuis viſceribus alitur, vitamq. propagat, hoc eſt ſuo ipſius *hepate*. Et ideo tam diu hoc aiunt viuere, quamdiu *hepar* perdurat, & euidenti comprobatum experientia eſſe, quod aliqua horum animalium, poſt occiſionem ſine hepate reperta fuerint, alia dimidia ſaltem habuerint, & alijs plus alijs minùs, ex eodem relictum fuerit, prout plures, paucioresq. dies à tempore capturæ eorum præterierint.

Hoc animal caprũ diu à cibo abſtinet.

Aiunt ſuo hepate tũc viuere.

Lapis Bezoar iſtius animalis, quem dixi vtilem eſſe ad vrinam, & ad tollendos lapides de renibus, aliasq. viſcoſitates, quæ in his partibus procreantur, diſſoluitur in vino, & melius in aqua quæ vocatur de *Azahar*, & cum eſt ieiunus infirmus, bibit eam, & ſtatim ſanus euadit. Ego non paucos habui ex iſtis lapidibus, ſunt aliqui parui ſicut *Auellanæ*, alij magni veluti *oua columbæ*, & omnes tam parui quàm magni albi ſunt coloris, qui facili negotio diſſoluuntur in aqua, & incolæ colligunt quamplurimos lapides paruos iſtius animalis, & ex ijs factà maſsà componunt lapidem magnum *Bezoar*, quem adſeruant, profuturum huiuſmodi malis, ceu indubitatam medelam. Vidi meis oculis huius medicinæ efficaciam, nam plurimi accipientes eam, ſanati fuerunt.

Hi lapides in vino præcipuè diſſoluuntur.

Atque hæc *F. Petrus de Aloayſa*, qui *Yguanæ* ſuæ viridem adſcribit colorem, qualis noſtræ huic præſenti eſt *lacertæ*. *Scaliger* tamen, nigrum corium *Yguanæ* aſſignat, aut maculis interſtinctum, & *Higoanam* appellat, malè *Hyuanam* ab aliquibus vocari innuens. *Sub terra latet is*, inquit, *lacertus qui niger eſt, aliorum more lacertorum. Eſt capite criſtato, ſerrato dorſo, ad criſtam vſque. Pro delicatiſſimo cibo, venalis eſt in mercatibus. Carolus Cluſius* lib. 5. *Exoticorum*, poſt *lacertum Indicum*, & *lacertum peregrinum* alium, etiam *Yguanam* (quam ipſe tamen

Scaliger & Cluſius nõ viridẽ ſed nigrum, fuſcum, & cineritiũ colorẽ Yguanæ tribuũt.

Yuanam nominat) & verbis & icone repræsentat. *Tota cutis*, ait, *partim cinerei, partim fusci coloris, veluti squamis tecta, in dorso quidem cruribus & caudæ initio maioribus, in ventre autem minoribus* &c. Ceterum serratum & dorsum, & caudâ depingit. Cui palearia sub mento, siue ingluuies ad pectus quoque propendet. Ex quibus allatis notis adducor, vt nostrum hunc quem præ manibus habemus *lacertum*, vix affirmare audeam *Yuanam* esse. Magis adhuc cum *Clusij* pictura conuenit illud hoc opere *Mexicano* à *Recchio* descriptum animal, & formâ suâ, cum serrato dorso in tabella exhibitũ, quod is *Axolotl*, siue *Lusum aquarum* vocat. Sed neque hoc *Yuana* est, vt historiam eiusdem perlegenti patebit.

Noſtrũ hoc animal non videtur esse Yguana.

Cum autem *Recchio* licitum vbiuis fuerit, plantas *Mexicanas* latino donare nomine, à leui aliqua similitudine, quam cum nostratium plantarum aut foliis, aut floribus vel fructibus participant, desumpta, id mihi hic quoque priuilegium minimè denegari velim. Audebo igitur *lacertaceum* hoc animal *Stellionem* appellare, ob maculas, quibus tam in cauda, quàm dorso conspersum esse descriptio nostra indicauit. Volunt enim authores, inter quos *Dalechampius* quoque ad lib. 11. cap. 26. *Plinij Stelliones* ita vocatos fuisse, *quòd tergum eorum veluti stellis esset notatum*.

Cur author hunc lacertum vocauerit ſtellionem.

Est autem *Stellio* à *lacerto* quid differens, si *Aristotelem* audimus *lib.* 8. *hist. an. cap.* 17. quando cortice intecta maxima ferè sui parte secessus, suo tempore latere, & senectutem exuere scripsit. Et inter hæc *Testudinem* minimè recenset, vt quæ corticem seu testam suam nunquam exuit; Verùm hoc accidere ait *stellioni, lacerto*, & *serpentibus*. Quod paulo superiùs cap. 15. nempe, expressis magis his verbis quoque docuerat. *Sanguinei generis multa se condunt, vt ea quæ intecta cortice sunt, serpentes dico, lacertos, stelliones, crocodilos fluuiatiles.* Hic vt ego reor, *Aristoteles serpentum* nomine genericè, & *lacerti* vocabulo specificè vsus fuit, vt ab vtrisque excluderet *Stellionem*, quem neque *lacertum*, vel *lacertam* in specie, & non communiore significatu ita dictam esse vellet, nec in *serpentum* genere comprehenderet. Quale autem verè animal, veteres per dictum suum *Stellionem* intellexerint, adhuc sub iudice lis est.

Quomodo ſtellio à lacertis & ſerpẽtibus variet.

Aliqui dicunt ſtellionem esse viridem. Ponzettus Cardinalis hoc negat.

Vetus glossographus apud *Auicennam* & *Brasauolus*, volunt, *Stellionem* esse *lacertum viridem*, *Ragano* vocant Romani. Hoc improbat *Ponzettus Cardinalis* de Venenis agens, & aliam substituit *lacertulam*. *Stellio multas maculas paruas in dorso habet*, ait, *similes stellis*. *Non enim est illa lacerta, quæ aspicit homines, ista enim est viridis* (*Ragano* nempe Italicè dicta) *illa habet colorem æruginis æris, & fortè est de genere earum, quæ versantur in ædificijs, & domibus antiquis, & rarò mordet quia habet dentes tortuosos, quos relinqueret in vulnere*. Putat Gesnerus *Ponzettum* hìc non de alia sentire *lacerta*, quàm de illa, quæ *Romanis* ac *Tuscis Tarantola* vocatur. Quod si hanc intellexit, mendum haud vulgare in eo commisit, quòd dixit, hanc *colorem æruginis æris* habere, cùm autem ærugo æris sit adeò viridis, vt absoluta voce *viride æris* dicatur: profectò sic *Stellio Ponzetti* viridis esset, quẽ ipse colorem tamen repudiauit. Dicere itaq. is potius, & scriptor magis scribere debebat, *æruginis ferri*. Hunc enim colorem luridum ferruginis æmulum, *Tarantula* habet, & neutiquam illum *smaragdinum*, *æruginem* seu *viride æris* referentem. *Matthiolus* noster *Ponzetto* suffragari videtur, commentario suo in

Videtur Põzettus per ſtellionem intelligere vulgo dictam Terantolam.

Matthiolus videtur ſubſcribere Ponzetto.

caput

caput 59. Dioſcoridis libri ſecundi, vbi *Seps* deſcribitur, hæc autem ipſius verba ſunt. *Verùm minimè reticendum duximus, reperiri in Hetruria, in Romano agro, ac etiam in Apulia, quoddam lacertarum genus Terrantola vulgo dictum* (alij *Tarantolam* vocant) *quoniam ſub terra deliteſcat. Quæ cum homines morſu perimat, fecit, vt mecum quandoque cogitauerim, an ea fortaſsis Nicandro & Dioſcoridi chalcidica eſſet lacerta, aut ſtellio, quod ſtellis maculata inſignitaq. cernatur.* Hic idem lib. 6. *Dioſcoridis* cap. 4. vbi de *Salamandra* agitur, denuo *ſtellionum* mentionem inijcit. Et vbi multis argumentis deduxiſſet, *magnos* illos *lacertos*, quos aliqui vocant *Ramarros*, alij *Liguros*, nos vt dixi, hìc *Romæ Raganos*, non eſſe *ſtelliones*, quòd minimè homini ſint inimici, ſed amici, *nullum autem animal homini inuideat fraudulentiùs ſtellionibus, Plinio* teſte. Quod item virides illi *Ragani* in campeſtribus degant, *ſtelliones* verò in ſepulchris & domibus oberrent.

Probat magnos virides lacertos nó eſſe ſtelliones.

Et cum ſecundum eundem *Plinium ſtelliones* non aliter ac *Chamæleones*, rore tantum viuant, præterquam *araneis*, magni autem & parui *lacerti* noſtri, cochleas, cicadas, locuſtas, & papiliones deuorent, quin *apes* quoque furentur vt *Columella*, & 4. Georgicon *Virgilius* monent,

Abſint & picti ſqualentia terga lacerti,
Pinguibus à ſtabulis.

Hoc eſt, ab aluearijs, ne *apes* deprædentur. Concludit demum, non aptiùs vllis *lacertis ſtellionum* nomen & proprietates conuenire, quàm illis, quas nos *Romæ* & in *Hetruria Terrantulas* appellamus, quod & hæ araneis veſcantur, & in Italia præcipuè proueniant, veluti *Ariſt.* de ſtellionibus aſſeruit, quòd venenũ etiam in morſu relinquant, & quòd maculis tandem ſtellarum modo radiantibus niteant. Hìc vt obiter hoc addam, neſcio equidem an rore & *araneis* ſolummodo *ſtelliones* victitent, cum *Virgilius* iam citato loco hos etiam aluearijs inhiare hiſce verbis innuerit:

Sed illos potius qui Terrantolę vel Tarantolæ Romę & in Herruria vocantur.

At ſuffire thymo, cerasq. recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe fauos ignotus adedit
Stellio.

Scio quidem præter *Plinium* etiã 9. Hiſt. an. cap. 1. *Ariſtotelem* hæc ſcripta reliquiſſe. *Inter ſtellionem etiam & araneũ bellum eſt, deuorantur enim aranei à ſtellione.*

Atqui hoc non arguit, *ſtellionem* cibos alios ideo non aſſumere. Et deplorandum eſt, bonas illas *apiculas* à duobus ſimul inimicis inuadi, qui & ipſi inter ſe hoſtes ſunt. Nam eodem *Virgilio* authore, & ipſa aranea ad aluearium rete ſuum expandit vt capiat miſeras. Sic enim ibidem canit:

——— Aut inuiſa Mineruæ,
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.

Sed vt ingenuè fatear, neque me *Matthioli* argumenta tantùm mouent, vt *Tarantulas* has noſtras, *ſtelliones* veterum eſſe credã, cùm has neque hominibus adeò inſidiari, nec hos à Tarantulis demorſos, & periculũ paſſos fuiſſe qui frequentiſſimas illas viderim, hactenus obſeruauerim: neque ipſummet *Matthiolum* hoc ita prorſus eſſe, iuraturum mihi perſuadeam. Dubitat enim eodem in loco, an *ſtelliones* etiam ad *lacertarum* genus ſint reducendi: *Sed an lacertarum generi legitimè ſtelliones adſcribi poſsint*, ait, *profectò non auſim decernere.*

Matthioli argumenta hoc non cõ uincunt & ipſemet quoque hæſitat.

Itali timẽt valde Tarantulas huiusmodi, & quare.

Hoc interim negare non debeo, vbi *Itali* noſtri *Tarantulas* in cubiculis ſuis, in quibus libenter, quando muri vetuſtiores ſunt, perambulant, conſpexerint, horrore quaſi percelli & timore affici, quaſi magni quid mali, ex ijſdem immineat illis, cùm tamen fanaticus quidam potiùs motus hic videatur, & magis ipſos coloris fœditas atque deformitas, quàm animalis ira & malignitas perterrefaciant.

Parum ſcimus præſertim quãdo ex obſcuris veterũ ſcriptis hariolari volumus.

Ecce iterum ad *Democriti puteum* rediuimus, demittimus hamum, piſcamur, ſpe noſtra fruſtramur, & plerumque non niſi verba capimus, rixarum fomenta, & perpetuarum irritamenta controuerſiarum. Cùm hucuſque nemo nobis ex veterum hiſtorijs legitimum demonſtrare *Stellionem* potuerit. Vt ita nec mirum propterea alicui videri debeat, ſi nos *Noui orbis* hunc *lacertum* noſtrũ, *Stellionis* nomine inſigniuimus, quod eidem conuenire ideo putauimus, quia maculis quamplurimis (quod *ſtellioni* proprium eſſe volunt inter *lacertos*) interſtinguitur, & quia aliquo ſaltem Latino à nobis nomine donandus erat.

Cauſa etiã ex Ouidio affertur cur author hoc animal ſtellionem vocarit.

Hoc autem vt facerem, ingenioſiſſimi poetæ *Ouidij* fabula, quam 5. *Metamorphoſ.* de puero in ſtellionem verſo reliquit, me impulit, & quæ vnica ferme ex tota antiquitate ſtellionis magnitudinem monſtrat, & ſufficit forſan, vt credamus eam ipſam, quam paulo ſupra *Terrantulæ*, aut *Tarantolæ* nomine deſcripſimus, veterum *Stellionem* eſſe. Siquidem hìc ſtellio fertur maculis plurimis depictus fuiſſe, & minor lacertà communi, quæ ſemper parua eſt. Vtrumque in Tarantola noſtra vulgo ſic dicta, eluceſcit ſignum. Cùm itaque *Ceres* feſſa labore in quærenda filia ſua *Proſerpina* à *Plutone* rapta, ſitiret vehementer, & ab anicula ruſtica potum peteret, hæcq. polentam paulo ante coctã præberet, eamq. auidè illa biberet & ab aſtante puero rideretur, Ceres irà percita in *ſtellionem* illum commutauit, Libet autem, vt duriuſculam hanc proſam meam orationem molliam, leniſſimos & elegantiſſimos *Naſonis* verſiculos hìc interſerere.

Fabula Cereris quæ filiam Proſerpinam quærebat inducitur ex Ouidio.

Dum bibit illa datum, duri puer oris, & audax
Conſtitit ante Deam, riſitque, auidamq. vocauit.
Offenſa eſt, neque adhuc epota parte, loquentem
Cum liquido miſta perfudit Diua polenta.
Combibit os maculas: & quæ modo brachia geßit,
Crura gerit: cauda eſt mutatis addita membris.
Inq. breuem formam, ne ſit vis magna nocendi,
Contrahitur, paruàq. minor menſura, lacerta eſt.
Mirantem, flentemq. & tangere monſtra parantem,
Fugit anum, latebramq. petit, aptumq. colori
Nomen habet, varijs ſtellatus corpora guttis.

Vix partes hìc meas, iudex etiam rogatus & arbiter, interpoſuero: Vter elegantiùs hanc nobis fabellam repræſentauerit, *Ouidius* ne eloquentiſsimis verſibus, an venuſtiſsimà picturà ſuà *Adamus Elshaimer Francofurdianus*, frequentiſſimus olim domi meæ hoſpes, qui eandem fabulam in tabella cuprea ſeſquiſpithamam longà & vnam latà, tam ſolerti, graphica, docta & ingenioſa manu depinxit, & in æs poſtmodum incidi permiſit, vt ſimile nunquam artis picto-

Adamus Elshaimer Germanus nobiliſſimꝰ Romæ pictor.

pictoriæ opus *Romæ* visum fuerit, & ob id plus quàm ducentis *Philippicis* diuenditum. Hic, vbi pusillæ figuræ aliquæ animatæ veluti, ac spirantes, eæq. vel sub obscura nocte adumbrandæ, vel *solis* in ortu, aut occasu propalandæ, vel pluuiæ, maris æstus, aut similis aliqua tempestas fingenda ac pingenda forent, pictoribus sui temporis palmam omnibus præripiebat. In syluarum & arborum amœnitatibus, florum gratijs, rurum delitijs colore viuo repræsentandis, ita Naturæ genium & ideam est assecutus, vt non coætaneis modò suis, sed (hac in re præcipuè) posteris quoque pictoribus oculos aperuerit, quod vel solus *Paulus Brill Belga* præstantissimus nuper *Romæ* pictor docere potuit, qui *Adami* modulum postquam fuit secutus, his vltimis viginti vitæ suæ annis, ea in hoc genere picturæ, (*Paesi* vocant *Itali*) opera nobis reliquit, quæ plane aurea sunt, sed ærea illa (vti ita dicam) quæ ante hos viginti annos, cum tamen tunc quoque famâ floreret, mundo is ipse communicauit. Verùm hæc verba esse inquies. Quare ad ipsa te opera Adami contemplanda prouoco, quorum aliquot, sed pauca, domi meæ quoque conseruo.

Hic in paruulis figuris ad viuũ exprimẽdis parem vix habuit.

Posteros suos pictores Paulum Brill præcipuè verũ modum arbores pingendi docuit.

Verumenimuero non deerunt, quibus conuenientiùs longè facere visus fuissem, si *Salamandram* potius, quàm *Stellionem* hoc animal indigitassem. Est enim *Salamandræ* haud dissimile, quæ *Plinio* scribente lib. 10. cap. 67. *animal est lacerti figurâ, stellatum*. Et *Dioscoride* lib. 2. cap. 54. adstipulante *lacerti genus & varium*. Quale apprime nostrum esse, Figura quoque quam Zoographi, *Matthiolus* præsertim, posuerunt, non multùm refragatur. Ast quoniam *Salamandra* non magnum est animal, nec in molem insignem excrescit, quod in *lacertis* tamen alijs euenire solet, nec squamis vnquam operitur, veluti in *Germaniæ* locis subterraneis non rarò inuentã fuisse memini, & grande satis caput *Salamandræ* est, quod in nostra non apparet, ideo *Stellionem* libentius, quàm *Salamandram* hoc nostrum appellauero. Color quoque reclamat, in *Salamandra* abominabilis niger & luteus, qui ambo in serpentibus reperti horrorem intuentibus incutiunt, viridis autem cum cæruleo in nostro mixtus magis longè est placidus.

Rationes cur hoc animal posset Salamãdra vocari.

Impugnatio earũdem rationum.

Quoniam igitur *Salamandræ* mentionem quoque iniecimus, non absre forsan fuerit, errorum aliquot, quos apud duces nostros & antesignanos animantium historicos, reperio, posteros admonere. *Aristotelem* ex horum numero eximam, qui *Salamandram* forsan nunquam vidit, cum dicat lib. 5. cap. 19. Hist. animalium. *Nonnulla corpora esse, quæ igne non absumantur, Salamandra claro*, ait, *documento est, quæ vt aiunt, ignem, inambulans per eum, extinguit*. Hoc puto æquè forsan verum est, atque alterum, quod eodem loci adiunxit, *de muscis quibusdam maioribus, quas in fornacibus*, inquit, *ærarijs Cyprijs nasci, quæ per ignem innoxiè saliant atque ambulent*. Hæc *Matthiolus* ridet, & si vera essent, inquit, Galenum quoque diligentissimum ærariarum fornacum Cypri inquisitorem, harum aliquam facturum mentionem fuisse. Cui ego assentior, qui sciam quam energiam ignis habeat, vt omnia etiam metalla, excepto auro, nedum animalia destruat. Nisi tales fortassis muscas fuisse credibile fuit, quales nuper à *Claudio Menetri* Gallo antiquitatis, numismatum maximè, peritissimo confectas ex chalybe vidi. Has vbi operculo pyxidis cuiusdam, in

Errores aliquot, qui in historia Salamãdræ occurrunt.

An Salamãdra ignem extinguat, & muscæ quædam in igne nascãtur, vt Aristoteles voluisse visus est.

qua certo modo magnetis fruſtula quædam diſpoſuerat, impoſuiſſet, hæ ocyſſimè, quaſi volarent, ad locum vbi ſubtus magnes occultatus fuerat, tranſcurrerunt. Sed & *Dioſcorides* lib. 2. cap. 56. fruſtra creditum ait, ignibus non vri Salamandram. Et *Matthiolus* facto periculo, breui eam ab igne combuſtam vidit. Eſt enim ignis non aliter, ac *tempus edax rerum*. De hoc *Plinius* etiam lib. 2. cap. 107. *Quæ eſt illa natura*, inquit, *quæ voracitatem in toto mundo auidiſſimam ſine damno ſui paſcit? Excedit profectò omnia miracula, vllam diem fuiſſe quo non cuncta conflagrarent.*

Vtrumque hoc irridet Matthiolus.

Rationes pro Matthiolo.

Tantùm nihilominus potuit apud hunc ſiue *Ariſtotelis* authoritas, ſiue vulgi perſuaſio, vt lib. 11. cap. 37. vt *Pyrauſtas* quoque admiſerit. *Gignit*, ait, *aliqua & contrarium naturæ elementum. Siquidem in Cypri ærarijs fornacibus, ex medio igni, maioris muſcæ magnitudinis volat pennatum quadrupes, appellatur pyralis, à quibuſdam pyrauſta. Quamdiu eſt in igne viuit: cum euaſit longiore paulò volatu emoritur.* Nollem magnum illum philoſophum, *Senecam* meum, hunc ipſum induiſſe errorem, qui libro 5. natural. quæſtionum hæc habet. *Ignis qui omnia conſumit, quædam etiam creat, & quod videri non poteſt ſimile veri, ſed tamen verum eſt, animalia igne generantur.*

Plinius tamen Ariſtoteli credidit.

Hoc ipſum fecit Seneca.

Atqui ego malim hic ipſis Naturæ eſſentijs, & viuis rerum experientijs acquieſcere, quam plurimis Cathedrariorum decretis, abſque vllis experimentis, & reali ratione prolatis, fidem adhibere. Quod mecum etiam *Ouidius* fecit, cum ſcripſit:

Author maiorē habet rationē eſſentiæ rerū & experimētorum, quam tot authorum.

Nec tu aliud Veſtam, quàm puram intellige flammam,
Nataq. de flamma corpora nulla vides.

Verùm ad *Salamandram* reuertamur. *Plinium primò* mirari licet claudicantem nec ſibiipſi conſentientem. Libro enim 10. cap. 67. *Salamandræ tantus*, inquit, *rigor ineſt, vt ignem tactu reſtinguat.* Libro 29. verò cap. 4. hoc negat. *Ex ipſa*, ait, (Salamandra) *quæ Magi tradunt contra incendia, quod ignes ſola animalium extinguat, ſi forent vera, iam eſſet experta Roma.* *Sextius* quoque apud eundem probat, Venerem quidem ab hac comeſta accendi, ſed ignem reſtingui negat. *Alterum* eſt, quòd *Matthiolum Dioſcoridi* ſuo repugnare, & huius mentem atque clariſſima verba non latis capere ſtupeas planè. Hic enim lib. 6. cap. 4. reſpondens aliquibus, vt ait, dubitationibus: Quomodo *Dioſcorides* hoc in capite potuerit aduerſus venenum *Salamandræ*, eadem probare antidota, quæ *cantharidibus* reſiſtunt? cum *Salamandræ* venenum ſit frigidum, *cantharides* autem calidiſſimæ & ſiccisſimæ exiſtant. Conciliat hoc ipſe, vt ſibi perſuadet, commodiſſimè, & talibus verbis reſpondet. *Quod vbi Dioſcorides Salamandris cantharidum commendat medicamenta, de generalibus quæ in vniuerſum fiunt, duntaxat, intelligit, nempe vt quàm citò fieri poßit, venenum è ventriculo & inteſtinis extrahatur, crebris vomitionibus, & clyſmatis acrioribus: in cordisq. præſidium dentur, Theriaca, Mythridatium, aliaq. generoſa antidota, quæ pota cor ipſum à venenatis omnibus tuentur. Siquidem in cantharidum capite, quod omnium primum habeatur, generalis methodus Dioſcoridi tradenda fuit, ne eadem per ſingula capita ſæpe fruſtra, & ineptè repeterentur. Quare ſcitè, cum ad cantharidum remedia legentes reijcit, de generalibus tantum intelligit. Auicenna eandem Salamandris adhibet curationem,*

Reditur ad Salamādrā in cuius hiſtoria Plinius ſibi nō conſtitit.

Matthiolus etiā in hac explicanda Dioſcoridi ſuo aduerſatur.

rationem, quam opio, quod tam hoc, quàm illæ frigidissimæ sunt temperamento, præferiq. ceteris, Theriacam, Mythridatis antidotum, resinam therebinthinam, styracem, vrticæ semen, & cupressi frondes. Hæc debui necessariò ex ipsis *Matthioli* commentarijs transcribere, vt quam qualitatem (frigidam scilicet) is *Salamandris* adscribat, proprijs verbis conuincatur. Iam velim autem *Matthiolus* considerasset attentiùs, quæ *Dioscorides*, quem ipse interpretandum, & explanandum sumpsit, de calida aut frigida huius animalis intemperie libro 2. annotauerit. Cuius hæc sunt verba. *Vim habet* (Salamandra) *erodentem, calfactoriam, exulcerantem. Additur vt cantharis in medicamenta, quorum vis est exesse, & lepras abolere, similiq. modo reconditur. Liquefacta in oleo pilos euellit. Exenterata detractis pedibus & capite in melle seruatur ad eundem vsum.* Qui ex apertissimis hisce *Dioscoridis* verbis, non colligit, calidissimam esse *Salamandram*, quemadmodum *cantharis* est, & non frigidissimam, veluti esse *opium* creditur, is aut oculis orbus est, aut quæ videt, ac legit, hæc negligit & intelligere haud cupit. Quid igitur opus fuit, vt *Matthiolus* paraphrasi tam longa, & excusatione hac vteretur, nouoq. quodam modo explicaret, medicamenta cantharidibus debita, generaliter tantùm *Salamandræ* competere? Ast si mihi hariolari liceat, rem acu certè tangere, & *Matthiolum* dubio omni procul, ex duobus capitibus permotum & adactum fuisse affirmare ausim, vt *Salamandram* frigidissimam esse sibi persuaderet. *Primum* ex ipsomet *Dioscoride* sumere potuit, quando *Salamandræ* venenum tale esse monuit, vt in homine id accipiente *mentem & sermonẽ præpediret, tremorem etiam cum torpore aut horrore quodam induceret.* Sunt autem hæc omnia pernicioſi potius frigoris, quàm caloris soboles, si Medicorum axiomatis assentimur.

Matthiolus indicat Salamãdrã esse frigidissimam.

Dioscorides cõtra, statuit calidissimã.

Ergo erat opus vt Matthiolus nouo modo Dioscoridem explicaret.

Author diuinare videtur, quomodo Matthiolus deceptus fuerit.

Primo ex verbis Dioscoridis.

Alterum est clarissima *Galeni* authoritas, 3. de Simplicium facultat. cap. 6. *Dicant igitur si lubet*, ait, *papauer, mandragoram, cicutam, Salamandram esse calida. Verùm nemo id dicit, sed velut vno ore omnes frigida pronunciant.* Nec est quòd mihi hìc opponat aliquis, *Galenum* in subsequentibus verbis, non negare, etiam calidam esse *Salamandram*, sic enim ait. *Atqui animal est Salamandra, quod & nutritur, & crescit & mouetur, quæ sanè calido in mistura vincente prouenire asserunt.* Hoc enim & non aliud vult hìc dicere. In se quidem consideratam calidam esse, cum frigus naturæ opus non ingrediatur, & vita in calore consistat, ad hominem verò collatam, frigidam: quippe quem frigefacere strenuè possit. Idipsum ergo de *cantharide* asseruero, vt animal, hanc à calore aliquo vitæ muniobire, ad hominem verò comparatam, cum hunc in excessu quodam calefacere valeat, calidissimam iudicari. E contra frigidissima homini fuerit *Salamandra* si modò vera sunt, quæ *Galenus* pro confesso posuit, cum hanc sociam faciat *papaueri, cicutæ, mandragoræ* frigidis per ipsum venenis, quod 3. de Temperamentis cap. 1. quoque repetit & *lactucam* insuper adiungit.

Secũdo ex authoritate Galeni.

Galenus diuerso respectu Salamãdram ait calidam, & frigidam esse.

Attamen vt huic, quod posteriore loco dictum fuit, primò respondeam. Nescio quomodo *Matthiolus* doctorem suum *Dioscoridem*, quem tantis euexit laudibus, cuius singula ferè verba, singulis illustrare commentarijs voluit, à cuius gloria & ipse immortalitatis sibi famam quæsiuit, nescio inquam, qua eum iam fronte posthabeat, ipsiq. discipulum *Galenum* præponat? qui boni

Respondetur posteriori argumento.

quic-

quicquid in ſuis de mendicamentorum ſimplicium libris collegit, ex *Dioſcoridis* fontibus ferme totum hauſit. Atque vtinam intra limites *Galenus* ſe continuiſſet, nec ad temperamentorum gradus, & graduum quoque diuiſiones, ſiue, vt medicamentorum compoſitores vocant, *manſiones*, tam prope accedere tentaſſet, in quibus aſſignandis tam ſecurè, & audacter decernit, elementorum miſcelas, & proportiones tam rectè callere præſumit, ac ſi ſocios, vel magiſtros habuiſſet Deos illos fictitios, ſiue *Dionyſium*, ſiue *Vulcanum*, ſiue quemuis aliũ, quos *Plato* in *Philebo* ſuo mixtionis officium ſortitos fuiſſe, iam olim commemorauit. Non eſt autem de nihilo prorſus hoc argumentum, quod primo loco ponebatur & fortaſſe *Matthiolo* imponere potuit, cum videret, torporem, horrorem, tremorem, ſermonis & mentis præpeditionem, & quandam corporis exolutionem, à *Salamandra* induci, quæ omnia à frigore originem trahere vero haud abſimile erat. Nam & idem *Dioſcorides* capite de *Cicuta*, refert hanc conſimilia accidentia inferre, oculis nempe caliginem offundere, mentem turbare, artus extremos gelidos reddere, & conuulſionem demum concitare. Eſt autem omnium conſenſu Medicorum, *Cicuta* frigidiſſima. *Plinius* lib. 29. cap. 4. Inter omnia venena memorat *Salamandræ* ſcelus maximum eſſe, quòd non ſingulas, vt alia venena faciunt, perſonas, ſed populos etiam improuidos necare poſſit. *Nam ſi arbori irrepſit*, ait, *omnia poma inficit veneno, & eos qui ederunt, necat frigida vi nihil Aconito diſtans*. Et paulò tamen inferiùs hæc habet. *Sextius ait Venerem accendi cibo earum* (Salamandrarum) *ſi detractis interaneis, & pedibus, & capite, in melle ſeruentur*. Hìc quis non contradictoria ſtatim emergere aduertit? Quomodo enim *Plinius*, ſi *Sextio* modò credidit, Venerem accendi, & frigida vi enecari hominem, ab vno eodem animali affirmare auſus fuit? Atque vt verum fatear, hæc vltima *Plinij* verba, videntur mihi *Dioſcoridis* illa corroborare, quando *Salamandræ* venenis *cantharidum* antidota opponit. Nam & ipſæ *cantharides* Venerem quoque non vrinam ſolummodo promouent. Lepidam hìc hiſtoriam narrabo. Noui puerum quendam nobilem, qui præceptorem olim ſuum, nimis ſibi forſan durum & ſeuerum, veneno tollere conſtituerat: cumq. hoc effectui dari poſſe, per ipſas *cantharides* exiſtimaret, empris harum aliquot à pharmacopola, & in puluerem tritis, duas treſue, in cantharũ ſiue lagenulam, in qua præceptor potum ſuum aſſeruabat, immiſit, & quod in votis habebat, ſibi ſucceſſurum certò ſperabat. Sed cum hic neque prima, neque ſecunda, neque tertia die moreretur, ab incepto puer deſtitit. Interea vir ille bonus, tentigine maxima vexatus, & Venere æſtuans, nec vnde hoc prouenire, diuinare valens, remedia etiam ſpiritualia, vt probis moribus erat, ab illis, quibus in confeſſione conſcientiam ſuam credere ſolebat, poſtulare coactus fuit. Res hæc multo poſt tempore manifeſta euaſit. Et ne quis hìc *Plinio* ſe fore auxilio exiſtimans dicere poſſit, venenum quo *Salamandra*, ſiue aquam, ſiue poma conſpurcat, frigidum eſſe, cum carnes tamen animalis calidæ venerem ſolicitare queant (heterogeneas enim eiuſmodi partes frigidas inquam & calidas, in quouis ferè mixto Medici facilè vt ſtatuunt, ita quibuſuis obiectionibus per has facillimè reſpondent) ne inquam, ſic quis tueri *Plinium* putet, ipſemet *Dioſcorides* renititur, qui ſupradicta ſymptomata, non à ſputo ſolùm anima-

Galenus nimis temperamentorũ gradus, noſ ſe præſumit.

Gentilitas Dijs quibuſdam mixtionis officiũ tribuit.

Reſpondetur primo argumẽto.

Plinius quoque Salamandram credidit eſſe frigidã.

Videtur ſi hanc etiam calidã eſſe admittere.

Et probare hanc idem poſſe quod cãtharides.

Lepida hiſtoria, quomodo cantharides venerem moueant.

Quomodo pro Plinio reſponderi poſſet.

Sed Dioſcorides & Matthioſus hoc non permittunt.

animalis, ſed ab ipſamet hauſta Salamandra ſuperuenire poſſe, clariſſimè ſcripſit. Et *Matthiolus* ibidem: *Non ſolùm*, inquit, *veneno inficit & necem affert, Salamandra ſicca & in puluerem pota, vel clam cibis admiſta, ſed & morſu viperarum modo, ceterorumq. ſerpentum venenum eiaculantium.*

Eſt & aliud quod non leuem hìc *Plinio* controuerſam facit, quod hic *Salamandræ* venenum frigidæ facultatis, cum *Aconiti* tamen veneno comparauerit. Aſt *Aconitum* nemo vnquam mortalium, quod equidem ſciam, inter frigida venena enumerauit, ſi modò hæc quoque in rerum natura reperiuntur. *Galenus* expreſſiſſimis verbis lib. 6. de *Simplicium medicament. facultatibus*. *Aconitum*, ait, *ſepticæ & deleteriæ facultatis eſt*. Septica autem apud eundem 5. lib. cap. 15. non frigida, ſed calida admodum ſunt. Quare ibidem *Aconitum* cum ſequentibus calidiſſimis enumerat his ipſis verbis. *Verùm nouiſſe expedit, ea medicamina quæ ſepta & ſeptica nuncupantur, vt ſunt auripigmentum (ἀρσενικόν Græci vocant) Sandaraca, Chryſocolla, Dryopteris, Pityocampe, Aconitum, omnia eliquare, tum colliquare, ac potiſſimum carnem tenellam, idq. abſque dolore.* Ego equidem repereram iam id, quo ab hac manifeſta quaſi contradictione magnum hunc ſcriptorem *Plinium* vindicarem, ſi dicerem, ipſum inter velocitatem, & violentiam, qua tam *Aconitum*, quàm *Salamandra* energiam ſuam exerunt, inſtituiſſe comparationem potius, quam ad frigidam vtriuſque qualitatem reſpexiſſe. Eſt autem hic *Plinij* locus minimè obſcurus, lib. 27. cap. 2. *Sed antiquorum*, ait, *curam diligentiamq. quis poſſit ſatis venerari? Cum conſtet omnium venenorum ocyſſimum eſſe aconitum*. Et alio loco, *inter venenata omnia Salamandræ ſcelus maximum* prædicauerat. Atqui *Ludouicus Dominichi* non permittit, vt *Plinium* excuſem, qui hunc ex Latino in Italicum idioma tranſtulit, & verba ipſius ita interpretatur, vt velit *Plinium* innuere planè voluiſſe, *Aconitum* & *Salamandram*, inter ſe conuenire in *vi veneni frigida*. Hæc enim ipſius ſunt Italica verba, quando ait, *Salamandram* conſcendentem in arborem, veneno frigido (in quo *Aconito* ſimilis ſit) poma corrumpere. *Percioche*, inquit, *ſe ella monta sù vn albero, lo corrompe tutto di veleno, & con la ſua fredda forza, la quale non è punto differente dall'aconito, vccide tutti quelli, che ne mangiono.*

Siquis aliam *Plinio* medelam adhibere velit, ac poſsit, id vt faciat per me licebit. Ego vt hoc ſemel hìc dicam, non maledicendi ſtudio adactus, veterum ſubinde errores detego. Peſsimè enim maledicum odi, & *Quintiliano* adhæreo dicenti: *Maledicus à malefico non diſtat, niſi occaſione*. Cuius & hoc prudentiſſimum monitum magnifacio: *Nos multas ad diſcendum commoditates habemus præ antiquis. Illis enim inuenienda fuerunt, nobis cognoſcenda. Tot nos præceptoribus, tot exemplis inſtruxit antiquitas, vt poſſit videri, nulla ſorte naſcendi ætas felicior, quàm noſtra, cui docendæ priores elaborauerunt.* A quo tamen & hoc ſubinde nobis inculcari aduerto, & veriſsimum reperio, quod ſupra me quoque monuiſſe memini, *ſed non ſatis dicitur quod bene dicitur*, quare denuo repeto. *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit*, ait, *omnia quæ magni authores dixerint vtique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur.* Quod ſi hoc Claſſicis etiam authoribus vſuuenire ſolet, quid de me, de te, mi

Plinius cõtradicere ſibi videtur qui Salamãdram eiuſdem cum aconito qualitatis facit.

Aconitum calidiſsimæ eſt, & ſepticum.

Quomodo Plinius defendi poſſet.

Hoc tamen ipſius interpres non concedit.

Author nõ ſtudio maledicendi aliquando veteribus reſiſtit.

Loca pulcherrima ex Quintiliano quid de antiquis ſit ſtatuendum.

Ridiculum esse nobis persuadere, nos falli nō posse.

lector futurum putas, qui tyrones adhuc sumus? An nos extra humanam positos conditionem censes, & errare à nobis alienum arbitraris?

Scribimus indocti, doctiq. poemata passim.

Nunc *Matthiolo* quoque vt satisfiat, tempus monet. Ego mehercle vt sincerè, quod sentio, eloquar, non capio hunc arguendi modum, quo tam veteres plerique, quàm horum assectæ recentiores plurimi vtuntur. Cum vident forte fortunà, à frigore actuali effectum aliquem manifestum subsequi, siue hic torpor sit, siue tremor, siue virium prolapsus, siue membri alicuius resolutio, siue somnus præcipuè; quotiescunque eadem symptomata in humano alio postmodum corpore suboriri animaduertunt, statim à frigore, & non aliunde profluxisse, conclamatis quasi votis iurent.

Quomodo decipiātur nōnulli qui effectus quosdam frigori adscribunt.

Verùm vna hìc nobis contra *Matthiolum* & dicta ratione philosophantes, ab ipsomet *Matthiolo* posita historia sufficiat, & agmen claudat. Hæc autem in Commentarijs ipsius in *Dioscoridii* librum 4. & caput 73. habetur. Is igitur post *Aconiti* tractationem, *Napelli* vires enumerans (quod aliqui inter *Aconiti* species recensent) hoc cum *Auicenna*, excalfacere & siccare ordine quarto non negat. Et tamen hæc subsequentia symptomata ab eodem oriri affirmat, quæ si à *Cicuta*, *Mandragora*, & *Opio* frigidissimis putatis venenis emanarent, quin omnes à summo frigore originem ea ducere sibi persuaderent, nullus dubito.

Huius rei historia ab ipso Matthiolo posita.

Huius immanitatem ait se *Romæ* vidisse Anno salutis reparatæ 1524. Mense Nouembri in *Capitolio*, in quodam ad furcam damnato, vt *lapidis Bezoardici* virtus aduersus venena exploraretur. Misero igitur huic *Napelli* drachma exhibita fuit, quam vbi sumeret, asserebat sibi videri, merum piper deglutire. Accidentia autem hæc fuerunt. Post vomitum bilio sum ac porraceum, aura frigida in caput percipiebatur ascendens, stupor quidam paralysi similis, & quasi motus extinctus: ita tamen, vt dum alterutrum brachium attolleret, alterum eleuare non posset. Dicebat sibi venas omnes quoque refrigescere. Accessit & oris & oculorum conuulsio, facies liuida, labra nigra cernebantur, & venter hydropicorum in morem attollebatur. Mente etiam mouebatur, vnde modò cantare, modò plorare, modò de vita desperare, post septem tandem à sumpto antidoto horas, ad se redijt & conualuit. Vides nunc vt calidissimum venenum, frigidissimæ etiam ab alijs existimatæ causæ effectus reliquit? Ast *opium* hanc nobis controuersiam lucidissimè declarabit. Hoc omnes vno ferè ore frigidissimum statuunt, quia sensum tollit, motu priuat, & somnum inducit. Fateor ego à maximo frigore hæc fieri posse. Nam & plurimos inter niues consedisse, dormiuisse, obriguisse, & mortuos fuisse pernoui optimè.

Datur cuidam drachma Napelli, quid inde secutū.

Accidentia hæc dici potuissent à frigore emanare. Quid de opio sit statuendum.

Ast conspexi his meis oculis ante hos triginta annos *Herbipoli* iuuenē quendam, cum magnam spiritus vini (quem *aquam vitæ* appellant, & aqua mortis dici potest malè vtentibus, quos mori similiter ex superfluo huius vsu vidi) copiam absorbuisset, septem horarum spatio perstitisse absque loquela, immobilem, ac veluti lethargo correptum, cui licet capillitium velleremus, eundem verberaremus ab vno ad alterum locum transportaremus, mortuo tamen simi-

Ex nimio vini spiritu hausto, eadem omnia accidentia quæ ex opio.

lis,

lis, nisi quod respiraret placidè, nobis visus fuit, donec exactis septem horis vllo absque remedio ipsi exhibito, ad se rediret, nec eorum quæ ipsi acciderant, memoriam vllam haberet. Qui vino generoso *Maluatico* maximè, indulgent, somniculosi quoque sunt, & morbis frigidis plurimùm, paralysi inquam, & Apoplexia tentantur. Et qui Naturalium rerum enarrationes legit, is nouit *Crocum* calidum alimentum & medicamentum simile quid præstare. *Amatus Lusitanus*, vt apud *Schenkium* videre est, recenset *Pisaurensem* quendam Agatonem, super duabus *Croci* sarcinulis dormientem, eadem nocte obijsse. *Dauid Otto* ex principalioribus mercatoribus *Venetis*, & amicis meis, hoc mihi pro certo retulit, cùm *Romam* redijsset ex *Aquilana* vrbe, in qua quæstum facere solet maximum ex *Croco*, quod ibi & copiosissimum prouenit & pretiosissimum: contigisse nimirum, vt præteritis annis, ex *Mulis* illis clitellarijs, quibus sarcinæ ex *Croco* imponi solebant, plurimi interierint, ex solo illo stupefactiuo *Croci* & potentissimo odore, donec tandem antidotum ex *Allio* contuso, & vt reor, aceto permixto, & naribus *mulorum* appositio, nihil tale amplius interueniret. Et quis ignorat, qui in *Germania* vnquam fuit, in temperatissimis eiusdem tepidarijs, siue hypocaustis, facilius longè sibi somnum ex *calore* obrepere, quam sub rigido Aquilonis *frigore*? Et quid de *musica* dicemus & *cunarum motu*? quibus non infantibus modò, sed adultioribus quoque in morbis quibusdam & vigilijs pertinacissimis soporem conciliamus? Atque hæc omnia quà calida, quà frigida, partim nec calida nec frigida sunt, & eundem tamen cuncta diuersa licet, effectum in nobis producunt. Concludendum igitur existimo, hæc vniuersa aduersissima licet, in vno quodam conuenire oportere. Cum *vnius effectus*, qui *somnus* est exempli gratia, *vnam* tantùm esse necesse sit *causam* immediatam, si modò Metaphysicorũ axiomata vera esse perhibentur. Intelligis ergo, non solum & simplex *frigus* esse debere, quod somnũ producit, id quod Medicorum tamen schola quasi tota hactenus stabiliuit. Verùm hac de re forsan commodiore loco plura dabimus. Quid igitur hinc discimus? hoc, quod iam dudum inculcaui & improbaui, nos ad pauca, scilicet, respicientes, nimis esse properos in rerum causis reddendis, quæ longiori & doctiori plerunque indagine perscrutanda forent. Disputationem hanc, quæ paulo acrior nobis cum *Plinio* & *Matthiolo* fuit, *Gesnerus* quoque olim attigit, apud quem & veterum loca complura videre licet, quæ & ipsa non carent dubijs. An videlicet, *Salamandra* lactescente sua sanie, quam ore euomit, quacunque humani corporis parte contacta, capillorum defluuium moliatur? quod *Plinius* quidem annotauit, an hoc potius eueniat ex cinere combusti animalis? vt *Galenus* & *Paulus Aegineta* voluerunt, an magis ad hoc præstandum hæc bestiola in oleo macerari debeat? vt *Dioscorides*, & *Plinius* similiter alio loco censere visi sunt.

Crocus idè præstat quod opiũ in somno producendo.

Calor prouocat somnum.

Hoc idem facit musica & motus.

Hæc omnia in alio conuenire debent, quàm in frigore.

Vnius effectus vna tãtùm est causa immediata.

Sumus nimis propti ad reddendas causas.

Aliud dubium, quomodo Salamandra inducat capillorũ defluuium.

Est autem opinio hæc, quod capillos erodat, ab antiquis adeò recepta, & approbata, vt *Q. Serenus* quoque in versibus suis eandem decantauerit, qui hi ipsissimi sunt:

Defluit expulsus morbo latitante capillus,
Seu rarò lauitur, seu vis epota veneni;

Seu

Seu Salamandra potens, nullisq. obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

Q. Serenus defluuium capillorum etiam à Salamandra fieri scribit

Videtur hic per contactum venenosi illius humoris, defluuium capillorum fieri concedere velle. Veruntamen tot mendis scatet, tot vulneribus saucius est *Serenus*, vt quoniam hactenus à Medicis illectus & neglectus fuit, nō absque iustissima ratione, huic Medicam, & Criticā simul manum adhibere statuerit *Ioannes Baptista Vindthierius* Philosophus & Medicus doctissimus, quem supra quoque laudaui. Expectamus igitur propediem sanatum, ac restitutum hunc Poetam Medicum, varijs lectionibus ex Codicibus *Vaticanis*, ac commentarijs succinctis quidem, sed neruosis, & vtilissimis tamen illustratum.

Ioan. Baptista Vindthierius Q. Serenū emēdatiorem nobis dabit.

Hoc vnum ex tot veterum authoritatibus colligo, cum *Salamandra* ex pilothris sit, hæc autem insigniter calida esse deceat, cū radices quoque pilorum erodant, mirari iterum me non satis posse, quomodo viri doctissimi nonnulli eandem frigidissimam esse scripserint, quæ hac ratione firmare & corroborare potius capillos debebat.

Si esset frigida Salamādra deberet potius capillos firmare.

Est & hoc in *Salamandris*, non satis rectè ab antiquis obseruatum, quòd has sexus nimirum expertes sibi persuaserint. *Plinius* lib. 10. cap. 68. *Quædam verò gignuntur*, ait, *ex non genitis & sine vlla simili origine. Ex ijs quædam nihil gignunt vt Salamandræ. Neque ex ijs genus masculinum femininumue, sicut neque in anguillis omnibus q. quæ nec ouum nec animal ex sese generant. Neutrum est & ostreis genus, & ceteris adhærentibus vado vel saxo.*

Error veterum qui dixerunt Salamādras sexu carere.

Verùm de Salamandris eruditissimus Medicus & Criticus *Dalechampius* hūc eundem *Plinij* locum recensens, oculari inspectione edoctus, contrarium nos docuit. *Ex grauida Salamandra*, ait, *mense Martio, dirupto ventre plus, quam triginta fœtus ad huc palpitantes, & in aquā nantes, ac plus quàm triginta oua prodierunt. Ego quidem fœminam vidisse memini prægnantem tum ouis, tum catulis plenam, alijs inchoatis tantùm, alijs iam perfectis gradientibus & in aqua natantibus, vt falsum esse, quod tradit Plinius, nihil eas gignere manifestum sit.* Huic assentitur *Bellonius*, & alij, qui volunt *Salamandram* ex ouis primùm in vtero conceptis, catulos sine vllo inuolucro excludere, quod huic proprium hoc sit, in genere *lacertarum*, quemadmodum proprium est *viperis* in genere serpentum, viuos parere.

Recētiores quidam Salamandras viperarum instar catulos viuos parere viderunt.

Hæc testimonia faciunt, vt neque in *ostreis* facilè *Plinio* & *Aristoteli* fidem adhibeam. Voluit autem hic, vt gnauiter caput 15. lib. 5. de Hist. animalium perlegenti patebit; *Cum purpuras, tum etiam reliqua testis inclusa è limo fere & materia putrescente oriri. Cum enim hæc omnia saliuam quandam veluti fauaginem emittant*, ait, *hanc vbi rupta est, humorem quendam in terram demittere & ibi gigni purpurulas.*

Rationes cur dubitetur quoque an ostreis sit sexus defectus.

Veruntamen fidelissimi duo Aristotelis Cōmentatores *Augustinus Niphus*, & *Iul. Cæs. Scaliger*, magistri sui decretis non vsquequaque subscribere videntur. Hunc enim *Aristotelis* locum, *Purpuræ igitur verno tempore eundem in locum congregatæ faciunt id, quod vocant fauaginem*; Explicans *Scaliger*: *Est igitur*, ait, *quasi modus coeundi si conueniunt, vt quasi à mare & fœmina emittatur saliuæ genus.* Quapropter hunc sensum *Aristotelis* latinis verbis enūcians ita expressit *Plinius*

Niphus & Scaliger cō tra Aristot. sentire videntur.

lib. 9.

lib. 9. cap. 37. *Purpuræ congregantur verno tempore, mutuoq. attritu lentorem cuiusdam ceræ saliuant*. Hunc attritum agnouit, hic autem quid est aliud, quàm quædam forma coitus? Coitus autem inter marem & fæminam datur. Quomodo ergo idem scriptor lib. 10. fęminas aut mares in ostreis, hoc est, in omni genere testa indutorum animalium, negare potuit? Et quando Aristoteles ait, *Ex humore illo in terram effuso gigni purpurulas exordio admodum exiguo consistentes. Et per angustiam veluti uuæ specie fœtum formari. Niphus* hæc verba ita declarat. *Hìc igitur ex saliuatione emissa tanquam ex seminario mucore purpurulæ gignuntur.* Et paulo post. *Concludit demum Aristoteles qua forma formetur fœtus* (purpurarum) *sui initio, & vult illum formari similitudine racemi uuæ, uti etiam de apum fœtificatione poeta dicit:*

Confluere & lentis uuam demittere ramis.

Unde dicit Aristoteles. Itaque per angustiã fœtus formatur specie uuæ. Id est ad similitudinem uuæ, quando inuoluitur in se ipsa propter loci strictũram. Hic igitur perspicuũ est, fœturus testaceorũ non fieri, nisi facta congerie prius ex mucore illorum tãquam ex Seminario (ecce seminalem vim admittit) *& ad modum racemi uuæ, cum uua incipit fieri.*

Ego prorsus nihil dubito, si quis *Microscopio*, hoc est, à me hoc nomine donato perspicillo vti vellet, quo res minutissimæ triginta mille vicibus & amplius grandiores, quàm in se sunt, apparere solent, veluti supra, cum de *Lynce* agerem, ex Arithmeticis & Geometricis principijs deduxi, & *fauaginem* hanc examinare posset, quin in hac, *oua testaceorum* manifestissima reperturus esset. Siquis microscopio infauagine purpurarũ uteretur, forsan in hac oua reperiret.

Hoc oculorũ præsidio *Princeps Cæsius* noster plurimas plantas hactenus à Botanicis sine semine creditas, distinctissimis seminibus luculenter turgentes per Pictorem suum ad hoc operis designatum in cartis delineari curauit. Mirareris in Polypodio minutissimos eos puluisculos foliorum dorso adhærentes piperis grani magnitudine spectabiles, existimatos hactenus à Natura tantùm cõcessos esse in herbulæ ornatum, quos *Princeps* quidem ante *Microscopij* vsum iamdiu in libris suis seminis nomine donari debere cẽsuit, & ita huius generis *plantas Tergifœtas* meritò nuncupauit. Sed huic similes innumeras alias Obseruationes, ac nouas penè dixerim, naturas à Principe detectas habebimus, cum olim imperfectarum Stirpium libri sui & lucubrationes lucem aspicient. Princeps Cęsius plãtas sine semine creditas, semine scatere demõstrat. Tergifœtæ plãtę Principis Cęsij.

Hoc eodem *microscopio Franciscus Stellutus Lynceus*, tam mirabilẽ nobis anatomen præbuit partium omnium externarum, quæ in *Ape* sunt minuto animalculo, *oculorum* inquam, *linguæ, cornuum, iubæ, aculei, pedis, degitorum* aliarumq. & nuper in æs incidi commisit, atque felicitati VRBANI VIII. dedicauit, vt hæc omnia malim te oculis tuis intueri, quàm rudi meo calamo adumbrare. Franciscus Stellutus Lynceus mirabilem Apis anatomen nobis dedit.

Accedit hoc maximum probabilitatis indicium, *ostrea* & *conchas* genitalia semina terris committere, & fluminibus, ex quibus noua soboles sublatis matribus paulatim renascatur. Experti sunt id *Germani* nostri in *conchis margaritiferis*. Licet enim *Sinus Persici perlæ* omnium præstãtissimæ celebrentur, quibus cedunt illæ quæ in Insulis *Zeilan*, *Sumatra*, *Barneo* & *Indijs Occidentalibus* reperiantur; habet tamen *Europa* suos quoque *vniones*, veluti in *Historia gemmarum* enucleatissima *Anselmi Boetij*, *Rodulphi secundi*, olim Medici eminentissimi videre est, vbi perlarum feraces nominat *Scotiam*, *Silesiam*, *Bohemiam*, *Lotharingiam*, *Voitlandiam*, *Frisiam*, oblitus nisi fallor pretiosarum *mar-* Conjecturæ quædã ostreacea non ex putri humore nasci.

In Ilsa prope Passauiũ optimæ margaritæ reperiuntur.

Io. Carolus Liber Baro à Kirchberg vir doctiss. & nobilis,

garitarum, quæ in *Ilsa* fluuio inueniuntur, prope *Passauium Germaniæ* Vrbem percelebrem & vetustissimam. Veluti mihi iam retulit eiusdem Vrbis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus & *Officialis* generalis, Græcè & Latinè doctissimus ac Iuris peritissimus *Ioannes Carolus Liber Baro à Kirchberg* nuper ad *Sanctitatem suam* à Sereniss. *Archiduce Leopoldo Guilhelmo, Ferdinandi secundi filio* missus, quem ex antiquis meis amicis & fautoribus honoris causà nomino. In hoc itaque fluuiolo *Ilsa*, ob subiectum puto solum, nigricante semper aqua conspicuo, ad determinatum ac trium solummodo milliariorum spatium, *Conchæ* eiusmodi *margaritiferæ* nascuntur, quæ *vniones*, in candore, læuore, magnitudine & orbe, aliquando etiam Orientalibus vix inferiores, producunt. Cùm autem ante compluscules annos, sedem ibi exercitus quidam fixisset, tam nobilis prædæ auidissimi milites, *Conchas* per totum illum fluuij tractum expiscati sunt, vt vix paucæ adhuc ibi superfuerint. Quæ tamen aqua *conchar-*

Videntur cõchæ margaritiferæ feminium in aquis relinquere.

rum earundem denuo copiâ abundat. Quod euenisse à seminio relicto, & temporis progressu ad maturitatem perducto, an non rationi valde consonum est & probabilissimum? Locus autem hic tam religiosè custoditur, vt nemini licitum sit hìc piscari, præterquam *Episcopo*, qui idem est *Serenis. Archidux* iam supra cum honore laudatus, & eiusdem *Administratori*, qui est Illustrissimus & Reuerendissimus *Marquardus liber Baro à Schvvendi*, *Cæsari* & *Imperij Principibus* ob summam prudentiam carissimus, quem ego ante hos triginta annos *Romæ* colui, & nunc quoque benefactorem liberalissimum experior.

Marquardus liber Baro à Schvvendi Passauiensis Episcopatus & Principatus dignis. Administrator.

Commodum accidit, vt de *Ouis* hìc simul sermonem aliquem instituamus. Est enim hic *stellio* noster *Nouæ Hispaniæ* ex *Lacertarum* genere. *Lacertæ* autem *Aristotele* lib. 5. cap. 33. *Hist. animalium teste*, per oua generationem suam propagant, *quæ sponte in terra aperiuntur, vitam enim earum annum non compleri, sed per semestrem finiri aiunt*. Ego autem sæpissimè harum oua in vasis terrà aridà plenis, sed stirpibus destitutis in hortulo meo domestico, reperi, examinaui, & modò recentia, modò intus nascentia animalcula vidi, atque depingi curaui.

Cur author ad ouorum considerationem hìc transeat.

Et quoniam curiosum hìc quoq. lectorẽ vt opto, ita vt nanciscar, fore spero, in huius gratiam expatiabor nonnihil, & quomodo in ouis animalium generatio peragatur, aliquid saltem delibabo. Veruntamen quia rarò *Lacertarum* atque *Serpentum* oua nobis in conspectum sese offerunt, quæ animalia latebras quærunt, à manifestioribus verò & notioribus ad occulta magis, & obscuriora nos procedimus, *Gallinarum* autem nobis oua & inspicere frequentissimè, & *pullorum* natales vbique intueri conceditur, ex horum notissimorum cognitione abstrusiora, veluti quodam parallelo facto, indagabimus.

Considerãda sunt primò oua gallinarum, vt notiora.

Attamen hìc iterum, quod supra de *Aldrouando* quoque in *Psittaco* iudicium tuli, *post Apellem pingere viderer*, si quod accuratissimè prosecutus est argumentum, de *Oui & pulli formatione Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, immortale *Patauinæ scholæ* ornamentum, nunc ego vel renouare, vel innouare attentarem. Quia tamen ante hos septem annos, priusquam eum librum posthumum *Ioannes Præuotius Germanus*, ex eloquentissimis & primarijs vnus Medicinæ practicæ *Patauij* professoribus, & Horti simplicium Antistes, *Caroli Medicei Cardinalis Amplissimi* honori dedicaret, ego quoque in hac pale-

Exactissimè de ouo & pullo scripsit Aquapẽdẽs. Hunc librũ Aquapendentis Io. Præuotius, doctiss. Medicus publicauit.

stra

ſtra excercuiſſem, vt fami meæ, qua in rerum naturaliũ ſtudia innato quodam impetu feror, ſatisfacerem: non vereor ex meis etiam laboribus, hìc aliquid. & fortaſſis ab alijs indictum attexere, & *Aquapendenti* modò ſuffragari, modò veritati addictior, eidem, & ſi res ita ferat, *Ariſtotcli* quoque refragari.

Duo autem ſunt, quæ ego præ omnibus examinanda ſuſcipiam. *Primum*, an reuera *ouum*, dum *Gallina* id parit, tenero ſeu molli cortice exeat, & vbi quam primum aerem expertum eſt is, indureſcat? *Secundum*, ex luteo nè, an ex albumine *pullus* naſcatur? Video enim his de quæſitis doctiſſimorum hominum rixas, & publicis conſignata monumentis argumenta pugnantia agitari. Id quod ſatis ſtupere non poſſum, hactenus nihil ferme certi, in re tam leui & mulierculis propemodum ridenda, à ſummis philoſophis decretum fuiſſe. Sed his nempe magis placet ſub vmbra veterum ſcripta euoluere, quam DEI & *Naturæ* opera curioſa indagine in propatulo reuoluere.

Duo in ouis author examinabit.

Primum an ouum molle edatur.

Supina deſidia noſtrorum philoſophorum.

Et *Ariſtoteles* quidem lib. 6. cap. 2. *Hiſt. animal.* ex *Gazæ* verſione hæc ſentit. *Vbi perfectum eſt* (ouum) *abſoluitur, atque exit putamine, dum paritur, molli: Sed protinus dureſcente, quibuſcunque emergit portionibus, niſi morbo vuluæ defecerit.* *Scaliger* hunc *Ariſtotelis* textum Græcum his paulò alijs verbis interpretatur. *Cum verò perfectum fuerit, abſoluitur atque exit. Quo tempore è molli mutatur in durum. Cum enim egreditur, nondum concreuit: & ſimul atque prodijt, ſpiſſatur, ac dureſcit, niſi morbo quopiam præuentum ſit.* Ad hæc nihil aliud *Scaliger*, quàm, quòd *Gazam* reprehendit, qui de ſuo addiderit, *quibuſcumq. emergat portionibus*. Quæ quidem ex *Plinio* huc tranſtulit etenim lib. 10. cap 52. *Exeunt* (ait *Plinius* oua) *à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente quibuſcunq. emergant portionibus.*

Quid Ariſtot. de cortice oui ſentiat.

Hicvult cor ticem intus mollem, & extra in dureſcere.

Plinius Ariſtoteli ſubſcribit.

Aquapendens laudati ſui opuſculi capite ſecundo hæc ſcribit. *Etenim Ariſtoteles & cum eo Plinius dicit, corticem non intus gigni, ſed cum ouum editum eſt: atque prout exit, ita ab aere externo obdurari. Calore externo euaporante humorem.* Et quandoquidem hìc *Ariſtotelis* tutelam & ſuffragium implorat *Aquapendens*, & hunc in publicum producamus oportet, videamusq. quàm æquus ſit ipſi Aquapendenti, & quam ſibi ipſi conſtet. Sic itaque, primo de *Gener. anim.* cap. 8. decernit. *Aues & quadrupedes oua edunt perfecta, quæ vt ſeruari poſſint, duro iam conſtent putamine oportet. Sunt autem quamdiu increſcunt, molliora. Teſta autem efficitur, calore externo euaporante* (hoc eſt conſumente) *humorem. Itaque calidum eſſe locum, in quo id fiat, neceſſe eſt. Talis autem locus ſepti tranſuerſi eſt, quippe qui cibum concoquendo perficiat. Quod ſi oua contineri in vulua neceſſe eſt, vuluam eorum, quæ oua edunt perfecta, ſitam eſſe ad ſeptum neceſſe eſt, eorum autem quæ imperfecta, infrà. Ita enim in promptu erit. Et ſuà verò naturà vulua propenſior ad ſitum inferiorem, quàm ad ſuperiorem eſt, niſi quid aliud opus naturæ impedit, infra eſt enim exitus eius officium.*

Aquaprudens Ariſtoteli ſuffragatur.

Ariſtotelis verba.

Auguſtinus Niphus hunc locum ingenuè explicãs, ait ouorum cortices indurari ex *Ariſtotelis* doctrina quam hoc loco protulit, non extra *Gallinam*, ſed intra hanc ipſam, & loco quidem illo, qui *Septo* ſiue *succincto* eſt vicinus, ſub ipſo nempe pectore, ibique foueri à calore nõ extimo aeris, ſed intimo animalis. Hic enim internus calor vt *Ariſtoteli* videtur, conſumit hunudum, quod

Auguſtinus Niphus vult Ariſtotelẽ docere, ouum intra gallinam indureſcere.

in molliori adhuc testa consistit, haneq. indurat, cum terreum quasi solum relinquatur. *Aquapendens* ergo, ex hoc adducto philosophi loco, opinionem suam parum feliciter fulcire poterit. Aliam igitur machinam mouet, nouasque copias ex 3. de Generat. animal. cap. 2. adducit, vbi hæc leguntur: *Perfecto ouo, durum ac rigidum euadit, ita modicè, vt exeat adhuc molle, dolorem enim moueret, nisi ita exiret, egressum statim refrigeratum duratur, euaporato humore quamprimum, qui exiguus inest, relictaque portione terrena.* Niphus hic in latino suo textu non ponit *frigus*, qui si à *frigore* voluit indurari oui corticem, oblitus est se supra à calore sub septo transuerso vigente, hoc fieri pronunciasse. Et quicquid demum de *frigore* sit, contradicit sibi *Aristoteles*, quod modò extra *Gallinam*, modò intra eandem corticem obdurescere docuerit. Et in hoc hallucinatur turpiter, quod *ouum* cortice obduci, sub *Septo transuerso* existimauerit, cum hoc in loco non reperiatur, nisi merus, purus & putus oui *vitellus*, absque vllo *albumine*, nedum *cortice*, quem infra circa podicem, in vtero suo ad hoc muneris destinato acquirit: quem quoque vterum, vuluam, siue voluam, idemmet *Aristoteles* in *Gallinis* hoc inferiori loco consistere pernegauit, & animalibus saltem illis assignauit, quæ oua pariunt imperfecta, quæ omnia veritatis lucem, ignorantiarum nubibus obscurare mihi videntur.

Alius Aristotelis locus in quo vult ouum non intra, sed extra gallinam corticem durum acquirere.

Aristot. nesciuit, quo in loco ouum acquirat suum corticem.

Et lapsus est in vteri gallinæ assignatione.

Quid igitur hìc faciat, tentetvè *Aquapendens*? diù multumq. in vtramq. se partem versat torquetq. Ac imprimis ratione & experiẽtiâ Aristotel. aduersatur, aitque oculata se fide, durum in ouo corticem intra ipsam *Gallinam* reperisse. Fœminas etiam hoc fateri, dum digitis duritiem oui, quod mox *Gallina* emissura est, in abdomine pertentant. Præterea durum valde esse creditu, in partu, tam citò, ac momento veluti temporis, duro cortice ouum rigescere? Et quando *Gallina* molli cortice ouum peperit, quod non rarò euenire assolet, haud ideò corticem illum indurescere. Friuolum etiam *Aristotelis* argumentum esse, quod de dolore mouet, qui *Gallinæ* inferretur, nisi hæc molle ouum extruderet. Mulieres enim in partu, longè quid mirabilius præstare, cum fœtus bene corpulentos, per angustum adeò claustrum propellant. Sed ego ex mea parte pro communis honore Præceptoris, hoc argumentum addidero. Est mihi domi *terrestris* sceleton *Testudinis*, semispithamæ longitudine, in qua emortua, ouum reperimus columbino paulo minus. Hoc si per medium secundum longitudinem secuisses, possibile haudquaquam fuisset, vt medietas huius siue intrasset, siue exijsset per illam capacitatem, quæ ad caudam & podicem est animalis, inter superiorem inferioremq. testam, carne omni membranisq. iam denudatam. Qua ratione igitur hoc integrum ouum, per angustissimum eundem isthmum intestinis oppletum, carnibus cinctum, & membranis obseptum penetrare potuisset? ne quicquam nunc dicam, de ossea vtriusq. corticis, arctè loca illa stringentis, duritie, & renitentia. An non igitur meritissimè dicturus fueras, hoc ipsum *ouum*, vt per meatus illos angustissimos erumperet, si durum fuisset, aut rumpi, aut mollissimum certè ac ceræ instar flexibile euadere debuisse?

Aquapendes primo contra opinionem Aristotelis disputat.

Sed author graui argumento defendit Aristotelem ex ouo in Testudine reperto.

Aquapendens tandem & ipse posthabitis omnibus à se allatis rationibus, pro tribu-

tribunali ſedens æquus ſit *Ariſtoteli Iudex*, & hunc in modum tulit ſententiam. *Hæc vt dixi, ita probabiliter diù ſuſtinebam, quia tamen ratio omnis quieſcat oportet, vbi experientia refragatur. Ideo concedo quoque ego ouum cortice obductum, & conſtitutionem inter molle & durum adeptam, iam in exitu ſtatim impenſiùs obdurari, concreſcente circa putamen è veſtigio propter humoris euaporationem, vt ait Ariſtoteles, viſcoſa ac tenaci quadam humiditate: cum qua madefaciens in tota ſuperficie ouum naſcitur, & recenti cortici adhereſcens exiccatur, obduraturq. frigido ambiente nonnihil interea conferente. Id quod facilè intueberis, ſi Gallinam domeſticam domi habueris, & ouum ei in exitu dextrè manu arripueris.* Hæc *Aquapendens*, qui abſolutiſsimam tamen nobis hiſtoriam, de *pullo & ouo* anatomicè, & phyſiologicè enucleatam tradidiſſe viſus eſt.

Aquapendens tandē pro Ariſtotele fauorabiliter concludit.

Laudibus extollit veteres *Plinius* lib. 2. cap 46. In *ventorum* indagatione, quòd his orbe etiam diſcordi, & in regna, hoc eſt, membra diuiſo inter bella præſertim, & infida hoſpitia, cordi fuerit, rerum naturalium, obſeruationes prodere. Sui verò temporis deſidiam deplorat, quòd pace tam feſta, tam gaudente prouentu rerum, artiumq. principe, omnino nihil addiſceretur noua inquiſitione, immò ne veterum quidem inuenta perdiſcerentur. Hoc nos de noſtri ſeculi hominibus conqueri non poſſumus omnibus. Plurima iam patent, quæ olim latebant. Regnat tamen, neſcio quæ ſocordia, aut *inuidentia* dicam, in nonnullorum pectoribus adhuc, quæ nouarum rerum inuentoribus detrahit, pro ſciolis hos, & *ardelionibus* venditat, quaſi *Natura* inexhauſtos ſuos theſauros, iam olim omnes profudiſſet, & veterum inuentis ſtandum, quieſcendumq. eſſet ſolis, nec his amplius quicquam adiungi poſsit profuturum. Magna fateor, apud me veterum eſt authoritas, & exiſtimatio, plus tamen *matri*, hoc eſt ipſi *Naturæ* vetuſtiſsimæ, quàm filijs huius tribuo ponderis, & venerationis. Quapropter cum experimentis crebris, aliquid, quod à veterum decretis diſſonat, in rebus ipſis reperio, hoc ego pro *Naturæ* lege habeo, huic me addico, hoc alijs pro veritate vendo.

Plinius veterum diligentiam laudat in rerum naturalium inquiſitione. Sed ſui tēporis ſocordiam vituperat. Nunc nouarum inuentores à non paucis culpantur. Maior eſt habenda Naturæ matris, quam filiorū eius authoritas.

Nunc igitur argumentum dicam euidentiſsimum, cur *Ariſtoteli* & aſſeclis ipſius in hac, quam de *cortice oui* agitamus, controuerſia, applaudere vſque quaq. non valeam. Id præmonere autem conuenit, quòd ſi quiſpiam, in aliqua problematum phyſicorum opinione pertinacior manere, in animum ſuum induxerit, tot ipſi effugia præſtò eſſe, vt illum cōuincere vix vnquam valeas. Et vt *ouum* hoc noſtrum, in exemplum nunc ducamus. Siue hìc aduerſus *Ariſtotelem* dicas, & vidiſſe, & ſuppoſitis manibus, quod mulierculæ aliquot mihi faſſæ ſunt, excepiſſe *gallinæ* partum, hoc eſt *ouum duro cortice tectum*, ſiue in gallina mortua & calente adhuc te tali reperiſſe. Facillimè reſpondēt, vt hoc à frigore, vel expirante, atque debilitato, animalis calore, ita illud ab aere ambiente temporis momento contingere. Sic *corallium* ſub aqua molle, ab hac extractum confertim obrigeſcere. Et quandoquidem ita volunt, iubentque; ita opinantur & inſaniunt, ne ſimilis ipſis euadas, tempus differendo teras, & vt dici ſolet, aquam verberes, vel ipſe des manus illis, aut diſputare cum eis ceſſes oportet. At quam nunc probationem dabo, niſi & ego mente labor, conuincet illos ſolidiſsimè.

Vix aliquis obſtinatis ingenijs ſatisfacere poteſt.

Pertinaces miſſi ſunt faciendi.

Argumentum Herculeum quo probatur ouum intra gallinã habere durũ corticem.

Contigit domi meæ, vt vna ex meis gallinis quæ cum ferocior paululum esset, & alarum partem ipsi, ob id familiares mei detruncassent, arrepto irrito volatu, ex alto admodum loco, in vicini cauædium præcipitem se dederit, & mortua subitò remanserit. Hanc vbi aperiri iussissem, reperi *ouum*, quod intra horæ spatium deponere forsan debebat, in vtero inferiori disruptum, *albumen* & *luteum* per totum vterum dispersum. Ego *corticem* diligentissimè contemplans, inuenio illum adhuc quidem calentem, sed plus, quàm in centum particulas, vitri instar fragilissimi, diffractum, pelliculæ tamen illi, quæ immediatè eidem subtenditur, pertinacissimè adhuc hærescentem. Viden, vt nullus tibi amplius diuertẽdi aut elabendi angulus relinquatur? Oui hic cortex durus, ac ruptilis fuisse dicatur necesse est, non enim aliter vitrorũ more, frangi in tot minutas portiunculas potuit. Sed neque *vteri gallinarum* situm & locũ, in quo ouum formaretur, *Aristoteles* nouit, nempe in animali (quod miror) domestico, vbiuis locorum prostante, & mensarum omnium amico. Vt vitio nobis vertendum minimè sit, si nos quoque in illarum bestiarum partibus declarandis cæcutiamus, quæ aditus colunt inaccessos.

Aristot. ignorauit vterorum gallinę anatomen.

Hanc ego rudioribus rudem saltem dabo.

In tyronum autem Medicinæ saltem gratiam, *gallinarum vteri* anatomen, vt is se meis manibus aliquoties obtulit, adumbrabo, neque enim exactiorem descriptionem tempus & locus hic mihi permittunt.

Vbi & quo modo ouũ formetur.

Ouarium.

Infundibulum.

Vteri superior pars.

Sub *thorace* igitur, aut sub *Septo*, vt ait *Aristoteles*, *ouarium* est, aut *vitellarium*, siue *vitellorum racemus*, qui ex meris constat nectiturq. vitellis ouorũ minimis, mediocribus, maioribus. Et in hac quidẽ *gallina* maiores, qui semper infimo sunt loco, siti, *nucis auellanæ* magnitudinem æquabant. Horum vnus post alterum abrumpitur à petiolo suo, quo hæret, & per tubulum quendam *infundibuli* formà effectum, ac longum auricularem digitum, tenuioris substantiæ, *ouario* hærentem, descendit in aliam cauernosam partem, siue vas quoddam oblongum, instarq. intestini conuolutum, habens forinsecus capillares suas, ac veluti venas mesaraicas adnexas. Huius substantia interna candida est, & rugosa. Rugæ autem vermiculorum formam non per transuersum, sed per oblongum positorum referunt. Est huic longitudo, si extendatur, spithamæ & mediæ, capacitas tanta, quæ facilè digitum indicem admittat. Per hunc ductum, siue vteri partem (*Aquapendens* secundum vterum appellat) *vitellus* paulatim descendit, & forsan etiam *albuminis* portionem in itinere hoc assumit, donec tandem per alium ductum instar parui intestinuli, in ipsum vltimum *vterum* detrudatur, vbi tam diu persistit, donec *cortex* illi durus & perfectus inducatur, & ex hoc demũ loco à *gallina* excludatur. *Vterus* hic extẽdi insigniter, tantusque, quantus ad capiendum ouum sufficit, fieri potest; quem si exterius intuearis, pellem esse dices, non septam eiusmodi, mesaraicas æmulantibus venulis, sed his per corpus eiusdem disseminatis. Interna superficies subfusci est coloris, & plurimis inæqualitatibus non *vermium* formà variegata, sed tuberculis copiosis grana *milij* aut *canabina*, imitantibus exasperata, & hoc loco, *ouo* datur exitus per canaliculum quendam, paulo maiorem quàm illum esse dixi, per quem ingressus eidem fuerat. Estque finis huius prope podicem, vbi *Sphyncter* clauditur musculo; qui in hac *gallina* admodum conspicuus erat, annu-

Inferior vteri pars vbi ouum corticem durũ acquirit.

Vteri vbi ouum perfectum deliteſcit, descriptio.

Vbi ouum exeat.

lum,

lum apprimè referens, qui auricularem digitum informare potuisset. Prope hoc foramen, viciniſsimum erat aliud, ipſe nempe *inteſtini recti* finis, & oſtiarius muſculus, ſed præ altero vix conſpicuus. Quod ſi ſtylum per hoc adigas, in ipſum *inteſtinum rectum*, & non in *vterum* penetrabis, quod facies tamen, ſi per prius foramen illum ipſum intrudas. Hoc interim ſtudioſè hìc monere volo, in illis *gallinis*, quæ oua non pariunt, tam *ouarium* quàm ſubſequentem vterum (*Anteuterum* à me vocatum) & ipſum *infernum vterum*, perfecti oui receptaculum adeò deliteſcere, vt vix appareant. Quare hac in re licet friuola, eo verboſior paulo fui, quò magis mihi diſplicet *laconicos* nimium Præceptores noſtros fuiſſe.

Vbi excremẽta emittantur.

Gallinæ quæ oua non pariũt vix conſpicuos habẽt vteros.

O quam deſiderarem ego nunc, quod toties iam optaui, vt philoſophi noſtri ſimul, cum veterum, *Plinij* præſertim & *Ariſtotelis*, verbis, res ipſas, an hæ cum eorundem dictis congruerent, in *animalibus* ſaltem conſiderarent.

Votum Authoris vt quilibet cũ verbis, res ipſas conſideret.

Sed proh dolor! hæc vota ſunt ſolummodo, & vereor ne veriſſima ſint, quæ *M. Antonius Vlmus* phil. & Medicus *Bononienſis* doctiſſimus, quondam in ſua, acri ingenio elaborata, *phyſiologia Barbæ Humanæ* conqueſtus eſt his ipſis verbis. *Næ fuit mortalium ſapientum Ariſtoteles homo feliciſſimus, qui vniuerſam poſteritatem catenatum habuit mancipium. Vnuſquiſque ſatagit & miſcet mare cælo, vt ſaltem verbulum ipſius exponat, quouis machinarum genere adhibito. Iam ſapiunt omnes ferè illius cerebro, adeò ſuauis eſt deſidia.* Atque ego hæc, ſolo hoc fine refero, vt magnum hunc virum, *in quem* vt multi cenſent, *Natura omnes ſuas videtur dotes effudiſſe*, quiuis imitari tunc ſtudeat, cum illũ videat, rebus ipſis manus admouiſſe, & non vniuerſaliores, remotas, & longinquas cauſas attuliſſe, quod ipſe etiam in antiquis philoſophis nonnunquam reprehendit. Hac enim ratione Logicè potius, & Philologicè, quàm phyſicè & realiter philoſophari emur.

M. Ant. Vlmi de Ariſtotele cenſura.

Ariſt. magni faciendus vbi res ipſas cum verbis conſtruentes habet.

Solet autem *Vlmus* ratione & experimentis plurima, hoc libro aduerſus veterum dogmata agitare, quæ ad *Barbæ humanæ* naturam, finem & vſus ſpectãt, vix ab alio quoquam cogitata & animaduerſa. Hunc adeat Lector, ſuadeo, ſi cauſas noſſe velit, cur *Barbæ in mulieribus* aliquando erumpere ſint ſolitæ. Veluti heſterna ego die, quæ fuit vigeſima Iulij anni huius ſalutiferi 1627. In hac ipſa *Vrbe Romana* in circo ſiue *platea agonali*, & plurimi mecum cum admiratione viderunt fæminam quandam, viuam ſanamq. 48. circiter annos natam, cui *barba* nigra, denſa ſemipedem longa, ex mento dependebat. Labia quoq. tam ſuperius quam inferius, maxilla vtraque, & ſubmentum, pilis nigris longisq. obſita erant.

Vlmus dum naturam indagat, plurima aduerſus veteres docet.

Romæ viſa mulier bene barbata.

Eſt autem hæc fæmina ruſtica, ex *Caſtello* quodam *Cumuli* dicto, *Aſculanæ* Dioceſeos oriunda, quæ ſuum quoque maritum ſecum ducit. Eſtque hæc tota rei hiſtoria, ſicuti ipſamet mihi faſſa eſt. Cum annorum eſſet quatuordecim, coniugium inijt cum hoc ſuo marito, cum quo octodecim annis ſana, vegeta & menſtruis bene procedentibus, ſed ſine grauidatione vixit, quibus exactis, impleta à marito fuit, & filium peperit, lac quoque præbuit, & alium poſt biennium genuit. Cùm verò vterque moreretur, ipſique paulatim menſtrua ſubſiſterent, ſexto poſt horum ſuppreſſionem menſe, capilli ſub temporibus plures ipſi enati fuerunt.

Hiſtoria huius mulieris barbatæ.

Barbeſcere cæpit primò ſub tẽporibus.

Et pari-

Et pariter mollem malis demittere barbam incepit, vt *Lucretius* canit. Posteà in *mento* & dictis iam locis consimiliter pili eruperunt, hirsutaq. facta est in pectore, intra mammas, quas nobis fæmineas iam dudum sororiantes, & bene turgidas ostendit, qui pili omnes cum capitis crinibus nigri sunt, veluti, ac facies subfusca apparet. *Cumq. ita vernarent dubia lanugine malæ*, & *mentum* hirsutum quoq. fieret, verecundari cæpit, & simul, non semel tantùm, pilos sibi abradi procurauit, qui importunius magis magisq. repullularunt.

An olim Romanæ mulieres frequenter fuerint barbatæ. Videtur hoc doceri ex Plinio.

Posset nonnemo ex *Plinij* loco lib. 11. cap. 37. argutari, hoc ipsum frequentissimè olim *Romanis matronis* contigisse, sic enim illic scribit: *Infra oculos malæ homini tantùm, quas prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Pudoris hæc sedes, vbi maximè ostenditur rubor.* Monet enim *Vlmus*, non defuisse, qui existimarent prohibitum fuisse *Romanis* mulieribus, ne genas nouaculà raderent, & strictim pilos tollerent, ne barba illis succresceret. Atqui malè hos, legem hanc, *Mulieres genas ne radunto*, interpretari, ex *Ciceronis* lib. 3. *Tusculanarum quæstionum*, liquidissimum euadere, quando ait. *Ex hac opinione sunt illa vana & detestabilia genera lugendi, pædores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, fœminum, capitis percussiones.* Volebant igitur *Romani* vetare pessimam illam veterum consuetudinem, etiamnum apud barbaras fœminas quasdam, seruatam, qua in morte suorum, capillos sibi vellunt, & faciem vnguibus lacerant, aliaque indecora præstant, quæ *radendi* verbo, olim omnia significabantur.

Respondetur ex Ciceronе.

Rarum hoc fuit apud veteres & apud nos quoque. Exempla ex Aristotele, & Plinio.

Non est igitur neque nunc, neque olim adeò fuit frequens, vt *barbam* lucu-lentam fœminæ promitterent. *Aristoteles* lib. 3. cap. 11. Hist. an. ait: *Pili in mento mulieris non prodeunt, nisi interdum pauci, cum menstrui cursus substiterunt. Et vt in terra Caria mulieribus Sacerdotibus euenire aiunt, quod diuinationis indicium interpretantur.* Plinius *Aristotelì*, vt solet, subscribit lib. 11. cap. 39. his verbis. *Inuentæ tamen quædam defluuio capitis inualidæ, vt & lanugines oris, cum menstrui cursus stetere.*

Exempla duo ex Hippocrate.

Apud *Hippocratem* nostrum sexto Epidem. in fine, non nisi duas eiusmodi historias legimus. *Vna* fœminarum harum fuit *Phaethusa Pytheæ* vxor, quæ vbi priùs fœcunda fuerat, postquam maritus in exilium abijsset, huic menses steterunt, dolores & rubores ad articulos suborti, corpus virile euasit, & tandem produxit *barbam*, facta est hirsuta, & vox reddita aspera. Non potuerunt reuocari menses, nec multo postea tempore vixit. *Altera* fuit *Namysia Gorgippi* vxor, cui nec ipsi suppressi menses potuerunt restitui, & paulo post obijt.

Constitutionis, & morum descriptio in nostra hac fœmina vocata Magdalena Venturæ.

Nostræ autem nomen est *Magdalena Venturæ*. Optima valetudine toto vitæ suæ cursu vixit, neque quicquam detrimenti ex suppressis mensibus sensit, nisi quod priore à cohibitione, tempore, dum periodus priùs solitæ euacuationis rediret, sibi mammas tantìsper impleri & lumbos doleri, percepit. Munia hæc obijt semper virilia, cum bobus suis arando, agros colendo, maritum quoque in exilio sequendo, & inimicis resistendo, erat autem iam tum barbata, quamuis vestibus semper muliebribus veluti nunc quoque vteretur. Vocem non habet asperam, nec faciem valde virilem. *Laryngis* caput, quod in viris prominet, in ipsa planum est. Quadrati est habitus, & iustæ staturæ.

Barbam

Barbam quam semipedem iam longam gerit, ab vndecim tantùm mensibus, ita nutriuit, cum eam prius semper abradi sibi permitteret. Non sum tamen nescius, plures eiusmodi mulieres, tam in *Germania*, quàm *Italia*, hac etiam nostra ætate, visas fuisse. Extat apud *Vlmum* epistola *Gisberti Vuossij* Inuictissimi *Ferdinandi* secundi, *Archiatri* præstantissimi, qua describit *Helenam Antoniam* virginem prolixa admodum *barba* donatam, quam plurimi, *Græcij*, ex amicis meis viderunt, & apud Serenissimam *Ferdinandi Matrem* in Gynecæo nutriebatur. Hic iterum limites excessi, sed nec inutilia, nec prorsus iniucunda, vt spero, dedi. Gisbertus Vuossius Cæsaris Archiater alia describit. Parerga hæc videntur esse vtilia & iucunda.

Ad *ouum* à *barba* reuertamur. Sed priusquam secundæ controuersiæ nodos enodemus, dubio, quod supra aduersus nostram metipsam conclusionem attulimus, satisfaciamus oportet. Idque hoc fuit. *Qua ratione duri corticis ouum ita bene magnum, ex Testudinis vtero, duabus corneis testis, seu carceris parietibus, arctè compresso egredi potuerit?* Fateor mehercle, antequam *Testudinis* anatomen vidissem, hoc mihi non nouum solummodo, sed insolens quoq; apparuisse, cum aliquando *Testudines* fœminas grandioribus his ouis, desidentes, ac veluti flatu & anhelitu suo fouentes, contemplatus essem. Veruntamen res ita se habet. Inferior huius bestiæ tabula, seu testa, quæ ventrem integit, vnam habet per totam sui longitudinem ferme, & tres per transuersum positas futuras, siue commissuras, illis quæ in caluarijs videntur, haud quaquam absimiles: vnam prope caudam, tertiam prope collum, tertiam in media ventris regione collocatam, ad hunc solum, vt existimo, finem vsumque, cum *Natura* nihil frustra, sed omnia in *numero, pondere, & mensura* procreauerit, ibidem impressas, vt si animal hoc aliquem duriorem maioremq. bolum per os transglutire, vel infra aliquid sibi molestiam creans emittere vellet, hæc ipsa cornea, atque ossea substantia, non aliter, atque mollis quæda cartilago cederet, aperiretur, extenderetur que Conuenientiùs huic obiectioni responderi posse, nec per plurimas quidem acutasq. philosophorum rationes easque friuolas, quàm nunc factum est per simplices ac pauculas has, verasq. Naturæ demonstrationes, prorsus autumo. Ad ouum fit regressus. Respondetur obiectioni ab authore motæ. Quomodo exitus detur ouo duri corticis, ex vtero Testudinis. Hoc fit propter Suturas in testa inferioris testudinis.

Est autem inter futuram mediam, illamq. quæ caput versus extat, alia triangularis, quæ ossiculum parte interna, figura simili quoque exhibet, externa autem parte, rotundum nummulum repræsentat. Quem vsum hoc habeat, adhuc ignoro, nec scio an hìc ludere *Natura* voluerit, errare certè non voluit. Eiusdem prorsus formæ triangularia ossicula, in aliquibus humanis *caluis*, in vertice inueniuntur, præstantissimum, vt aiunt, Epilepticis remedium. Alia & mira est in testudine Suturæ.

Nunc alteram ordiamur litem, quæ inter *Aristotelem & Hippocratem* voluitur. *An ex luteo oui formetur pullus, & albumine nutriatur*, vt hic censuit: *an contrarium fiat*, vt ille voluit. Libuit autem hic paradigmatis loco, ouorum tam *gallinæ* quàm *lacertæ*, icones subijcere, mox declarandas, quas ex ipsismet *ouis* olim, à me examinatis, & à pictore delineatis, viuàque experientiâ comprobatis, desumpsi; vt hinc constare valeat, vtri nos calculum nostrum adijciamus. Ad Secundam controuersiam fit trãsitus.

Hippo-

Hippocrates vult ex luteo auê generari.

Hippocratem primò in aciem producamus, ad quem veluti ad *Cynosuram*, in fluctuante opinionum mari, *Medici* vela nauesq. dirigunt suas. Hic igitur libro de *Natura pueri*, cum diceret fœtum deficiente alimento, quod à materno illi sanguini haud amplius suppeditatur, seipsum iactare, repagula soluere, membranas disrumpere, & exitum quærere, vel hoc argumento probabat, quod simile quid *pullus* in *ouo* tentet, cum alimento orbatur, quod *albumen* esse, ex *luteo* verò eundem natum fuisse, asserebat. *Procreatur autem*, inquit, *auis ex luteo, alimentum autem & incrementum continet, quod in ouo est candidum. Quod omnibus qui animum aduertere poterunt, conspicuum esse potest.*

Hanc suam opinionem nullis probat argumentis. Quæ pro ipso Aquapendens dicit.

Pro stabilienda hac *Hippocratis* sententia, nullis fulta probationibus, has ipsi *Aquapendens* suppetias mittit. Imprimis quidem ex *Athenæo* liquere, ita *Anaxagoram* sensisse, qui ideo albumen ὠρίβοτον γάλα, hoc est *lac auis* appellauerit. Hoc ipsum quoque *Alcmæonem Crotoniatem*, imò plerosq. tunc temporis, homines sensisse, vt *Aristoteles* innuit 3. de generat. an. cap. 2. Posse & hinc deduci, quòd quæ oua *duo lutea*, siue *vitella* habent, duplicem quodammodo pullum procreent, duobus nempe capitibus, & quatuor cruribus præditum, cum tamen vnicum tantùm adsit *albumen*.

Prosper Martianus acriter pro Hippocrate pugnat.

Verùm *Prosper Martianus*, cum quo aduersus *Hippocratem*, sæpe hanc pugnam pugnaui, cum experimentis proprijs meis aliquantulum magis credere sim solitus, quàm nudis authorum verbis; ne & mihi scilicet, quod pluribus accidit:

Aduersus quem sæpe author pugnauit.

Scribere sic liceat, iubeat quodcunq. voluntas.

Martianus miratur in re sensibus obuia Hippocratem & Aristotelem dissentire.

Martianus inquam, qui nullam fere voculam obscuram *Hippocratis* præterit, quam non vel locis ex eodem consimilibus, vel à se excogitatis rationibus corroborare satagit, & hìc quoque *Hippocratem* suum mordicus tuetur.

Author cur hoc fiat causam assignat.

Admiratione tamen dignum esse ait, primos secretorum *Naturæ* interpretes, *Hippocratem* & *Aristotelem*, circa materiam, quæ sensus iudicio determinanda videtur, in contrariam sententiam omnino abijsse.

Hoc ego non miror modò, sed deploro penitus, quod veteribus nostris, & addictis horum cultoribus plerisque, magis speciosæ quædam & argutæ ratiunculæ, quam labores in rerum naturis indagandis exantlandi, arrideant. Et quotusquisq. nostrorum *Medicorum* iam est, aut *Chirurgorum* (ne de *ouis* & *pulli*

pulli examine facillimo, neglecto tamen, nihil dicam) qui vtiliſſimam, ſuam totique humano generi proficuam operam, ſtudiumq. in fœtus humani, ex vtero cum ſalute educendi, artificio & induſtria ponat, doceatuè? Cùm *ars* hæc ſimul cùm mundi origine nata, nobiliſſima, ſummè neceſſaria, communiſſimaque, ad ſolas *obſtetrices*, ineptas plerumque, iam omnis proh dolor! tranſierit. Nec (*hirurgi* nec *Medici* ſint (quibus nimirũ ex officio hoc muneris incumberet) qui eaſdem, antequam manum huic periculi pleniſſimo negotio adhibeant, vel examinent ſcientes, vel inſtruant neſcientes, vel ipſimet demum, in extremis vitæ periculis, in doloribus acerbiſſimis, parturientibus miſerculis ſuccurrãt. *Lachrimis* hæc ego, non atramento nunc ſcribo. Cum nudiustertius, quæ fuit 27. Iulij anni 1627. vt infortuniũ maximum à non ſatis perita *obſtetrice*, domi meæ in mortuo filiolo, ſacro tamen baptiſmate donato, ſum paſſus, ita ſalutarem manum à *Franciſco Mambriano*, Chirurgo *Romano*, peritiſſimo & vnico huius artis operatore, *Pompilij Tagliaferri Parmenſis*, Medici & Anatomici celeberrimi, diſcipulo, vxor mea amatiſsima, morti, ob vitioſum partum viciniſsima, accepit, & ab hoc ipſo viro ſecundam veluti vitam recepit.

Deplorat author, à Medicis & Chirurgis hodie tam vilipendi, nobiliſſimam artem obſtetriciã

Authoris infortunium in filio mortuo.

Sors bona in recuperata vxoris vita quaſi deplorata in partu vitioſo.

Ad *Martianum* redeamus, qui mauult *Ariſtotelem*, & huius aſſeclas à ſenſu ratiocinantes deceptos eſſe, quàm *Hippocratem*, qui in ouorum inſpectione diligentiſsimus fuerit, veritatem non percepiſſe. *Hippocratem* autem his potiſsimum rationibus moueri potuiſſe adiungit. *Primò*, quòd *luteum*, vt quid nobilius, ante *albumen* generari conſiderarit, quod veluti opifex & principium animalis in medio, ceu tutiſsimo ideo loco, fuerit collocatum, huic poſtea albumen ſuperuenerit alimentum, vtpote frigidius, quod tamen *Ariſtoteles*, præter omnium Medicorum mentem, calidius luteo eſſe ſcripſerit. *Secundò*, *piſcium ouа* ſolo luteo conſtare, & albuminis loco aquam ceu alimentum ſubire. *Tertiò*, deceptos illos fuiſſe, qui *vmbilicalia vaſa* in luteo conſpicientes, putarint, propter alimenti attractionem facta fuiſſe, cùm *natura* in ouo hæc ſubitò condiderit, vt per hæc *efficiens* & *materia*, pro prima *pulli* fabrica traduceretur. *Quartò*, quia *Hipp.* vidit exorto pullo, nihil *albuminis* ſupereſſe, *lutei* tamen adhuc portionem aliquam reſtare, ideo hoc pro materia, illud pro nutrimento aſsignarit. *Quintò*, quia vbi *gemina* ſunt *lutea*, ſepto ſeparata, ibi etiam *gemini pulli* enaſcantur. Reliqua apud eundem *Martianum* in *Notationibus* ſuis ad *Hippocratem*, videantur.

Hæc reſtituta fuit à Franciſco Mãbriano obſtetricũ omnium magiſtro. Martianus ſuũ tuetur Hippocratem quinq. præcipuè rationibus

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Ariſtotelem noſtro egere patrocinio haud arbitramur, vt qui ſeipſum ſatis ſuperq. tueri valeat. Et 3. quidem de *Generat. animal.* cap. 1. hæc habet. *Pars igitur eius* (oui) *quæ calida eſt, propius ad formam in membris conſtituendis accedit, quæ autem terroſior eſt, corporis inſtitutionem præbet, & remotior eſt, quamobrem in bicoloribus ouis, animal initium ſuæ generationis in candido ſumit. Initium enim animale in candido eſt, cibum à luteo capit.* Secundo verò capite, deceptum fuiſſe, *Alcmæonem Crotoniatem*, ait, quòd ideo putauerit *albumen* eſſe alimentum pulli, quia lacti ſimile apparet. *Vitellum* autem oui quia per calorem gallinæ incubantis fit humidius, ideo eſſe potius alimentum *Ariſtoteles* ſtatuit, cum ad huius naturam ſpectet, vt ſit humidum, cum è diuerſo *albumen* per calorem craſſeſcat, & induretur. *Cum enim naturam quoque contrariam*, ait, *habent candidum & luteum*

Ariſt. pro ſeipſo argumenta dicit.

Quæ à natura candidi & lutei deſumit.

Hæc examinat, quid à calore & frigore pati possint.

luteum. Luteum namque gelu duratur, & coit, calore contra humescit. Quapropter cum vel in terra, vel per incubitum concoquitur, humescit, atque ita pro cibo animalibus nascentibus est. Nec verò cum ignitur, assaturque, durescit, quoniam naturæ terreæ est, vt cera. At candidum gelu non concrescit, sed magis humescit, igitur solidescit. Quamobrem cum ad generationem animalium concoquitur, crassescit, ex hoc enim constitit animal; luteum autem pro cibo est, & membris subinde instituendis hinc incrementum administratur. Quocirca luteum & candidum membranis inter se distinguuntur, quasi materiam habeant diuersam.

Luteum Aristoteli quid terreum & frigidum est, albumen verò calidum & spirituosum.

Est autem hæc vtriusq. diuersitas, in hoc sita; quod *Aristoteli*, & huius expositoribus *luteum* se habeat vt *terra* inter reliqua Elementa, imo nimirum lo lo subsidens, & frigida qualitate dotatum. *Albumen* autem, altiore loco collocatum, & spiritibus scatens caliditate sit donatum. Quapropter dicebat simile quid in ouis fieri, dum vrina reddunturi, quod vino accidit, quando acescit. Vinis nempe hoc ob perturbatam fecem, ouis itidem ob terrenam conquassatam partem, id ipsum contingere. Et hoc quidem calidioribus potiùs, quàm tepidioribus diebus vsuvenire.

Authoris excusatio, qui inuitus Aristotelē oppugnat.

Hìc iterum inuitus cogor, & verecundià quadam moueor, tanto me toties viro opponere. Vbi tamen hæc monita apud *Quintilianum* lego, animos resumo, & audacior factus mea quoque profero, lectoribus consideranda & censenda. Inquit autem hic eloquentiæ magister: *Verecundia est amabile vitium, virtutes facilè generans. Sed sæpe nocet.* Et iterum: *Valde difficile, imò impossibile est, imitando alterius similem fieri, quare potius studere debemus, vt superemus, sic enim fortassis æquabimus. Nec qui maximè imitandus etiam solus est imitandus.*

Si luteum ceræ comparatur nō erit terreū à prædominio.

Verùm nolo iam, quod iure possem tamen, cum *Aristotele* acriùs dimicare, quod commodiore loco fiet, qua ratione dicere potuerit *oui luteum* terrenam eius partem esse, & tamen *ceræ* comparari? At noui mus omnes nos *ceram* habere maximam cum *igne* potiùs, quàm *terra* symbolizatē, & in quem cum conuertatur, iugiter profectò illum nutrit, & ab ipso demum consumitur & dissipatur. Rectè hanc instituit *Aristoteles* comparationem, at non rectè fecit, quod *vitellum* & *ceram* terrea, à prædominio pronunciauerit. Ex *vitellis* ouorum namque, in sartagine frixis & expressis, bona olei bene pinguis copia elicitur, oleum autem philosophi nostri hactenus bona fide crediderunt, plurimum aeris possidere, quod aquæ nempe hoc innatare videant, quæ philosophia suo quoque tempore examinabitur. Atque hinc fit, quòd *Terebinthina resina* pinguis & inflammabilis, non cum aqueo aliquo liquore, aut cum terrea substantia vniatur, liquabili forma compareat, & talis perseueret; sed cum *luteo* oui probè commisceatur, talisq. reddatur, vt sorberi facillimè etiam possit, quod peritis pharmacopoeis notissimum est. Non alia hoc ratione fieri arbitrandum est, quàm quòd hìc pingue suo pingui societur.

Ex vitellis ouorum ex primitur oleum. Ergo debet potius aer in his quā terra dominari.

Similia similibus cō iungi maximum est axioma in philosophia:

Atque hoc ipsum axioma *similia similibus coniungi*, friuolum prorsus reddit *Aristotelis* argumentum, quo probare tentat, *luteum* oui terreum esse ideo, & graue, quod rupto ouo, & albumine cum suo luteo mixto, coctoque, *luteum* tamen locum petat medium, centro ceu *Terræ* destinatum. Sic enim cap. 1. circa finem scribit, candida enim pars oui naturà humida est, caloremq. animalem

intra

intra se continet, quamobrem circum ipsa discernitur lutea, & terrena intus manet. *Et si plura ouа coniecta in patinam, aut tale aliquod vas, coquis igne, ita ne motus caloris citatior sit, quàm ouorum distinctio, idem in vniuersis ouis, quod in singulis euenit, vt lutea cuncta in medio constituantur, candida circiter ambiant.* Hoc enim ideo accidit, quia oleosa oleosis, aquosa aquosis, salsa salsis ex constituto *Naturæ*, & à DEO rebus indito ordine, tanquam similia similibus copulantur. Atque hoc est, quod *philosophi* decantant: *Calorem congregare homogenea & separare heterogenea*, quæ priùs ita erant inuicem permixta, vt ea oculis carneis minimè peruideres, lumine tamen mẽtis optimè perciperes, si cultro præsertim anatomico *chymicorũ, igne* inquã, easdem separare non rarò studuisses. Quis enim in aridissimo *ligno aquã*, in siccissimis *pilù & cornibus, oleũ* inesse dicturus fuisset, nisi vtrũque ex vtrisq. *Vulcanus* elicuisset, & priùs oculis tuis manibusq. obtulisset?

Reſpondetur Aristotelis experimento probantis luteum esse quid terreum.

Chymicorum Vulcanus verè separat heterogenea, copulat homogenea.

Neque scio quàm verum sit, *candidum oui* gelu minùs, quam *luteum* concrescere. Noui certè, aquam faciliùs quam oleum congelascere. Ita plurima priùs viuis essent experimentis tentanda, & probè examinanda, quàm vt fidem adeò facilem priscis artium doctrinarumq. magistris nostris adhiberemus, & sæpè pro indubitatis, incerta acceptaremus, ex quibus in absurdiora lapsus longè grauissimus consequitur.

Difficile est creditu candidum oui minus gelascere quam luteum.

Verùm vt vt rationes vtriusque Scriptoris antiquissimi, tales sint, quæ horũ discipulos ad idem prorsus sentiendum suauiter inducere, ne dicam vafrè seducere potuerunt; vna tamen sedula obseruatio, ex *pulli* nascentis in ouo anatome facta, has omnes pessundat atque prosternit, quæ hæc ipsa est, quam inter quamplures alias *Aquapendens* quoque adducit, mihi autem semper sola satisfecit. Per *albumen* videlicet æquè, atque *luteum* venulas dispersas sanguifluas esse, quæ omnes in ramulos maiores desinentes, in truncum cunctæ demum ampliorem, qui *ductum* constituit *vmbilicalem*, terminentur, per quem sanguis in animalculi *hepar* deriuetur. Quid igitur dicet quispiã, tibi aduersus tantos viros animi est, quiduè statuendum æstimas? Hoc ipsum, inquam, quod ego iamdudum, antequam de *Aquapendentis* opusculo, hac de re conscripto; quicquam mihi innotuisset, diligentissimè obseruaui. *Pullum nempe ortum suum ex chalaza ducere*, quam *Itali la Galladura, Germani* aptissimè *den vogel*, hoc est *Auem* vocant, quòd ex hac *auis* enascatur. Quæ particula inter *& vitellum* & *albumen, grandinis*, aut *margaritæ* maiusculæ, & oblongiusculæ formà, collocatur, & diuersam paulo ab albumine substantiam, duriorem nempe, & tenaciorem adepta est, & quam ob id, qui cibis parandis studeant, dum aut iusculum cum *ouis* miscent, aut aliud quidpiam esculenti, ac liquidi ex ijsdem parant, ne impedimento sit, separare satagunt, quippe quæ sedula etiam agitatione, vix dissoluatur, nisi *salem* huic aut *sacharum* aut *acetum* adijciatur.

Vnicâ experientiâ Aristotelis, & Hippocratis rationibus respondetur.

Quid author in hac controuersia sentiat. Pullum nempe ex chalaza ortum ducere.

Atque ex hac, & non alia parte, siue *albi* siue *lutei, auem* seu *pullum* generari conspexi, quando *gallinæ* subditum, tertio post incubitum die, *ouum* effregi. Reperi enim ibi, vbi *chalaza* fuerat, carneam quandam massulam, *formicæ* grandioris magnitudine, informem adhuc, & in qua nihil aliud videre & distinguere poteram, quàm humores *oculorum, crystallinum* maximè, instar minutissi-

Quod viuo experimento comprobatur.

mæ *lenticulæ* iam condensatum quoque, ac transparentem. Ita vt forsan absurdum haud fuerit, si quis dicat, in *auibus* saltem, *naturam* à *capite* ac *cerebro* priùs, quàm à *corde* fabricam suam ordiri. Quamuis, quia etiam in bene formato *pullo*, *cor* pusillum admodum est, hìc forsan adumbratum, sed nondum ita perfectum fuit. Erant autem in hoc *albumen* & *vitellus* integra adhuc, ac prorsus incorrupta. *Aquapendens pullum pulicis* magnitudine ex *chalaza* natum vidit. Quod iam de *corde* ac *oculis* dixi, ex *pulli* sectione confirmatur, ex *ouo* eruti, quod tredecim diebus gallina fouerat. Eò enim aperto, omnia formata membra, interna, & externa conspicua fuerunt, *pulli* longitudo auricularem digitum æquabat, ad quam vix peruenerat *humanus fœtus* sexaginta dierum, aliàs à me visus & picturà apud me expressus. Humor *crystallinus* in hoc magnam etiam *lentem* referebat, & mole sua *cor* ipsum duplo superabat, hoc enim habebat exiguum valde, ac rubicundum, quo paulo maius solummodo, *hepar* erat.

Forsan caput primò formari in capit in pullo.

Quid in pullo repertũ quod tredecim diebus sub gallina fuit.

Quod autem in icone superiùs, *ouum*, cum suo *pullo perfectiore* prostat, illud ipsum est, cuius descriptionem iam dedi, hoc libro folio 654. quando de *Vmbilico Apri Mexicani*, sermo mihi fuit, quo lectorem meum, ne magis ipsum onerem, mitto. Inueniet enim ibi, *albumen* æquè atque *vitellum*, sanguinem in se continuisse, cum rupto *ouo*, statim (ceu lotura carnis essent) *reliquiæ albuminis* effluerent. Situs etiam *pulli* huius, cum oculis subijciatur, hìc pluribus haud verbis est explanandus.

Declaratio primi oui quod supra in icone exhibitũ fuit.

Alterum verò, quod hìc sub imagine expressum est *ouum*, *pullum* huius planè magnitudinis propositæ, in se gerebat, post hoc est primum articulum saltem auricularis digiti longitudine attingebat, incubitum, quem non nisi octo diebus *gallina* ipsi præstiterat. Rupta oui obtusiore parte, simile spatium vacuum fuit visum, quale in altero iam ouo perfectioris *pulli* fuit descriptum. Laceratà etiam, quæ sub hoc spatio est, pelliculà, duo in conspectum confestim venere puncta nigricantia, grandia, & prominentia, *oculi* videlicet huius *pulli*, in *capite* valde magno, & quod magnitudine sua, reliqui totius corporis molem æquabat. Et cum esset tam minutum animalculum, mirabile tamen fuit, hoc ipsum vixisse, pedesque, & alas iam bene figuratas mouisse. In hoc quoque *ouo candidum* erat sanguineum & *luteum* venulis rubentibus consperſum, sed maiore hæc quantitate, & veluti permixta, nec ita distincta bene apparebant, vt in perfectiore videre contigit. Debebat profectò *Aristoteles pullorum* ex *ouis* primam formationem acutiùs introspicere, sic enim *chalazis*, quas *Gaza* vertit *Grandines*, munus suum quod in generatione obeũt præstantissimum, non inuidisset, quod tamen his verbis 6. Hist. an. cap. 2. fecit; *Grandines autem dicta, quæ initio vitelli adhærent, nil ad generationem conferunt, quanquam aliqui ita non existimant.* Fuerunt ergo *Aristotelis* tempore quoque qui hanc nobiscum veritatem agnouerunt, quos ipse deceptos potiùs autumauit. Sed quia *chalazæ albuminis* substantiæ ac colori similiores sunt, quàm *vitelli*, ideo forsan quis *Aristoteli* magis, quàm *Hippocrati* hac in lite fauere possit.

Secundæ iconis explanatio.

Pullus huius oui vixit & omnia mẽbra formata habuit & erat octo dierũ.

Aristoteles male a generatione pulli chalazas excluſit.

Ab ouo vsque ad mala, antiquum est verbum, hoc est à principio ad finem nunc tendimus, quod priscis vsus esset hominibus, ab *ouis* plerumque cibos suos auspicari, & *malis* seu *pomis* cænas claudere. Et nos enumeratà adhuc

Author ad finem properat.

vna

vnà *oui* & *pulli* hiſtoria à gallina perfectè excluſi, ad finem quoque properabimus.

Completi generati pulli hiſtoria.

Eſt autem hæc: quam non ingratam fore exiſtimo rudioribus, qui ſimilia experimenta, nec tentarunt, nec viderunt. Cum itaque ouum quoddam, in quo pipientem audieram pullum, aperirem, & quidem parte oui obtuſiore, vbi generatio in *chalazæ* corpuſculo inſtitui ſolet, reperi imprimis aliquantiſper ab interna parte foras ruptum corticem, non tamen, vt ibi vllum foramen, per quod aer intromeare potuiſſet, appareret. Notandum autem, hoc loci ſpatium à cortice ad ipſam pelliculam, qua auis obuoluitur, aere aut vaporibus exiſtere plenum, vnde abſque externi vllius aeris ingreſſu, auis ex hoc reſpirare, & vocem emittere valet, quando roſtello ſuo, illam, qua clauditur, pelliculam rumpit, & in hoc ſpatium roſtellum ſuum protrudit.

Chorion in quo iacet pullus.

Volui autem, quod in nullo alio tentaueram *ouo*, durum & externum corticem vndique deglubere: quo detracto, & cum hoc ea ipsà, quæ immediatè eidem ſubtenditur, pellicula; quando ad locum illum perueni, vbi ipſum animalculum cubat, hoc eſt, poſt illud ſpatium inane, non potui cum duro cortice molliculam illam membranulam, veluti prius factum tamen fuerat, detrahere, vt quæ valde tenaciter alteri cuidam pelliculæ adhæreſcebat, quæ totum fœtum ambibat, atque vndique ita claudebat, vt ne minimum aeris exire, aut penetrare ad pullum valeret.

Vnde hæc pellicula ſit generata.

Hæc autem interna, ipſum fœtum videlicet *obuoluens pellicula*, meo quidem iudicio fabricata fuit, ex ipſo *oui albumine*, non *vitello*: hic enim ab hac remotus & ſeparatus ſemper, ſuà incluſus membranula cernitur. Hæc itaque obuoluens membrana, ac veluti *chorion*, vt dixi, ſine vlla læſione integra erat, & intra hanc conſtitutus *pullus* ſuo ſitu naturali iacebat: capite nempe, intra alas & pedes recondito, niſi quòd in hoc nonnihil à ſuo loco dimotum caput eſſet, roſtello nimirum verſus illam partem, vbi ſpatium vacuum eſt, protracto. Pertuderat itaque dictam pelliculam apice roſtelli ſui *pullus*, vt ex ſpatio illo aerem ſufficientem attrahere, pipire, & corticem oui interiùs pulſare, rumpere, ac ſibi exitum parare poſſet. Non eſt autem dubium, quin cum hoc motu, & capitis atque roſtri agitatione & impulſu, ſubſequi debeat pellicula fœtum inueſtiens, alioquin debebat largius multo foramen auicula moliri, quò poſſet & roſtrum ſuum, & tam magnum caput exerere, vt ad corticem pertundendum penetraret, cum ab hoc diſtet caput pulli ſpatio tranſuerſi digiti.

Vnde aerẽ in ouo pullus trahat.

In hoc ouo nec albumen nec luteum poſt perfectum pullũ fuit

Et vt ad membranulam hanc, quæ fœtum circundat, redeam, effracta hac, reperi *pullum* ſitu illo iam deſcripto, ſine vllo commeatu cubantem, hoc eſt, abſque *vitello* & *albumine*, abſque ſanguine, & vllis humoribus, & excrementis. Hæc membranula intus ſolummodo fuit ſanguine oblita; *vmbilicus* illi adhuc adhæreſcebat, ſed tam craſſus, ac longus minimè erat, vt in altero pullo repertus fuit. Hic enim pullus iam maturus & idoneus erat, vt exiret, & ob id totum ſuum nutrimentum abſumpſerat: alter autem duos forſan dies adhuc natiuitati ſuæ deſtinatos reliquos habebat, quẽ quidẽ pullum vltimum vix vitalem exiſtimaui, quod violento quodã modo, detracta ipſi veſte in qua latebat, cũ enaſci curauerã. Vixit tamen, & ſuperſtes diu fuit, quod iam iam ſua ſponte

excludi debebat. Quem ideo etiam pipientem audiui, quod alij tamen non præstant, in quibus nutrimentum omne nondum est absumptum. Pipiunt etiam integerrimo oui cortice, quando ad tempus exclusionis pertigerunt. Posset forsan hinc argumentum non nauci duci, qua ratione planctus & vagitus puerorum nonnunquam in vtero materno auditus fuerit, cui speculationi & ego aliquando operam dedi, & olim forsan de hoc aliquid commentabor.

Integro etiam ouo pipiunt pulli.

In anatrinis ouis ac pullis hoc notaui (solent autem hi pulli post quartam heptomadem & gallinacei post tertiam excludi) post quartam etiam septimanam emortuos in suis ouis, absumpto omni penitus albumine remanente luteo in forma paruæ pilæ seu globuli, adhærente vmbilico, consistentiæ non multũ tenacis, & obducto suà proprià membranula, qua discessà effluxit vitellus.

Anatrini pulli quot diebus perficiantur.

Hoc ideo contigisse arbitror, quod exitum moliti fuerint ante perfectionis, & absolutæ periodi tempus, & priusquam intra corpus alimentum omne à natura sibi destinatum absorbuissent. Et si aliquà coniecturà hic mihi vti fas est, dicerem, *albumen* prius *vitello* absumi, quod in aliquot etiam *gallinaceis* comperi verum esse, quoniam *albumen* cum spermaticis partibus, *ossibus* dico, *cartilaginibus*, *neruis*, *membranis*, atque huiusmodi minùs sanguineis, & albicantibus potius, maiorem habet conuenientiam, quas necessitas requirit, primò omnium veluti bases totius animantis, nutriri, & augeri, quàm cum illis sanguineis, quas *carnes* & *parenchymata* vocant Medici, veluti sunt *musculi*, *hepar*, *cor*, *renes* & similes, quæ postremò tandem accrescunt & augmentantur, ex affluxu *vitelli*, qui facilè in sanguinem conuertitur, & propterea vltimo demum loco intra corpus succedit. Verùm hac de re liberè quéque philosophari permitto.

Quas partes nutriat albumen, & quas vitellus.

Sed quod iam subiungo, consideratione dignissimum censeo, quòd in his *pullis* viderim, ex *vasis vmbilicalibus* aliquot, intra ventrem ad *arterias Iliacas* surculos suos porrigere. Quid igitur hìc dicendum erit de *spiritibus vitalibus*? Signum enim ita aliquod elucet, quasi hi extra generentur, vt fit in *humano fœtu*, & ad arterias illas descendentes elaborati deferantur, altera autem portio sanguinea ad *hepar* corriuetur. *Luteum*, quod hìc simplex erat, in alio *pullo* diuisum offendi: an autem ouum ob id *geminos vitellos* habuerit, ignoro equidem. Hoc interim scio, neque *duplicem pullum*, neque quatuor *pedibus alisue*, quod contingere in bipartito luteo asserunt, propterea enatum fuisse. Quin pro certissimo mihi relatum fuit, *gallinam* quandam, *oua* omnia sua cum *duobus vitellis* peperisse, ex quibus simplicissimi saltem pulli procreati fuerint.

An spiritus vitales in ouo extra pullum generentur.

An duo lutea faciant duos pullos.

Noui & hoc ex fide dignorum relatione, quod vbi *Phasiani* masculi, *gallinis* nostratibus in coitu superueniunt, ex earum *ouis phasianos* quidem excludi, sed omnes eiusdem prorsus coloris, qui in *gallinis* fuit. Hos *phasianos* hinc enatos, tam masculos quàm fœminas, *mulorum* instar, steriles euadere, neque amplius fœtificare. Habui domi meæ *gallinam* nigram, quæ variatis figuris, & magnitudine, oua protulit, modò nana, *Iuglandem* nucem vix æquantia, modò tam grandia, vt *anserina* esse censuisses, aliquando ouiformia, non rarò omnino rotunda, in medio sui subinde contorta, simul quoddã naturalis formæ, & magnitudinis, sed cortice molli, in parte acuta habens appendiculam, instar *intestinuli*, longitudine & crassitie minimi digiti alicuius *infantis*, in medio etiam

Quid fiat si phasiani cũ nostris gallinis cõeant.

Oua diuersarum formarum ex eadem gallina autoris.

cauam,

cauam, vt prorſus inteſtini particulam credere aliquis potuiſſet. Et ab amico quodam pro certiſsimo habeo, ſe à *gallo gallinaceo* quatuor *oua* enata, inſtar *columbinorum* conſpexiſſe & vnum horum in acutiore ſui parte contortum. Dicam & hoc, vix fidem apud aliquos reperturum, veriſsimum tamen, hìc *Romæ* duo in diuerſis ædibus, ac temporibus cocta, & aperta *oua*, durum vnum, & alterum molle, ac ſorbile, & in vtroq. *ſcorpionem* repertum fuiſſe, in hoc viuum, in illo mortuum. Habui oculatos teſtes, etiam equeſtris ordinis in primo, in ſecundo verò familiares ferme meos; de his non eſt locus, nunc latiùs euagari, in aliud hæc omnia tempus reſeruo.

Oua gallus peperit.

Atque hæc hactenus de gallinarum ouis. Quod in icone ſuperiore hìc adiunctum eſt tertio loco, *lacertæ* noſtræ communis eſt ouum, tam integrum, naturali ſuà formà ac magnitudine, album & molliuſculi corticis, quàm apertum quoque, cum ſua *lacertula* intus enata, conſpicuum, vbi adhuc portiunculam tam *albuminis*, quàm *lutei* videri fuit, ſignum manifeſtum, eam nondum penitus abſolutam fuiſſe. Et quia hæc *oua* à *ſerpentum* ouis vix differunt, in ſequente forſan capite, vbi de duobus *ſerpentibus* acturus ſum, aliquid de generatione & horum, & *lacertarum* ſimul commentabor. Interea ſiquis vtilia magis & iucundiora, quàm quæ ex meis hucuſque laboribus attuli, deſideret, is præfatum *Aquapendentis* opuſculum adeat ſuadeo, & *Encomium oui* legat *Erycij Puteani* Regij apud *Louanienſes* hiſtoriarum profeſſoris, viri Latinè ac Græcè eruditiſsimi.

Paruũ ouũ in icone exhibitum eſt lacertę.

Hæc nondum fuit perfectè genita.

His nondũ contentus videat Aquapendentem & Erycium Puteanum de encomio oui.

De *ſtellione* præterea quid ego hìc dicam, quod dictum iam pridem non fuit? Reperio de hoc animali eadem prorſus apud omnes. Sic libri & ſinuoſa volumina creſcunt, quæ à pleriſque tranſcribuntur potius, quàm proprio marte componuntur. Inter recentiſsimos tamen videri poteſt *Ioannes Buſtmantinus de Reptilibus ſacræ Scripturæ*. Nos qui naturalia hìc potius, quàm alegorica, anagogica & alia, quæ fabulas ſæpeſapiunt, proſequimur, ab *ouis nunc ad mala* peruenimus. Et ſi non *cibum ſolidum philoſophis* conſummatis dedimus, *lac* ſaltem Medicinæ noſtræ alumnis inſtillauimus.

Author de ſtellione nil addit amplius iã pleraq. ab alijs dicta.

Atque ne paginæ quod reliquũ eſt, nobis pereat, & vt dici ſolet *dies ſine linea abeat*, hìc *corollarij* loco, hoc mihi olim à *puero* problema propoſitũ ſubijciam. *An facere nimirũ poſſem, vt ouum obtuſiori ſui acumini inſiſtens, erectum in menſa ſtaret?* Nota eſt hiſtoria *Columbi noui orbis* repertoris, cum æmulis hoc ipſum ſuis, propoſuiſſet, cumque nemo ipſorum hoc effectui dare poſſet, impingens ille *ouum* ea parte menſæ, & planum ex rotundo reddens, præſtitit, quod promiſit. Verũtamen, quod iã dicã, *ouo integro, & in ſua forma naturali permanẽte fieri debebat.* Cumq. ego hìc me victũ fatererer, arrepto puer ouo, egreſſus cubiculũ, regreſſuſq. ait, (ioci cauſa) ſe neſcio quæ carmina *ouo* obmurmurare debuiſſe, effecitque, vt hoc erectum, nec vllam in partem inclinans perſiſteret. Hoc vt vidi, vt, qua id ratione fieri deberet, ſpeculatione ſum aſſecutus. Quare aliud ouum petẽs, exiui ſimiliter, illudq. ipſum multoties motu agitans, donec exiſtimaſſem, tam *album* quàm *luteum* eius ex illa conquaſſatione inter ſe confuſa & commixta fuiſſe, cum aliorum admiratione & pueri riſu, idem quod puer fecerat, probè fui imitatus. Cauſam huius rei ſi velit quis, facilè indagauerit.

Problemarum & iucundum de ouo erecte ſtante. Columbus idem olim propoſuit. Sed hocnoſtrum plus habet artis Author quomodo hoc fieri deberet mente penetrauit. Et effectui ſtatim dedit.

IZTAC

Serpens nouæ Hispaniæ quadricolor.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

MAGNVS hic esse serpens videtur, in quo quatuor vulgò dicta elementa propemodum repræsentata elucent. *Ignis* in squamis caudæ, quæ tota ignea, seu rubra est, quæque partis quartæ ad totum corpus, proportionem obtinet. Subsequitur ventrem versus *portio area*, alba nempè, quæ & ipsa quarta totius animalis est portio. Postea est *pars aquea*, hoc est, quæ cæruleum maris colorem, *marinum* vocatum, æmulatur. Sed hæc vix quartam reliqui corporis partem constituit. Demum *terram* referre, ipsum caput videtur, minor, breuiorq. totius portio, coloris subfusci, cum cæruleo quodammodo mixti. Atque in capite quidem cum exigua colli parte, sunt omnes quatuor denuo colores mixti. Nam tempora sunt flammea. Occiput constat ex tribus magnis squamis, ceu loricis quibusdam, contextum, coloris aerei. In fronte aliæ duæ squamæ, aerei & marini coloris apparent. Omnes hæ squamæ, lineà quadam nigricante, per medium dorsi, ad caudæ rubedinem vsque, eàque fuscà excurrente diuiduntur, secanturque. Circa os subfuscus est color. Oculi lucentes admodum, ex luteo colore conspiciuntur. Nares sunt apertæ, & biceps lingua exerta terret.

NEX-

XEXBOA de Quanquechollæ

Serpens bicolor Mexicanus.

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

VIDETVR non paruus esse serpens. Annotatio enim, quæ in autographi margine prostat, hoc ipsum linguâ Hispanicâ innuit. Quòd serpens hic palmos longitudinis habeat octo, latitudinis verò siue crassitiei duos. Additur autem, quòd plùs adhuc crescat. *Color* duplex saltem est, ex *subfusco* & *albicante* commixtus. Caput satis est magnum. oculos ostentat viuidos, nigricantes, & quod in alijs album est albumen, hìc viridem præsefert colorem. Linguam itidem exerit bifidam, quam pictor in tabella hac tamen exprimere oblitus fuit.

SCHOLI EIVSDEM.

HOrrendus aspectus, dirum venenum, fœdissimus color, tremendus sibilus, linguæ vibratio, dentium exertio, oculorum fulgor, capitis iactatio, caudæ flexio, motus agilitas, squamarum asperitas, corporis totius denique, in gyros, atque orbes conuolutio, & immanis quædam eiusdem non rarò immensitas, abominabilem nobis non visu modò *Serpentem* reddunt, sed menti quoque nostræ, hæc saltem cogitanti, terrorem incutiunt, & pauorem quodammodo phanaticũ imprimendo, cor ipsum lancinant, configuntq. Quapropter res mira adeò videri non debet, si *terra* quoque (vt *Plin.* lib. 2. c. 62. habet) sensibus licet destituta, quam supra in *Apro* meo *Mexicano*, ex *Macrobio magnam matrem* & *bonam* ideò *Deam* à priscis illis Gentilibus appellatam docui, quoniam *hæc nascentes nos excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper, & nouissimè complexa gremio suo, à reliqua natura abdicatos cooperit.* Si *terra*, inquam, creaturis alioquin omnibus benigna, & benefica, *Serpentem homine percusso non amplius recipit, pœnasque etiam inertium nomine exigit.* Atque vel hinc puto, maternæ venerationis cognomen adepta fuit.

Serpentum facies etiã virum fortem perterrefacere videntur.

Terra benigna mater, vbi hominem percussit serpens, non amplius intra sua hũc viscera recipit.

Aelia-

Præter Plinium hoc Aelianus quoque testatur.

Aelianus hoc ipsum ratissimum habet, & *Lybicis* atque *Aegyptijs* testibus confirmatissimum: *Serpentem*, quæ hominem interfecerit, idcirco terræ gremium ac latebras subire non posse vlteriùs, quòd hæc in exilium illam eiecerit, vnde errare, & vagari eam cogi, neque ampliùs à coniugibus adiri, neque ab illis, quos ex se genuerat, filijs, parentem agnosci. Atque sic diuina annuente prouidentia, rationis expertia, ob hominum cædes, aduersus delinquentes vindictam sumere.

Et quid? mirumne esse putemus, si nos hodie *serpentem* exhorrescimus? Cum *inimicitia* hæc in ipso mundi exordio, inter *hominem & bestiam* hanc initium sumpserit. Sic enim DEVS *Geneseos* 3. Cùm *Eua* prima nostra *mater* malũ *malum*, astu & persuasu *serpentis* comedisset, nobisque filijs suis omnibus *malum* morte luendum intulisset, *serpenti* maledixit. *Et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* INIMICITIAS *ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Scio hìc quoque, ac firmiter credo, per *fœminam* hanc, maximè *Beatissimam Virginem* MARIAM æquiorem nobis *Euam* intelligi, quæ per *semen* & cum *semine* suo IESV CHRISTO, contriuit *caput Diaboli*, antiqui illius *serpentis*, hostis nostri infensissimi. Verùm hæc extra cancellos meos presentes. Quæ veneror & fileo.

Inimicitia hominis cũ serpẽte ex sacris Biblijs clara est.

Beatiss. Virgo MARIA contriuit per semen suum caput serpentis.

Poteram igitur & ego hanc de *serpentibus* scriptionem ob antiquissimum odium missam facere, & venenosis his bestijs longum vale dicere. Verùm quoniam *venenorum* doctrina non ideo scienda est, vt damnum, vel nobis, vel proximo nostro hinc inferamus, sed ob id magis addiscenda, vt noxam per hostes nobis illatam, aut inferendam auerruncemus, ideo & hìc per venenorum campos nonnihil expatiari licebit. Quamuis *Plinius humano* minimè, nec *Christiano* more hoc intellexerit, propterea existimans à *tellure venena* nobis producta, & subministrata fuisse, quasi hæc nostri miserta, etiam maioris euitandi doloris, & vitæ in angustijs collocatæ nostræ, abbreuiandæ causà, per venena ipsa, miseris hominibus remedia generare, & solatia voluerit. Sic enim loco iam laudato ait: *Quin & venena nostri misertam* (terram) *instituisse credi potest, ne in tædio vitæ diræ famis mors, terræ meritis alieniissima, lenta nos consumeret tabe; ne lacerum corpus abrupta dispergerent, ne laquei torqueret pœna præpostera, incluso spiritu, cui quæreretur exitus: ne in profundo quæsita morte, sepultura pabulo fieret, ne ferri cruciatus scinderet corpus. Ita est, misertæ genuit id, cuius facillimo haustu, illibato corpore, & cum toto sanguine extingueremur, nullo labore, sitientibus similes: qualiter defunctos non volucris, non fera attingeret: terræque seruaretur, qui sibi ipsi periisset.* *Seneca* noster ab hoc *Pliniano decreto* non facit alienum *sapientem* suum, epistola LXX. Vbi cum vitam nauigationi comparasset, & de annis nostris, non aliter fieri dixisset, atque in mari, vbi *terræque vrbes recedunt*, & tandem nobis ventum sit ad generis humani finem. *Scopulum illum esse*, inquit, *dementissimi putatis? Portus est, aliquando petendus, nunquam recusandus. Itaque sapiens viuit, quantum debet, non quantum potest. Si multa occurrunt molesta, & tranquillitatem turbantia, emittit se: nec hoc tantùm in necessitate vltima facit, sed*

Quomodo de venenis sit tractandum.

Plinius malè putat venena à Tellure producta ideò fuisse vt nos sponte interficiamus:

Seneca videtur hoc ipsum sentire sapientẽ sibi posse vitam eripere.

ſed cum primum illi cæperit ſuſpecta eſſe fortuna, diligenter circumſpicit, nunquid illo die deſinendum ſit. Nihil exiſtimat ſua referri, faciat finem, an accipiat: tardius fiat, an citiùs, non tanquam de magno detrimento timet. Epiſtola quoque LXXII. *Mortem* inter indifferentia collocat. Et epiſtola itidem LVIII. *At ſi inutile miniſterijs eſt corpus*, inquit, *quid ni educere oporteat animum laborantem? & fortaſſe paulò ante quàm debet, faciendum eſt, ne cum fieri debeat, facere non poſſis: & cum maius periculum ſit malè viuendi, quàm citò moriendi, ſtultus eſt, qui non exigui temporis mercede, magnæ rei aleam redimit.* Verùm qui in CHRISTI *ſeruatoris* noſtri *ſchola* fuerunt educati, ſaniorem de *Morte* mentem & doctrinam ſunt adepti, non fugiendam hanc quidem, quando DEVS, & *Naturæ ordo* nos vocant. Sed nec temerè quoque ſibi ipſi eandem inferendam, & ſuimetipſius homicidam euadere, ſi etiam *fortuna* diris nos omnibus exagitare ſuis tentaret. Cum quę noſtra non eſt, ſed à DEO nobis cõceſſa, vitã perdere haud valeamus debeamuſq. Inſignis profecto DEI benignitas, & non niſi ipſo, ceu *ſummo bono* digniſſima in nos miſeros homunciones collata eluceſcit, in quos, cum minimis etiam venenoſis animalculis vis ſit, iram ſi velint, ſuam exercendi,

Dum læſa venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt;

Dei in homines ſumma beneficentia.

Atque è vita non rarò nos ipſos tollendi: eadem tamen morti, quam nobis virulentiã ſuã inferre tentant, remedijs poſtea ſuccurrant, & antidotum aduerſus venena ſua, ſic iubente diuina gratia, porrigant.

Non defuerunt enim præſtantiſſimi viri, qui cum ſedulò *magnalia DEI*, & *Naturæ ſecreta* perſcrutarentur, in hanc venerunt opinionem. *Nullum venenatum eſſe animal, quod veneni ſui antipharmacum ſimul ſecum non circumferat*, & in ſuo genere bonum ſit, dumque homini eſt venenum, alteri ſæpe animali alimentum præbeat, & remedium, quin ipſi homini quoque aduerſus ſuimetipſius virus, ſalutarem medelam adferre poſſit. Prius confirmant *aranei*, qui *gallinas* alunt, cum nos interficiant, & ab alijs auiculis ægris deuorati, humoris maligni, & morbifici purgationem, cum ſalute moliuntur. *Bufones, qui tactu omnia fædant immundo* à *ſerpentibus* tamen vorantur, Attamen;

Quod animalia quæ venenant, etiam antidotum præbeant. Horum animalium catalogus. Horum aliqua nutriunt alia animalia.

Hi quorum furiale malum, citò membra pererrat
Omnia noſtra; à *Ciconijs* & *Ceruis* innoxiè rurſus deglutiuntur.

Poſteriora ad exempla *Apes* pertinent, quarum aculeum *mel* ſanat. *Buſonius lapis* in capite *bufonis* vt aiunt repertus, huius venenum infringit. Et ſiccus *bufo* aduerſus virulentam *bufonis* vrinam impoſitus iuuat, quem etiam peſtilentibus bubonibus admotum noui, qui cum venenum extrahit, tunc quoque intumeſcit. Sic prouerbio tritum eſt, non niſi *pilis rabidi canis*, vulneri ab hoc illato impoſitis, rabiem arceri poſſe. *Iecur* huius toſtum & comeſtum, valde in eiuſdem morſu laudant, ne æger aquam timeat. Ne *murium* vrina facultate ſeptica, carnem exedat, eorum cinerem inſpergunt. *Crocodili* adeps huius morſus perſanare dicitur. *Os ex corde cerui*, aduerſus venenum, quod in *cerui cauda* latet, ſi quis hoc improuidens deguſtaſſet, præſtare volunt. *Serpentem axungia*, & horum capita contrita, & vulneribus à ſe homini immiſſis, impoſita prodeſſe perhibentur. *Scorpionum oleum*, vel ipſum contuſum *Scorpionem*, huius

Alia hominis etiam ſunt remedio.

vene-

venenoſæ punctura occurrere poſſe, lippis notum eſt, & tonſoribus. Et vnde obſecro celebritatem ſuam *Andromachi theriaca*, decantatiſſimum antidotum, nunc æquè atque olim *Imperatoribus* cariſſimum, niſi à *viperina carne* adepta fuit? Quæ non *viperarum* morſibus tantummodo, ſed omni prorſus veneno, ſiue ex *plantis*, ſiue ex *animalibus* alijs, ſiue ex *metallis* inferatur, ſummo iam *Medicorum* conſenſu, & applauſu propinatur.

Quid author per Theriacam præſtiterit.

Et quamuis vino vendibili non ſit opus ſuſpensà hederà: attamen, quoniam huc pertigimus, quid ego per *Theriacam* præſtiterim, in ſyndrome morborum quadam propemodum deploratorum, in depellendo nimirum *viperino veneno*, vel in iuniorum gratiam medicorum huc referre non pigebit. Venerat anno 1603. circa finem Iunij, ad *Noſocomium* noſtrum *S. Spiritus*, veſpere, ex meſſoribus quidam, quem circa meridiem extra *vrbem Vipera* momorderat, in ſiniſtræ manus digito prope medij articuli nodum. Miſer hic perterritus, cum nec quid facto opus eſſet, conſideraret, ſubitò ori digitum admouens, virus exugere tentat,

A vipera morſus quomodo reſtitutus ab authore fuerit.

Et ſic peſtifero ſua polluit ora veneno.

Vnde *labra* illico, atque *lingua* mirè intumuerunt, quin febris ipſa hominem apprehendit, factumque quod *Virgilius* cecinit:

Ac dum prima lues, vdo ſublapſa veneno,
Pertentat ſenſus, atque oſſibus implicat ignem.

Oruietani theriacalis confectio quidpoſſit.

Quare *Oruietani antidoti* portionem cum *aceto* hauſit, ſed nihilo melius inde valuit, niſi quòd bis terue *vitellinam bilem* euomuerit quam quidem confectionem plebei homines plerumq. ſecum ferunt, à circulatore quodam huius nominis, ſic appellatam, *Theriacà* longè inefficaciorem, vulgo tamen vſitatiorem, ceu viliore pretio emptibilem. Itaque *meſſor* hic equo impoſitus, circa veſperum ad nos defertur, & lecto committitur. Vocor ego, *faciem* rubicundam, & prætumidam intueor, *linguam* adeò excreuiſſe ſtupeo, vt *os* ipſam ægrè ampliùs capere poſſet, vnde nec verbum quidem eloqui tunc valuit. Ego de

Horrenda accidentia in hoc ægro.

ipſius *animæ* ſalute, non minùs, quàm de recuperanda *corporis* valetudine ſollicitus, *peccata* ipſum ſua, ceu pernicioſa *animæ venena*, ſi quæ haberet, euomere priùs iubeo, ob idque confeſſionem impero, quam *Sacerdos* ad nutum factam interrogando excepit.

Remediorum ſeries quibus ſanatus fuit.

Interea hæc ego remedia procuro. Imprimis *Theriacæ* drachmam vnam, & ſcrupulum vnum *cornu ceruini* præparati, cum vncijs quatuor *aquæ Scorzoneræ* ſorbendam præbeo. Verùm hic ſcypho argenteo opus fuit eiuſmodi, cui roſtrum ſatis longum prominet, per quod violenter quaſi, *gulæ* intruſum, liquorem infundi iuſſi alexipharmacum. Et cum *lingua* iam iam etiam putrilagine corriperetur, atque vlcerata appareret, hanc & *palatum* cũ *labijs* continuò inungi curaui ex *Theriaca* & *aceto* bene inuicem agitatis, per famulos noſtros ad hoc muneris à me deſtinatos. *Cordi* ſimiliter inunctionem præſcripſi, ex vncia vna *olei corticum citri*, per infuſionem facti, & drachma vna *Theriacæ*. Et quoniam *manus* in tumorem erat eleuata, *brachioque* ſimul venenum communicabatur, præcepi, vt manus tota vulnuſculis pluribus, per *lancettam Italis* dictam, ſiue gladiolum, quo venas incidunt, ſauciaretur, & *hirudines* aliquot affigeren-

gerentur, quæ ſanioſum illum, & tabe manantem, ibique conculcatum ſanguinem exhaurirent, cui poſtmodum affectæ parti hoc fuit inductum linimentum, ex maiore patte *olei Scorpionum*, mediocri *Theriacæ*, & minore *aceti* compoſitum. *Brachio* autem, ne venenum ſurſum magis, magiſque ſerperet, & limpidas *vitalis fontis* vndas tetra ac funeſta ſua labe pollueret, ex *Bolo Armenia*, & *albumine ouorum* ſimul agitatis, linteamina infuſa, imbibita & impoſita fuerunt.

Atque hæc cura, nocte integra, per conſtitutas, vt eo loci fieri ſolet, vicarias famulorum vigilias, repetitis ſæpiſſimè prædictis medicamentorum vnctionibus ita tranſacta fuit, donec manè ægrum noſtrum inuiſeremus iam hilarem, & ſibi nobiſque redditum. *Infantium* enim more balbutire incipiebat. Fuerunt quatuor tunc *hirudines* venis hæmorrhoidalibus applicatæ, ob haud exiguam febrem, qua adhuc vexabatur. Veſperi bene loquebatur, comedebat, exacto triduo conualuit, lecto ſurrexit, ad ſolitosq. labores ſuos, rus conceſſit, & *gloriam* DEO, pro immenſa ſua bonitate dedit, qui morti vicinum, per ſaluberrima remedia vitæ ipſum poſtliminio reſtituiſſet.

Diligentia quæ ab aſſiſtentibus huic fuit ægro adhibita.

Hic DEO agit gratias pro ſecũda veluti vita.

Subiungam & ſequens medicamentum, ex *viperina* carne ſimiliter concinnatum, non vt minorum gentiũ medicis ſolummodo, ſed primoribus quoque, & qui *Principum* ſanitati conſeruandæ præſunt, gratificer. Hoc autem Illuſtriſſimus *Franciſcus Maria Cardinalis de Monte*, qui nobiliorum, & pretioſiorum, vltra quadraginta annos, medicamentorũ non modò collector indefeſſus fuit, ſed vbi per occupationes ipſi publicas licuit, proprijs etiam manibus, *chymiæ* nempe magnus amator, & admirator, qui & me quoque aliquoties de his diſſertantẽ libentiſſimè audiuit, & honorificè excepit, eadem elaborauit, & gratis poſtmodũ pauperibus æque, atque ditioribus ægrotis, diſpenſauit. Hic inquam anquã remediũ ſecretum, nec auro redimendũ, ante annos hos quatuordecim communicauit Illuſtriſs. & Reuerendiſs. *Ioanni Godefrido ab Aſchauſen Epiſcopo tum Bambergenſi*, poſtea quoque *Herbipolenſi*, atque ad PAVLVM V. *Matthiæ ſecundi Imperatoris* Oratori, Patriæ meæ *Principi*, à quo etiam *Romæ* beneuolentiſſimè fui habitus, de cuius laudibus iam hiſtoriæ loquuntur. Ab hoc inmandatis mihi relictum fuit, vt quoniam *Franconiæ* noſtræ *viperæ* deſunt, vt ſingulis annis, harum carnes certo modo præparatas ipſi tranſmitterem. Interim compoſitionem hanc, donec vel ipſe, vel *Cardinalis* viueret, occultam haberem, & alto ſilentio premerem, quamverò publico nunc libentiſſimè committo, cum vterque hic *Princeps* meliore vita fruatur. Sunt autem hæc ipſiſſima compoſitionis verba, moduſq.

Narratur aliud ex vipera medicamentum nobiliſſimum.

Hoc Cardinalis de Monte Epiſcopo Bambergenſi donauit.

Cardinalis huius encomium.

Epiſcopi huius Bambergenſis egregia facta hiſtoriq loquuntur.

Recipe *viperas* quot vis, cum ſunt in magno vigore, ijs caudam & caput ſimul amputa, ne torqueri poſſint, & ſtatim proijce in aquam, ibique mori ſinito. Deinde excoria & exentera (aduerte autem, ne cyſtis fellis rumpatur, quod ſi rumperetur, abijce totam *viperam*, nam felli venenum ineſſe volunt) cum exenteraueris, exoſſa, carnem quæ reſtat, linteo bene ſicca. Poſtea recipe panem, ex furfure tritici, in furno bene coctum, non vſtum, & teſſellà cruſtæ eius ſublatà, excaua, tantum medullæ extrahens, vt carnem *viperinam* capiat, mox repone teſſellam corticis panis eò, vnde extraxiſti, & glutine facto

Medicamẽti ſupradicti compoſitio veriſſima.

ex

ex farina & aqua, rimulas diligenter illine, & repone in furnum, donec *viperina* caro ſiccetur ita, vt contundi & in puluerem redigi poſſit. Cum caro bene ſicca erit, abijce panem, carnem ſerua, & pulueriza, & ex hoc puluere fac pilulas, ciceris magnitudine, cum *opobalſamo* orientali albo liquido, & optimo, ſecundum artem Aromatariorum. Has pilulas tanquam rem pretioſiſſimam, ſeruato in lignea pyxide, in puluere *Cinnamomi*, vt humiditas arceatur. Harum pilulas tres qualibet ſeptimana, ſtomacho ieiuno, quatuor horas ante prandiũ ſumi poſſunt, quoniam vitam producunt, bonam valetudinem, viſum, iuuentutem conſeruant, renes & vniuerſum corpus iuuant. Mirè venenis, putredinibus, catarrhis, & podagris reſiſtunt.

Et quoniam non Medicis ſolùm in arte & praxi prouectis, verùm & tyronibus maximè ſcribimus, quibus vel librorum copia deeſt, vel vſus inopia officit, ideo modum, quo carnes *viperinæ* in quotidiano victu, ſi neceſſitas cogat, exhibeantur, paululum delineabo. Eſt autem hic facilis nec magno apparatu indigens, quo Illuſtriſſimos quoſdam viros, in affectu cutaneo *lepræ* non abſimili, feliciſſimo cum ſucceſſu, vſos fuiſſe noui. Vt vernali nempe tẽpore, vel autumnali, *viperæ* captæ, detruncatiscapite, & cauda, & detracta pelle, exemptisq. interaneis, ſale nonnihil fricentur, in frigidam proijciantur. vbi tam diu relinquantur, donec moueri ceſſent, & moriantur. Hæ in fruſtula diſſectæ, vt in paruis factitari noſtris *anguillis* ſolet, quas *Romani* vulgò *ceriole* vocant, in aqua ſimplici cum tantillo ſalis, & ſi placet *petroſelino*, ſi anethum fortè diſplicet, elixantur. Ex iure harum, iuſcula cum ouis, vel panis tritus, aliaue fercula præparantur, & carnes *anguillarum* more, ſimul comeduntur, ſemel vel bis quotidie, idque ad dies quadraginta plerunq. continuatur.

Explicatur modus quo carnes viperinæ parantur & eduntur.

Alius modus pro delicatioribus.

Scio & hunc modum, *Principibus* quibuſdam fæminis maximè delicatioribus, vſitatum eſſe, vt ex iure & carne elixa, cum pulpa panis ſubacta, *pulli* & *capi* nutriantur ad plures dies, qui in cibos poſtmodum illis cedunt, & omnia propemodum, quæ carnes comeſtæ, præſtare ſolent.

Quemeffectum vipetinæ carnes eius præſtiterint.

Fuit autem hìc *Romæ* quidam, qui oculorum vſum perdiderat, ex carnis *viperinæ* eſu liberatus, alij ab impetigine & leproſa prurigine emundati, alij ſeniores præcipuè, acutiorem videndi aciem iterum adepti, alij reiuueneſcere ſibi viſi fuerunt. *Dioſcorides* certè, *viperinæ carnes*, ait, *ſi coctæ edantur claritatem oculis afferunt*.

Hoc remediũm contra elephãtiaſin caſu dicitur inuentum.

Sed res prorſus admiranda eſt, quod remedium hoc contra *Elephantiaſin* præſtans, caſu quodã inuentũ ſit, vt *Galenus* lib. 11. *de ſimpliciũ facultatibus* nobis perſuadet, quòd in meſſorum vinum ruri expoſitum, cum eſſet *vipera* vini auidiſſima, ijs inſcijs illapſa, ibique mortua, & extracta meſſores perterrefeciſſet, hi miſericordià moti, elephantiaſi correpto homini, in vicinia habitanti, illud obtulerunt, rati expedire illi, potius mori, quàm in illa miſeria viuere. *At ille vbi bibiſſet*, inquit *Galenus*, *admirandum in modum ſanitati reſtitutus fuit: Nam tuberoſum omne illud cutis totius, non aliter quàm animalium à teſtæ mollitie nuncupatorum malacoſtracon, tegmen decidit: quod autem reliquum erat, molle admodum apparuit inſtar cutis cancrorum & locuſtarum, vbi extima teſta fuerit detracta.* Hoc ſi verum eſt, & vnius illius vini potio, non repetitis itidem vicibus, hunc, &

alium

alium elephanticum, ſanitati reſtituit, cui ſcortum ſuum domeſticum, eiuſmodi vinum viperatum, vt interficeret eum potius quàm ſanaret, propinauit, vt idem *Galenus* memorat: miror mehercle, non parum, cur hodieque non vtantur *Medici* noſtri, tali libẽtiùs quæ vnica die expediri poteſt, curà, quàm vt quadraginta dierum ſpatio, & *carnes*, & *Trochiſcos* ſæpe *viperinos* quoque exhibeant. Et quomodo lethale virus ſuum *viperæ*, quod promptum in ore geſtant, vino non communicauerint? Neque enim hìc imaginationis poteſtas, ſpernentis energiam veneni, quicquam præſtare potuit, cum miſerrimi hi homines, neſcientes venenoſum animal vino mixtum fuiſſe, illud ebiberint. Voluit enim *Libauius prima ſingularium ſuorum parte, Tractatu de venenis*, animoſum illum *Catonem*, animi generoſitate ſuperaſſe venenum, quod dubio procul, aquæ illi ſerpentibus ſcatenti, ineſſe debuerat, quam ipſe intrepidus bibit tamen, cum per deſertam, arenoſam, & ſiticuloſam *Lybiæ* partem, militem ſuum ducendo forte fortuna vnicum inueniſſet ibi fontem, quod lib. 9. *Lucanus* elegantiſſimis his nobis hexametris deſcribit:

Cur Medici non vtãtur potius vnica vini viperati potione, quàm tot diebus carnes præbẽdo.

Quomodo Viperæ vino ſuum venenum communicent.

An confidentia poſſit elidere veneni vires?

-------- Inuentus mediis fons vnus arenis
Largus aquæ: ſed quem ſerpentum turba tenebat,
Vix capiente loco ſtabant in margine ſiccæ
Aſpides: in mediis ſitiebant dipſades vndis.
Ductor vt aſpexit perituros fonte relicto
Alloquitur, vana ſpecie conterrite lethi
Ne dubita miles, tutos haurire liquores.
Noxia ſerpentum eſt admixto ſanguine peſtis:
Morſu virus habent, & fatum in dente minantur:
Pocula morte carent dixit, dubiumq. venenum
Hauſit, & in tota Lybies fons vnus arena
Ille fuit, de quo primus ſibi poſceret vndam.

Videtur hoc Cato præſtitiſſe.

Libauius, loco dicto, *Non ego certè bibiſſem illam aquam*, inquit, *refertam ſerpentibus. Aut confidentia Catonis tantum habuit roboris, vt debile dilutumq. aquis venenum infirmauerit, aut ſitibunda natura potentiùs mutauit.*

Ego, vt de me hìc aliquid quoque addam, ante biennium, æſtiuo tempore ſitiente ſub *canicula*, cum ſiti vexatus, gelidam ex æreo vrceo aquam auidiſſimè haurirem, *Scorpionem* ſimul in os mihi illapſum magnum ſanè, ſed mortuũ perſenſi. Quem vbi expui, nihil propterea animo turbatus, aquã nec reuomui, nec *antidotum* vllum ſumpſi: cum certus quaſi ſecurusq. eſſem, tantillum animal, aut minimè aquam veneno ſuo, quod pungendo potius, quàm eandem diluendo, emittit, polluiſſe, aut ſufficiens haud quaquam certè fuiſſe, per tantam putealis aquæ copiam diſperſum, vt interimere me potuiſſet. Exiſtimo tamen, ſi verè aqua illa venenata fuiſſet, nihil, aut parum ſaltem, animi mei confidentiam ſuffragari mihi valuiſſe. Eoque minùs timore perculſus fui, quòd olim, dùm *Matthioli oleum Scorpionum* dictum, componeremus, vidiſſem intrepidè Ruſticos noſtros, qui *Viperarum*, & *Scorpionum* venationi dant operam, aliquot centena *Scorpionum* viuorum, manibus ſuis apprehendendo, digitisq. reuol-

Author Scorpio cũ potu aquæ frigidæ in os illapſus.

Hic nihil ipſi obfuit.

Quidã innoxiè ſcorpiones vinos manibus tractãt

uendo, non aliter nobis numeraſſe, atque ſi tot nummos aureos contrectaſſent. Ego tunc vni eorum viuentium *Scorpionum*, caudam amputaui, eiusq. *aculeo*, in ſuperna *indicis digiti* parte, vulnuſculum mihi ipſi inflixi, experimentum hinc deſumere cupiens, an reuera *Venenum* ſuum eodem modo, quo ipſe *Scorpio* pungendo facit, mihi communicaret, iam enim, ſi quid ſiniſtri accidiſſet, de præſentaneo quoque remedio ipſo *Scorpione* contuſo & ſuperpoſito, ſecurus eram. Verùm noxæ nihil, præter exiguam rubedinem, *lentis* magnitudine, quæ ſequenti die diſparuit, inde contraxi.

Author ſeipſum pupugit innoxiè cum ſcorpionis aculeo.

Quapropter parum abfuit, quin in hanc deuenerim ſententiam, *Venenum abſolutum nullum dari, ſed relatione ſolummodo habita ad obiectum*, & eius quidem *naturam, modumq.* inficiendi imperſcrutabilem nobis ferme eſſe: cum ſciam venenoſa animalia, quæ pungendo, aut mordendo vulnerant, vix nobis virus ſuum inferre, niſi irritata, adeòque, vel à nobis, vel alijs, vel à ſeipſis, ad iram eadem prouocata fuerint. Id ſæpè in *felibus, canibus & gallis gallinaceis*, iracundiâ flagrantibus contigiſſe animaduerti, vt vulnera tunc infligerent cacoethea prorſus, & ægrè ſanabilia, cùm tamen, quando placidè nobiſcum agunt, & fortè nos ſauciant, vix quicquam detrimenti inde percipiamus. Sic in hac ipſa *vrbe* pharmacopoei cuiuſdam famulum intellexi, à capite *Viperæ* iam poſt tertium diem abſciſſo, & inter ſordium quiſquilias iacente, cum is hoc pede prius protruſiſſet, deinde manibus quoque apprehenſum proijcere tentaſſet, lethaliter in digito morſum, & efficaciſſimis vix tandem theriacalibus medicamentis ſanatum fuiſſe. Quod caput autem hoc tàm diu vixerit, mirabile eſt, ſed mirabilius longè, quod *Recchus* noſter, hoc ipſo in opere *Mexicano*, de *Serpente* atrociſſimo *Teuhtlaco Zauhqui*, quem *Hiſpani* indigenæ *Viperam*, ob lethalem morſum vocant, commemorat. *Audio à multis*, inquit, *qui eum Serpentem domi alere ſolent, atque educare, annum integrum durare, abſque cibo vllo potuque. Abſciſſumq. caput, decem aut ampliùs dies ferunt apud Panucenſes, in femoris craſſitudinem & longitudinem adoleſcere.* Eſt & hoc non minus inſolitum alijs *Serpentibus*, huic verò proprium, ac naturale: *Quot annos natus eſt*, ait idem *Recchus, tot accedunt caudæ perſtrepentia ſonalia, in poſtrema parte caudæ, vertebrarum inſtar connexa.* Huiuſmodi ſonalia perſtrepentia, & connexa, ſed à *Serpente* ſeparata tamen, ante pauculos dies monſtrauit mihi in *Muſæo* Illuſtriſſimi *Cardinalis Barberini* (in quo publici boni gratiâ, tam *noui*, quàm *veteris orbis* naturalium miraculorum gazam recondere hic *Princeps* cogitat) *Thobias Aldinus*, Spagyricus, Botanicus, & gnarus rerum naturalium perſcrutator, qui eiuſdem *Muſæi* curam gerit. De huius *Serpentis* admiranda prorſus natura, & propagatione, plurima habeo à *F. Gregorio* meo de *Boliuar* mihi communicata, quæ ad ſecundum operis huius tomum reſeruo.

Videtur dicendũ nullum abſolutè venenum dari.

Vnde hoc probetur.

Caput viperæ poſt tertiũ diẽ abſciſſum adhuc lethaliter vulnerauit.

Mira resde Serpente quodam Mexicano, ſonagliero vulgò dicto.

Talia ſerpentis ſonalia in Muſæo Card. Barberini videntur.

Et vt ſemel ſimulque dicam, in tota arte medica vix quicquam magis controuerſijs implicitum, quàm *venenorum naturam*, exiſtimo. Cum nondum conſtet, quibus rebus etiam *veneni* vox propriè competat, adeò inter ſe digladiantur doctores, atque ductores noſtri, *Dioſcorides, Plinius, Galenus, Fernelius, Capiuaccus*, & qui de *venenis* ex iunioribus Medicis ſcripſerunt. Cum quidam *Alexipharmacis* virulentam hanc quoque labem aſpergant, alij è contrario, *mu-*

Nihil magis perplexum videtur, in tota arte medica, quàm natura venenorum.

rium

rium ac *muſcarum venena* lambenda nobis, ceu ſalutifera remedia ſuadeant. Crede mihi, citiùs *balneatorem*, qui ſudore haud vnquam perfuſus, aut *Carbonarium*, qui nunquam fuligine tinctus fuerit, quàm prædictos inter ſe conuenire Scriptores offendes. Exemplo nobis vnico, inſtar omnium, ſit venenoſus, vt creditur, è terris, rebusq. varijs expirans vapor, non poſt menſes, aut hebdomades, nec horas multas, ſed momento ferè temporis, nos, & animalia quæuis interficiens. Inter terrarum miracula *Plinius* lib. 2. cap. 93. hæc annotauit. *Spiritus lethales alibi*, ait, *aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi, alibi volucribus tantùm, vt Soracte vicino vrbi tractui: alibi præter hominem ceteris animantibus: nonnunquam & homini, vt in Sinueſſano agro, & Puteolano: Spiracula vocant, alij charoneas ſcrobes, mortiferum ſpiritum exhalantes. Item in Hirpinis Anſancti, ad Mephitis ædem, locum, quem qui intrauere moriuntur, ſimili modo Hierapoli in Aſia, Matris tantùm magnæ Sacerdoti innoxium.*

Probatur hoc vnico exemplo vaporis peſtiferi, ex varijs terrebus exhalantis. Ex quibus terris expirat. Præcipuè propè Puteolos.

Huius quoque *Puteolani* antri, aliarumq. peſtiferarũ ſcrobium, ex alijs authoribus mentionẽ ſimiliter in ſuis *Antiquitatibus Puteolanis* inijcit *Iulius Cæſar Capaccius*, vir eruditis à ſe cõpluſculis euulgatis libris celebris, ad quem vbi *Neapolim* cõceſſi, non rarò quoque eiuſdẽ tunc vrbis *Secretarij* officio fungentẽ inuiſi, doctiſſimo ipſius colloquio libẽter fruens, non tralatitio inſuper ab eodem honore mea præter merita affectus, quod nominis mei, ſuo in *libro de Illuſtribus viris ac fœminis*, memoriam extare voluerit, hic quamuis funeſtam hanc ſcrobem & quoduis animal ingreſſum eandem, mori atteſtetur, noui tamen ante hos viginti duos annos, *Ioannem Baierum* Iuris & Matheſeos peritiſſimum in comitatu & cura tunc temporis Illuſtriſs. *Caroli Fuccari* veteris amici mei, *Baronis*, & *Canonici* nunc *Salisburgenſis* & *Conſtantienſis* doctiſſimi, noui hunc inquam ingreſſum illam atque egreſſum, incolumem, cum audaci quadam curioſitate victus, dimetiri hoc antrum baculo quodam, vlnaris longitudinis omninò, vt fecit, pruriret; qui præter calorem inſignem, quem in pedum plantis percipiebat, incommodum aliud ſe minimè ſenſiſſe mihi candidè aſſeuerabat. Hoc idem prorſus, iam dudum antea iuuenili quadam audacia tentauerat. *Corona Pighius*, qui poſtmodum *Caroli Ducis Cliuiæ, Iuliæ & Montium*, formandis moribus, & dirigendo per *Italiam* itineri præfuit, & auro dignum *librum* ſcripſit, cui titulus, *Hercules Prodicius*, quem adoleſcentes ex illuſtri ſtirpe orti, noctu rna atque verſare diurna lectione deberent. *Pighius* hic elegantiſſimis dicto in libro, verbis idem antrum, & prolixè latis deſcribit, quem aliqui ex *Italis*, cum illæſum & ſanum redeuntem ex hoc conſpexiſſent, vetitæ magiæ peritum clamarunt, nec aliud ſibi perſuaſerunt, quam ſecretis quibuſdam incantamentis, præſentiſſimam peſtem illam eundem auerruncaſſe. Et tamen, neuter *Germanorum* horum *magnæ matris* ſacerdos fuerat.

Iulij Cæſaris Capaccij encomium.

Hoc antrũ Io. Baierus Germanus illæſus ingreſſus eſt.

Corona Pighius idẽ fecit.

Locum hunc ipſummet bis ego quoque non inij quidem, ſed adij, naturæ hoc miraculum, ad ſtuporem vſque ſum contemplatus. Cum enim periculum in *cane* villatico faceremus, furcę illigato, noſtràque pecunià, veluti mox lethum ſubituro, ab illis qui non procul ab hoc antro habitant, coempto, & in hoc ipſum intruſiſſemus, ſemimortuum paulò poſt extraximus. Hunc vbi herus ipſius proximum in lacum dimiſiſſet, pauliſper vitæ redditus, ſurrexit, & orco

Author hunc locũ cum ſtupore vidit, & quid in cane immiſſo fieret aduertit.

qui fuerat viciniſsimus, aufugit, ſæpiùs in eadem poſtea adhuc tragœdia compariturus.

Etiam venenata animalia in hoc antrũ coniecta moriuntur.

Animaduerti autem hoc præterea, intruſum antro illi *canem* hunc, tentaſſe cupidiſſimè caput ſuſtollere, & auras lambere altiores, quaſi proximæ ſolo exhalationes, moleſtiam ipſi afferrent maximam. Mortuos quoque fuiſſe *canes*, diù in hoc ſpecu detentos, veluti *bufones*, *ranas*, *ſerpentes* aliaque venenata animalia, huc coniecta, idem paſſa eſſe infortunium, illius loci incolæ nobis memorabant.

Hiſtoria Romana vaporis mortiferi ex putei ſpiraculis exhalantis.

Memini quando ante annos plures quam viginti, hìc *Romæ* noua platea quam *Raſellam* vocant aperiebatur, domuſque nouæ conſtruebantur, cum puteus recenter eſſet excauatus, & in hunc *gallus gallinaceus* fortè decidiſſet, vnum ex operarijs illis, per funem ſe demiſiſſe, vt *gallum* extraheret, verùm nondum aquam attigerat, & ecce mirabile dictu, mortuus in puteum concidit, ſubſequitur alius operarius, vt & ſocium iuuaret, & animal leuaret, qui & ipſe mortem ſubitò oppetijt. Tertius deſcendit, ſed rogauit, ſi ſignum daret, confeſtim extraheretur. Quare vbi medietatem putei attigit, ſtatim ab aura quadam vertigini quid ſimile patiens, clamore edito ſemianimis, reliqui verò duo non niſi mortui educti fuerunt. Puteus terræ mole ſtatim oppreſſus & impletus, alioque in loco aqua inueſtigata fuit.

Hiſtoria fumi mortiferi ex carbonibus accenſis. Bernardinus Paulinus Germanorum fautor.

Et quot miſerè quæſo, ex *fumo carbonum*, non probè accenſorum, in cubiculum aliquod clauſum delatorum, perierunt? Vidi olim in ædibus *Bernardini Paulini*, *Clementis* VIII. *Datarij*, mei & *Germanorum* plerorumque, apud magnum hunc *Pontificem* fautoris benigniſſimi, Sacerdotem *Calabrum*, in lectulo ſuo dormienti prorſus ſimilem, manibus pedibusq. placidiſſimè compoſitis, ob carbonum fumum, quos in ipſo ſuo lecto, ſibi ipſi ſudorem prouocaturus, adaptauerat, extinctum.

Putei frumentorum expirant ſimilem peſtiferum halitum.

Sed & ſpectabiles viros, qui *puteis* illis ſubterraneis, quibus frumentum conſeruatur, improuidè viciniores facti fuerant, quando aperiebantur, & mephitim exhalabant mortiferam, vitæ non leue incurriſſe periculum noui. Verùm quodnam obſecro, venenum *Tritico*, ex quo optimum homini alimentum coquitur, ineſſe dixeris? Hoc enim ex eodem puteo ſublatum, non mortem, ſed in pane vitam nobis largitur.

Muſtũ etiã fermentatione bulliens ſuo odore interficit.

Dicam quid amplius, ne terræ hìc fœtorem aliquem culpes. Pretioſiſſimus, ſuauiſſimus, ex vino halans ſpiritus, vitali noſtro adeò congener & ſociabilis ſpiritui, hunc deficientem refocillans nonnunquam, & inſtaurans tam amicabiliter, vt ſenſum, motum & loquelam deperdita, omnia reſtituat & redintegret. Hunc nihilominus ex *muſto* per fermentationẽ ſuam bulliente, expirantem vbi clauſum aliquam cellam vinariam abundantiſſimè impleuerit, homines illuc ingredientes, non temulentis modò ſimiles efficere, ſed ſtupidos & attonitos reddere atque in terram mortuos proſternere, qui non norunt, vim huius atque poteſtatem parum norunt. I nunc, & hoc viuificum nectar, hoc vitæ Elixir, hoc cæleſte donum, mortiferi toxici, & diriſſimi veneni etiam, quia homines necat, ſi placet, argue. Domi meæ ante annos compluſculos, cum

Non eſt probabile hunc vaporem muſteum eſſe venenoſũ.

dolium

dolium ſemiplauſtri menſuram, ruptis circulis ligneis crepuiſſet, vinumq. totum effudiſſet in loco non ſatis ſpatioſo, ſubeuntem & nihil tale ſuſpicantem puerum meum, fragrantiſſimus ille vini ſpiritus eiuſdem cerebrum ita improuisè, & repente oppleuit, vt clamore ſublato, in terram concideret, & à nobis efferri, aquà quoque frigidà perfundi cogeretur.

An igitur dicendũ exiſtimemus, eiuſmodi vapores rarò eſſe venenatos, ſed pinguedine quadã, cum acrimonia mixta conſtare? quemadmodũ in hac muſti exhalatione manifeſtiſsimũ deprehẽditur. Totum enim illud, quod perit & ex muſto expirans, per ambitum loci illius, vbi vinum ſeu muſtum ebullit, ſi colligeretur, quod *Ioannes Baptiſta Porta Lynceus*, libello ſuo de *Diſtillatione*, qua id fieri queat ratione, dilucidè monſtrat, in nobiliſsimum & ſuauiſsimum vini ſpiritum inflammabilẽ, quod amici mei quidam factitarunt, abiret. Huiuſmodi igitur vapor venenatus fruſtra eſt creditus, cùm impetu quodã cerebrũ ipſum ſubiens, retrocedere verſus ſuum centrũ ipſos facit ſpiritus. Etquoniam eſt materia oleoſa, quæ eſt continua vt patet, & non retis inſtar vndiq. peruij, ſed inſtar linteoli ſtrictiſſimorum foraminum, vt ita loquar, vnita, cauſa eſt eadem, ne ſpiritus illam poſſit permeare, ſed vt quaſi vniti cogantur eousq. retrocedere, quousq. hic vapor procedit. Ita vt demum vapor is (addo quòd narcotica eiuſmodi pinguetudine omnia conſtantia, ſtatim torporem inferunt, ſed fortaſſis propter hanc eandem cauſam, quam modò aſſignaui) eo compellat ſpiritus, vt hi vniti, in aquam abire cogantur, & ſic conſequenter homo, vel quoduis animal, ex eorundem defectu, atque alias ad partes influxu, ſenſu menteq. labatur, motu deſtituatur, concidat demum ac moriatur.

Quid authori probabiliter dicendum videatur de vaporibus illis interficientibus. Io. Bapt. Porta Lynceus modũ docet colligendi vaporem muſti in vini ſpiritum. Modusquo nos ſpiritus tales interimere poſsint.

Argumenta demõſtrationi meæ, hæc dicã clariſsima, quòd videlicet qui vel ſuaui vini halitu perculſi, vel tetro carbonum fumo obnubilati moriuntur, hi omnes placidiſſimè obdormiuiſſe videantur. Quod canibus etiam ex antro illo, dicto *la Grotta de' cani*, eductis vſuvenit, & in puero olim vidi fulmine occiſo, dum dormiret, qui nec digiti indè articulum mouit. Inuenimus autem cerebri panniculos in ſecto huius cadauere, ſulphureis tam odore, quàm colore, maculis tinctos. Si enim horum quisq. ex *pulmonum* ac *cordis*, & non *cerebri* potiùs, atque animalium ſpirituum ſuffocatione moreretur, næ ille brachiorum iactatione, tibiarum attractione, & totius corporis denique agitatione, atque labore moleſtaretur. Arguit & curatio ipſa hoc meum dogma, quæ eſt aquæ frigidæ perfuſio. Verùm de hac re hæc ſatis, & forſan nimia.

Argumẽta pro authoris opinione.

Cerebrum & non pulmonem in eiuſmodi morientibus pati.

Et cum contraria ſub eodem genere *Philoſophis* noſtris eſſe dicantur: *Alexipharmaca* autem cùm *venena* deſtruant, horum contraria eſſe dicantur; non eſt mirum, ſi in his quoque debile intellectus noſtri lumen, æquè vt in venenis cæcutit. Quamuis & hoc probè ſciam, *ſcholaſticis* noſtris *contrarietatem* non ni ſi in *qualitatibus* dari, *venena* autem *tota ſubſtantia* agere Medicis dicantur. Quæ tamen enucleatiùs omnia examinare non ſunt huius loci, & temporis.

Vt venena ita etiam contraria alexipharmaca habent uim occultam.

Superiùs innui, in omni ferme animali venenato, eiuſdem veneni antidotum reperiri, vnde & *Theriaca* ex *viperinæ carnis* virtute, *viperarum* toxico aduerſari creditur. Solent & *Serpentium*, & alijs venenis auerruncandis, in *Germania* præcipuè, puluerem ex *Serpentibus* componere, & mirè deprædicare.

Puluis ex ſerpẽtibus certo modo paratus dicitur venenis reſiſtere.

Sic à fide digno mihi narratum eſt, litterarum *ſtudioſum* ibi quendam quinque *Serpentum corda*, in vmbra priùs exiccata & in puluerem redacta, vna vice deglutijſſe, ex quibus hoc ſit conſecutus, quòd nullum ipſi venenum ampliùs nocuerit, *ſerpentes* nullos timuerit, quin hos amauerit, & tractare manibus ſemper voluerit, & inter rudera eos, ac ſaxa latentes, odorari potuerit, *ſerpentes* tamen hunc valdè metuiſſe, & fugiſſe. Varij puluerem hunc variè componunt: hanc mihi tamen, ceu optimam compoſitionem donauit, & commendauit *Ioannes Dauidouiz Polonus*, pharmacopoeus non vulgaris notæ, ſed & chymicis exercitijs, & literis latinis optimè tinctus.

Quidã per os ſumpſit quinq corda ſerpentũ & quid ipſum inuerint.

Authori cõpoſitio huius puluꝛis communicata à Io. Dauidouiz.

Hæc autem ſic habet. *Serpenti* viuenti lingua extrahatur, hæc iuncta eiuſdem *cordi* & *hepati*, quæ ambo filo transfixa in bullientem aquam tantillum immergantur, poſtea nouem dorſi adiunctis vertebris, in vmbra aut prope ignem placidè ſiccentur, puluerizentur; capiatur tantum, quantum cultelli cuſpis admittit. Hunc puluerem *Pragæ* olim in peſtis præſeruatione, & curatione, plurimum valuiſſe mihi ſeriò affirmauit. Fides ſit penes authorem. Ego ſimilis *puluꝛis Serpentini* (cuius tamen compoſitionem ignoro) ex *Germania* allati doſes aliquot, vt vocant Medici, canibus poſt *arſenici* eſum propinatas, nihil prorſus profeciſſe ſcio, cum tamen ſcriptum fuiſſet hunc omni prorſus veneno aduerſari.

Vires huic puluꝛi tributæ.

Non reſiſtit omni veneno.

Duo adhuc valde aduerſus quæuis venena & febres malignas laudantur hodie *Alexipharmaca*, *Scorzonera* præſertim *Hiſpanica* inquam, & *lapis Bezoardicus*. De ambobus quid frequenter & quotidiana medica in praxi, mihi innotuerit, licet haud ignorem, volui tamen aliorum quoque mentem explorare. Quapropter interrogaui virum Cl. *Thadæum Collicolam*, primæ claſſis *Vrbis* huius, & præſtantiſſimum Medicum, quid ipſi de vtroque hoc auxilio certum expertumque eſſet: plurimam autem huic fidem adhibendam cenſui, quod in vtroq; vt difficillimo, ita maximi momenti itinere, primo ad *Chriſtianiſſimum Galliarum*, ſecundo ad *Catholicum Hiſpaniarum Reges*, *Cardinalem Barberinum* Patronum ſuum, cui Medicinam facit, fideliſſimè ſecutus ſit, eique vel hoc nomine plurimùm debeamus, quòd hunc nobis *Principem Italiæ pacis procuratorem*, & ſanum, & incolumem ex tanto diſcrimine rerum reduxerit, cùm in hoc poſteriore itinere plurimi ex familia, & comitatu *Cardinalis*, febre maligna ſublati fuerint. Hic igitur verè mihi conteſtatus eſt, apud *Hiſpanos Medicos* non eo Bezoardicos lapillos in precio & æſtimatione haberi, vt nobis imaginamur, neque ab his ea in febribus & venenis depellendis, miracula edi, vt hactenus creditum fuit illis, qui exotica ſæpenumero ſupra fidem humanam extollunt: in quo me facilem aſſenſorẽ habet. Ita neque eximiam illam, *Aquæ Scorzoneræ*, vim ineſſe, vt huic non æquipolleat ea, quæ ex *Ruta capraria* nobis elicitur, eoque magis *Hiſpanicam aquam Scorzoneræ* diſplicere ſibi, quòd in vaſis plumbeis *ſublimatio* illa, & *deliquium chymicum* ibi paretur. Quare vt is ſinceriorem haberet, datâ operâ, in *Hiſpania*, ex vitro eadem concinnari, & inde aquam deſtillari iuſſit ſecum Romam auferendam. *Ciuitellæ* verò *Cæſiæ*, cùm Princeps Cæſius noſter ibi cõperiſſet Scorzoneræ, Hiſpanicæ ſanè nihilo inferioris; magnum prouentum, aquam, vt ne longè ab Vrbe peteretur ijſdem organis

Quam prerogatiuam Bezoar & Scorzoneraãduerſus venena habeant. Iudicium de his Thadæi Collicolæ Medici eminentiſſimi.

Hiſpani Medici nõ tantum Bezoardicis lapillis tribuunt, quãtum nos credimus. Aqua Scorzoneræ.

ganis elici præcepit, in priuatæ & publicæ ſalutis Romæ, diſpertiendam vſum.

Elixir vitæ multum ualet in corroborandis noſtris ſpiritibus.

Nolo etiam nobiliſſimam illam compoſitionem chymicè paratam, quam *Elixir vitæ* appellant, ſua laude fraudari, qua in minima quantitate hauſtà, ſpiritus noſtri ita animantur, corroborantur, & inſtaurantur, vt ad propugnanda venena, Herculeis viribus inſurgant. Huius nuper nobis quatuor Libris, modum conficiendi & vtendi appoſitè deſcripſit, & vaſa chymica graphicè depinxit *Fr. Donatus de Heremita*, Ordinis *S. Dominici*, antiqua mihi familiaritate iunctus, qui inſtructiſsimum *Neapoli*, pharmacopolium, & poſt famoſum *Franciſci Imperati Muſæum*, primas in aſſeruanda ibi ſupellectile exotica, tenet. Reſtat nunc, vt quales ſint *Serpentes* hi noſtri *Mexicani*, enodemus, quod à non nemine hìc quæri, & auide à me expectari non dubito. Verùm hiſce in vltimis animalibus, *Religioſorum* eorundem virorum, à quibus in prioribus adiutus fui, hiſtorica relatio me deſtituit, vel quia præproperè nimis *Romà* diſceſſerunt, propriis in negotijs ſuis valde occupati, vel quia forſitan hos *Serpentes*, ex nuda pictura non ſatis internoſcere potuerunt. Quin tamen ex mediocris magnitudinis numero ſint, & icones & deſcriptio ipſa indicare videntur. Nam vt ex maximis hos fuiſſe mihi perſuadeam, adduci non poſſum, quos ad incredibilem quodammodo magnitudinem peruenire, in vtrisq. *Indijs*, illi qui nauigationes ſuas in vtrumq. orbem factas deſcripſerunt, publicis tabulis conſignarunt. Sed quod mirum eſt, barbari illi populi carnes eorundem *Serpentum* in delicatioribus quoque cibis reponunt.

F. Donatus de Heremita huius compoſitionem & uſum optimè deſcripſit.

Cur author de his noſtris Serpentibus Mexicanis parum dicere queat

Indici ſerpentes plerumq. ſunt magni & edules.

Ioannes igitur *Lerius* in ſua *Braſilia* hæc habet. *Comedunt*, inquit, *Braſiliani etiam ſerpentes craſſitudine brachij, quinque ferè pedum longitudine. Has immanes anguillas terreſtres fruſtatim conſcindunt, apparantq. inſipidæ tamen ſunt & perquam exigui ſaporis.* In ſexta parte *Indiæ Orientalis*, & quidem *Auriferi Regni Guineæ*, ad *Africam* pertinentis deſcriptione à *Batauis* perluſtrati, reperio, *Serpentes* ibi viginti palmorum longitudine, & quinque latitudine inueniri: aliquem quoq. ibi captum fuiſſe, triginta pedum longitudine, cui ſex viri portando, vix ſufficere potuerint. Fauces eoſdem habere capaciſſimas, vt *gallinas* & *anſeres* integros deglutire valeant. Vbi ventrem cibis diſtentum habent, ebriorum hominum more, ſomno indulgere, ita interfici, & à *Nigritis* deuorari carnes eorum, quas gallinis ipſis præferant. *Philippus Pigafetta* in *Regni Congi* deſcriptione his aſſentitur, ſed plura ac mirabiliora addit, quæ in curioſi lectoris mei gratiam huc inferere non abs re duxi. *Serpentes ibi ſunt*, ait, *magnitudinis horrendæ, ſi conferantur cum noſtratibus & præcipuè paluſtres, quorum aliqui longitudine viginti quinque & in latitudine quinque ſpithamas excedunt, ventre tam capaci vt totum ceruum, aut aliud eius magnitudinis animal, vna vice deuorent. Ex aquis egrediuntur, & paſti eo redeunt, vnde & ab incolis magnæ Natrices appellantur. Aſcendunt quamuis altiſſimas arbores, in quibus circumeuntia animalia quaſi in ſpecula ſpectant. Et vbi victum quærentia acceſſerint, ſumma vi ſe in ea demittunt, atque ita & mole & morſu occiſa, & in ſolitudinem aliquam tracta tota cum pelle & oſſibus & carnibus deglutiunt. Et ſæpius etiam accidit, vt cibo nimium repleti quaſi ebrij reddantur, & in ſomnum maximum incidant, ita vt vel puer eos occidat. Durat hæc ſatietas & ſomnolentia vel quinque vel ſex dies continuos, poſt quos demum experrecti ad conſuetas*

Braſilianī Serpentes à Lerio deſcripti.

Serpentes Guineæ à Batauis uiſi

Serpentes Regni Congi à Pigafetta memorati.

Hi ceruum integrum deuorare poſſunt.

Aſcendunt altiſſimas arbores.

Poſt ſatietatem in ſoporem maximum incidunt.

ſuetas ſuas venationes redeunt. Pellem ſtatutis temporibus mutant, aliquando etiam nimia dilatatione ex cibo nimio rugoſam ante tempus exuunt, quæ inuenta homines in admirationem belluæ magnitudinem inde cognoſcentes, rapit. Aethiopes has carnes, quando inueniri poſſunt, in delitijs habent.

Aethiopes his libenter ueſcuntur.

Vlricus Faber Germanus ingentem ſerpentem prope flumen Parenau vidit.

Vlricus Faber Straubingenſis meminit in ſeptima parte deſcriptionis *Americæ* ſe vidiſſe, ad dextrum latus *fluminis Parenau* ingentem *Serpentem*, longum pedes vigintiquinque ſimiliter, & craſſum inſtar alicuius viri, qui tormentis bellicis interfectus fuit, quiq. lauantes in flumine plurimos priùs *Indianos*, caudà circumuoluens, deuorauerat: cuius & ipſi *Indiani* poſtea carnem aſſam, & elixam in ædibus ſuis comederunt. Hic nigro & flauo colore lucebat.

Et quoniam coloris hic mentio incidit, ſilentio præterire non debeo, colorum varietatem, quam in hoc primo *Serpente* noſtro obſeruaui, dum ipſiſſima *Recchi* noſtri exemplaria perluſtrarem, in quibus *Animalium* horum, & *plantarum* icones ſuint depictæ, proprijsq. ac venuſtiſſimis coloribus illuſtratæ. Dum autem in hoc ſum; ecce *Recchi nepos* magna animi attentione has mecum conſiderans, an non, inquit, quatuor elementorum hoc in *Serpente* adumbratos, & quadam veluti proportione diſtinctos colores animaduertis? Eſt autem is *M. Antonius Petilius*, vir totus literarum ac virtutum ſtudijs deditus, qui quantum *prudentiâ* polleat, cuius Symbolum apprimè *Serpentes* exiſtunt, non illà ſolummodo inquam, quæ *Iuris*, *Aequi* & *legum* eſt, ſed *Politica* maximè, demonſtrant ampliſſima, & doctiſſima eius de *Exarchia* iam dudum euulgata volumina, in quibus Regnorum, Monarchiarum, & Rerumpub. leges ac regulas, ſtatuta, & decreta perpendit, ac trutinat. Philologus quoque eſt, & Hiſtoricus inſignis, atque Antiquitatum, tam ſacrarum, quàm profanarum mirus propterea indagator, quòd libri aliquot adhuc penes authorem detenti, docere luculenter poſſunt, qui de *prima Mundi lingua*, non minùs eruditè quàm dextrè, vt ego de his iudicare potui, ſcripti deſſertant. Debeo & hoc eximio erga me amori ipſius, quòd nõ paucas ſtudijs ſuis horas, mei gratiâ ſubtraxerit dũ prædicta volumina mihi exhiberet, oſtẽderetq. quò figuras illas peruiderem, atque diligentiùs examinando deſcriberem. Sed plurimum profecto *Auunculus* ipſius *Recchus* nimirum, eidem obligatur, cuius nomen, vt immortalitati conſecraretur, opus ipſius tantopere dignum, ac nobile, non vlterius ſopitum iaceret, ſed publicæ vtilitati donaretur, meritòque cum Authoris honore lucem tandem adſpiceret, omni *Petilius* vrgendo affectu, deſiderio ſummo, & perquam ſolicitè contendit. Et merentur, mehercle, plurimùm huiuſmodi viri induſtrij, qui nil aliud cogitant, nil aliud quærunt, præter ipſam virtutem, qui in hoc ſoli ſunt, & ſtudijs atque vigilijs ſuis, in hoc vnum incumbunt, vt poſteritati, ſuis ſuorumque laboribus prodeſſe valeant, qui demũ verbis, ſcriptis, atque exemplis proprijs, literarum ſtudioſis ita prælucent, hos ita mouent, atque inducunt, vt & ipſi digniſſimos ingeniorum ſuorum fructus producant, & humano eos generi lubentes relinquant.

M. Antonius Petilius Recchi nepos uir doctiſſimus & laude digniſſimus.

Huic multũ author debet.

Sed plurimũ illi Rechus auunculus debet quod huius per nepotẽ ſcripta lucẽ uideant.

Nos itaque, qui à *Lynce*, ſtudijs noſtris propoſita, nomen ſortimur, præterquam quòd totis animi neruis, in hoc ex inſtituti noſtri primaria ratione incum-

cumbimus, vt ſtudioſæ poſteritati rectè conſulatur, ſi præſertim aliquid noui, & reconditi per nos afferri queat: etiam propter hunc præſtantiſſimum virum, qui ſui tantopere erga *nos* affectũ amoris oſtendit eò libentiùs, ac promptiùs, præter ipſas à noſtro *Principe* collatas expenſas,& operas, noſtros quoque cum *Principe* labores, vigilias, & ſudores proprios, hoſque non exiles & nauci, contribuimus, vt tandem aliquando haud exiguo Philoſophorum beneficio, opus hoc minimè ſepultum ampliùs, aut caſſum, perditumq. remaneret, cum vltra quadrageſimum ab ipſa conſcriptione annum, litteraria reſpublica eo caruerit; vtque *Recchus* demum ipſe,debitam ſibi iam diu gloriam & honorem indipiſceretur.

Et de colore quod ait *Plinius* lib.8.c.23.*Quod ad Serpentes attinet, vulgatũ eſt, colores earum pleraſq. terras*(ſic enim legant quidã)*habere, in quas occultentur.* Quaſi velit dicere,& quaſi nemo hoc ei facilè credat,ſerpentes terris,quas inhabitant, vel colorem quem ipſi habent dare,vel eoſdem ab eadem mutuare. Nouimus enim,ſuos cuique ſerpentũ generi proprios,determinatosq. eſſe colores,ſiu e hi atram, ſiue albam, gryſeam ſeu rubram incolant terram. Et noſter hic *quadricolor ſerpens* domicilium ſuum forſan in vnicolore fixit tellure. Videmus quoque ijſdem ferme in ruderibus varios, & ex eodem erepere antro. Et quadricolore longè magis verſicolorem depingit nobis *Virgilius* 5. Æneid. ſerpentem, dum *Æneas* patris *Anchiſæ* manibus ſacrum faceret anniuerſararium, ibi enim dicitur, quòd

Plinij dictum de colore ſerpentum expenditur & refutatur.

——————— adytis tum lubricus anguis
Septem ingens gyros ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapſuſq. per aras,
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo Sole colores.

Serpẽs Virgilianus varicolor.

Hìc *Virgilius* indicare voluit ſerpentibus omne coloris genus ineſſe poſſe, ob id *Iridi* ſiue cæleſti arcui, ex pluribus compoſito coloribus variegantibus,hunc ſuum *Serpentem* comparauit. Quamuis non ſim neſcius,*Donatum Virgilij* Commentatorem, hoc loci hanc expoſitionem afferre. *Color eius & ſplendor idcirco ſpeciei cæleſti comparatus eſt*, ait, *vt oſtenderetur, non ex illis eſſe quorum deteſtanda natura eſt, & ſaluti hominum infeſta*, ſed hæc parum ſuffragantur *Virgilij* menti, & rerum *naturæ* ingenio, quæ ſub venuſtiore etiam ſplendidioreq. *anguium* colore, dirius, infeſtius, & atrocius nonnunquam abſcondere venenum potuit, ſic poeta ait:

Huius expoſitio à Donato facta.

Hęc non videtur eſſe ad mentem Virgilij & naturæ.

O formoſe puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quando etiam ſub pomi cortice elegantis coloris, ſæpe vermis latet corrodens, & virulentus. Atque vt vnico dicam verbo, vt vnico in hortulo trecentorum floſculi colorum (exemplo nobis ſint *Tulipæ*)ex vniuſmodi coloris terra emergunt, ſic vnius coloris ſolum, variorum genus ſerpentum coloribus diſtinctorum, generare, nutrire, & procreare valet.

Vnius coloris terra diuerſorũ colorum flores. & ſerpentes poteſt alere.

MA-

MAQVIZTETZAVHVATL

Amphisbæna Mexicana.



IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

CAPVT & caudáversus, in hoc serpẽte animali, partes maximè squamosæ apparent. In capite hoc singulare, ne dicam monstrosum, quòd hæc nimirũ bestia ab illo incipit tenui & subtiliore, atque per integrum corpus, caudam versus, crassitie semper crescit, ita vt cauda duplo sit capite crassior & corpulentior. Squamæ coloris violacei diluti, sunt & nigricantis, in medio tamen corporis, cineritij diluti, ac penè argentei. Si ex pictura est ducenda coniectura, animalculum potiùs, quam animal grande appellarem, illudq. ex corporis fòrma & constitutione vtrinq. progredi valere, facilè asseruerim.

SCHOLIA EIVSDEM.

Mirabile quod homines odio habeant serpentes, & tamen veneretur.

Aliqui serpentes pro Dijs habent.

RES insolens profectò & admiranda videtur, quòd homines nimirum, cum non visos modò sibi *Serpentes* exhorrescãt, sed vbi hos mente, & cogitatione, imò per somnum solummodo comprehenderint, adeò paueant subinde, & contremiscant, vt saltem non animo linquantur, & extra se toti rapiantur. Esse tamen interea alios, (quales *Troglodytæ Aethiopes* sunt) qui his vescantur libenter, & non deesse alios, qui in veneratione illos habeant, ac veluti Deos adorent. Atque *Romanos* præter, qui olim *anguem Aesculapium Epidauro Romam* attulerunt, coluerunt q. sunt hodieque *Calecuthi Reges*, vt *Gillius* est author, qui tanta *Serpentes* in religione habent, vt qui eosdem occidat, pœna eadem, ac si hominem interfeciisset, plectatur, quòd illos è cælo delapsos ob immedicabile vulnus, quod inferunt, perperam arbitrentur. Quin in ipso quoque cælo, vt maius ipsis decus accedat, inter sidera etiam serpentes reponi meruerunt. *Stellarum signa, Serpentum* titulo ab antiquis astronomis fuerunt indigitata. Et qui magni olim Duces, atque Imperatores audire voluerunt, nonne honori sibi

ſibi duxerunt, à *Serpente*, qui matri eorum concubuerit, prognatos ſe fuiſſe, palam profiteri? hoc de *Alexandro Magno* & P. *Scipione Africano* ferebatur. Ipſi quoque futiles & inutiles Ethnicorum Dei, à ſerpentibus celebritatem nominis ſui, & immortalitatis, vt ipſi putarunt, adipiſci adoream voluerunt. *Apollo* de *pythone* ſerpente occiſo celebratur. *Aeſculapius* huius filius, *Draconem* aluit, qui ipſi appingitur. *Hercules Hydram* trucidauit. *Minerua Gorgonis* angues geſtat. *Mercurius* in caduceo ſuo ſerpentes duos, Herculeo implexos nodo extollit. *Ceres* Draconibus vehitur, *Saturni* Currus Serpentibus trahitur. Quid multis? ipſemet *Iupiter* in Serpentem mutari, & libidinari voluit.

Horum etiã patres fuiſſe perhibẽtur.

Gentilium Dii celebres à Serpentibus eſſe voluerunt.

Et hoc inſuper cum ſtupore quodam obſeruamus, quòd inter creatas à Deo Opt. Max. beſtias, vix vllum earum genus reperiamus, in quo varietas maior, virulentia ſæuior, Naturæ potentia vnitior eluceſcat. *Iſidorus* dicere ſolebat, *Serpentum tot ſunt venena, quot genera, tot pernicies, quot ſpecies, tot dolores, quot colores*. Stupenda planè, ſi vera quoque hæc ſunt, quæ de *Baſiliſco* à *Plinio*, *Solino*, *Aeliano*; *Alberto* & alijs referuntur. Hunc nimirum extinguere herbas, necare arbores, corrumpere auras, rũpere ſaxa, ſibilo fugare ſerpentes, ſolo intuitu hominem miſerè perdere, & neci dare. Et quæ de *Aſpidis* aſtutia prædicantur, hæc vt euitet incantantis verba *Marſi* alicuius, aurem vnam terræ allidit, alteram caudà obturat, ne eius vocem audiens, cauernà ſuà egredi cogatur. Diuini vatis talia ſunt hac de re Pſalmo 57. verba: *Furor illis* (peccatoribus) *ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantium venefici incantantis ſapienter*. Vt de *Iaculi* interim, *Dipſadis*, aliorumq. ſerpentum miris venenorum viribus nihil dicam. Eſt & hoc inter Naturæ miracula annumerandum: *Serpentes* reperiri anſerinis pedibus, tripartitis linguis, vt *Plinius*, aut bifidis, vt *Ariſtoteles* annotauit. Duas ſimiliter aliquos caudas habere, & in nonnullorum caudis tintinnabula ſonare. Ne repetam nunc, tam monſtroſas ſerpentum magnitudines, vt horum aliqui *ceruum*, ſed quid dico ceruum? hominem etiam integrum ſedentem in equo, ſi *Poſſidonio* fides eſt habenda, deglutire potuerint. *Noruegicus* certè ille *Olai magni Serpens* magnus, ducentos pedes longus, viginti craſſus, *vitulos, agnos, porcos* vorabat, & maria tranſmittens, homines quoque in ſublime columnæ inſtar ſe erigens ex nauigijs raptabat, ne obſtupeſcat forſan *Aulus Gellius* lib. 6. c. 3. & putet ſe ſolum inuſitatæ magnitudinis ſerpentem, ex *Tuberonis* libris deſcripſiſſe, cum ait: *Bello primo Punico Attilium Regulum Conſulem, in Africa Caſtris apud Bagradam flumen poſitis, prælium grande atque acre feciſſe aduerſus vnum Serpentem, in illis locis ſtabulantem inuſitatæ immanitatis; eumque magna totius exercitus conflictatione, balliſtis, atque catapultis diu oppugnatum, eiuſque interfecti longum corium, pedes centum & viginti, Romam miſiſſe.*

Maxima in Serpẽtibus varietas reperitur.

Quid Baſiliſcus poſſit.

Quæ ſit Aſpidis aſtutia.

Quid monſtroſi ſit in Serpentibus.

Maximi Serpentes ab Olao magno, & Aulo Gellio deſcripti.

An non & hoc mirabile? quod in *Braſilia* ſerpentes eſſe dicuntur, quorum geminati morſus minùs ſint noxij, quàm vnicus? & hìc nouo felicitatis genere ſecundi ſint expetendi, vt primi perſanentur. Simile quid ipſis *anguibus* accidere creditum eſt, quibus prior arundinum percuſſio plerunq. ſit lethalis, ſi verò ſecunda accedat, priori hæc ſalutem afferat. Et quid dicemus de eiuſdem planè generis *Serpentibus*, qui aliquibus in locis ſine veneno ſint, in alijs verò

Morſus ſecũdus quorundã Serpentum curat primũ.

peſti-

pestilẽtissimi: & in *Africa Psyllos*, in *Italia Marsos* fuisse populos, qui odore suo *Serpentes* sopiuerint, sputo solo, aut sudore eosdẽ occiderint, atque à nocentissimo eorũ veneno ita tuti fuerint? Sũt hęc fateor, omnia mira in oculis, & mirabiliora in animis nostris. Verùm non mirandã minùs hanc esse dixerim, quam nunc declarandã proponã, bestiolam *Amphisbęnam* scilicet, & quam huic eidem subiungam, *Draconem* vulgo dictum, siue *Serpentem* potiùs *alatum*, atque *pedatum*. Quid enim magis *Naturæ* limites, & rerũ ordinem creatarũ excedit, quàm pingere, aut fingere etiam, nedum viuum intueri animalculum, duobus capitibus, non vno in loco, quod in monstris satis frequenter visitur, sed vnum vbi caput naturaliter situm est, alterum vbi cauda esse solet, nexum ac posituram suam obtinuisse? idque non fortuitò & siue ludentis, siue errantis Naturæ vitio, aut ioco, sed serio consilio, in tota illa animalis specie, atque progenie, ita semper obtingere solitum esse: quod in *Amphisbæna* euenire grauissimi authores conteſtantur. Aut quid absonum magis censeri potest, quàm *Serpentem* procreatum esse, qui pedibus suis incedat, & alas adeptus sit, quibus in aera se sustollere valeat? Id quod nostro in *Dracone* eueniſſe, clarum faciemus.

Amphisbęna & Draco admodum miri sunt Serpentes.

Duo capita habere, & horum alterum, vbi cauda esse solet, valde est insolens.

Nec minus naturæ videtur aduersari Serpentem esse, & pedes ac alas habere.

Et vt à priore exordiar: *Plinius* quidem noster, lib. 8. c. 33. *Geminum*, ait, *caput Amphisbænæ, hoc est ad caput & ad caudam, tanquam parum esset vno ore fundi venenum? Galenus* quoque de *Theriaca* ad *Pisonem*, *Amphisbæna animal est biceps*, inquit, *quemadmodum sanè & nauigia vtrimque proram habentia, cui natura ex superfluo substantiæ duo capita est largita*. Quod ab *Aeliano* & *Solino* quoque confirmatur, & *Lucano* lib. 9. cum ait:

Amphisbænæ ex antiquis descriptio.

Qui duo in ipsa capita statuant.

Et grauis in geminum surgens caput Amphisbæna.

Liber qui *Hortus sanitatis* inscribitur, authorẽ citans *Iorach*, talibus iam dicta verbis rata habet: *Amphisbæna Serpens frigori cõmittit se vigil & solicitus de ouis suis, valde cum eis cubat. Nam dum quadã pars eius dormit, altera tunc vigilat. Et cum per semitam incedit, duo capita regit, nuncque caput anterius, nunc posterius subsequitur.*

Atque hæc antiquioribus nostris Scriptoribus, habita pro confesso, & firmiter credita fuerunt. Verumenimuerò *Andreas Matthiolus* ad caput 48. lib. 6. *Dioscoridis*, qui *Amphisbænæ* hìc non formam, sed venenum describit, fabulosa hæc omnia asserit, quę de duobus capitibus veteres in hoc Serpente commenti fuerunt. Posse quidem etiam ex *Aristotelis* mente lib. 5. c. 3. de *Generatione anim* aliquando duobus capitibus animalia nasci, præsertim ex illis quæ numerosam prolẽ edunt, veluti sunt aues, & id etiam in serpente contigisse his verbis fatetur: *Iam serpens etiã biceps visus est, videlicet eadem de causa, nam id quoque genus ouà parit, & multa numero. Amphisbæna* autem non ex monstrorum est numero, nec ibi nexa duo capita gerit, vbi *Natura* caput locare solita est, nam talem *bicipitem Serpentem* reor ego hunc monstrosum *Aristotelicum* fuisse, quandoquidem etiam *pulli gallinacei* duobus contiguis capitibus nonnunquam ita monstrosè nascuntur. Ex *Naturæ* autem præscripto, semper duobus capitibus, in vtraque extremitate positis, edi *Amphisbęna* perhibetur. Hæc longè ante *Matthiolum*, *Aetius* ambo capita improbauit, qui homines ideo deceptos putauit, *Seytalæ* & *Amphisbęnæ* Serpentibus, bina capita affingentes, quòd has

Matthiolus refragatur prædictis authoribus.

Fabulosa hæc duo capita facit.

Aliquando biceps visus fuit Serpens, sed monstrosus ex Aristotele.

Amphisbęna non inter mõstra recẽsetur.

non

non à craſſiori capite, in tenuiorem caudam deſinere viderent, vt ſolet reliquis *Serpentibus* euenire, cum ſint in vniuerſum æqualis craſſitudinis *Amphisbæna & Scytale*, & propterea diſcernere haud quaquam potuerint, iuxta vtram partem, caput aut cauda ſita fuerint. In hoc autem *Scytale* & *Amphisbæna*, *Aetio* arbitro, differunt, quòd hæc, non illa, ex vtraque parte progrediatur, vnde hoc nomen ipſi *Græci* indiderint, vt Etymologiam ſcrutanti non eſt obſcurum. *Heſychius* quoque in eandem ſententiam hæc ſcripta reliquit. *Amphisbæna ſpecies eſt Serpentis, porrecto capite, cubitalem caudam, & decurtatam habens, & ea ſæpe incedens, ita vt quidam, num duo habeat capita, dubitent.*

Heſychius, Aetius, & Matthiolus negant duo capita in Amphisbæna eſſe.

At libet hìc pauliſper quoque philoſophari. Ego meherclè mirificam hanc duorum capitum conſtitutionem ac ſitum non parum *Naturæ* ordini refragari, & animalis ſaluti obſtare, vel ex ipſo *Ariſtotele Naturæ Genio* demonſtrare conabor. Hìc itaque lib. de *partibus animalium* cap. 10. hæc duo ceu veriſſima proponit & præſupponit. *Primum*, ait, *in omnibus vita præditis, & perfectis partes maximè neceſſariæ duæ ſunt. Altera qua cibum capiant, altera, qua excrementum emittant, non enim fieri poteſt, vt ſine cibo vel ſeruentur, vel augeantur. Secundum*, eodem capite. *Duo ſenſus, id eſt audiendi & videndi maximè in capite poſiti ſunt, propter ſenſoriorum naturam.* Et *Plinius* lib. 11. cap. 37. de *Capitis* dignitate verba faciens. *Hanc habent ſenſus arcem*, ait, *huc venarum omnis à corde vis tendit, hìc deſinit, hìc culmen altiſſimum, hìc mentis eſt regimen, ab eo proficiſcitur ſomnus. Quæ cerebrum non habent non dormiunt.*

Rationibus ex Ariſtotele & Plinio mõſtratur, in hac non poſſe eſſe duo capita.

Ex his, niſi fallor, perſpicaciſſime lector, hæc de neceſſitate conſequi facilè iudicaueris. Cum per vtrumq. os, (quod in capite quoque poſitum eſt) cibi nempe receptaculum, alimentum capiatur, vtrique horum ſuum excrementorum emiſſarium, vel ad alterutrius oris capitisq. terminos, vel in medio certè corporis, ſubnixum & collocatum eſſe debere, quo enim alio in loco cloaca illa, & excrementorum ſentina ſtatuatur non video. At indecens videtur, prope locum, vbi cibus ingreditur, alui ſordes ac fæces egredi, & ignobilius atque abſurdius longè, in medio corpore, vbi viſcus locari debet digniſſimum, *cor* videlicet, officinam hanc ſtercoream ſedem ſibi fixiſſe. Cum *Ariſtoteles* laudato iam loco, tantæ nobilitatis honore, *cor* ipſum condecoret, vt ſenſuum quoque principium, aduerſus illos determinet, qui dignitatem hanc *Cerebro*, (quod *Medici* pleriq; faciunt) concedi debere autumant. Quod ſi verò auditus & viſus ſenſoria animalibus ideo conceſſa fuerunt, vt his mediatoribus & admonitoribus, ſpeculatoribusq. vel caueant ſibi ab infortunio impendente, vel quod vtile ipſis & volupe eſt, amplexentur. An non fieri facilè quiuerit, vt cum ex vno capite cibum ſibi proſpiciat proximum, hunc proſequi, ex altero verò parem ſiuè coniugem ſuam audiat *Amphisbæna*, hanc itidem amplecti gaudeat, vel ſi vtroque etiam viſus organo hoſtem proſpectet, atque huc, vel illuc fugere, anxia ſatagat, an non inquam contingere facilè poterit, vt vnum idemque animal motibus contrarijs, eodem temporis momento, agitetur, varias in partes locorum diſtrahatur, ſibique ipſi vim & moleſtiam inferat maximam & tædioſiſſimam? Ne dicam nunc hanc nonneminem neceſsitatem extorquere velle, cum duo ſint formata, & non monſtroſa *Capita*, duo his ſubeſſe

Primò propter excrementorum exitum.

Secundò propter ſenſum viſus & auditus.

Videretur etiam hic duo corda debere habere.

beſſe *corda* ſimul oportere. Veruntamen hæc per tranſennam potiùs attingere, quàm ad medullam anatomicam, & philoſophicam, quod hìc tentare commodè poſſem, penetrare libeat.

Etiam cum vno capite poſſet progredi & retrogredi.

Quapropter ego quoque *Hesychio*, *Aetio*, & *Matthiolo* aſſenſum facilè præbuerim, fabulam hanc eſſe de *bicipite Amphisbæna* æquè cenſentibus, atque illa eſt, de *Septicipite Hydra* à poetis excogitata. Poſſe tamen *Amphisbænam* nihilominus vnico capite progredi, & retrogredi, non habet quicquam à naturalium conſtitutione animalium alienum. Solemus nos ipſi erecti ambulantes

Hoc homines & alia multa bruta faciunt.

hoc præſtare, & infantes noſtri humi reptantes hoc ipſum factitant. *Brutis* multis hoc frequentiſsimum eſt. *Vermes* quidam centipedes, & vnicipites, vt ita dicam, *Amphisbænæ* modo gradiuntur: *Camaris & Cancris* hoc vſitatiſsimum eſt, vt illos *Camarorum* gradu ambulare per adagium dicamus, hoc eſt retrogredi, non progredi, quibus negotia non ex animi ſententia fluunt. Miratus ſæpe ſum tam dextrè *equos Romanos* noſtros inſtitutos eſſe, qui currus illos heriles ſeu bigas, quarum maior in VRBE, quam alia in ciuitate eſt copia, (carrozze hìc vocantur) eadem facilitate, retrorſum agunt, qua prorſum vix alij alio locorum propellerent. Eoque magis *Amphisbæna* hoc præſtare potis eſt, quòd ex *vermium* hanc ego genere potiùs, quam *Serpentum* exiſtimem. Cum

Præſertim equi Romani.

Quomodo Serpentum motus fiat.

autem vtrorumq. motus non parum inter ſe variet, de hoc paucula quædam in curioſorum gratiam diſſertare placebit.

Quæ *Ariſtoteles* duobus libris, vno *de communi animalium greſſu*, altero, *de communi eorundem motione* inſcriptis, doctè quidem ſed laconicè, & obſcuriuſculè diſputat, hæc opuſculis aliquot ſuis, dilatauit magis, & explicauit neruosè ſanè, & anatomicè, *Hieronymus ab Aquapendente* iam ſupra à me quoque laudatus, ob *Patauinam Scholam* nobilis, vel hæc propter ipſum etiam celebris. Et libello quidem *de Reptatu*: Tametſi omnia talia animantia ſuper terram, & terræ innixa eamque contingentia repant, tamen reptionem multipliciter contingere poſſe affirmat. Cum alia vndis, ſeu vndatim, ſiuè vndando procedant. Alia partim ſe contrahendo, partim extendendo. Et quæ vndosè repunt, bifariam hoc denuo faciant, vel quod vndæ per dorſum eorum fiant, appareantq. & ſupernè incuruentur, veluti *Erucæ* repunt & *Hirudines*, in alijs vndæ obliquè per terram fiant, quæ communiter ſpiræ appellantur, vt in *Serpentibus*, quæ per ſpiras mouentur, & vt poeta ait.

Aquapendens Ariſtotelem explicat de motu Serpentum.

Quam variè repentia & ſerpentia incedant.

——— *ima per orbes*
Squameus intortos, ſinuat veſtigia Serpens.

Quæ verò repunt ſe contrahendo partim, & partim extendendo, ſint *vermes* terræ, ſiue *lumbrici*. Quibus quarta demum ſpecies accedat eorum quæ arcuatim procedunt, quali motu illa incedat *Eruca*, quæ *Geometra* appellatur.

Quali motu procedat Amphiſbæna.

Nunc quid de noſtra *Amphisbæna* ſtatuendum ſit, diligenter eſt peruidendũ. Si *Aetio* credimus, ab vtroque animali *Amphisbæna* & *Scytale* demorſis, contingit morſus obſcuros eſſe, ac vix apparere, veluti muſcarum puncturæ ſunt. Hinc ego cum *Matthiolo* non ineptam coniecturam duco, *Amphisbænam* eſſe *vermibus* terræ non multo maiorem. *Nicander* nobis fauet, qui eam *lumbrico*, aut *inteſtino terræ* non craſsiorem his verbis ſcriptum reliquit.

Hæc lũbrico ſimilis eſt, cuius ad modum mouetur.

Præterea occurrit gracilis, pariterq. pusilla
Amphisbæna biceps, semper cui lumina nube
Caligant densa, nam palpebra nutat vtrumque
Ad caput obtusum, verùm color æquus arena,
Robusto in corio variato stigmate multo.
Amphisbæna tamen similis est vermibus, vda
Quos genuit terra eiusq. intestina vocantur.

Cum autem *Serpentes* habeant ossa, vel spinas, & musculos, quibus *vermes* carere, vel certè analogum quid illis obtinere videntur, perplexum valde est, & difficile cognitu, quomodo hi terræ innitãtur, seipsos cõtrahãt & promoueant, cum hæc omnia sine ossium & musculorũ ope fieri haud quaquam cernantur. Quòd ex *Aristotelis* nimirum doctrina, vndosè & tractim moueri, denotet aliquid, quod trahitur & mouetur, aliud quod trahit ac mouet, & aliud demum, cui innititur illud ipsum, quod trahitur ac mouetur.

Pleraq. animalia ope musculorũ & ossium mouentur.

Relicto igitur hic motu, quo *Serpentes*, & illo, quo *Erucæ* serpunt, de hoc solo mihi sermo nunc fuerit, qui *Amphisbænæ* competit, & idem prorsus esse censetur, qui in vermibus terrestribus manifestatur. In quo non leuis se iterum prodit difficultas, quæ vt pulcherrima, ita solutu ardua est, & obscurissima, quam his ipsissimis *Aquapendentis* verbis proponam ac soluam. *Etenim dum vermis anterior corporis pars quæ ad os & caput spectat, reptatu anteriùs procedit, tantùm abest vt contrahatur, crassior fiat ac breuior, quin potiùs extendatur, tenuior & prolixior reddatur. Quòd si dum aliqua pars mouetur, non potest nisi musculorum ministerio moueri, actio autem musculi est, vt perpetuò contrahatur, breuietur & crassior reddatur, cur contrarium fit dum vermis progreditur, cum anterior pars potiùs subtiliatur?*

Difficultas de motu vermiũ & Amphisbænæ, ex Aquapẽdente.

Respondet appositè valde *Aquapendens*, vult igitur duplex esse genus musculorum, in vermibus, *vnum* longorum per totum vermem, hinc inde positorum, cuius beneficio fiat contractio & vermis abbreuiatio, quod fit maximè, dum vermis aliquod triste obiectũ percipit, tunc enim contrahitur & crassescit. *Alterum* est orbicularium musculorum, quos *Sphyncteres* vocare possumus, qui in orbem per totam vermium longitudinem excurrunt, quique tot sunt, quot annuli seu incisuræ, (hæ autem sunt numerosissimæ) in vermibus inueniuntur.

Qui appositè sibi respondet. Duplices sunt musculi in vermibus longi & orbiculares.

Iam sibi imaginetur aliquis, omnes hos musculos vnum post alterum, vermium corpus constringere, continget profectò anterius tum produci, tum subtiliari corpus vermium. Ratio in propatulo est, quia corpus molle crassumque, si in orbem constringatur, tum tenuius redditur, tum prolixius euadit.

Dubium ratione & experientia soluit.

Atque hæc nisi fallor commoda iam ratio reddi potest, cur hæc nostra siue *Serpentis* siue *vermis* icon, caput versus multo tenuior, quàm ad caudam sit depicta & in tabula quoque expressa. Quod haud dubiè nimirum, dum à pictore viuum hoc animalculum delinearetur in motu id fuit, & ad partem se anteriorem rependo agebat, vnde constringentibus se musculis orbicularibus ad caput sitis, pars ea longior & subtilior de necessitate fieri debebat.

Ratio cur hoc nostrũ animalculum ad caput sit tenuius depictum.

Atque dum in hoc totus sum, vt fabulis potiùs, quàm rei veritati *bicipitem Amphisbænam* asseram, & rationes quoque comminiscor non contemnendas. Ecce præter spem omnem, atque opinionem meam Illustrissimus Eques

Cassianus Puteus Lynceus veræ amphisbænæ iconem authori subijcit.

Cassianus Puteus Lynceus noster, verissimam *Amphisbenæ* imaginem, seu iconem coloribus suis etiam proprijs depictam mihi ostendit, quam hac ipsa, quo superiora hæc scripseram, & typographo iam imprimēda commiseram, hebdomade, *Parisiis* allatam, & ab amico quodā suo exoticarum rerum apprime curioso, atque ex ipsomet animali delineatā fuisse, attestante, sibi transmissam affirmauit. Haud scio profectò, exhilarauerit me magis, an rùborem quendam potius mihi verecundiamq. incusserit penè puerilem: vt qui partim tam rarum animal, à veteribus toties decantatum, hucusq. à zoographorum nemine verè effigiatum, nisi iam tandem cum voluptate vidissem: partim palinodiam canere, qui duo nempe in hoc capita negaueram, quodammodo coactus fuissem.

Author, vt veritas rerum naturalium pateat libenter reprehenditur. Vellet vt alij etiam se naturæ accommodarent.

Ast qui me norunt, hoc pariter non ignorant, mortalium nemini fortasse minùs displicere, suorum errores studiorum agnoscere, eos libenter fateri, & agnitos retractare, atque mihi ipsi, qui hactenus nihil aliud scribendo, differendo, perorando, & inclamando ingeminaui, quam hanc vnicam, tremodiam, iniquum esse nimirum, *Naturam* efficere ex libera seruam, famulam, & phantasiarum nostrarum pedissequam, vt nostrum hæc ad modulum geniumq. inuita se componere, fingere & efformare cogatur, æquum potiùs fore eidem nosmetipsos, quæ à DEO non errante ducitur, regiturque, subijcere & accommodare. Quod si mecum eorum nonnulli, qui hodie *Philosophi* ferme soli audire auent, factitarent, quos veterum anticipata, & medullitus mentibus eorum impressa authoritas propemodum fascinauit, næ in animalibus, plantis, & metallicis saltem, iam præstantiora haberemus, & maiorem earundem rerum partem sciremus, quàm proh dolor! ignoramus.

O fortunatos nimium, sua si bene norint,
Agricolas!

Dicebat olim poeta. Et ego fortunatissimos illos censuero, quorum hodie *doctiorum* nomine, molles gaudent auriculæ, si haud philautiâ inflati, non tam quod sciunt exiguum cognoscerent, quàm quod in scientijs illis deest maximum, agnoscerent. Hoc enim modo felicitati sibi ducere possent, illud acquirere, quo carent, & non damnare, quod ipsi assequi vel nolunt, vel non possunt: nec ex illis reuera essent, quos acriter *Terentius* perstringit inquiens:

Homine imperito nunquam quidquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Et vt semel dicam, magnus non est, nec sapientiæ amator, qui illud γνῶθι σεαυτὸν, & verè hanc philosophicā Latini oratoris sententiā, nusquam non cordi habet: *Optimus, ac grauissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda.* Quamuis hoc sæculo nostro, detractum non paucis velum ab oculis fuerit, & plurimi iam in clara *Naturæ* luce atque philosophiæ libertate collocati, plura videant, quàm illi olim in antro cyclopum latitantes, qui ex auditu magis, quàm visu *Naturæ* thesaurum discernebant, ponderabant, atque vtinam etiam non parum cæcutiebant.

Multi hodie liberè philosophantur.

Amphisbenę verę descriptio.

Totum hoc animalculum, si pictura non mentitur, ad spithamæ longitudinem vix accedit, crassitudinis eiusdem est, quam digitus minor habet. Squamis sed minoribus vestiri apparet, color dorsi bene luteus est, ventris albicans.

Caput

Caput peculiare quid obtinet, quod alijs vllis in *Serpentibus* nec viuis, nec mortuis, nec fictis, nec pictis me vnquam videre memini. Hoc caninum aut arieti num imprimis roſtrũ æmulatur, appendices ſub capite cutaneę aut carneę potius, non piſciũ pinnis ſimiles, ſed *gallorum* palearia ac veluti barbam (*Ariſtoteles* κώλλα vocat) æmulantes propendent, longæ latæque adeo, & quodammodo tricuſpides, eiuſdem cum toto corpore coloris, vt ad reptatum nihil prorſus hæ conferre, quin eundem probè impedire etiam poſſe videantur. Sed vt delectatiunculà aliquà lectorem meum aſpergerem, hanc beſtiæ figuram artificis manu in lignea tabula inciſam, atque hìc impreſſam dare volui.

Amphisbæna Europæa.

Quod ſi reuera tale animal in rerum vniuerſitate reperitur, quid ego iam aliud faciam, dicamue, quàm illud poetæ?

Omnia nunc fiunt, fieri quæ poſſe negabam.

Author ſi hoc animal reperiatur in rellectũ captiuat ſuum.

Quamuis vbi tot veterum illuſtria ſunt teſtimonia, iniuſtum quaſi ſit, fidem ipſis derogare, inter quos non exigua authoritate pollet *Iulius Solinus*, qui cap. 29. *Amphisbæna*, inquit, *conſurgit in caput geminum, quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte qua cauda. Quæ cauſa efficit, vt capite vterque ſexus nitibundo ſerpat tractibus orbiculatis.* Valeant igitur (ſi hæcita ſe habent) & meæ, licet plauſibiles, & *Cardani lib.* 9. *Subtilit*: in contrarium adductæ ſubtiles rationes, cum ait, eſſe omnino monſtrificum, animal vnum habere plura motus principia & capita: tum quia, quod paucioribus abſolui poteſt, natura pluribus haud perficit: tum quia idem animal ſibi ipſi poſſet diſſentire, aduerſari, & quod ego monui, cõtrario velle greſſu moueri. Ex *Solino* enim apparet vtrumq. caput pro vnico eidem ſeruire, & pari paſſu incedendo, corpus reliquum in ſemiſpiræ, & orbiculi modum trahere. Quod ſi hoc in nullo alio animali hucusq. animaduertimus, quid tum poſtea? ita *Creatori* placuit *Amphisbænam* effingere, & *Apro* noſtro *Mexicano* inſculpere *vmbilicum*, non in ventre, ſed in dorſo, & varias alijs figuris, modisq. *Noui orbis* beſtias producere, quæ omnes ad noſtras comparatæ, monſtroſæ viderentur. De vſibus autem partium tam

Solinus deſcribit Amphisbænã.

Hinc facilè elicitur quomodo duobus capitibus progrediatur.

Deo nihil impoſſibile.

Amphisbæna non videtur in eadem classe cum hydra esse locanda.

externarum, quàm internarum, nisi animal ipsum videro, examinauero, & dissecuero, superfluum & inane esse iudico nunc ampliùs quicquam disceptare. Atque ita nescio quàm sit *Matthiolo* assentiendum, qui in ijsdem subsellijs fabularum poeticarum *Hydram* & *Amphisbænã* locat, de qua *Hydra Nic. Erythræus, Hydram septicipitem esse*, ait, *tam verum est, quàm Castorem & Pollucem ortos ouo, Plutonem in inferno regnare, natos è Serpentum dentibus armis instructos homines: & quæ præter alia primus finxit Homerus, arma à Vulcano Achilli fabricata, vulneratam à Diomede Venerem, perlatum vtribus Vlyssem*. Verùm de *Septicipite* aliquo *Serpente*, non omnino fabuloso forsan, sed *Indico*, aliquid inferius, quando de *Dracone* mihi sermo futurus est, subiungam. Nunc quæ de *Amphisbæna* supersunt, breuibus expediam.

Cur author hoc animal Mexicanum vocauerit Amphisbænam?

Hìc statim me conueniet quispiam, & cur peregrinum hunc siue Serpentem siue vermem *Amphisbænæ* potiùs, quàm alterius nomine appellare maluerim scisscitabitur, cum tamen in hoc non duo expressa capita conspiciantur. Cui hoc ego responsi dedero: me hactenus eorum in libris, qui *Serpentum* & historias, & icones prodiderunt, *Amphisbænam* nusquam bicipitem depictam vidisse, sed huic nostro ferme similem, cauda nempe præditam crassiore, vt quandoq. capitis hanc fungi vice, aliquis facilè sibi imaginari potuisset. Quapropter & Græcæ vocis origo, & compositio, ex vi sui nominis non *Serpentem* notat duobus donatum capitibus, & ἀμφικέφαλον, sed ἀμφιβαίνη seu vtrimque gradientem. Hoc cum noster hìc pusillus Serpens præstare commodè posse mihi videretur, nec alterius cuiuscunq. imagini accederet propinquiùs, veriùsque, quàm *Amphisbænę* à nostris scriptoribus delineatæ assimilaretur, hoc titulo illum meritissimè honorare debui. Mihi enim perpetuò in his animalibus, suà historià, & non rarò *Mexicanis* nominibus quoque destitutis, coniectandum, & hariolandum fuit, vt vatem hìc magis, quàm medicum promittere debuerim. Vt enim *Hirudinem* siue *Sanguisugam* potiùs nominarem, quod non nemini placuit, mihi displicuit. Licet probè nouerim, in hac etiam vix à cauda caput discerni, & retrogradam quoque esse atque caput suum attenuare maximè posse; quod *Aldrouandus* similiter lib. 7. de *Insectis* obseruauit, cum inquit. *Eluctatur corpore suo etiam per angustissima loca, si vas non obturatum optimè fuerit, ubi nemo putaret: adeò enim in tenuitatem se extendere, & os acuere potest, maior præsertim, vt per linteum etiam rariùs contextum euadat.*

Author per coniecturas nomina his animalibus dare coactus est.

Noluit vocare hirudinem, licet & hæc retrograda sit.

Dioscorides & Aetius dissentiunt de veneni viribus in Amphisbæna.

De veneni, quod *Amphisbæna* fundit, viribus non vsquequaq. conueniunt *Dioscorides* & *Aetius*, hic obscurum ab hac morsum fieri similem muscarum puncturis, neque enecare, sed inflammationes duntaxat inducere, ille eadem læsis ab ipsa euenire, accidentia scribit, quæ à *Vipera* demorsis & eadem antidota quæ viperino veneno debentur, conuenire. Hanc ego controuersiam non facilè diremero. *Aristoteles*, quod miror, huius nunquam meminit, quam tamen *Plinius*, qui in animalibus pleraque sua à *Philosopho* mutuatus est, & in *Serpentibus* recensuit, & nõ adeò innoxiam fecit, cũ de *Natura* more suo solito, conquestus dicere voluerit, parum ipsi fuisse quòd animalia procreauerit, quæ ab vno ore venenũ fundant, nisi etiam *Amphisbęnam* produxisset, quæ ab vtroq. capite virus eiacularetur. Et lib. 30. cap. 14. cum *Vipera* quasi in veneno, per

Author hic nihil determinat, videtur tamẽ potius Dioscoridi assentiri.

vapo-

vaporem ſaltem illato, parem facit, ait enim: *Viperam mulier prægnans ſi tranſcenderit, abortum faciet. Item Amphisbænam mortuam duntaxat.* Verùm de hac ſi quid nobis amplius innotuerit, in ſecundo operis huius tomo, ſi vires & vita ſuppetant, libenter promulgabimus. Hoc interim non tacebo, Reuerendum admodum Fratrem *Petrum de Aloayſa* Americanum *Limenſem*, cum ante annum hìc *Romę* iconem huius Americani noſtri animalis apud me vidiſſet, hæc mihi ſtatim ſubieciſſe verba, *Ille ſerpens quem apud nos vidi anno 1623. non valde huic diſſimilis, potius eſt coluber habens duo capita, reliquum verò corporis atratũ, & rubris teſſellis diſcriminatur. Admodum eſt terribilis, cuius ferientibus dentibus medela nulla eſt.* Erit igitur quod perſuadeam mihi, *Amphisbænæ* etiam noſtratis, quod *Dioſcorides* monuit quoque, morſus non leue inferre periculum poſſe.

Petrus de Aloayſa Americanam Amphisbęnam deſcribit.

Ad vmbilicum volumen hoc meum perducturo, vnus deeſt *Scarabæus Mexicanus*, quem mox ſubiungam, & ſcriptionem hanc meam tandem abripiam. Verùm hunc priuſquã deſcribã, moderari mihi non poſſum, quin aliud quoddam admirãdæ formæ animal, & quale ſanè hucusq. à nullo, quod ego ſciã, animalium ſcriptore ad vnguem, atque ita exactè, vt ego facturus ſum, depictũ, & deſcriptum eſt, delineẽ, explicem, & cum veterũ monumentis diligenter conferam. Eſt autem hoc, *Draco* ſiue *Dracunculus* quidam *monoceros*, quem *Cardinalis Barberinus*, cui has vigilias noſtras dedicamus, inter exotica ſua reconditum ſeruat animalia, non viuum hunc quidem, ſed integrum tamen, nec vllis ſuis membris mutilatum, verùm à tempore edaci rerum gulone corroſum, ita tamen, vt veritati hac ratione ſitu ſqualidus, & cute nonnihil laceratus, fidem adſtruat multo maiorem, cum interiora eius oſſa, vertebræ & coſtæ detectæ pateant, quàm ſi pelle ſua incorrupta exiſteret, & ſic nonnemini fucum facere velle videretur. Non deſunt enim qui fabuloſos eiuſmodi *Dracones*, non aliter atque *Sphynges*, *hippocentauros*, *Syrenes gryphes*, & ſimilia poetarum ſomnia, chymeras, atque phantaſmata arbitrentur. Eò verò libentiùs de hoc vt aliquid commenter permoueor, quod videam inter *Hiſpaniarum* & totius orbis potentiſſimi *Regis*, atque inter ſummorum optimorumq. duorum *Pontificum Romanorum*, *Gregorij* dico Decimertij, & *Pauli* Quinti inſignia, ſiue arma gentilitia, *Draconem* talem triumphare, hoc eſt *Serpentem* quendam *alatum* atque *pedatum*, quem vulgò nunc homines *Draconem* appellare ſunt ſoliti; quàm autem rectè hoc faciant, poſteriùs erit conſiderandum.

Author ad finem properat.

Sed prius Draconem Card. Barberini deſcribet.

Hic non eſt fabuloſus.

Cauſæ quæ ipſum vt de hoc tracta ret, permouerunt.

Neſcio profectò an de vllo animalium genere oppoſita tot epitheta affirmentur & contrariæ magis paſſiones (vt ſcholæ loquuntur) prædicentur, quàm de ipſis *Draconibus* fieri apud veteres ſcriptores reperio. Nunc hos enim memorant ingentiſſimos, vt cum *Elephante* quilibet non pugnare modò, ſed eius ſanguinem ebibere vniuerſum valeat, nunc adeò exiguos dictitant, vt ab aue *Ibide* occidantur. Nunc pulchriformes & decoros laudant, nunc deformes maximè & abominandos vituperant: modò rictum, & hiatum oris ipſis ingentem tribuunt, modò tàm puſillum ſcribunt, vt veluti per fiſtulam quandam alimentum ſugere cogantur: modò venenoſiſſimos & nocentiſſimos proclamant, modò domeſticos, & manſuetiſſimos prædicant. Iam per terram

Diſcrepantiſſimæ de Draconibus ſunt authorũ opiniones.

ſerpen-

ſerpentes & apedes conſtituunt, iam iterum pedatos, & alatos adſtruunt. Nunc triplici dentium ordine tremendos pingunt, nunc edentulos ferme efformant. Aliquando armis, telis & baliſtis depulſandos & interficiendos ſuadent, quandoque ſacros, adorandos, & deorum loco venerandos ſtatuunt.

Pro reconciliatione eorum quo remedio opus ſit.

Vt ergo authorum dicta hæc inter ſe contraria, ritè, quod decet, explicentur, hoc ante omnia pro confeſſo aſſerendum & ſtabiliendum cenſeo. *Draconis* nomen non vno ſignificatu apud quoſuis innoteſcere, aut rem eandem denotare, quod tam ex ſacra, quàm profana hiſtoria manifeſtum reddam. Illuſtrium teſtimonia ſcriptorum *Virgilij*, *Plinij*, & *Senecæ* fuerint, *ſacra Biblia* hoc idem conuincent.

Plinus quo modo draconis nomen ſumat.

Priore loco *Plinius* prodeat qui lib. 36. cap. 5. vbi nobilitates operum, atque artificum in marmore exponit, hæc habet. *Deinde multorum obſcurior fama eſt, quorundam claritati in operibus eximijs obſtante numero artificum, quoniam nec vnus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari poſſunt, ſicut in Laocoonte, qui eſt in Titi Imperatoris domo, opus omnibus, & picturæ & ſtatuariæ artis præferendum. Ex vno lapide enim & liberos, draconumq. mirabiles nexus de conſilij ſententia fecere ſummi artifices Ageſander & Polydorus & Athenodorus Rhodij.* Hic *Dracones* vocat *Plinius* duos ſerpentes horrendos, & ingentes, qui *Laocoontem* cum filijs duobus miſerè interfecerunt, quos *Virgilius*, modò *angues*, modò *ſerpentes*, modò *dracones* quoque appellauit. Et poſtquam *Laocoontis* hic iniecta eſt mentio, quemcunque vrbis illius quondam triumphantis, atque orbi terrarum imperantis, nunc FideiChriſtianæ caput tenentis, ROMÆ inquam, antiqua monumenta luſtrandi auidum aduenam inuito, ſuadeoq. *Hortos* adeat & *Patium Vaticanum*, in quo oculis ſuis cum voluptate intuebitur, mecumq. admirabitur, hanc ipſam tantopere à *Plinio* celebratam *Laocoontis* ſtatuam, inter ruinas ædium *Titi Veſpaſiani*, tot annis, quod ſtupeſcas, conſeruatam, è ruderibus extractam, & in his ipſis *Hortis* cum *Appolline*, *Venere*, *Cleopatra*, *Antinoo Hadriani Imperatoris Genio*, *Nili* ac *Tyberis* fluuijs, alijsq. raræ artis, & pulchritudinis antiquiſſimis ſtatuis collocatam. Non poſſis quodammodo lacrymis temperare, dum videas *Troianum* hunc *Laocoontem Neptuni* Sacerdotem, lacrymante vultu, gemebundo ore, nitente, ſed necquicquam proficiente corporis motu, & brachiorum flexu, inſontium filiorum adoleſcentium, draconibus implexorum, & opem fruſtra implorantium, cruciatibus ſubuenire conantem. Sed operæpretium eſt artificioſiſſimos & elegantiſſimos *Virgilij* verſus 2. *Æneidos*, de miſerabili hoc caſu huc tranſcribere, non tam vt famoſiſſimam hanc *Vaticanam* ſtatuam celebremus, quàm vt ſcopum hunc noſtrum comprobemus.

Laocoõtis ſtatua nunc & olim celebrima.

Hęc in Hortis Vaticanis cũ admiratione viſitur cum plurimis alijs.

Geſtus in vultu Laocoontis artificioſiſſimè à ſculptore expreſſi.

Artificioſiùs à Virgilio deſcripti.

Hìc aliud maius miſeris multoq. tremendum
Obijcitur magis, atque improuida pectora turbat,
Laocoon ductus Neptuni ſorte ſacerdos,
Solenneis taurum ingentem mactabat ad aras.
Huc autem gemiui à Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues,
Incumbunt pelago, pariterq. ad littora tendunt.

Pectora

Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaq.
Sanguineæ exuperant undas, pars cetera pontum
Pone legit, sinuatq. immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo, iamq. arua tenebant:
Ardenteisq. oculos suffecti sanguine, & igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exangues, illi agmine certo
Laocoonta petunt, & primùm parua duorum
Corpora natorum, serpens amplexus vterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisq. ligant ingentibus, & iam
Bis medium amplexi, bis collo spumea circum
Terga dari, superant capite & ceruicibus altis.
Ille simul manibus tendit diuellere nodos
Perfusus sanie vittas atroq. veneno.
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuaq petunt Tritonidos arcem,
Sub pedibusq. Deæ, clypeiq. sub orbe teguntur.

Et quamuis non ignorẽ *Seruium* ad hunc ipsum locum commentando dixisse: *Angues aquarum sunt; serpentes terrarum: Dracones templorum.* Hoc tamen hìc minimè obseruasse poetam, qui eosdem omnino serpentes his diuersis nominibus vocauit, iam apertissimum euasit.

Seneca etiam *Dracones* vocat serpentes quosdam, qui minimè immensi illi sunt, quos antiqui hoc nomine quasi proprio insignierunt, cum dicat hos adeò mansuescere, vt in mensis inter pocula & sinus obrepant, atq; id libro quidem 2. *de Ira*, quando hominis iracundiam his verbis increpat. *Illud ante omnia cogita fœdam esse & execrabilem vim nocendi, & alienissimam homini, cuius beneficio etiam sæua mansuescunt. Aspice Elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac fœminis persultantibus terga impunè calcata, & repentes inter pocula, sinusq. innoxio lapsu Dracones. Pudebit cum animalibus permutare mores.* Eruditissimus *Lipsius* ad hunc locum: *Haud abnuam* ait *in mensa etiam repsisse. Quidam tamen libri* Ocula, *ex quo aliquis* Oscula. *Porrò Dracones istos feminæ in delicijs habebant vt apud Martialem: Sic gelidum Collo nectit Gratilla Draconem. Et hodie fit in Italiâ.*

Quid hic per Dracones intelligat.

Ego prorsus nihil dubito hos à *Seneca* insinuatos *Dracones* eiusdem planè generis fuisse, cuius sunt *Serpentes* illi, qui à *Romanis* nostris hodie, vulgari idiomate suo *Ceruoni* dicuntur, quique duos, tres & ampliùs sunt cubitos sæpe longi, brachiali etiam crassitudine, adeò cicures, innoxij, & mansueti, vt hos pueri, colla sibi & corpora cingentes palam circũgestent, fœminę in sinu foueant, plurimique æstiuo tempore, ad tactum gelidos secum in lecto cubare permittant,

Seruius quid ad hunc locum cõmentetur.

Quomodo Seneca Dracones vocet.

vt ab

vt ab ijs probè perfrigerentur. Ager noſter *Romanus* his ſatis abundat, quos audio, *ranis*, dum ruri vagantur, *muribus*, *lacertis*, *auiculis*, & harum pullis ouiſque victitare, dum nidos earum viſitant, dextrè arbores conſcendendo, vbi autem domi detinentur ad plurimos menſes ſine omni cibo viuere poſſunt.

Natura & proprietas horũ manſuetorum ſerpẽtium.

Hos frequentiſsimè circulatores noſtri circumferunt, quorum *color* in prona parte albet, & dilutè flaueſcit, in ſupina cinereus eſt, per totum tamen dorſum, à capite ad extremum caudæ, lineæ virgæque nigricantes quatuor, valde conſpicuæ decurrunt. *Caput* potiùs paruum, quàm magnum, *dentes* plures ſpineos, & reflexos habet, ſimiles illis qui in *vipera* viſuntur, prioribus attamen illis duobus maioribus, ſub pelle & ſacculo veneni pleno, latitantibus exceptis. Quare venenum nullum, etiamſi mordeant, imprimunt, quod *viperæ* ſubinde ex primis dentibus infundunt.

Hos igitur à *Seneca* denotari ſerpentes, ſub nomine *Draconum* exiſtimo, licet *Dracones* minimè ſint. Verùm tam *Seneca*, quàm *Plinius* & *Virgilius* generico hìc vocabulo, quàm ſpecifico vti maluerunt, & quemuis etiam ſerpentem, *Draconum* titulo honorare voluerunt. Diu hæſi, quodnam latinum, manſuetiſsimis his *Serpentibus*, nomen tribuerem. Non inueni aptiorem quàm *Anguis* appellationem: Interea non ſum neſcius, etiam *Anguem* omne genus *Serpentum* veteribus ſignificare. Superfluum iudico, hoc loci id pluribus demonſtrare. Eſt tamen *Anguis* etiam ſpecificum, & quidem terreſtris *Serpentis* nomen. Quamuis vt paulò ante ſcripſi, *Seruio* placuerit magis, *Angues eſſe aquarum proprios, veluti Serpentes ſint terrarum, & Dracones templorum*, quod non moramur. *Plinius* mihi teſtis ſit, lib. 29. cap. 4. qui *Anguem* propriè & ſpecificè, *Serpentem* illum, *Æſculapio* ſacrum determinauit. *Neque Anguis venenatus eſt*, inquit, *niſi per menſem Luna inſligatus. Sed prodeſt viuus comprehenſus, & in aqua contuſus, ſi foueatur ita morſus. Quin & ineſſe ei remedia multa creduntur, & ideo Æſculapio dicatur. Democritus quidem monſtra ex his conficit, vt poſſint auium ſermones intelligi. Atque anguis Æſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgoque paſcitur & in domibus. Ac niſi incendijs ſemina exurerentur, non eſſet fœcunditati eorum reſiſtere. Titus Liuius* lib. 29. ex *Græcia* quondam, valetudinis populi causà, *Æſculapium* accerſitum memorat lib. 10., cum *Romæ* portento ſimilis clades peſtilentiæ eſſet, libros aditos, quodnam remedium daretur. Inuentum in libris, ab *Epidauro Romam Æſculapium* accerſendum. Quare in Epitome ſequentis libri vndecimi hæc leguntur. *Cùm ciuitas peſtilentiâ laboraret, miſſis Legatis vt Æſculapij ſignum Romam ab Epidauro trãsferrent, Anguem qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere, eoq. in Inſulam Tyberis egreſſo, eodem loco ſedes Æſculapio conſtituta eſt.* Hæc exactiùs adhuc, & elegantiùs *Romanâ* eloquentiâ ſuâ *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 4. annotauit, huncq. eundem Serpentem, etiam *Anguem* appellauit.

Hos putat author à Seneca nomine Draconum notatos.

Videtur ipſis nomen latinum? Anguis cõ petere.

Anguis nomen æquiuocum eſt.

Æſculapij Serpens à Plinio propriè anguis vocatur.

Authores qui referũt hunc eſſe Romam delatum.

Quamuis *Macrobius* lib. *Saturnaliorum* 1. cap. 20. *Draconem* potius quàm *Anguem* vocet Serpentem illum, qui *Æſculapio* appingitur, & pro ipſo colitur, quemq. in valle *Pelethronia*, quæ ſita eſt ad *Pelij* montis radicem, Deus ille eduCaſſe dicitur. Cum igitur *Macrobius*, longa ſatis doctaq. oratione oſtendiſſet, omnes deos Gentilium, referri ad vnicum *Solem*, idq. de *Apolline*, *Libero patre*

Macrobius hũc Æſculapij Serpẽtem potius Draconem appellat.

ſeu

seu *Baccho*, de *Marte*, & *Mercurio*, argumentis euincentibus probè deduxisset, de *Æsculapio* id ipsum probare conatur. *Hinc est*, ait, *quod simulachris Æsculapij & salutis Draco subiungitur: quòd hi ad Solis naturam Lunaq. referuntur, & quia præstant* (hæc sidera) *vt humana corpora velut infirmitatis pelle depositâ, ad pristinum reuirescant vigorem: vt reuirescunt Dracones per annos singulos, pelle senectutis exuta, propterea & ad ipsum Solem Species Draconis refertur, quia Sol semper velut a quodam imæ depressionis senecta, in altitudinem suam, vt in robur reuertitur iuuentutis.* Hic vult probare Deos vanos ad Solem referri.

Ait præterea quod *Draco Solem* imitetur, quod is acutissimè omnia peruideat, ideo ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, & puto ego hortorum ob id *Hesperidum*, custodiam *Draconibus* assignari. Draco ob visus acutiem quandam cum Sole similitudinem gerit.

Iam autem non esse obscurum quoq; *Æsculapium* eundem esse, atq. *Apollinem*, non propterea solummodo, quòd ex hoc ille natus dicatur, sed quòd etiam *Æsculapio* diuinationis ius adiungatur. Nec mirum id esse, cum diuinationis & medicinæ consociatæ sint disciplinæ, vt etiam ex magni *Hippocratis* præcepto, *Medicus* scire teneatur. Cur Æsculapius sit idem cum Apolline. Medicus debet esse valde prouidens.

Quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura sequantur, in morbis inquam præsagiendis, dignoscendis, & persanandis. Hinc *Æsculapius* æquè, atque *Apollo*, Medicinæ inuentor perhibetur.

Æsculapium autem diuinationibus non minùs, & vaticinijs præfuisse, atque *Apollinem*, festiuissimus nos docet apud *Lucianum* Dialogus, qui *Alexander*, seu *Pseudomantis* inscribitur, vbi mira leguntur, de sceleratissimo impostore hoc, & astutissimo præstigiatore *Alexandro*, qui *Podalirij* filium sese postquam venditasset, cum sceleris & fraudis socio quodam, cui cognomen *Cocconas* erat, *Pellam* abijt, quæ ciuitas olim sub *Macedonicis Regibus* floruit, & *Alexandri Magni* patria fuit credita. *Ibi*, inquit Lucianus, *cum conspicerent immani magnitudine Dracones, placidos admodum ac mansuetos adeò, vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vnà cubarent, & calcantes ferrent, neque commouerentur, siquis stringeret, premeretque: denique perinde atque infantes lac è papilla sugerent, (nam sunt id genus apud illos permulti, vnde verisimile est olim illam de Olympiade fabulam increbuisse, cum Alexandrum conciperet; huiusmodi Dracone quopiam opinor, cum ea concumbente) mercati sunt ex his Serpentibus vnum, qui esset pulcherrimus, obolis sanè paucis.* Æsculapius etiam diuinationibus claruit. De hac re legatur Lucianus qui mirum præstigiatorẽ describit. Dracones placidissimi.

Inde ad populares suos abijt *Alexander Paphlagones*, homines minimè emunctæ naris, crassi ingenij, ac stolidos, quibus & cor, & cerebrum exemptum videretur, quique præter solam figuram nihil à pecudibus distarent, his egregiè imposuit, apud hos mirifica arte vatem promittens, & prophetam agens, responsa pro *Æsculapio* reddidit. Sciebat enim, nihil æquè mortalium animos obsidere, quàm *spem* & *metum*, hæc duo scilicet in hominum vita tyrannidem obtinere, hæc ambo semper lubricæ fortunæ rotæ assidere, continuò hanc voluere, & reuoluere. Si quis igitur præscientiam profiteretur, hunc deniq. facillimè ditescere. Sic *Delphos* olim, *Clarum*, *Delum*, ac *Branchidas*, non tam ad famæ, quàm diuitiarum culmen pertigisse. Spes & metus quid in hominibus possint.

Fecerat autem iam priùs paraueratq. è linteis cõfectum *Draconis* caput, quod speciem quandam humanam, coloribus additis, præ se ferret: tum pilis equinis sic aptauerat, vt & os per hosce aperire, claudere, linguam exerere bisulcam atramq.

Quomodo Æsculapius ex ouo anserino sit natus.

atramq. illi valeret. Imò adaptatà ori fistulà, per hanc aliquando vt à capite vox ederetur, procurabat.

Postea *Ouum anserinum* excauatum, & in hoc recentissimum *Serpentis* fœtum concludens, occlusumq. ad non ita dudum excauata templi fundamenta, nocte quadam sepelijt. Manè furibundo similis, & veluti à *Cybele* Deorum matre afflatus, nudusq. eò concurrit, & totam ciuitatem permouit, dixitq. pro concione, *Æsculapium* Deum, suo aduentu ciuitatem illam beaturum. Quare postulans phialam, vnà cum aqua lutoq; piscandò ouum illud hausit, in quo Deum suum condiderat: quo rupto *Serpentulum* populo viuum ostendit, digitis suis eundem obuolutum. Omnes alta tum Deum voce consalutantes, felicem illam, ac terq. quaterq. beatam ciuitatem dictitarunt.

Præstigiæ pseudouatis Aesculapij.

Hìc iterum iocosè Lucianus, *Aesculapium bis natum dixit, cum semel duntaxat nascantur homines. Atq. non ex coronide per Iouem, id est cornicula (nam id matris nomen fertur) neq. ex cornice, verum ex anser progenitum.* Et quid multis? cum ciuitas intra paucos dies aduenis esset plenissima, *Alexander Pellæum* suum *Draconem*, qui maximus, pulcherrimusq. erat, totum collo circumdedit, caudam foras solum prominere sinens, sub alis caput cicuris bestiæ obditum recondebat, Linteaceum verò illud, humanoq. simile factitium *Draconis* caput, altera in amictus parte dexterrimè contextum ostendebat. Nec fucus à populo attonito, tumultuanteq; in loco non satis capaci, nec admodum lucido, facili animaduertebatur. Stupefacti autem inde omnes magis fuerunt, quod viderent tam pusillum *Serpentulum*, pauculos intra dies, in tam immanis magnitudinis tractabilem, placidum ac mansuetum *Serpentem* creuisse. Hac arte præstigiator, effectus est *vates Aesculapij*, (qui Deus *Glycon* ab eo vocabatur) & vota omnium excepit, & pro *Glycone* suo, secretò hunc in adytis consulere simulans, responsa tulit fraude vtens mirabili, qua obsignatas chartulas, in quibus vota inscripta offerebantur, aperuit, legit, iterumq. absq. læsione vlla obsignauit.

Lucrum huius vatis ex respõsis pro Aesculapio redditis.

Denique merces erat vnicuiq. responso præstituta, inquit Lucianus, *nempè drachma cum obolis duobus*. Ne verò exiguum aut pusillum quis hunc quæstum fuisse existimet, ait in annos singulos ad septuaginta, aut octuaginta millia redijsse, vsqueadeo auidis, & insatiabilibus hominibus, vt singuli supra decem, aut quindecim rogationes traderent.

Causæ cur author aliquantũ sic lõgior fuerit.

Hæc omnia longiusculo nonnihil sermone protrahere volui, vt tum *Macrobio* fidem facerem, vaticinijs quoq. celebrem olim *Aesculapium* fuisse, tum quòd *Anguis* ille, à *Plinio* dictus, *Aesculapio* sacer, etiam *Draco* vocatus fuerit, comprobarẽ. *Lucianus* certè, vt laude summa dignissimus est, quòd fictitios Ethnicorum suorum Deos, falsè risit, egregiè & facetè semper perstrinxit, ita culpà ac scelere non caret, quod *Christianis*, quos hoc in dialogo impios non rarò dicit, impijssimus ipse potiùs, infensissimus hostis fuerit. Apparet ex hoc præterea Luciani scripto, *Serpentes* illos, siue *Dracones Pellæos*, *Romanis* nostris anguibus beni gnis, & innoxijs, qui vt dixi, hìc *Ceruoni* appellãtur, non absimiles forsitan fuisse. Nam & nostræ *Romanæ* fæminę quędã, hos sæpe in sinu, aliqui in lecto fouent, plurimi etiam eorum carnibus, non aliter, ac si *anguillæ* essent, vescuntur, terreum tamen quid sapere, mihi attestati sunt, qui aliquoties hos esitarunt.

Nostri Serpentes cicures & innoxij videtur esse similes Draconibus Aesculapij.

Recor-

Recordor probè mihi puero in patria mea narratum esse sæpissimè, de *serpentibus* quibusdam domesticis, qui cum rusticorum infantibus multoties in cunis reperti, cum his panem lacti intritum etiam, ex eadem communi patina comederint, nec hos vnquam offenderint, domosq. illas valde reputatas ab incolis fortunatas fuisse, in quibus hi *serpentes* oberrauerint. Hoc idem fermè, apud *Claum Magnum* lib. 21. cap. 30. hic verbis postea legi: *Sunt etiam domestici serpentes, vt penates in Aquilonis extrema plagà reputati, qui lacte vaccino, vel ouino nutriti, cum infantibus sub tectis ludunt, & plerunque in cunis vt fidi custodes dormire videntur: quos lædere pro piaculo existimatur. Sed hi ritus reliquiæ sunt veterum superstitionum, omnino susceptà catholicà fide interdicti.* Habet igitur hic placidus *serpens*, nescio quid cum *Aesculapio* commune, cum vbique honoretur, & apud barbaros quoque, gentesq. dissitissimas, veluti sacer genius quidam religiosè, imò superstitiosè, colatur.

Huiusmodi serpentes etiam in regionibus frigidis reperiuntur.

Si quis adhuc plura de *Dracone Aesculapij*, & huius templo, olim *Romæ* in *Insula Tyberina*, vbi nunc *S. Bartholomæo* ædes sacræ sunt, condito, scire percupit, is doctiss. *Vuinthierij* nostri *Q. Serenum* consulat propediem lucem aspecturum, quando Poëtæ huius, & Medici vtilissimi proæmium explicat, in quo *Serenus*, Poëtarum more, *Aesculapium* inuocat his versibus:

Vvinthierius plura de dracone Aesculapij in suo Sereno habet.

Tuq. potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atque in cælum manes reuocare sepultos,
Qui colis Aegæum, qui Pergama, quique Epidaurum.
Qui quondam placidi tectus sub pelle Draconis,
Tarpeias arces, atque inclita templa petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades: & quicquid cupido mihi sæpe roganti
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

Hactenus ex profanis scriptoribus deduximus, *Draconis* vocem non proprio semper, stricto, veroq. suo significatu acceptam venire: sed latiore nonnunquam liberalioreq. sensu serpentem quemlibet denotare. Imò quidlibet, licet animal haud sit, quod in gyros saltem, & volumina contorquetur, significare. Sic idem *Seneca* lib. 3. *Naturalium quæstionum*, *Dracones* dicit, vasa quædam in thermis, & canales, per quos aqua calefieri solet, à forma serpentina ita vocitatos. *Facere solemus*, inquit, *Dracones & miliaria, & complures formas in quibus aëre tenui fistulas struimus per decliue circumdatas: vt sæpe eundem ignem ambiens aqua, per tantum fluat spatij, quantum efficiendo calori sat est.* Quinimò in Cœli firmamento, stellarum congeriem quandam, quòd contorti funis instar, hæ posituram obtineant, *Draconem* maiores nostri appellarunt. Legat, cui placet, *Hyginij poëticon astronomicon*, reperietq. veteres scriptum reliquisse: *Draconem* hunc cælestem, inter duos *Arctos* collocatũ, aurea mala *Hesperidum* custodijsse, & ab *Hercule* interfectum, à *Iunone* inter sidera collocatum. Ab alijs verò confictum ita fuisse, *hunc Draconem à gigantibus Mineruæ obiectum esse, cum hæc eos oppugnaret, Mineruam verò arreptum Draconem contortum ad sidera iecisse, & ad ipsum axem cæli fixisse, itaq. adhuc etiam implicato corpore videri, vt nuper ad sidera perlatum.* Tempus monet vt generica quoque notatione in *Sacra pagina*,

Draco etiã res inanimatas significat.

De his Seneca.

Veteres etiã ad stellas draconem applicarunt.

Ex sacra Scriptura quoq; patet Draconem sæpè genèricè sumi.

Draconis nomen acceptum esse, demonstremus. Et *Exodi* quidem septimo capite, vt Deus induratum cor *Pharaonis*, per seruos suos *Moysen* & *Aaron* miraculorum igne, & efficaciâ emolliret, hæc facta & scripta legimus. *Dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle Virgam tuam & proïjce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaque Moyses & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus. Tulitq. Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias & arcana quædam similiter. Proiecerunt q. singuli virgas suas quæ versæ sunt in Dracones. Et deuorauit virga Aaron virgas eorum.*

Virga Aaron cõuersa in serpentem.

Ioãnes Bustamãtinus quomodo hunc sacræ Scripturæ locum explicet.

Ioannes Bustamantinus Medicus *Hispanus* vt doctissimus, ita sacrarum literarum peritissimus, lib. 4. de *Reptilibus Sacræ Scripturæ, hoc modo* præcedentia verba explicat. Virgam *Aaron*, in verum *Colubrum* conuersam fuisse, *Colubrum* inquam, sic propriè dictum, postea in veram virgam, vel numeralem vnã, vel specie vnam redijsse. Virgas verò maleficorum, in *Dracones* specificè quidem vocatos tales, apparentes tamen, mentitos atque fictitios commutatas fuisse. Propterea sacrum textum habere, quod malefici illi, per incantationes fecerint *similiter*, quasi dicere velit, non verè ac realiter, sed similitudine quàdam ab illis *Dracones* productos, (quod in *Colubro* re ipsa, Dei operà tamen, *Aaron* præstiterat) exstitisse, atque deuoratos fuisse.

Cõsideratur sacræ Scripturæ explicatio à Bustamãtino facta.

Addit idem *Bustamantinus*, cũ *Dracones* sint vasti corporis, & debilis veneni: *Coluber* verò paruus quidem, sed potentissimæ virulentiæ serpens, *Diabolo* longè factu faciliùs fuisse, molem cumulare indigestam, & grandem, virium tamen expertem, quæ in *Draconibus* est, quàm dynamin producere efficacem, quà *Colubri* præpollent. Atque huc alterum veluti miraculum accessisse, quod paruus *Coluber* magnos deglutire *Dracones* potuerit.

Hæc refutatur ex ipsis Scripturæ verbis.

Puto ergo per *Colubrum* hìc ego, & per *Dracones* non detetminata hæc animalia, ab alijs omnibus *Serpentibus* distincta intelligi; verùm tam *Draconum*, quàm *Colubri* voces in latissima *Serpentum* significatione accepta fuisse. Quod vel ex sequentibus septimi capitis huius verbis conijcio, & elicio. Cùm enim hoc miraculo minimè permotus *Pharao* esset, iussit Deus, vt *Aaron* adhuc aliud ederet, hoc est percutiendo flumen, cum illa eadem virga sua, aquas omnes, quæ in tota *Ægypto* essent, in sanguinem verteret, quod & ipsum subsecutum est. Verba sacri textus sic habent: *Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum manè: ecce egredietur ad aquas & stabis in occursum eius, super ripam fluminis & virgam quæ conuersa est in Draconem, tolles in manu tua &c.* Viden? vt hìc de eadem virga illa sermo est, de qua superiùs paulò Scriptura memorabat, quod conuersa esset in *Colubrum*, iam in *Draconem* & non in *Colubrum* mutata fuisse, affirmatur. Pro vno igitur, eodemque *Serpente* sacræ literæ, hoc in loco saltem, *Colubrum* & *Draconem* habuerunt. Et quid ni hoc ita fuerit? Cum de vna, eademq. virga loquantur, quà *Aaron* in digito Dei, miracula illa patrârat. Consequens igitur fuerit, ex *sacris* etiam *Biblijs* patere, aliquando *Draconis* nomẽ æquiuocè & genericè (quod hic probare instituimus) sumi, & *maleficorum*

Ratio adducitur.

Draconis nomen aliquando est genericum in sacris Biblijs.

Draco-

Dracones, nõ ad legitimos *Dracones* referẽdos eſſe, ſed pro cõmuni *ſerpentis* genere acceptos fuiſſe. Qualis autẽ is *ſerpens* fuerit, hoc ignorare me libenter fateor. De *colubro* idem dicendum iudico, vocem huius quoque eſſe largæ, & genericæ ſignificationis, vt mox demõſtrabimus. Videtur etiã ad literã *ſacræ Paginæ* probari poſſe, eiuſdẽ ſpeciei *ſerpentes* illos fuiſſe, quos *magi* in medium produxerũt, cum illo, quem *Aaron Pharaoni* commutationis gratiã ex commutata ſua virga oſtendit, licet diuerſis nominibus in primo textu appellentur. Scriptũ enim eſt, quòd *malefici* fecerint *ſimiliter*, hoc eſt ſimilis, talisq. figurę, vt ego opinor, *ſerpentes* exhibuerint, qualis ille *Aaronis* fuerat. Ne viderẽtur *Pharaoni* ſuo, in vi & energia miraculorum inferiores fuiſſe, quàm *Aaron* erat, vnde *Pharaonis* etiam cor ſimilia credens miracula, magis magisq. aduerſus Deum exacerbatum, & induratum remanſit.

Idẽ dicendũ de colubro.

Malefici eiuſdẽ ſpeciei ſerpẽtem produxiſſe videtur quem Aaron.

Nunc quod promiſi exequar, docendo nimirum *Colubri* vocabulum non rarò pro quouis *ſerpente* à multis authoribus accipi, vt quando *Iuuenalis Sat.* 6. ait.

Dic qua Tiſiphone, quibus exagitare colubris?

Locaautho rum quod Coluber pro quouis ſerpẽte capiatur.

Et Virgilius lib. 7. *Æneid.* vbi luctificam *Alecto furiam* deſcribit.

Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.

Hanc *Iuno* adijt, poſtquam

Flectere non poſſet ſuperos, Acheronta mouebat.

Et aduerſus *Æneæ* ſurgentem meliorem fortunam, atque connubia cum *Latini* filia ineunda, commouit, cum ſciret *furiam* quoque

Iuno inſtigat furiam Aletho aduerſus Aeneam.

Hanc poſſe vnanimes armare in prælia fratres.

Imperauitq. vt *ſerpentem* inijceret in ſinum *Amatæ*, futuræ Soerus *Æneæ* diſcordiam inde domus procuratura, & futurum filiæ huius cum *Ænea* matrimonium diſſolutura. Hunc autem *ſerpentem* nihil penſi *Poëta* habuit, vt modò *Colubrum*, modò *Anguem*, modò *viperam* elegantiſsimus verſibus hiſce appellarit:

Virgilius eundẽ ſerpẽtem vocat, v. perã, anguem, & colubrum.

Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis,
Principio Latium & Laurentis tecta tyranni
Celſa petit, tacitumq obſidet limen Amatæ,
Quam ſuper aduentu Teucrùm, Turniq. hymenæis,
Femineæ ardentem, curæq. iræq. coquebant.
Huic Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit, inq. ſinum præcordia ad intima ſubdit.
Quo furibunda domum monſtro permiſceat omnem.
Ille inter veſtes & læuia corpora lapſus
Voluitur, attactu nullo, fallitq. furentem;
Vipeream inſpirans animam, fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ:
Irrectitq. comas, & membris lubricus errat.

Nam quid reuera ſit ipſiſſimus *Coluber*, quem aliqui *aquaticum anguem*, alij *terreſtrem ſerpentem* mala gramina paſtum, alij paruum, alij ingentem, alij breuẽ, alij longum dicunt, adhuc ſub grauiſſimis authoribus lis pendet, quam decidere, vt difficile, ſic neque mei nunc fori eſt. Quare diuinare non poſſum, qualem ſerpentem *Ambroſius Pareus* indicare voluerit lib. 20. cap. 23. quando remedia-

Non ſatis cõſtat quis ſit verus coluber.

Ambroſius Pareus antidota aduerſus colubrum deſcribit.

theriacalia adhibuit salubria, coquo cuidam, quem *Coluber* momorderat, inter sepes *lupulos* legentem. Gauisus tamen non parum fui, eandem; parem; ac germinam prorsus medelam, huic à *Pareo* doctissimo suppeditatam, quam olim ego messori meo, (de quo superiùs in primo *serpente*) à *vipera* commorso, applicueram. Videri poteram, omnia à *Pareo* mutuatus, cuius tamen eo tempore nomen nec auditione acceperam, nedũ quod ipsius libros etiam legissem. Ex quo simul claruit, sæpenumero vnum idemq. inuentum à differentibus personis, tempore diuerso, & distantissimis locis propalari posse. Posteaquam igitur sufficienter nobis tam sacri, quàm prophani codices suffragati sint, *Draconis* vocem, serpenti nõ rarò cuiuis obuio accommodari solere, æquum censeo ad proprium magis genus accedere, & speciem ipsam (vt cũ scholis loquar) specialissimã indagare, in qua *Dracunculus* hic noster domicilium sibi constituere valeat.

His olim ijsdem fere me aduersus viperæ venenũ vsus erat.

Quis verus Draco sit indagatur.

Et mirari comprimis licet, quod linguis tot nationum varijs, vno eodemq. vocabulo, tam conformiter *Draconem* appellari, incertissimum tamen adhuc esse, quis verus sit *Draco*, videamus. Qui enim Latinis *Draco*, is *Græcis* δράκων, *Italis Dragone*, *Germanis Drach*, eodem fermè sono, & ethymologià vocitatur. At interim veteres de re ipsa non ita facilè conueniunt. *Aristoteles* lib. 9. cap. 1. de Hist. animal. *Dissidet Aquila*, ait, *cum Dracone, vescitur enim Aquila anguibus.* Hoc dissidium *Plutarchus* quoq; & *Ælianus* confirmarunt, & mirabilis *Poëta Latinus* 11. *Æneidos* pugnam hanc, dextrè, concinnè, & venustè, vt omnia sua expresit, comparans cum certamine, quod inter *Tarchontem*, & *Vesulum* egregios præliorum ductores gestum est;

Draconis vox multis linguis cõmunis, res dubia est.

Aristotelis Draco cũ Aquila dissidet.

Vtq. volans altè raptum cum fulua Draconem
Fert Aquila, implicuit pedes, atque vnguibus hæsit:
Saucius at serpens, sinuosa volumina versat,
Arrectisq. horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.

Huius pugnæ descriptio.

Ex quo clarũ est, cũ *Aquila Draconem* hunc in altum ferre possit, non illã ingentissimã bestiam esse, quam *Plinius* nobis lib. 8. cap. 11. memorat, tantæ magnitudinis, vt ipsi nihil pẽsi sit, cũ enormi bellua *Elephante* in arenã descẽdere, & duello cõmisso, de vita dimicare, circumflexu nempe facilè illũ ambire, nexuq. nodi perstringere. Sequente capite *Dracones* esse ait tantos, vt totũ sanguinẽ *Elephantis* exhauriant: *Et quam quis aliam*, inquit, *tantæ discordiæ causam attulerit, nisi Naturæ spectaculum sibi paria componentis?* Quasi innuere velit, *Naturam* non aliter, atq. nos solemus, hos magnos duos gladiatores, in mundi theatro, vires suas committentes, cum voluptatè spectare voluisse.

Aristotelis Draco paruus sit oportet.

Alij authores hũc magnũ faciũt.

Hoc idẽ *Solinus* cap. 27. confirmat, qui à *Draconibus, Elephantos* non nisi potu grauatos inuadi, scribit, vt venis propensiùs irrigatis, maiorem sumãt de oppressis, hauriendo frigidũ eorũ sanguinẽ, satietatẽ: *Nec aliud magis quàm oculos petũt*, inquit, *quos solos expugnabiles sciunt: Vel interiora aurium, quia is solus locus defendi nõ potest proboscide. Itaq; cum ebiberint sanguinem, dum ruunt belluæ, Dracones obruuntur, sic vtriusque susus cruor terrã imbuit, sitq. pigmentum quicquid soli tinxerit, quod Cinnabarin vocãt.* Hęc omnia propemodũ *Solinus ex Plinio*, trãscripsit, qui in *Æthiopia*

Nam Draco cũ Elephante pugnat.

Dra-

Dracones Indicis pares generari asserit, vicenũ cubitorum. Sed hoc par est, præut *Ælianus & Onesicritus* hos depingunt, quorum ille *Æthiopicos Dracones* triginta passuum longitudine, hic verò duos memorat *Indicos*, vnum sex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum. *Strabo* adhuc maiores facit, octoginta vnum nimirum, atque centum & nonaginta cubitorum alterum, *Pierius* verò, *Maximi Tyrij* testimonio, tradit *Alexandri Magni* temporibus, apud *Indos Draconem* quinque iugerum magnitudine fuisse. Quæ si fabulosa non sunt, reuera maiora animalia non reperiuntur super terra, vt *S. Augustinus* in enarratione Psalmi 148. ait. *Lucanus* quoque immanem quandam *Draconibus* magnitudinem adscribit his versibus.

Immensæ magnitudinis Dracones.

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris,
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aëra cum pennis, armentaq. tota secuti
Rumpitis ingentes, amplexi verbere tauros,
Nec tutus spatio est Elephas, datis omnia letho,
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.

Lucani Dracones.

Videntur igitur *Pierio* asserente, *Dracones* illi propriè vocari, qui corpore sunt immaniori vastioreq. hoc est, *serpentes* annosi valde, & qui multa ætate in magnitudinem excreuerunt inusitatam. Vnde & prouerbiũ natũ, *Serpens nisi ederit serpentem non fiet Draco.* Ad quos *Dracones* referri debent illi, quos *Strabo* ex *Iphicratis* authoritate, nasci scribit apud *Hespericos Æthiopes* adeò magnos, vt herba illis innascatur, de quibus paulò infra.

Dracones videtur esse serpentes maximi & annosi.

Quare longè æquiùs *Draconum* nomen merentur, *Aristotelis* prægrandes illi *angues*, de quibus lib. 8 cap. 28 *Hist. anim.* quàm eiusdem paruus, cum Aquila pugnans *serpens*. Sunt autem hæc *Aristotelis* verba. *In Africa magnitudo anguium mira, sicut & fertur. Iam enim nonnulli vbi triremi applicuissent, ossa boum multorum vidisse narrant, quos absumptos esse ab anguibus, nõ dubitarent, cũ triremes productas in altum, quamprimum angues insectarentur, & nonnulli aggressi triremem euerterent.*

Tales etiã Aristoteles describit.

Verùm hic mihi scrupulus inijcitur hæretque, an *Lucani Dracones* sint illis similes, quos iam ex *Plinio, Æliano* & alijs dedimus. Prædicti enim sine pedibus, alisque, in arbores serpunt, implicantq. se illis, ad quas pastũ veniunt *Elephantes*. *Lucani Dracones* autem alarum remigio altum in aëra tendunt, & verbere, caudarum puto, *Elephantes, taurosq.* trucidant.

Cũ Lucani dracones sint alati, dubitatur, an huc pertineãt.

Quapropter *Draconum* nomine, *serpentes* illi veniunt quoque, quibus *Natura* alas, ioco an serio, vix dixeris, adaptare molita fuit. *Verorum Draconũ duæ sunt species*, inquit *Greuinus*, *Quidã enim alati sunt, quidam verò sine alis. In ceteris nãq. prorsus similes sunt.* Liber, qui *Hortus sanitatis* inscribitur, antiquus satis, hæc ex *Physiologo* adducit. *Draco super omnes serpentes maximus: & super omnia terræ animantia. Qui quandoq. super aërem, fertur ipsum concitando ac vehementer impellendo.* Item sequentia. *In abyssis terræ (sicut dicit S. Augustinus) aliquando Draco moratur, & cum in aere sentit humiditatem, egreditur, & super aëra fertur, magnis alarum remigijs aërem concitans & impellens. Alis quàdam pelliceà volubilitate extantibus: & secundum corporis sui magnitudinem latè diffusis: vbicunque moratur, aerem inficit.*

Distinguitur Draco in alatum & non alatum.

Ad Dracones etiã serpentes alati pertinẽt.

Erunt igitur *Draconum* titulo decorandi *serpentes alati* quoque, qui & ipsi non vnica in classe tantummodo coercentur. Et *Aristoteles* quidem, lib. 1. cap. 5. *Hist. anim.* ex auditione potius, quam visu, tales serpentes adstruit. *Volucrum autem alia pennà volant*, ait, *vt aquila, vt accipiter: alia membranà siccà vt apes, vt scarabæi: alia cute, vt vulpecula, vt vespertilio. Volant pennis, aut cute, quæ habent sanguinem. Membranis siccis, quæ sanguine carent, vt insecta. Sunt porrò, quæ pennis, vel membranis volant, omnia bipeda aut apeda. Angues enim circa Aethiopiam tales volare narrantur. Genus pennatum, auem appellamus: reliqua duo genera nomine carent communi.* Ex quo loco ego deduco, *Aristotelem* quidem non improbare, *serpentes alatos* reperiri, sed non statim ex hoc authore certum esse, an pennis hos volare, an cute potius alis intertextà voluerit. Quandoquidem tam apeda, quàm bipeda, hoc est tam serpentes, quàm aues, æquè pennis, ac cute volare posse, non inficiatus est. Et quamuis *Lucanus*, pennis hos magis, quàm cute vti, in volatu dixerit,

Aristoteles hos ex auditu saltem admittit.

Non claret tamen, an Arist. hos pennis, an cute volare censuerit.

Lucanus videtur Draconibus pẽnas dare.

Vos quoque qui ouctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
Aëra cum pennis.

Poeticè tamen magis locutus cẽseri potest.

Poeticè, & metaphoricè tamen ipsum hìc loqui voluisse, faciliùs crediderim, quàm ex rei naturâ, abutentem pennarum voce, pro cute. Is ipse enim lib. 6. simpliciter huiusmodi *serpentes, volucres*, siue *volantes* appellat, cùm ibi mulier venefica quædam necyomantiâ vtens, omnis generis venena pessima pro mortuorum vmbris euocandis conquireret, quibus hos *serpentes* quoque adderè voluit.

Volucres alio loco simpliciter hos serpẽtes dicit.

Huc quicquid fœtu genuit Natura siniſtro,
Miscetur, non spuma canis, quibus vnda timori est,
Viscera non Lyncis, non diræ nodus Hyænæ
Defuit, & cerui pasti serpente medulla,
Non Arabum volucer serpens, inuentaq. rubris
Aequoribus, custos pretiosæ vipera conchæ.

Volãtes hi serpẽtes & parui, & cute potius, quàm pennis volare videntur.

Addiderim & hoc ex coniectura mea, licet *physiologus*, & *Liber de natura rerum*, atque ipsemet *Lucanus*, apertè affirment, *alatos serpentes* maximos esse, hos tamen pusillos potiùs, aut reuera tam immanes minimè existere, vt *Elephantes* aggrediantur & *tauros*. Idque ex *Herodoto* scriptore antiquissimo colligo, qui & paruos, & cute hos volare memoriæ simul prodidit. *Est Arabiæ locus*, inquit lib. 2. *ad Butum vrbem ferè positus, ad quem locum ego me contuli, quòd audierim volucres esse serpentes. Eò cum peruenì, ossa serpentum aspexi, & spinas multitudine supra fidem ad enarrandum; quarum acerui erant magni, & his alij atque alij minores, ingenti numero. Est autem hic locus vbi spinæ proiectæ iacebant, huiusmodi. Ex arctis montibus, exporrigitur in vastam planitiem, Ægyptiæ contiguam. Fertur ex Arabia serpentes alatos, ineunte statim vere, in Ægyptum volare, sed eis ad ingressum planitiei occurrentes aues Ibides, non prætermittere, atque ipsos interimere; & ob id opus, Ibidem magno in honore ab Ægyptijs haberi. Serpentis porrò figura, qualis hydrarum, alas non pennatas, sed glabras gerit, & alis vespertilionum valde similes.*

Probatur hoc ex Herodoto.

Idem

Idem author lib. 3. hunc in ſenſum, conſimilia ſequentibus verbis nobis reliquit. *Atque viperæ per vniuerſum orbem terrarum viſuntur: alati verò ſerpentes nuſquam alibi, niſi in Arabia, aut certè non adeò frequentes. Hunc in modum Arabes thus comparant. Caſiam autem ſic. Poſtquam ſibi cum ceterum corpus, tum faciem præter oculos obligauerunt coriis, aliisq. pellibus, ad caſiam pergunt. Ea naſcitur in palude non alta, circa quam, & in qua degunt ferè alatæ, veſpertilionibus ſimilimæ ſtridore diro, & viribus præualentibus, quas ab oculis arcentes Arabes, ſic caſiam metunt.* Ex quibus ego hariolor, *ſerpentes hos alatos*, cum oculos præcipuè impetant, & ab his arceri queant, exiguo eſſe corpore præditos. Quam coniecturam meam, adhuc magis idem met *Herodotus* corroborat, hoc ipſo in libro, *ſerpentes hos alatos*, ſiue *Dracones*, *Colubrorum* etiam *ſubalatorum* nomine pronunciando. *Ad meridiem*, ait, *vltima ex regionibus, quæ habitantur, Arabia eſt: in qua ſola omnium, naſcuntur thus, myrrha, caſia, cinnamomum, & ladanum. Cuncta hæc facilia ad nanciſcendum, præter myrrham. Nam thus Arabes ſtoracé ſuffientes, legunt ea, quæ Phœnices ad Græcos exportant. Hoc ſuffitum thus capiunt. Etenim thuriferas arbores obſeruant colubri ſubalati, exiguo corpore, diſcolore ſpecie, permagno numero, circa ſingulas arbores, ijdem videlicet, qui aduerſus Ægyptum facto exercitu tendunt. Nec vllo alio ab arboribus, quàm ſtoracis fumo, ſubmouentur, vniuerſam terram oppleturi, (vt Arabes aiunt) niſi, vt ijdem narrabant, ſimile quiddam iſtis contingeret ei, quod nouimus contingere viperis, idq. (vt credere debemus) ſolerti diuinitatis prudentiâ. Nam quæ & timido animo ſunt, & eſculenta, ea omnia fœtuoſa fecit, ne aſſiduo eſu deperirent: contra quæ ſæua & maligna ſunt, ea voluit parum eſſe fœtuoſa. Vnde fit vt lepus quem omnia venantur fera, ales, homo, tam ferox ſit: ſola quæ ex omnibus beſtijs cum grauida eſt, etiam impleatur, & alium fœtum in vtero geſtans pilis veſtitum, alium nudum, alium tantùm non formatum, alium concipit. Et lepus quidem talis eſt.*

Alia ſimilis Herodoti authoritas.

Alio loco hos vocat colubros ſubalatos.

Hos ait eſſe exiguo corpore.

Animalia eſculenta magno numero procreantur, ſed maligna cõtra.

Volui hìc datâ operâ, paululùm prolixior eſſe, in enarrandis hiſce *Herodoti* verbis, cùm, vt opinioni meæ fidem adſtruerem, tum vt eundem ſcriptorem, vera partim, ac partim falſa nobis perſuadere tentaſſe, manifeſtarem. Exiſtimauit enim hic animalia noxia, *viperas* præſertim, & *alatos ſerpentes*, dum naſcuntur, matris ſuæ vterum erodere, matremq. interficere, & ob id paucula eiuſmodi beſtias inueniri. Neutrum verum eſt. Hoc norunt, qui viuente, ac ſalua matre *vipera*, vnico partu plurimas eiectas ab hac *viperulas* viderunt, quod inter alios *Ferdinandus Imperatus* Neapolitanus à ſe obſeruatum, olim mihi confirmauit.

Cauſa cur author ſit prolixior.

Error Herodoti.

Præterea ſibiipſi refragari in hoc *Herodotus* videtur, cum alias ſcripſerit, hos *alatos ſerpentes*, magno numero thuriferas arbores obſeruare, & facto exercitu eoſdem in Ægyptum tendere, & horum oſſa atque ſpinas multitudine ſupra fidem ad enatrandum ſe conſpexiſſe, quorum acerui magni erant, & his alij atque alij minores, ingenti numero.

Et huius contradictio.

Verum ipſummet libet *Herodotum* loquentem audire, qui hodieq. plures lectores credulos, & commenti huius ſui admiratores inuenit. *At Leæna*, ait, *validiſſimum ferociſſimumq. animal, ſemel in vita vnum parit. Nam vna cum fœtu vterum emittit. Cuius rei cauſa hæc eſt, quod catulus leoninus, vbi moueri in vte-*

Herodoti propria verba quæ in errorem multos induxerunt.

ro in-

ro incipit, cum habeat vngues longè acutissimos, ex omnibus feris, vterum lacerat, augescensq. magis & magis, vngues imprimendo exulcerat ita vt ad postremum, dum partus adest, nihil vteri relinquatur incolume. Quare si vipera & alati Arabiæ serpentes ita gignerentur, vt ipsorum natura fert, non esset hominibus viuendi facultas. Nunc autem cum libidine agitantur & per paria coeunt, fœmina collum maris in emittendæ genituræ comprehendit, sorbensq. non prius dimittit, quàm deuorauerit. Et mas quidem hoc modo perit. Fœmina verò talem luit masculo pœnam, quod filij dum adhuc intra vterum sunt, patrem vlciscentes, matricem ambedunt, eiusq. aluo ambesa, ita partum faciunt. Ceteri serpentes, qui non sunt hominibus pernicioſi, ouæ pariunt, & magnam vim fœtuum excludunt. Atque vipera per vniuersum orbem terrarum visuntur, alati verò serpentes nusquam alibi, nisi in Arabia aut certè non adeò frequentes.

Fabulosa sūt quæ de Leænæ & viperæ partu narrat.

Atque vt in coitu *viperæ*, & huius atque *Leænæ* partu, *Herodotus* turpiter lapsus est, ita in *leporis* fœcunditate, cum rei natura & Aristotelis laniore doctrina rectè consensit. Hic enim lib. 6. cap. 33. de Hist. animal. *Lepores auersi coeunt*, ait, *vt expositum est, retrò enim vrinam reddunt. Coeunt & pariunt quoque tempore, dumq. vtero ferunt, superfœtant, & singulis mensibus generant. Sed fœtus edunt non vniuersos, interpositis enim diebus, quod res tulerit, peragunt partionem. Habet fœmina lac priusquam pariat, & à partu continuo repetit coitum, & lactans adhuc concipit fœtum.* *Plinius* lib. 8. cap. 55. huic planè consentanea scribit, & quod vulgus hodieq. pro verissimo habet, ex *Archelao* adducit, in *leporibus* nullum sexus discrimen esse. *Archelaus author est*, inquit, *vtrumque vim singulis* (leporibus) *inesse, ac siue mare æquè gignere. Benigna circa hoc Natura, innocua & esculenta animalia, fœcunda generauit. Lepus omnium prædæ nascens, solus præter dasypodem superfœtat, aliud educans, aliud in vtero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter.* Et mirari subit, quòd *lepus innocuum*, vt ait *Plinius*, *animal*, timidum, & iucundum, *omnium tamen prædæ nascatur.* Vt hic non immeritò de venatoribus his verbis conqueratur:

Herodoto assentiūtur Arist. & Plinius de leporū fœcunditati.

Archelaus putauit in quolibet lepore esse vtrunq; sexum.

Ego paruus lepusculus,
Quid feci hominibus?
Quod me sequuntur canibus.

Diu me torsit hæc de *leporibus* dicam dubitatio, an persuasio? omnes ad vnum *hermophroditos* esse. Et cum hoc ipso elapso proximè mense Ianuarij anni huius 1628. *Princeps Cæsius* noster ex suo Oppido *S. Angeli*, vbi tunc in arcis nuper à se constructæ ædificio animum refocillandi gratiâ morabatur, *lupum* mihi submisisset viuum, & prægrandem, vt hunc per sectionem, quam *Winthierius* noster exercuit, diligentiùs examinarem, videremq. an quæ ego aduersus *Aristotelem* capite de *Lupo Mexicano*, hoc ipso in meo opere disputauerā, veritati conformia essent? quæ mox subiungam. Incessit me cupiditas, ab eodem *Principe* viuos, aut mortuos aliquot *lepores* non exenteratos tamen postulandi, vt huic me dubio tandem eximerem. Sed commodum accidit, vt eo ipso me tempore, aliquoties visum veniret, Nobilis & strenuus vir *Iulius Sinibaldus*, armis & venationibus deditissimus, qui eodem cum diu desiderio mecum flagrasset, vno anno vltra centum *lepores* domi suæ, hoc est in oppido *Montis Leonis Spoletanæ Diœceseos*, cepit, omnesq. accuratâ sectione perquisiuit, seriòq. mihi

Dubium an lepores omnes hemophroditi existant.

Hoc soluitur à viro strenuo Iulio Sinibaldo, oculato teste.

conte-

conteſtatus eſt, inter hos vix quatuor ſe maſculos reperiſſe, reliqui omnes fœminæ, & quod mireris, pleræq. grauidæ fuerant. In quibus diſtinctiſſimum tamen ſexum agnouit, & fœminea quidem vaſa genitalia in fœminis, virilia in maſculis, in hisq. nexueum *penem*, & *teſticulos* bene luculentos, extraque corpus, quemadmodum in canibus videntur, propendentes. Addebat frigidiſſimo anni tempore meliores & habiliores eſſe. Atque hoc eſt, quod *Plinius* dicebat, *eſſe animal intolerandi rigoris alumnum*, cum tamen quia timidiſſimum eſt, frigidiſſimæ complexionis quis affirmare ideo potuerit. Ecce vt *Natura*, in procreandis tot fœminis, quæ ſingulæ ſæpius implentur, fœcunditatis in eſculento & ſapido animali, de quo *Martialis*:

Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

ſedulò ſtudere voluit.

Habent diſtinctũ ſinguli ſexum plures tamẽ ſũt fœminæ.

De *Lupo* verò parergon hoc addiderim. *Ariſtotelem* 4. de *partibus animal.* 10. & *Plinium* lib. 11. cap. 37. egregiè deceptos fuiſſe, dum *Lupo* vertebrarum mobilium loco in collo, os integrum, rigens, & perpetuum ſubſtituerunt. Et licet ego ex mera coniectura mea, errorem hunc ſupra folio 484. ſatis expugnauerim, & ſeptem in *Lupi* collo flexiles, atque vertebratos articulorum nodos aſſignauerim, hos tamen ipſos iam nec plures, nec pauciores in ipſamet colli quoque inſpectione & ſectione vidi, ac deprehendi. Et quid ni hoc ſibi quiſpiam facilè imaginari potuiſſet? qui mecum vnquam, vel viſu vel auditione accepit, *Lupos* vbi oues furati fuerint, has arctè dentibus arripere, & humeris ſuis inijcere conſueuiſſe, id quod abſque vertebrarum flexura fieri haud quaquam poteſt. *Sic fide carent plurima*, vt inquit *Plinius*, *priuſquam facta aut viſa ſunt*. Et vt *Seneca* ait, *Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, qui ante nos fuerunt, non domini, ſed duces ſunt, multum ex illa etiam futuris relictum eſt.* Neque hoc dedecori ſtatim veteribus noſtris fuerit, ſi deprehẽdatur, aliquãdo ipſos hallucinatos fuiſſe. *Quiſnam ſagittarius artis ſuæ tam peritus eſt*, inquit *Demoſthenes*, *vt non aliquando erret à ſcopo?* Melius equidẽ omnibus, quã ſingulis creditur. *Et dignoſcit qui inuenit, inuenit qui quærit, quærit qui putat ſe ignorare.* Verùm his noſtris temporibus, quod ſua tempeſtate etiam *Ariſtoteles* conquerebatur, *Quibuſdam magis eſt operæpretium, videri ſapientes, & non eſſe, quam eſſe, & non videri.*

Ariſtot. & Plinius neſciuerũt lupum vertebras in collo habere.

Lupus habet ſeptem in collo vertebras.

Veteres nõ omnia ſciuerunt, nos his etiã aliquid reliquerunt.

Sed nolo te ſtudioſe lector, reliquo, quem ex *Lupi* quoque internarum partium anatome hauſimus, guſtu priuare, hunc igitur accipe, hoc fruere.

Recẽsẽtur lupi partes internæ.

Ventriculus plenus rugis internè, & loculis, in quo tertio à die, poſtquam captus eſſet, *Lupus*, continebantur folia quercus, taleæ, ſurculi arborum, & dimidij pugni magnitudine laceræ lineæ, aut canabinæ telæ.

Ventriculus.

Inteſtina in ſpiras conuoluta, ad totius corporis truncum menſurata, ternam eius longitudinem continebant, tantum abeſt, vt vnicum rectumq. hoc, à ventriculo ad podicem (vt nonnulli credunt) protenderetur.

Inteſtina.

An *cœcum inteſtinum* veluti ſuccenturiatus ventriculus ſit, dubitari poteſt. Nam certè cum cetera inteſtina haberent plicas intus rectas, & paucas, inteſtinum cœcum habuit multas perplexas, velut ipſemet ventriculus, quæ confuſæ & ſtrictæ, plenæ tamen erant muco, vt ipſe ventriculus.

Inteſtinum cœcum.

Valuula poſt inteſtinum cœcum, ſimilis erat ei, quæ in homine, & quæ in

Valuulæ in inteſtinis.

lupi

lupi pyloro, hoc est, ruga tantùm transuersa, siue orbicularis, non autem sacculus, sed quæ ruga, puto, in orbem plicata extendi poterat, & ita obserare.

Bronchij musculi non aderant.

Bronchij musculi deerant in larynge, aderant verò bronchiotyroidei.

Nerui recurrenres. Vuula non erat.

Nerui recurrentes per sinistram partem reuoluebantur in musculos laryngis, inter Tyroidem & Cricoidem.

Gargareo seu Vuula defuit.

Iecoris maior pars in sinistro latere.

Iecur in sex lobos fissum, quorum tres planè, & maiores in sinistra parte, sub ventriculo iacebant.

Lien.

Lien exiguus, oblongus, gracilis, accipiebat venas ex ramo splenico, per totam longitudinem.

Musculi epiglottidis.

Duo musculi epiglottidis euidentissimi, ab ossis hyoidis basi exorti. Vnde patet quamuis in homine videatur esse ligamentum membranaceum, velut frenum linguæ & penis, musculi tamen vicem subire, vt rectè *Vesalius* contra *Galenum*, musculos erigentes epiglottidis statuat.

Apophysis stylois. Annuli tracheæ.

Apophysis stylois coniungebatur cum osse hyoide in basi.

Annuli tracheæ arteriæ, squamatim & imbricatim sibi committebantur, interuentu membranæ, vt ita sufficerent, à naturali situ in alium, multæ distensioni, & amplificationi.

Atque hæc omnia me præsente *VVinthierius* obseruauit, & pro solita diligentia inter aduersaria sua retulit.

Sed qui iam per Dracones & serpentinos meatus, à tramite recto diuertimus, redeamus in viam si placet, vt tandem *Dracunculum* nostrum, cuius gratiâ diutiùs euagati fumus, describamus.

Plinius Herodoti historiam de Cinnamomo pro fabulis habet, quod à vespertilionibus custodiatur.

Videtur *Plinius* lib. 12. cap. 19. quam ex *Herodoto* authoritatem attulimus, fabulis potiùs annumerare. *Cinnamomum*, ait, *& Casiam fabulosa narrauit antiquitas, princepsue Herodotus, auium nidis, & præsertim Phœnicis decuti. Item Casiam circa paludes propugnante vnguibus diro vespertilionum generi, aligerisq. serpentibus his commentis augentes rerum pretia.* Quamuis haud sciam, volueritne *Plinius* fabulosos *aligeros serpentes* innuere, an hoc inter fabulas solùm ponere quod *serpentes* hi cum *vespertilionibus Casiam* & *Cinnamomum* reuera aduersus homines, à collectione, & sectione tueantur. Ne autem mirum alicui videatur, quâ ratione *vespertiliones* non nisi noctu volantes, has arbores defendunt, ait *Plinius*, *Non cædi hunc fruticem nisi aut ante ortum Solis, aut post occasum. Theophrastus* lib. 9. cap. 5. fabulis quoque accenset, *à serpentibus mortiferis cinnamomum defendi.*

Garzias ab Horto de historia cinnamomi consulatur.

Garzias ab Horto lib. 1. cap. 15. exactissimè *Canellam*, & quæ inter *Cinnamomum ac Casiam* conuenientia, aut discrepantia sit, describit, qui aromata hæc, locis illis ab *Herodoto* & *Plinio* assignatis, nunquam nata fuisse, apertissimis ibi argumentis docet, & vnde antiquorum fabulæ illæ enatæ fuerint, detegit, quæ cum huius loci non sit examinare, is ipse adiri poterit. Interea

Cicero etiam aligeros serpentes esse dixit.

Ciceronem quoque de *Natura Deorum*, de *aligeris* his *serpentibus* testem laudare possumus. *Ibes auertunt*, inquit, *pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Lybiæ* (alij dicunt ex *Arabia*) *vento Africo inuectos interficiunt atque consumunt.* Inter veteres his accenseo *Strabonem*, *Melam*, atque *Solinum*. Nec seculi nostri, quo plurima veteribus ignota & incredibilia, nobis innotuerunt, fidelissimis testimo-

Hoc ipsum attestantur Strabo, Mela, Solinus. Recentiorũ de eadẽ re testimonia.

nijs

nijs deſtituimur. In *ſexta parte* deſcriptionis *Indiæ Orientalis*, & quidem *Auriferi Regni Guineæ* ad *Africam* pertinentis, à *Batauis* perluſtrati, hæc reperio. *Sed & aliud Serpentum genus ibi reperiri dicunt, quos Dracones vocant, alis & caudà roſtroq. bene longo, & dentibus acutiſſimis, quibus pecudes & carnes crudas quaſcunque conficere facilè poſſunt, formidabiles. Colore ſunt caruleo & viridi, & ab Æthiopibus pro Feriſſo habentur. Odio Elephantes proſequuntur maximo, quos etiam calliditate ſuà interimere poſſunt. Vlnarum ſunt in his regionibus plerunque decem, quamuis alibi inuenti ſint Dracones centum pedum longi, qui volando eouſque aſcendere & attollere ſe ſe potuerunt, vt vel aues in aëre comprehendere potuerint.*

In Regno Guineę sũt tales Serpentes, ſiue Dracones.

Philippus Pigafetta ex *Edoardi Lopez* acroamatis, in *Regni Congi* deſcriptione hæc habet. *Reperitur præterea etiam ibi animal auis magnitudine, ſermà verò Draconis, alatum enim eſt, & caudam habet longam. Caput quoque oblongum ore pluribus dentium acutiſſimorum ordinibus referto. Carnibus crudis victitat. Cutis glabra quaſi ſubuiridibus ſquamis depicta. Gentiles id venerantur pro Deo & in hodiernum diem magnà curà, & admiratione educatur à primatibus, qui propter vberem ex oblatis prouentum, aliquando id populo adorandum proponunt.*

In Regno Congo tales ſimiliter reperiuntur.

Apud *Ramuſium* in primo tomo, hæc *Odoardus Barboſa* annotata reliquit, cùm de monte quodam Regnum *Narſingæ* à *Malabaris* diuidente, ſermonem inijeret. *In hoc monte*, ait, *ſunt ſerpentes alati & volantes, admodum venenoſi, de quibus fama fert, quod halitu ſuo, & intuitu ſolo interficiant, ſi quis ad eos propiùs accedat, ab arbore in arborem conuolant.*

Similes sũt circa Regnum Narſingæ.

Nicolaus de Comitibus Venetus, apud eundem *Ramuſium* inter alios ſerpentes prouinciæ *Malabar*, quos ibi notat, hos quoque valde truculentos memorat, longitudine cubiti, *alis veſpertilionum*, & *ſeptem capitibus* præditos, vnum poſt alterum ſecundum corporis longitudinem habentes poſitum. *Hi maximè*, ait, *ſunt venenoſi, qui arboribus inſident, nam ſolo etiam anhelitu & ſpiritu ſuo interficere hominem ſunt ſoliti.*

Idẽ apud Malabaros

In *tertia parte Nauigationum* dicti *Ramuſij* aſſeritur, in Regno *Palimbotræ eſſe ſerpentes, duorum cubitorum longitudine, & cum alis veſpertilionum, noctu hi volant, & vbi guttulas aliquot vrinæ emittunt ſuper aliquem, hunc ipſum occidunt.*

In Regno quoq; Palimbotræ.

Atque hactenus à me producta, tam iuniorum, quàm veterum teſtimonia hiſtoricorum, facilè quemuis (niſi *cui durum circum præcordia ferrum* hæret) inducere poterunt, vt credat, *Naturam Dracones* ſiue *Serpentes alatos* produxiſſe, qui hodie varijs in regionibus, calidioribus præcipuè conſpiciuntur.

Certũ igitur eſt, eſſe Dracones alatos.

Verùm quod nunc propoſiturus ſum animal, neſcio equidem, an fidem confeſtim apud quosuis reperturum fuerit, adeò enim à reliquorum modulo, conſtitutione, & forma exorbitat, vt dubitem, ne ad ceterorum protinus monſtrorum poëticorum ſtabulum, quiſpiam id ablegare voluerit.

Sed iã deſcribendus Card. Barberini Draculus vel de aliorum Draconum limites excedit.

Aſt quamuis ratio reclamet, vera negetq.
Credere poſſe animum, victus fateare neceſſe eſt,

Id tamen ita eſſe, ſi hoc mecum oculis tuis perluſtraueris, manibus palpaueris, & mente denique ipsà comprehenderis.

Non negãdum ſubitò, ſi quid ratio tua non comprehendat, ſẽſus tamẽ approbet.

Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis.

Veruntamen *non poteſt de veritate dubitari, quoties cum incertis experimenta conſen-*

ſentiunt ait *Quintilianus. Et pluris*, inquit *Plautus, eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem, qui audiunt, audita dicunt, qui vident, planè ſciunt.* Hoc ego animal iuſſu & permiſſione Ampliſs. *Cardinalis Barberini* in cuius *Pinacotheca* idipſum oſſibus hęrens, & corio ſuo tectum integrũ fermè adſeruatur, in gratiam auidiſsimi naturalium miraculorum ſcrutatoris, graphicè priùs in tabella expreſſum, iuſtamq. ſuam magnitudinem repræſentans exhibebo. Poſtmodum ad vnguem, pro virili mea deſcribam, verumq. ac genuinum, non fictum, non arte conſarcinatum eſſe, confirmabo. Denique ad quodnam animantium genus referendum ſit, diſſertabo.

Dracunculus Monoceros
ILLVSTRISS. CARD. BARBERINI.

Dracunculi Cardin. Barberini accurata delineatio.

Huius longitudo.

Caput & rictus.

Dentes.

SI totum extendas dimetiarisq. hoc animal, cum capite & cauda, ſpithamam tibi eius longitudo, & digitos quatuor tranſuerſos conſtituet. *Caput* oblongum & roſtratum obtinet, quinimo roſtri cuſpis merè eſt cornea. *Rictum* quoque pro beſtiæ exilitate, iuſto maiorem habet. In vtraque mandibula vtrinque *dentes* tres numerantur molares, ſed eminentijs & cuſpidibus quibuſdam elatis exaſperati, ſeipſos tamen egregiè excipientes, vt ſimul ſumpti duodecim exiſtant. Sunt & canini in vtraque mandibula bini, terribiles, ſed non exerti, ſuperiores tamen inferioribus paulò grandiores. Inter hos videre eſt ſex alios dentes inciſores, & ſuperiores quidem longè inferioribus maiores. Nec hi quidem æqualis prorſus longitudinis, cum duo illi qui vicini ſunt caninis, paulò ſint productiores quatuor alteris medijs, eiuſdē planè magnitudinis. Sex inciſores autem in maxilla inferiore, tam ſunt exiles, vt vitreis oculis opus habeas,

Habet duodecim molares, duodecim inciſores & quatuor caninos.

beas, si rectè hos discernere cupias. Quare *microscopij* nostri auxilio vsus, eosdem numeraui, qui omnes simul sumpti viginti octo constituunt.

Foramina, vbi olim *oculi* fuerunt, magna satis, & *auriculas* adhuc cutaneas, collapsas tamen, acutas & non exiguas conspicere licet. In apice capitis *Corniculum*, quod mireris, protuberat, extremum ferme indicis digiti articulum longum, recuruum, & collum versus reflexum. Hoc pelle squamosa obducitur, versicoloribus punctulis venustà, quę cum aliquantulum lacera sit, sub hac ipsa cornea substantia perbellè elucet. Totum caput duos transuersos digitos longum, & pollicaris crassitiei est. Ab hoc *collum* incipit, quod palmi minoris, siue quatuor digitorum est longitudine, donec ad primas thoracis vertebras pertingat. Crassitiei talis in sui initio, quæ digiti est indicis, & pectus versus, quæ pollicis est. Situs & positura eadem huius colli est, quæ in auibus, elatum enim hæc bestia illud, & non rectà lineà exporrectum gestat.

Oculi. Aures. Cornu in capite. Collum.

Thorax post collum sequitur, cuius principium duæ clauiculæ ordiuntur, finit sexta costa: neque enim comprehendere potui thoracis regionem pluribus, quàm sex costis & clauiculis, quæ in brutis rarissimæ sunt, excepta *simiâ* & *erinaceo*, vt ego vidi, circumscriptam fuisse, videtur enim sterni os inter has sex costas interseptum. An autem sequentes octo ab vtroque latere costæ, cartilagine in medio sui cohæserint, ignoro equidem, vetustate enim hæ quodammodo collapsæ, nec aliquid, nec nihil omnino tale ostendunt. A thorace *venter* incipit, & caudam versus octo adhuc *costæ* numerantur, vt omnes simul sint quatuordecim, præter clauiculas. Venter est triplo thorace longior, & in medio sui duplo latior, ad caudam accedens paulatim angustatur. Cum *cauda* detruncata appareat, tota eius longitudo ita exactè mensurari haud potuit, exiguum autem quid deest. Ab vltima tamen cauda incipiendo, *vertebras* triginta vsque ad os sacrum dinumeraui, quod ad vltimi ventris costam desinit. Politissimæ certè sunt istæ vertebræ, & à sua carne probè denudatæ, itaque arctè ac firmiter connexæ hærent, ac si glutine quouis tenacissimo, aut filo argenteo, veluti in sceletis meis factum est, compactæ fuissent, in spiram quoque eleganter conuolutæ.

Thorax. Costæ sex in thorace. Et octo in ventre. Venter. Vertebræ in cauda.

Ad clauiculas *femoris ossa* articulata hærent, duos longa digitos transuersos, quibus tibiæ breuiores paulò, & his *pedes* adhuc breuiores copulantur, in quatuor digitos, acutis satis vnguibus armatos fissi atque diuisi, æqualis fermè longitudinis, & nullà, quod ego animaduertere potui, membranà connexos, quibus demum quintus accedit digitus pollicis instar, breuior prioribus scilicet, internà parte locatus.

Ossa femoris & tibię. Pedes.

Alas gerit hæc bestiola binas, duos latas digitos, & tribus paulò longiores, quadratas quodammodo, nisi quòd cuiuslibet oræ, seu fines in tres cuspides arcuatim desinunt, inter quas, semilunares duæ incisiones intercurrunt. Extremitas principij harum, suprema sui parte, exiles duos exporrigit vnguiculos. Infima pars earundem ventri proxima, bene breuior est supremà: Inter septimam autem & octauam, hoc est in medio quatuordecim harum costarum, eædem annectuntur. Extensæ verò hæ, oras suas seu cuspides extremos non in altum erigunt, sed caudam versus porrigunt, id quod diligenter hìc notari

Alæ & quę in his diligenter sũt obseruãda.

velim, atque hic mos est omnibus, quòd ego scio, veris auibus. Apparet autem has non ex pennis esse compositas, verùm ex mera quadam cute constare, tribus tamen in qualibet alarum nerueis, & satis robustis per longum fibris transcurrentibus, pellemq. illam firmantibus, alij vnguiculi, præter pusillos & vix conspicuos dictos, in alarum oris nulli videntur, qui *vespertilionibus* sunt proprij potius, quibus parietibus, muris, & arboribus fixi hærent.

Alarũ substantia & color

Transparet autem hæc *alarum pellicula* ad candelæ lumen, quarum color interna à parte palearum est, sed obscurior, externà cæruleo, & aliquantulum rufo atquè nigricante relucet. Multis quoque hæ extrà orbiculis oblongioribus, & ouatis, quasi pauonum oculis, distinguuntur, quæ oculis nostris delectationem magis quàm terrorem incutiunt.

Ossa vera in hoc sũt non spinæ vt in piscibus & serpentibus.

Maxillarum & *femorum ossa*, *thoracis* ac *caudæ vertebræ*, & pleræque costæ, carne ac cute suà denudata omnia, non spinas piscium atque serpentũ similant, sed vera quadrupedum, aut auium ossa æmulantur. *Pellis* tamen siue cutis, qua totum animal obducitur, serpentina potius videtur, quàm alterius vllius bestiæ, licet squamosa non multùm sit. *Color* varius, præcipuus est viridis cum cæruleo, subluteo, & nigricante mixtus. In dorso, & supinà corporis parte magis virescit, sub collo, ventre, & prona parte magis flauescit. Atque hæc succincta quidem, genuina tamen, & verissima animalis huius, non à circulatore aliquo artificiosè compositi, sed à Deo, ac Natura realiter in lucem producti, est expositio. Quod sicuti verbis in charta, ita lineamentis suis in tabella expressum, curiosi lectoris oculis, & menti exhibere voluimus, idq. eo libentius præstitimus, quòd certissimè sciamus, à nullo Zoographo, ita exactè descriptum, atque concinnè eiusmodi *Draconem* depictum, veluti hìc factum, vnquam fuisse.

Cutis seu corium.

Totius animalis color.

Similis & tam accurata animalis huius descriptio vix à quoquã alio est facta.

Prodijt nuper magnum satis opus, cum figuris pulcherrimis in æs incisis, naturalium rerum mirabilium, quæ in celebri *Calceolarij Veronensis* museo iamdudum conseruantur, in quo dum verum *Draconem* nunquam forsan scriptor vidisset, nedum habuisset, coactus fuit falsum, vt ipsemet *Calceolarius* fatetur, nobis proponere ex *Raia* pisce, à circumforaneo, nisi fallor, quodam concinnatum, de quo hæc eius verba habentur: *Monstrosum hoc animal, quod spectandum exhibetur, formam illius virulentissimi Basiliſci imitari dices, verum scias, ne quid mendacij hoc nostro in Nomenclatore reperiatur, Basiliscum non esse, nec Draconem, sed esse piscem maris alumnum, Raiam nimirum lævem, in hanc formam manu artificis fabrefactam.*

Artificiosus Draco à Calceolario proponitur.

Aristoteles nũquã serpentes bipedes admisisset.

Quod si ex *Aristotele* scisciatus esses, an *Natura* vnquam serpentem bipedem produxisset? per omnia tibi sacra, iuraq. hoc nunquam ab ea factum, nec fieri posse iurasset, hic enim, *Gaza* interprete, ipse lib. 1. cap. 5. hist. animal. scripsit: *Enimuerò alijs pedes Natura dedit, alijs negauit, & quæ obtinent pedes, aut binos hæc habent, vt homines vt aues, duo hæc tantummodo genera, aut quaternos, vt lacertæ, vt canes: aut plures vt Centipedes & apes. Augustinus Niphus* ad hunc locum ait, *non esse alia bipeda, quàm homines & aues. Iulius Cæsar Scaliger* quoque hunc textum ita vertit: *Animalium præterea quædam pedes habent, quædam non habent, & illa quidem aut binos, vt homo & auis sola.* Rectè *Scaliger*, ita enim

enim Græcè Aristoteles loquitur. καὶ τῶν ἐχόντων τὰ μὲν δύο πόδας ἔχει οἷον ἄνθρωπος καὶ ὄρνις μόνα. Erit igitur hic *Dracunculus* noster, cum homo non sit, & *Serpens* ex Aristotelis doctrina, esse nequeat, erit, inquam, ὄρνις, hoc est *auis*. Nam eodem libro cap. 24. ait: *Caret pedibus omne genus Serpentum vt pisces*. Idem lib. 5. hist. animal. cap. 4. *Quæ autem pedibus carent*, inquit, *& longo sunt corpore vt Serpentes, vt murenæ, ijs coitus complexu mutuo supinarum partium agitur*. Et licet hìc ex aliorum sententia *Serpentibus alas* quoque dare voluerit, *pedes* tamen nusquam concessit.

Ex Aristotelis mente Draco noster esset potius auis quam serpens.

Quamuis enim *pedes lacertis* tribuerit, hos tamen à *Serpentibus*, quos *apedes* perpetuò dixit, separauit. Itaque 2. hist. animal. cap. 17. ait: *Genus Serpentum omnia ferè proxima lacertis, ex terrestri ouiparo genere habere spectes, si pedes ijs demas, longitudinem addas*. Et vt demus *lacertos* etiam ex *Serpentum* genere quodammodo esse, quatuor tamen his semper, veluti & *Crocodilis*, binos verò pedes nunquam assignauit.

Serpentes vbiq; apedes nõ pedatos, minimè bipedes Aristoteles statuit

Veruntamen hìc aliquis Aristotelis sensum mentemq. explorare meritò posset, quomodo solam *Auem* cum *Homine bipedem* esse statuerit? Cum tamen *Vespertilio bipes* quoque sit, & auis tamen minimè censeatur, est quidem *volucris*, sed non *auis*, hoc est ὄρνις. Aristotelis hæc, non mea doctrina est, sic enim loquitur lib. 1. hist. animal. cap. 5. *Scaligeri* versione: *Volucres autem aliæ pennis præditæ sunt, vt aquila, & accipiter: aliæ earum loco membranas, vt apes, & scarabæus: aliæ corium habent, vt vulpes & vespertilio, pennatorum igitur genus auis vocatur, (ὄρνις καλεῖται) reliqua duo genera vnum nomen, quo dicerentur, non habuere*. Vespertilio igitur cum pennis careat, auis non erit, hoc est ὄρνις, & bipes tamen est, quare pulchrè de hoc animali hoc eodem loco *Scaliger*: *Mirum animal*, inquit, *bipes, quadrupes, ambulans non pedibus, volans non pennis, videns non luce, cæcus in luce, extra lucem luce vtitur, in luce luce caret, auis cum dentibus, sine rostro, cum mammis, cum lacte, pullos etiam inter volandum gerit*.

Vespertilio an auis sit.

Vespertilio mirum animal.

Possem & ego ad vespertilionem, cuius exquisitum sceleton inter alia colligatum teneo, symbolam meam conferre, nisi parergon censerem. Hoc interim reponendum illis volo, qui arguere possent, *vespertilionibus* pedum nullum vsum esse, cum dixerit contrarium Aristoteles lib. 1. hist. animal. cap. 1. *Animal quod volucre tantum sit, vt piscis natatile solummodo est, nullum nouimus, nam & quæ pennis cuteis volant, ingredi possunt, vnde vespertilioni etiam pedes sunt, & vitulus marinus pedes habet minutos*. Pedes igitur vespertilioni ad ingrediendum concessit *Philosophus*. Verum de *aue Paradysea* quæ apes esse, & semper volare creditur, de qua noster hoc libro author etiam, nos fortè in secundo tomo disputabimus.

De vespertilione etiã rari aliquid author afferre posset.

Vespertilio pedibus suis vtitur.

An dentur aues apedes?

Nunc ad *Dracunculum* redeamus. Hunc igitur bipedem esse cum constet, *hominem* autem dicere nefas sit, & *auis* esse nequeat, quod pennis non sit vestitus, & à *Serpentum* numero, quia binos pedes habet, excludatur, *vespertilionem* vt facias, ex Aristotelis decretis, solum restat. Atqui *vespertilio* plurima habet, quæ *Dracunculo* minimè competunt, & vt alia taceam, cutis sola reclamat, quæ in hoc est squamosa, & glabra, in *vespertilione* pilo-

Nescitur ferme ad quod animaliũ genus noster Dracunculus sit reducendus

ſa, & villoſa, qualis fermè in muribus eſſe ſolet, ſic vndique ſunt anguſtiæ.

At nos, vt vt Ariſtoteli cõtrariũ id viſum fuerit ſerpentes eſſe bipedes, ex diligenti tamen itinerum atque nauigationum lectione, vtriuſque orbis tam occidui, quàm ſurgentis ſolis, comperimus *Dracones*, ſeu mauelis dicere, *Serpentes alatos*, atque *pedatos* ſimul, & duobus quidem ſolis pedibus ingredientes, non rarò viſos fuiſſe. Huiuſmodi *Dracones* memorabilis ille pirata, qui vniuerſum terrarum orbẽ circuiuit, & in vaſtiſſimo Oceano, infinitas propemodum naues deuorauit, hoc eſt prædam immenſam, opimamq. domũ reduxit, *Draco*, inquam, iſte *Anglicus*, in ſecunda itineris ſui parte *Gallico* idiomate *Pariſijs* excuſa, pagina 109. quando de *Regno Congi* loquitur, hæc habet. *Ibidem conſpiciuntur etiam animantes altitudine Arietis quæ alatæ ſunt, quemadmodum Dracones. Caudam habent, & roſtrum oblongum, pluresq. dentium ordines. Veſcuntur crudis carnibus duosq. tantum pedes habent. Pellis eſt illis rubra, viridibus & cæruleis maculis conſperſa. Iiſdem coloribus cernuntur ibidem chamaleontes.* Fuit autem hìc *Draconi Anglo* ſermo de Serpentibus, viperis, & huiuſmodi venenoſis ac nocentibus beſtijs.

Dantur ſerpentes pedati & quidem bipedes aduerſus Ariſtotelis decreta.

Draco Anglus celeberrimus Pirata orbis vniuerſi maria nauigauit.

Inuenio hæc præterea in decima deſcriptionis *Americæ* parte, & illa quidẽ nauigatione, quam primã in *Pariam Americus Veſputius Florentinus* tentauit, & regionem hanc à ſuo nomine ſicut hodieq. remanet, *Americam* appellauit. *Ibi populum quendam offendit piſcationi operam dantem, & complures ibi caſas Hiſpani conſpexerunt, quas piſcationem exercentes (hi populi autem qui erant ad quatuor millia conſpectis Hiſpanis aufugerant) ac varij generis feras piſcesq. elixantes atque torrentes ibidem conſtruxerant. Inter alia ſerpens alatus craticulæ ligneæ erat impoſitus, qui in maximum ſtuporem Hiſpanos conuertit. Paulò longius progreſſi, in reliquis tugurijs complures eiuſmodi Serpentum viuos offenderunt, quorum pedes vinculis alligati, fauces funibus conſtrictæ erant, ne quid hominibus damni inferre poſſent, quemadmodum vrſis, canibus, equis, alijsq. feris capiſtra inijcere ſolemus. Vſque adeò immane tuebantur, vt abs contactu illorum prorſus Hiſpani abſtinerent.* In pictura, quæ hoc in libro conſpicitur & beſtiam hanc exprimit, pedes bini ſaltem appinguntur. *Petrus Bellonius obſeruationum* ſuarũ lib. 2. cap. 70. *Habet Ægyptus*, inquit, *multos præterea Serpentes, quorum non meminimus: quæ de nocentioribus dixiſſe ſatis eſt. Quoniam porro condita atque integra quorundam Serpentum alis & pedibus præditorum (quos ex Arabiæ parte in Ægyptum aduolare ferunt) corpora vidimus, vnius ex ijs Iconem lectorum oculis ſubijcere voluimus, plura de eo in libro de Serpentibus dicturi.* Veruntamen, vt diligentem omnem etiam curam adhibuerim, hunc *Bellonij* librum tamen de *Serpentibus* conquirere non potui, quare quæ de ſimilibus *Draconibus* ſcripſerit, me fugit. Hoc ſcio, cuius figuram in his obſeruationibus ſuis propoſuit, ad noſtri *Dracunculi* imaginem proximiùs accedere, quàm ad aliarum vllam à nobis ex alijs authoribus, excepto *Herodoto*, allatarum.

Americus Veſputius Florẽtinus in America Dracones bipedes vidit.

Bellonius depingit Dracũculũ noſtro valde ſimilem.

Conſimilẽ prorſus figurã *Ambroſius Pareus* lib. 1. depinxit. Verùm quid *Dracones* ſint, & vnde veniãt, nõ docuit, ſola illa quæ *Plinius* habet, attulit, quæ ad rẽ noſtrã nihil faciũt, hic enim de *Dracũculo* noſtro ne sõniauit quidẽ, verùm magnos ſerpẽtes quoſdã, vt ſupra memini, *Draconum* nomine afficere voluit. Addit *Pareus* aliũ maiorem tricornem, monopodem hunc, aut multipidẽ dicas, haud

Huic non abſimilẽ Pareus proponit.

Plinius de noſtro Dracone nihil habet.

ſcias

ſcias, vno verbo monſtroſam potius quam naturalem beſtiam. Hi ambo *Dracones* ab alijs omnibus animalium ſcriptoribus, quos ego vidi, vt delineantur, ita minimè explicantur, vt probabile valde ſit, vnum ſcriptorem ab altero hos mutuos accepiſſe. Quod autem inter noſtrum verum & hos diſcrimen intercedat, poſteriùs paulò declarabo.

Dracones à diuerſis ſcriptoribus ijdem mutuati videtur propoſiti.

Cardanus tamen lib. 9. *Subtilit.* ſe nobis opponit & ſerpentes alis, ac pedibus priuat. Rationem hanc aſſignat: quia ſic pernices & pernicioſi maximè ſimul forent, quod *Naturæ* benignitas non permittit. *Ea de cauſa*, ait, *nullam auem venenoſam Natura fecit, aut ſi fecit facietue, debile venenum illi erit, vt veſpæ, aut non magna, aut diuturna, aut non frequens & puſilla, aut in deſertis locis habitabit. Manifeſtum eſt igitur ex fine ipſo, cur Serpentes ſine alis & pedibus ſint.* Sed & finis huius rationem adduxit, quòd putauerit nimirum, venenum horum ex ſiccitate nimiâ eſſe ſicciſſimæ ſubſtantiæ, quare æquum fuiſſe, vt cornua, vngues, oſſa, & plumæ venenoſorum carnibus animalium immiſcerẽtur, vt hæc ſicciora ita efficerentur & nocentiora. Quæ *Scaliger* in *Exercitationibus* ſuis aduerſus hæc diſputauit, videre poſſunt, quibus otium commodum magis eſt. Ego verò eundem *Cardanum*, vel hoc ipſo in loco, nõ ſatis ſibi conſentanea docuiſſe mihi perſuadeo, quando adhuc venenoſiores *Serpentes* illos, quibus vngues & cornua non carnibus immixta fuerunt, ſed extremitatibus eorũ adnata, ſcripſerit: *Serpentem verò*, ait, *quicunque etiam vel in cauda vngulam vel in fronte cornu habent, immodicè ſicci ſunt, atque ideo pernicioſiſſimi. Vt igitur Serpentes veneno præditi eſſent, pilis, plumis, cruribus, alijsq. carere debuerunt, & parum etiam bibere his neceſſe fuit, & vt oculi ruberent. Hac de cauſa nulli ferme piſces venenoſi: quod ſi ſint, ſicciſſima parte tales ſunt, vt lepores marini felle, & ſpinis aranei piſces.* Hæc omnia, & quæ *Scaliger* cõtradicit, ſub incudẽ ad longũ referre, nunc nõ licet, nec libet, alio id loco fiet.

Cardanus alas & pedes ſerpẽtibus adimit.

Rationem huius adducit.

Cardanus contraria ſuis decretis docet.

Scaliger ad uerſus Cardanum.

Hoc ſolum pro aſſerendo, confirmando, & à dolis fraudibusq. omnibus eximendo *Dracunculo* noſtro, ex alio *Cardani* lib. de *Rerum varietate* nempe, cap. 29. lib. 7. attuliſſe, & *Cardanum* nolentem volentem veritati aſſenſum præbere debuiſſe, mihi ſufficeret, huiuſmodi prorſus, vt ego opinor, *Dracunculos* ab ipſo *Pariſijs* viſos, qualis noſter eſt, iam dudum fuiſſe. Hęc cõcepta ipſius, dicto iã loco, ſunt verba. *Sed de Serpentibus alatis, dum Lutetiæ eſſem, quid viderim apud Gulielmũ muſicum referam. Habebat ille quinque tales, quales nunc deſcribam: qui cum omnes diuerſis temporibus habiti eſſent, formà verò eadem penitus, indicabat non fuiſſe commentitios: neque enim diuerſi homines, eadem ad vnguem, & maximè diuerſis temporibus fingere poſſunt. Erant autem bipedes alis exiguis, vt vix volare poſſe crediderim. Caput paruum & Serpentum capiti ſimile: Color lucidus, plumæ nullæ, nec pili. Magnitudo eius, qui præcellebat alios, cuniculi. Præſtitiſſet ſi confecti fuiſſent, alas tam grandes addere, vt poſſe volare exiſtimarentur: delatos ex India conſtat: Dracones vulgus vocat.* Hos ego, vt iam ſcripſi, noſtro *Dracunculo* congeneres fuiſſe conijcio, quamuis notas omnes, quæ in noſtro ſunt, non expreſſerit *Cardanus*. Pedes verò *Draconibus* quoque *Scaliger* dedit *Exercit.* 189. *Draconibus autem crura eſſe, & notum eſt, & puerilia illa eſſe*, inquit, *vt Serpentes veneno præditi eſſent, oportuiſſe eos carere cruribus propterea, pilis, plumis, & parum bibere.*

Cardanus alatos & pedatos & morbo ferme ſimiles Dracones quinque Pariſijs vidit.

Scaliger quoq; pedes Draconibus conceſſit.

Inuenio præterea in Geſnerianis notis ſequentia verba ex *Brodæi Miſcellan.*

Brodæus alatũ Draconem in Gallia visum esse testatur.

lib. 3. cap. 1. *Esse porrò Serpẽtes quosdã mẽbranaceis pinnis alarũ instar vtentes, memoriæ proditur: quod ætate nostra ita esse compertum est.* Delatus enim est *ad Franciscum Gallorum Regem Draco pennatus, apud Sanctones à rustico, cum in eum inuolaret, ligone cæsus: hunc multi eruditi, spectataq. fidei homines se vidisse nobis testati sunt. Putabant autem ex transmarinis regionibus, vento pulsum, in eam prouinciam emigrasse, nam Gallia monstris eiusmodi caruit.* Hìc licet *pedum* nulla fiat mentio, volui tamen *Cardano* auctoritatem hanc oculatorum testium opponere, quia præter crura serpentibus, etiam alas ipse iniquo iure adimere conatus fuerat.

Hoc testimoniũ latis est contra Cardanum.

Hic beneuolus mihi lector meus rogandus, ne aut prolixitatem meam, in enarrandis authorum dictis accuset, aut in ijs refellendis arrogantiam culpet: *Ipsorum enim dogmatum conflictus, dum inter se conferuntur, veritatem conciliat, vnde sequitur cognitio,* inquit *Clemens Alexandrinus.* Est quidem vna via veritatis, sed in eam tanquam in fluuium, alia aliunde fluenta influunt. Et cum Seneca meo, ad posterius, hoc regero. *Non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid meo vindico, nam illi quoque non inuenta, sed quærenda nobis reliquerunt, & inuenissent forsan necessaria, nisi & superflua quæsiuissent. Multum illis temporis, verborum cauillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissoluimus.* Quare alio idem loco indignabundus, in has querelas erumpit. *Pudet me, in re tam seria senes ludimus. Mus syllaba est, mus autem caseum rodit. Puto nunc me istud non posse soluere, quod mihi ex ista sententia periculum imminet? quod incommodum? sine dubio verendum est, ne quando in muscipula syllabas capiam, aut ne quando, si negligentior fuero, caseum liber comedat. Nisi fortè acutior est illa collectio. Mus syllaba est, syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes docemus & pallidi.* Hæc studiosæ rerum naturalium indagator, aurea tibi dicta sunto. Tempus, cuius exigua nobis relicta est portio, non inutilibus, & nugacibus verbis, sed & frugiferis rebus impende, & cum eodem *Clem. Alexandrino,* nulli te sectæ addicas, *Philosophiam non Stoicam, non Platonicam, non Epicuream, non Aristotelicam, sed quæcunque ab his sectis rectè dicta & facta videris, hoc totum selectum Philosophiam dicas.* Et quæ cum sacris magis literis congruit, hanc toto animo exosculare.

Author purgat se a prolixitate & arrogãtia.

Aurea dicta Senecæ & Clem. Alexandrini philosophiæ studiosis considerãda.

Verùm & nos temporis rationem aliquam ducamus, & ad finem tandem properemus oportet. Ad quem priusquam perueniamus, explorare operæpretium fuerit, sit ne *Dracunculus* noster ex *Serpentum* progenie oriundus? Ad hoc quæsitum, si *Aristotelis,* & *Plinij* doctrinam sequi velis, negando, si *Naturam* consulere malis, affirmando respondebis.

An Draculus hic ad serpentes pertineat?

Cornu in primis corneum, non carneum obstat, ne *Serpentem* ex horum decretis authorum esse credas. Quamuis enim *Herodotus* lib. 2. dicat: *At circa Thebas sunt sacri Serpentes, nihil omnino hominibus noxij pusillo corpore, binis præditi cornibus, è summo vertice enatis: quos defunctos in Iouis æde sepeliunt, huic enim Deo illos sacros esse prædicant.* Et *Plinius* lib. 11. cap. 37. *Cornua quoque* referat, *multis quidem & aquatilium, & marinorum, & Serpentum data esse modis.* Ait tamen, *quæ verò cornua intelligantur, quadrupedum tantùm generi concessa esse.* Idem

Ex Plinio probatur, non ad serpentes illũ attinere. Idque eo argumento quia cornu verum habet.

Cochleis

Cochleis ad præcentandum iter (ſcilicet data ſunt cornua) *corporea hæc ſicut ceraſtis* (hoc eſt ſerpentibus huius nominis) *aliquando & ſingula*. Itaque ex *Plinij* hiſtoria, habemus quidem *Serpentes cornutos*, verùm non duris oſſeiſque, ſed mollibus, & vt, ipſe loquitur, corporeis cornibus inſignitos. Noſter autem *Dracunculus*, vnicam omnino corneæ, & duriſsimæ ſubſtantiæ, in apice capitis geſtat, *cornu* inquam verum, non *Criſtam*, quam aliqui *Draconibus* attribuerunt. Quare idem *Plinius* lib. 8. cap. 12. *Id modò mirum*, ait, *vnde Dracones criſtatos Iuba crediderit*. Et laudato iam ſupra loco, cum de animalibus, quæ criſtas habent egiſſet, *Draconum enim criſtas qui viderit*, inquit, *non reperitur*.

Hoc ipſum ex Ariſtotelis doctrina diſcitur.

Ariſtoteles autem lib. 2. Hiſtor. anim. cap. 1. Cum de animalibus, quæ cornua gerunt, ſermonem inſtitueret, *Serpentum* minimè recordatur. Et *biſulca quidem ſola facit, vt plurimùm cornigera*. *Oryx* ipſi quoque *biſulcus* cum ſit, non bicornis tamen, ſed vnicornis exiſtit. Et *Aſinus Indicus*, *ſolipes* non biſulcus, *monoceros* eſt. Hoc eodem porrò capite cum *Plinio* probè congruit. *Quæ autem cornuta ſunt, eadem omnino quadrupeda eſſe certum eſt*, ait, *niſi quid per tranſlationem cornu habere dicatur: quemadmodum Ægyptij de Colubris Thebanis perhibent, quaſi aliquid illis veluti veſtigium cornu extuberet*. In noſtro verò *bipede Dracunculo*, non quadrupede, *Corniculum* non per metaphoram & tranſlationem, ſed realem eſſentiam, atque exiſtentiam, non molle, ac tenerum, ſed durum & oſſeum prominet. Quin & *roſtri cuſpis* merum quoddam *cornu* exiſtit. Et quod mireris planè, ac præter *Ariſtotelis* doctrinam accidiſſe dicas, animal hoc noſtrum ſuperioribus inciſorijs dentibus, cùm iure carere debuiſſet, quia cornigerum eſt, hoc tantum abeſt vt ita ſit, vt hos etiam inferioribus comparibus ſuis & correſpondentibus, triplo maiores auctiores atque longiores obtinuerit. Hoc ipſo enim, & libro & capite *Philoſophus*: *Sunt alia vtrimque dentata*, inquit, *alia altero dentium ordine carent*. *Quæ enim cornua gerunt, hæc non dentata vtrimque ſunt, quippe quæ primoribus maxillæ ſuperioris careant dentibus. Quamquam ſint nonnulla, quæ cornibus vacent, & vtrinque dentata non ſint, vt Cameli*. Non igitur mirum eſt, ſi in *Camelo* contra Naturæ legem & *Ariſtotelis* regulam, hoc euenit, poſſe ijſdem aduerſari decretis *Dracunculum* etiam noſtrum, qui licet corniger ſit, dentibus tamen nullis in ſuperiore maxilla ſit deſtitutus. Verùm de cornibus plura in ſequente, & vltimo capite hoc noſtro, vbi de *Scarabæo cornigero* ſeu *Tauro volante* agemus, ſuppeditabimus. Hoc interim pro more, & amore meo, *Philoſophiæ Tironi* meo inculcandum denuo cenſeo, *plurima vera eſſe, quæ parum ſunt credibilia*. Venire veritatem etiam interdum in lucem, non quæſitam. *Et interdum ita perſpicua eſt veritas*, ait *Seneca*, *vt eam infirmare nulla res poſſit, interdum tamen eſt adhibenda vis veritati, vt eruatur*. Quod ſi nos quandoque aduerſus *veteres* hoc ipſum diſputando præſtamus, id non calumniandi illos, per quos plurimum profecimus, ſed ab erroribus eorum, ſi qui irrepſerint, iuniores tutandi ſit gratiâ. *Tantam enim*, ait *Cicero*, *ſemper potentiam veritas habuit, vt nullis machinis, aut cuiusq. hominis ingenio, aut arte ſubuerti potuerit. Et licet in cauſa nullum patronum aut defenſorem obtineat, tamen per ſeipſam defenditur*.

Cõtra Ariſtotelis de creta corniger Dracũculus eſt, & dentes omnes habet.

Adhortatio ad Philoſophiæ ſtudioſos.

Videamus vlterius ſi placet, an *dentes* in hoc *Dracunculo Serpentini* ſint nec ne? *Ariſtoteles* 2. hiſt. anim. cap. 17. *Gaza* interprete, *Dentes exerti omnibus ſunt*, ait,

Probatur argumento dentiũ non pertinere ad Serpentes.

ait, *Serpentibus. Scaliger* ad hunc locum, *Illud nequaquam excusatur*, inquit (in *Gaza* videlicet) *cum* Καρχαρόδοντας *interpretatus est exertos dentes. Nam neque id sonat vox Græca, neque verum est, neque exerti sunt duo illi, quos longissimos tradit Plinius, quanquam præ cæteris exstent.* Bene hæc *Scaliger*, sed ante ipsum priùs hæc *Niphus* aduerterat, hæc enim in explicatione textus huius, verba eius leguntur. *Deinde quales sint dentes narrat* (scilicet *Aristoteles*) *& dicit dentes* Καρχαρόδοντες, *ideſt serrati omnibus sunt. Nescio cur Theodoricæ* (hoc est *Gazæ*) *translationes habent exertos? cum hoc sit contra sensum. Patet Serpentes habere dentes serratos, & non exertos. Est etiã contra verbum Græcum, nam* Καρχαρόδοντας *interpretamur dentes serratos, siue asperos, vel inflexos, siue vallatos.* Sed ambo hi tàm *Augustinus Niphus*, quàm *Iulius Cæsar Scaliger*, à *Plinio* hoc ipsum discere iam olim potuerunt, qui lib. 11. cap. 37. *Dentium tria genera*, ait, *serrati, aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, vt Serpentibus, Piscibus, Canibus.* Quales reuera in *Viperis* & alijs *Serpentibus* inueni, non erectos tamen, sed recuruos. Ast narro tibi, mi lector, *Dracunculi* nostri *dentes* non *Canum*, sed *Felium*, vno verbo, *Leonum dentibus* simillimos esse, quibus ad vnguem comparantur. Ad quos accedunt etiam illi, qui in *Tigre* & *Lynce* videntur. Quare ne *crambem bis coctam* tibi apponam, & eosdem *Leoninos dentes* hic denuo repetam, depingam, atque enumerem, remitto te ad operis huius mei paginã quingentesimam & trigesimam, vbi sufficienter eos enarratos, atque delineatos offendes. Igitur nec *dentes*, vt vides, *Dracunculum Serpentibus* associabunt, neque ad *Nicandri Dracones* pertinebit, his enim ille triplicem *dentium* ordinem hisce verbis assignauit, & *palearia* appendit.

Formosa apparet Species, pulchro illius ore,
Triplice conspicui se produnt ordine dentes;
Magna sub exigua scintillant lumina fronte,
Tinctaq. felle tegunt mirum palearia mentum.

Quid de *rictu* huius, de *auribus, collo, pectore, costis, ventre* dicam? *Rictus* huic bestiolæ pro exiguitate maximus est, vt si verum est, quod *Plinius* monet, quæ illum grandem habent animalia, laniatu viuere, hunc etiam *Dracunculum* rapacem, & laniatorem dicas necesse habeas. Et quamuis haud nesciam, *Serpentibus* plurimis, adeòq. *Draconibus* supra à me traditis, apertissima ora esse, vt *ceruos* quoque integros deuorare valeant: *Solinus* tamen cap. 32. veris *Draconibus* rictus nequaquam magnos, sequentibus verbis attribuit. *Porrò veris Draconibus ora parua, & ad morsus non dehiscentia, sed arctæ fistulæ, per quas & trahunt spiritus & linguas exerunt. Quippe non in dentibus vim, sed in caudis habent, & verbere potius, quàm rictu nocent.*

Auriculæ præterea nulli datæ sunt *Serpentum* generi. Hoc *Plinij* est edictum, loco iam nuper citato. *Sed auriculæ*, inquit, *omnibus animal duntaxat generantibus, excepto vitulo marino, atque Delphino, & quæ cartilaginea appellauimus, & viperis. Hæc cauernas tantùm habent, aurium loco, præter cartilaginea & delphinum, quem tamen audiri manifestum est, nam & cantu mulcentur, & capiuntur attoniti sono, quonam modo audiant mirum. Simili modo squamigeris atque Serpentibus*, scilicet cauernæ tantum ad auditum. Hæc *Plinius* more suo solito, ex *Aristotele* compilauit,

Idq. ex dictis Aristotelis.

Gaza à Scaligero reprehẽditur & bene quidem.

Plinij doctrina de dẽtibus serpentum.

Dracunculi nostri dẽtes nõ sũt serpentini, sed merè Leonini.

Draco hic habet rictũ magnum.

Solinus cõtra Draconibus ora parua attribuit.

Serpẽtibus desunt auriculæ.

lauit, qui & ipſe meritò eſt audiendus. Lib. 1. cap. 11. hiſt. animal. *Eorum quæ ſenſum obtinent audiendi, alijs auriculæ ſunt, alijs deſunt, meatusq. patent ipſi audiendi, vt ijs quæ pennâ, aut cortice, ſquamâue integuntur. At ea quæ animal generant omnia auriculas habent, excepto vitulo marino, & delphino, & reliquis ita cetarijs. Vitulus ergo marinus continet manifeſtos, quà audit: at delphinus audit quidem, ſed nullis cauernis, quæ vicem præſtent aurium.* Aſt *Dracunculus* noſter, tantùm abeſt, vt ſerpentum more *auriculis* careat, vt *Apuleianis* etiam fermè pares gerat, & ſubrigat.

Dracunculus noſter auriculas magnas habet.

Vituli marini cum vterque ſcriptor hìc meminerit, de hoc quid mihi compertum ſit, ſimul apponam. Nudius tertius cum *Principe* noſtro *Cæſio*, hunc viuum in clathris ligneis prægrandem, decem circiter pedes longum, hìc *Romæ* viſum iuimus, extra aquam (niſi quod eàdem ſubinde perfundatur,) vltra menſes duos conſeruatum, in mari *Neapolitano* captum, & huc perlatum. Eſt autem hic quartus, quem à triginta annis in VRBE vidi, & priorum omnium maximus: & is ipſe planè, quem *Rondeletius* lib. 6. cap. 6. priori loco deſcribit, ad poſteriorisq. differentiam (qui maris Oceani eſt) maris Mediterranei incolam facit. Hunc *Princeps* diligenter depingi curauit, cuius in *ſecundo* noſtro *tomo*, Deo fauente, mentio fiet. Quod hìc innuam, aliud non habeo, niſi nos omnes miratos maximè fuiſſe, cum *auricularum* nulla, imò cauernarum, & foraminum vix vlla veſtigia apparerent, per quæ vox intimiùs penetrare potuiſſet, hunc tam exactè tamen *heri* & *magiſtri* ſui vocem audijſſe, & tam promptè ad hanc obedijſſe, vt quoties illum *Cola*, *cola* vocitaret, hoc nomine audito, confeſtim toto contorto ad hunc corpore, perrexerit. Græcis βοὴκη à boatu, quem edit, *Virgilio Phoca*, alijs ferè omnibus *Vitulus marinus* appellatur. Hunc præcipuè boatum edit, cum ipſi eſca ſua, hoc eſt, piſces monſtrantur, quorum triginta & plures libræ vix ſingulis ei diebus ſufficerent. Qui hunc circumferunt, & populo monſtrant, *Lupum* & *Draconem marinum*, quàm *Vitulum*, appellare malunt. *Draconem* quidem, licet cum hoc ſimilitudinis nihil habeat, vt nouitati pretia addant, *Lupum* autem, vt *Rondeletius* quoque refert, quia inferior maxilla lupinam refert, *Vitulum* verò, cùm ob boatum, tum quia *naribus* eſt *vitulis* terreſtribus affinis, & vt ego iudico, capite ipſis quoque non valde diſſimilis, ſi auriculas haberet; reliqua non perſequor.

Vitulus marinus ſatis magnus ab authore Romæ viſus.

Hic auricu lis carens exquiſitè ta men audit.

Hũc herus ſuus vocat Draconem & Lupum marinum.

Cur vitulus vocetur.

Quis autem verus ſit *Draco* & *Dracunculus marinus*, ego quoque eò inclino, non eſſe *Serpentem marinum*, qui Græcè ἔχις θαλάσσιος appellatur, quem errorem aliqui ex *Plinio* haurire potuerunt: non eſſe *Hippocampum*, quem pro *Dracone Matthiolus* nobis ſubſtituit: non *Trachurum*, quem *Iouius* de *Piſcibus Romanis* agens, nobis perſuadere conatur: verùm eſſe illum, qui δράκων *Græcis* antiquis, recentioribus verò *Dracena*, *Romanis* noſtris hodie *Tragina*, *Latinis* & *Draco marinus* & *Araneus* nuncupatur. In harum mare controuerſiarũ, plenis nunc velis inuolare mihi non eſt animus, adeat ſuadeo, ſi quis his ſtudijs capitur, vt veritatem naneiſcatur, 10. cap. *hiſt. anim. aquat. Hippolyti Saluiani* Medici olim *Romani* noſtri, quod incomparabile opus, ità ingenij ſui fœcunditate, atque figurarum ære excuſarum venuſtate illuſtrauit, vt palmã, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, curſuriq. ſunt, præripuerit facilè omnibus. Eòq. magis egregius ipſius cona-

Quis ſit verus Draco marinus

Hippolyti Saluiani ſcriptoris de piſcibus encomium.

conatus est laudandus, quòd dispendiosum quidem, ast vtilissimum hoc opus à magnis etiam *Principibus* ipsi inuidendum, sed imitandum tamen, proprijs sumptibus, adiutrice industriorũ artificũ manu, domi suæ edolauit, veluti filius ipsius *Gaspar Saluianus* adhuc in viuis, & illis qui amœnioribus Musis delectantur omnibus charissimus, mihiq. amicissimus, nuper nobis est contestatus.

Collum in hoc Draconeauẽ potius quàm serpẽtẽ repræsentat.

De *Collo Dracunculi* nostri, quid aliud dicam? quàm quod supra quoque insinuaui, hoc è *thorace* sursum elatum, non autem rectà lineà antrorsum protractum *auem* iustiùs longè æmulari, quàm *Serpentem*.

Nec costæ serpentum cũ Draconeconueniunt.

De *costis* hoc habe. Aristoteles lib. 3. hist. animal. cap. 17. *Serpentibus*, ait, *costæ totidem, quot dies mensem integrum complent: singulis enim tricenæ*: In vtrouis autem *Draconis* nostri latere, quatuordecim *costas* inuenio, quibus si duas addas *clauiculas*, habebis tricenarium numerum, erit igitur *serpens*. Bene habet. Attamen existimo ego, Aristotelem in quouis latere voluisse tot costas, quot dies sunt in mense, atque sic omnes sexaginta essent. Hoc ex capite 15. lib. 1. hist. anim. eruo. *Dorsum pone pectus est, cuius partes scapulæ, & spina, infraq. è regione ventris, lumbi habentur, communes autem partis superioris, inferiorisq. costæ octonæ, nam de hominibus gentis turdulorum (Scaliger* legit *lygniorum*, λυγνίων enim *Aristoteles* habet, alij *Ligurum*) *quos septenis costis ferunt creari, nullius idonei authoris testimonio constat*. Recensetigitur Aristot. non vtrorumque, sed singulorum tantùm laterum costas, quomodo enim omnes hominis costæ octonæ saltem essent?

Probè Aristotelẽ *Plinius* imitatus est lib. 11. cap. 37. *Pectus*, ait, *hoc est ossa* (alij legunt costas) *præcordijs & vitalibus natura circundedit, at ventri quem necesse erat increscere, ademit, nulli animalium circa ventrem ossa: Pectus homini tantùm latum, reliquis carinatum, volucribus magis, & inter eas aquaticis maximè. Costæ homini tantùm octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta*. *Dalecampius* ad hunc locum hoc optimè animaduertit. *Lego verò costæ homini tantùm duodenæ, nisi fortè superiores* (quæ excusatio in Aristotele forsan quoque locum habebit) *octonas tantùm intelligat veras, & legitimas, non adnumeratis quatuor spurijs*.

In Draconehoc costæ non in pectore solùm, sed in ventre etiã inferiore existunt.

Verùm, & alia ex hoc *Pliniano* loco animaduersio suboritur, cum ait: *Nulli animalium circa ventrem ossa*. Quam legem dudum priùs Aristoteles decreuerat, lib. 3. hist. anim. cap. 7. his conceptis verbis: *Pectus etiam costis impositum est, quæ quidem aduersæ inter se coeant, cum reliquæ breuiores sint, quàm vt facere idem queant, nullum enim animal est, quod circa ventrem os habeat*. Paulò aliter hæc vertit *Scaliger*, sed quæ id, quod nos intendimus, non mutant. Ast nostro in animali certissimum est, dictas vtrimque quatuordecim *costas*, non *pectoris* solummodo regione comprehensas, sed per *ventrem inferiorem* quoque dispositas, vsque ad *os sacrum*, vbi *coccyx* & *cauda* incipit, pertingere, & has quidem, vera *ossa*, non *spinas* quales in piscibus sunt, apparere, & esse, sole meridiano clarius patet.

Determinatur ad serpentes potiùs quam alia animãtia Draconem esse referendũ.

His tamen omnibus modò allatis obiectionibus non obstantibus, & haud quicquam proficientibus, si quis me iudice, decernendum iubeat, ad quodnam animalium genus *Dracunculum* reducendum censeam? Ego inter *Serpentes* potiùs, quàm vlla alia in specie animalium ipsi remanendum iudico.

Hoc

Hoc enim mihi concedat æquissimus lector, nullus dubito, tam insignibus instructum membris, tam varijs ornatum organis animal, ex *putredine* minimè emergere potuisse. Ex *verme* etiam quòd oriatur, vix est probabile, ex *ouo* igitur excludatur, aut *viuum* è matre sua enascatur oportet. Rationes huius decreti.

Ouipara autem vel *exanguia* sunt, vel *sanguinem participantia*. *Illa* aut mollia, testacea, crustacea vel insecta sunt: nullum ex his, *Draco* est. *Sanguinea* autem *ouipara* vel volant, vel natant, vel incedunt. *Volatilia* solæ *aues* sunt, quæ non sufficit, quod alas ad volandum possideant, sed plumis insuper ac pennis vestiri necesse habent, horum in *Dracunculo* nihil est. *Natatilia* omnia *pisces* sunt, vel *Serpentes* etiam *natrices* dictæ, vetùm hæc omnia pedibus nullis egent, nisi *amphibia* sint. *Ouipara terrestria*, vel ἄποδα, hoc est sine pedibus, vt *Serpentes*, sunt, vel *pedata*, eaq. quadrupeda, quæ cum *Serpentibus* plurima communia habent, & pleraq. sunt *amphibia*. Sunt tamen ex aquaticis hisce aliqua, quæ ouum quidem intra se generant, & ex hoc postea fœtum viuum edunt, quòd & *vipera* cum paucis quibusdam *Serpentibus* molitur. Diuisio animalium.

Inter *viuipara* solus *vespertilio* volat, reliqua incedunt omnia. Iam autem suprà probauimus, *Dracunculum* non esse *vespertilionem*, cum *cutis* obstet, quæ *Serpentis* est in *Dracone*, *muris* verò est in *vespertilione*. Addo caudam in *Dracunculo* longam, in *vespertilione* viuo vix visibilem, in sceleto tamen, carne probè denudato, satis conspicuam. Concluditur draconē hunc esse serpētem.

Iam autem quid indè incommodi nascetur, si dicamus *Dracunculum* esse *Serpentem pedatum*, adeòq. *bipedem* & *alatum*? licet Aristoteles hunc nusquam viderit, auditione nunquam acceperit, & in rerum natura haud esse crediderit, neque ideo etiam descripserit? At inquies, hoc implicat omnino contradictionem quandam, scilicet *Serpentem* appellari, qui non serpat, sed volet, atque pedester, auium instar ingrediatur. Nec obstat quod hoc fortè Aristotelis doctrinæ aduersetur. Obiectio.

Hunc igitur per me licebit, vt lubet, voces, & nouæ animalis formæ, nouum, si placet, nomen affingas, ego non moror. Nam reuera etiam ad Serpentes potius, quàm ad quadrupeda animalia perfectiora, *lacerti* pertinent, licet pedibus qnatuor incedant. Et quid mirabilius est, quàm *pisces* natare, & volucres simul esse? quod in *Miluo* nostro, *Hirundine marina*, quarum mihi vna est latissimis membraneis alis, & piscibus illis *Indicis*, quos Hispani *Boladores* appellant, quotidiana experientia testatur. Quid si igitur *Dracunculus* serpat, incedat, & volet, si opus fuerit, an hoc absurdum existimemus? Volare autem illum, tot præclaris scriptorum veterum, ac recentiorum testimonijs, iam supra adstruximus. Hoc tantum adiungo, qui nobis hunc *Draconem* depingunt, solere alis erectis id facere, atque vt *pinnæ*, & oræ extremæ non caudam versus respiciant, quemadmodum in nostro reuera videre est, sed sursum erigantur, eundem delineare. Quod an reipsa inter volandum ita eueniat, an ex pictorum potius excogitatione hoc ortum duxerit? anxius valde adhuc hæreo. Responsio. Rationes pro opinione authoris. Quæ sit differētia posituræ alarum in vero & picto cōmuniter Dracone.

Huiusmodi *Draco* alis ita extentis, & in altum sublatis, *Aquilæ* subiectus, arma gentilitia decorabat PAVLI V. P. O. M. Hunc cum *Draconem Scipio* Card. *Burghesius* PAVLI Nepos, in prædio suburbano suo, quod extra *Portam Pinciam* amœnissimum, raraeq. artis statuis, atque picturis ornatissimum extruxit, Pauli V. arma gentilitia Draconem habēt.

xit, *Viridarij* eiusdem frontispicio præfixisset, lusit in hunc olim Epigrammate eruditissimo & venustissimo, tum Cardinalis *Maffæus Barberinus*, nunc & ipse *Sum. Pontifex*, & *Optimus Princeps* VRBANVS VIII. quod ex pluribus ipsius poëmatis, immortali glorià dignissimis deprompsi, vt lectorem meum exhilararem, atque post amarissimum, tot *Serpentum* & *Draconum fel*, eidem (bono tamen animo) à me hactenus pleno poculo propinatum, dulcissimo *Apum melle* refocillarem, hìc iure subijcere debui.

De hoc Dracone Card. Maffæi Barberini eruditissimũ carmen.

Draco Aereus in Fronte Laureti in Virid. Ill.mi C. Burghesij.

Non sedeo custos, adsto venientibus hospes,
Non magis hæc Domino, quàm tibi villa patet.
Hìc requiem captare licet, passimq. vagari,
Aëris hic haustu liberiore frui.
Nec species animum turbet metuenda Draconis,
Non ego, quæ flammis Hydra perempta, cadat.
Non ego sum Python, feriant quem spicula, lauros
Ecce mihi credit Cynthius ipse suas.

Porrò si quis ex me scisciteur, quæ huic *Dracunculo sit patria, quique penates?* resp ondeo ex coniectura quidem, sed probabilissima, hunc non esse *Americanum*, non *Europæum*, non *Africanum*, sed *Asiaticum*, & quidem *Arabicum* indigenam, *Bellonius* enim, quem supra adduxi, ait, se tales in *Ægypto* vidisse *Dracones*, quos ex *Arabiæ* parte, in illam aduolare narrabant.

In qua orbis parte tales Draconcli nascantur.

Arabia his patria est.

Congruunt hæc mirè cum illis, quæ ex *Herodoto* in hunc sensum attulimus, vtcunque *Plinius* fabulatorem hunc nominet, quo nomine & ipsemet apud non paucos inclaruit. Figurà siquidem, quam *Bellonius* nobis exhibet in suo *Dracunculo*, si non proximè omnino, prope tamen ad nostrum accedit, veluti vtriusque iconem considerant palam fiet. Huius farinæ & formæ sunt illi quinque *Dracunculi*, quos *Cardanus* se *Lutetiæ* vidisse meminit, qui licet hos ex *Indijs* allatos suspicatus sit, parum refert, solemus etiam nos hodie plerasq. res exoticas, priùs haud nobis visas *Indianas* appellare, quòd *Indiarum* nomen, incogniti Orbis, & mirabilium rerum plerunq. nobis memoriam refricet. Et omnia quasi ex longinquis allata locis, vel magna credimus extollimusque, quia parui sumus, cum multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo accedat: vel incredibilia ducimus, quia rara & exotica sunt, cum quotidiana, licet maximè mirabilia negligamus. *Adeò naturale est magis noua, quàm magna mirari.* Et quid, si etiam aliqua à communi naturę lege, quandoq. exorbitent? non ideo confestim sunt explodenda, *ignorat enim Naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod sæpius facit.*

Cur Cardanus hos Indicos vocauit.

Aestimamus plerunque magis externa quam nostra.

Si quis præterea me interroget, an *pullum* hunc existimem, fuisse alicuius magni *Draconis?* An verò naturalis hæc corporis sui magnitudo, & constitutio fuerit? Ego quouis depositio pignore, certare ausim, vel veram hanc corporis proportionem esse, vel certè paulò maiorem saltẽ existere debere. *Bellonius* nec magnũ, nec paruum dixit, cùm tamen, vt ex icone ipsius patet, nostro congener, & similis fuerit, credi etiam fas est, paruum fuisse, quoniam ex quinque istis,

An hic Draculus naturaliter maior esse possit.

Non videtur multò grãdior debere esse.

iſtis,noſtro & *Belloniano*, ſimilibus,maximus eorum ad *Cuniculi* ſaltē,parui animalis,longitudinem & altitudinem acceſſit, quos *Cardanus Pariſijs* obſeruauerat.Hoc alià confirmo coniecturà,quoniam *Herodotus* ait,*alis eſſe veſpertilionum illos Dracunculos, qui ex Arabia in Ægyptum conuolant*,& ibi ab auibus *Ibidibus* ſeu *Ibibus* nō maioribus, vt reor quàm *Ciconiæ* ſunt impetuntur, debellantur ac trucidantur,parui igitur hi *Dracones* fuerint.Roboratur hoc ipſum alià quàdam ab experimentis anatomicis deſumptà ratione, quæ hæc eſt: Omnia oſſa, quæ hìc detecta cernuntur,vetuli,nō iuuenculi animalis ſunt, quæ albiſſima,duriſſima, ſicciſſima eſſe conſpicias, cum, ſi tenellorum fœtuum ſint, oſſa poſt mortē celerrimè denigrentur, contabeſcant, & computreſcant, hoc in alijs animalibus ſæpè expertus ſui. Argumento inſuper irrefragabil i, hoc comprobauero, ex *dentibus*,qui integri, perfectiſſimiq. hìc omnes comparent, quod in recentiſsimo *pullo* haudquaquam eueniret.

Ratio huius prima ex Herodoto affertur.

Secunda ab oſſium natura.

Tertia à dētibus petita.

Quæ ſi ita ſe habeant,vt ego mihi perſuadeo,non erit hic noſter immanium illorum *filius Draconum*,in quorum,vt ſupra ex *Strabone* memini,dorſo & tergoribus herbæ innaſcuntur.*Buſtamantinus* lib.de *rept. ſac. ſcript*.lepidè profectò de plantis hiſce philoſophatur,vult enim *Dracontæam* & *Dracunculum* herbas, ita vocatas eſſe, quod ex *Draconum* ſubſtantia vitam & vigorem nanciſcantur,conſeruent etiam per ſemen terræ immiſſum,conceptam ex *Dracone* virulaginem, & corroſiuam ſuam acrimoniam, atque colorem luridum, varium,& horrendum,quem *Dracontææ* fuſtis oſtendat, ideoq. ſenectam magis *Serpentis* alicuius illum,quàm plantam repreſentare. Huic ſimiliter animali deberi,vult,plantā, quæ *Sanguis Draconis* vocatur, quod ſanguine *Draconis* cū priùs fuerit nutrita, eundem poſtea colorem auulſa licet, & terræ cōmiſſa rediuiuum in filijs plantulis, rubicundū ac floridum imitetur,iterumq. producat. *Folijs imò Draconem*, inquit, *ſculptum forma & effigie tenent exorta illa, dictu mirabile nimis, norunt Indi Hiſpaniæ nouæ,& nos vidimus, communiter plantis aduectis, & 2.lib.7.cap.hiſt. Indiar.occident inuiſitur.Hæc enim planta altiſſimas radices immittit, pertingentes intima vaſa ſeminaria animantis huius,lumbis adnata, per quos ſeminis ductus decurrunt,ſemen vt trahere poſſint formatum, prolificum, efficere potens Draconem verum, formetq. vt illum folijs primo: Draconibus inſerta ortu acceptà virtute: ſeruataq. impoſterum terræ commiſſa, loco fruticis, quæ nullum alium fructum gerunt vnquam, quàm folijs Draconem efformatum* (*mirabile ſatis*!)

Non eſt ex genere illorū ingētium Draconum, in quorū dorſo herbæ naſcuntur.

De his herbis curioſa Buſtamātini philoſophia.

Quomodo plāta, ſanguis Draconis dicta naſcatur.

Quare effigies Draconis in huius foliis inſculpta videatur, mira ſpeculatio

Hæ ſi cui rationes philoſophicæ placent,acceptet eas,ſine meo periculo,ego hìc tantiſper iudicium ſuſpendo,& *ſcepticum* ago.Interea non poſſum intermittere, quin *Nicolai Monardis* ipſiſſima de *Sanguine Draconis*, herbà nempe ita appellatà, & fructu *Draconis* effigiem repreſentante, huc verba adducam, quæ cum *Buſtamantino* non vſquequaque concordant.

Quid de herba hac ſanguinis Draconis Monardes commētatus fuerit.

Hic igitur cap.38.fructum arboris deſcribens,*lachrymam* illam fundentis quę *Sanguis Draconis* dicitur: *Eſt autem*, inquit,*hic fructus admirandus, nam ſublatà, qua integitur pelle, illicò Dracunculus apparet, tanto artificio à natura fabricatus, vt à peritiſſimo aliquo artifice è marmore ſculptus videatur: collo oblongo, ore hiante, ſpinà aculeis horridà,caudà oblonga, & pedibus conſpicuis. Ab eo fructu denominationem procul dubio ſumpſit arbor & eius lachryma, quæ ex illa, per inciſionem legitur, quam ex*

Carthagine Peruana selectissimam aduehunt, vnde veterum & multorum recentiorum inscitia deprehenditur, qui quid esset sanguis Draconis, aut cur sic appellaretur, omnino ignorabant. Magna est arbor, cortice satis tenui, & qui facilè incidi potest. Eà vulneratà, liquor ille effluit, quem sanguinem Draconis in lachryma dicunt, ab eo differens, quem sanguinem in pane vocant, quòd in panes seu massas istic cogatur, quemadmodum resina in Castella. Hactenus *Monardes. Carolus Clusius* annotationem hanc subdit, *sibi ab hortulano Regis Hispaniarum missos fuisse fructus quosdam nomine Dragonatis, qui Bruxellæ terræ commissi prodierint, foliis Iridis oblongis, viridibus, per oras rubris. Fructus Ceraſi magnitudine fuisse, sed pelle sublatà, animalis nulla, nedum Draculi effigies visa fuit.* Verùm de hac re innotescet fortasse nobis aliquid certiùs cum *secundo tomo* manum admouerimus; interea non putamus præter institutum nos egisse, si admirabili huic animali, admirabiliorem plantam subiunxerimus, lectoriq. ansam præbuerimus, laudandi DEVM, *Naturæ* Dominum, qui pro bonitate sua, tam admiranda, & vix ab intellectu nostro comprehensibilia opera creare, nobisq. contemplanda, & fruenda donare voluit.

Quid de eadem plãta Carolus Clusius dicat.

Hæc omnia dubiorum plena alio loco excutientur.

Omnipotẽtia Dei suspiciẽda & laudanda.

De *venenis* nunc & *remedijs*, quæ à *Draconibus* desumuntur, aliquid coronidis loco adiungendum esset, ast *Plinius* lib. 28. cap. 4. *Draco non habet venenum*, ait. Cui *Aëtius* adstipulatur: aliqui aërem tamen à *Draconibus* infici meminerunt. Hoc alteri ad meteora retulerunt, *Dracones*, inquam, ignitos atque volantes. Quidam hæc ita conciliant, vt dicant ex sua natura innoxios esse, hinc *Lucanus* eos *innoxia numina terris* proclamat, pro locorum verò constitutione noxios fieri, quare idem *pestiferos ardens* facit *Africa*, inquit. Verùm & hæc regula fallit.

An Dracones venenũ habeant?

Res dubia apud authores.

Et quoniam potior veterum authorum pars existimat, morsus magis à *Draconibus* impressos timendos esse, quàm venenum illatum nocere, ideo de antidotis quoque parum solliciti fuerunt. Quæ autem ex *Draconibus* remedia, alijs vtilia malis petantur, ex *Plinio* colligantur, quæ absque risu non legi. *Caput Draconis* nempe ianuarum limini subditum, fortunatam domum facere. *Oculos* huius inueteratos, cum melle tritos, humanis inunctos, ab imaginum nocturnarum pauore, homines immunes reddere. *Cordis* piguitudinem conferre iudiciorum victoriæ. *Dentes*, mites præstare dominos, potestatesq. exorabiles. *Hæc credat Iudæus Apella, non ego.*

Plinius ridiculosa remedia ex Draconibus petit.

Nunc quicquam superesse amplius non video, nisi hoc vnicum, vt illis nempe etiam gratificarer, qui amœnioribus litant *Musis*, & aliquid, quod antiquitatum amatores quoque delectatione afficeret, in medium adducerem, & inprimis quidem, de *Draconibus* commentarer, scriberemq. qui *insignia* erant *cohortium Romanarum*, & à *Draconarijs* ad prælium ferebantur, qui hastis illos illigabant, vasto hiatu, & caudarum voluminibus tremendos. De *simulacris* deinde dicerem, quibus varij gentilium Dij *Draconum* effigie efformabantur, veluti *Apollo, Mercurius, Minerua, Æsculapius, Serapis, Ianus alijq.* & quinam horum, metamorphosi quadam in *Dracones* mutati falsò credebantur. De fabuloso etiam *Dracone hortorum Hesperidum custode*, ab *Ouidio* depicto,

Antiquitatum studiosis etiã esset nũc satisfaciẽdũ.

Dracones cohortium bellicarum erant apud Romanos insignia.

Erant quoque variorum gentilium Deorum simulacra.

Plurima alia de his dici posset

Qui crista, linguisq. tribus præsignis, & vncis
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.

De *auspicijs* itidem, *prodigijs, ostentis, portentis, diuinationibus, oraculis, cultu* etiam, ac ve-

ac *veneratiõnibus*, ab antiquis huic beſtiæ exhibitis, & ſi quæ alia ſunt, quæ veterum loca authorum obſcuriora, quando *Draconum* meminerunt, illuſtrare poterunt. *Nobis qui Muſas colimus ſeueriores*, & triſtibus ægrotantium querelis plerumq. aurem accõmodamus, aut neceſſarijs crebrò negotijs occupamur, *non licet eſſe tam felicibus*, vt in hæc amœniſſima *Muſarum* vireta, niſi per diuerticula ſubinde quædam, & furtim quaſi exſpatiari valeamus, quamuis id maximè libeat. Quare hæc amicis meis commendo, non quibus otij quidem plus ſit, quàm mihi, ſed qui tanto me interuallo in humanioribus literis, hiſtoriarum peritiâ, & antiquitatum indagine anteuertunt, quando ego ipſos deſiderio aſſequi, quod maximum eſt, anhelo. Hi ſunt illuſtres viri *Gaſpar Scioppius*, Conſiliarius Regius, qui ſuâ laude iam claret, meâ non eget, quem ego ſeculi noſtri *lapidem lydium linguæ latinæ* iure appellare ſoleo. *Hieronymus* deinde *Aleander Card. Barberino* noſtro, à ſecretioribus *latinis* epiſtolis, quem alio elogio iam non decorabo, quàm eodem, quo VRBANO VIII. illum idem *Scioppius*, in ſuo virorum eruditorum indiculo, his iamdudum verbis laudauit: *Hieronymus Aleander Iuriſconſultus, & Poëta politiſſimus, græcè & latinè bene doctus, & antiquitatum Eccleſiaſticarum, & ſecularium non paucis gnarus*. *Lucas* præterea *Holſtenius Germanus*, eiuſdem *Cardinalis* familiaris, qui præter linguas *Græcam* & *Latinam*, quas elegantiſſimè ſcribit, & vtriuſque nunc opuſcula ſub prælo habet, in *Coſmographia* adeò excellit, vt ſibi vix vllum iam parem habeat. *Petrus Paulus Rubenius* demum, *Antiquitatum* in marmore, & ære *comus* ac *promus*, qui & ipſe *Germanus*, cum fratre *Philippo* libris editis claro, ambo olim *Lipſij* diſcipuli, digni ipſius Cathedræ ſucceſſores eſſe poterunt. Sed & in hoc quoque rariſſimæ fortunæ *Petrus Paulus* exemplum eſt inſigne, quod *arte pingendi*, per *Germaniam*, *Belgium*, *Italiam*, *Galliam*, *Angliam* & *Hiſpaniam* adeò inclaruerit, vt viginti circiter annorum ſpatio *Antuerpiæ* ſibi, vltra *ducenta aureorum millia*, ex hac ipſa nutricula ſua lucri fecerit. Hunc cùm olim *Romæ pleuritide* grauiter laborantem, per DEI gratiam, ſanitati reſtituiſſem, *Gallum* mihi depinxit gallinaceum, cui ſocoſa hæc verba, erudita tamen ſubſcripſit.

Authoris excuſatio cur his immorari nõ poſſit.

Amicis ſuis hæc ſe lõgè doctioribus relinquit.

Gaſpari Scioppio.

Hieronymo Aleandro.

Lucæ Holſtenio.

Petro Paulo Rubenio.

PRO SALVTE
V. C. Ioanni Fabro M. D.
Aeſculapio meo,
olim damnatus
L. M. votum ſoluo.

Verùm quoque effigiem meam mihi ſimillimam, in magna tabula, coloribus expreſſit, quæ ob artis præſtantiam magni à pictoribus æſtimatur.

Atque ſic cum *Bono* DEO ad finem optatum tandem peruenimus, quem *Serpentibus* & *Dracunculo* feliciter imponimus. Reſtant adhuc nobis duo *Scarabæi Mexicani*, quos leui brachio perſtringemus, & tandem hoc opus noſtrum, æquiſſimo curioſi lectoris iudicio committemus.

TEMOLIN *TEMOLIN ICHCATZIN.*

Scarabæus Mexicanus vnicornis. *Scarabæus Mexicanus bicornis.*

IO. FABRI LYNCEI DESCRIPTIO.

QVÆ & qualia hæc ſint animalia, ſi quis vnquam *Scarabæos* noſtrates domeſticos, pratenſes, aut ſylueſtres eſt contemplatus, non ampliùs in hoc dubio hæſitabit. *Scarabæi* ſunt, & quidem *Mexicani, nigri coloris* ambo, & quod in his iconibus album apparere vides, id totum caſtanei ad rubicundum vergentis coloris eſſe ſcias, quem *pedes ſex* in vtroque animali pilis refertiſſimi probè æmulantur. In prioribus pedibus diſtincti *quatuor vnguiculi*, ſeu digituli veriùs conſpiciuntur, & vnus in medio radij, calcaris inſtar appoſitus. *Vnicornis* eſt *primus* Scarabæus cuius recuruum è capite enatum cornu retrò flectitur. Ad huius radicem & ad capitis ſimul cum reliquo corpore connexionem luſit Natura, triplicem figuram ſemicircularem appingens. *Alter duo cornua* gerit *taurorum* more, & prorſum quidem protenſa, ramis nullis exaſperata, verùm interna eorum parte fibroſis compluſculis excreſcentijs, vt pictura indicat, ornata. Inter duo hæc cornicula, è medio capite cuſpis quidam protuberat, cornu tamen minimè eſt.

SCHOLIA EIVSDEM.

Caſus aliquando artem ſuperat.

CAſu profectò non pauca quandoque, quàm conſilium efficere potuiſſet, eueniunt meliora, perfectioraque. Sic, vt *Plutarchus* author eſt, pictor ille, cum *equi ſpumantia labra* arte & penicillo imitari haud poſſet, ſpongiâ varijs imbutâ coloribus in *equi os* coniectâ, fortuitò expreſſit, quod ingenium ſubminiſtrare nequibat. In *Corinthiaco* pulcherrimo *ære* efficiundo, ſimiliter caſus luſit.

Mi-

Mihi hìc idem contingere animaduerto, appoſitiſſimè enim *Scarabæus* vltimum operis mei animal exiſtens, *Draconem* ſubſequitur, cuius tractationem ſatis longam, extra limites etiam meos, & animalia Mexicana inſtitueram. Siquidem tam conformiter *Draco* atque *Scarabæus* inter ſe congruunt, ita à concordantibus veteribus pro vno eodemq. falſo numine culti fuerunt, vt ambos hos dixeris, non diſcrepantia eſſe animalia, ſed gemellos prorſus ab eadem matre progenitos fratres. Voluerunt enim ethnici illi, ſcientiâ veri Dei orbati, *Solem* tàm à *Scarabæo*, quàm *Dracone* ſignificari, horum imaginibus eundem repreſentari & honorari. *Macrobius Saturnal.* lib. 1. cap. 19. *In Mercurio ſolem coli*, inquit, *etiam ex caduceo claret, quod Ægyptij in ſpecie Draconum maris & fœminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum*. Et quoniam *cælum*, *Sol* & *Luna* ad generationem maximè faciunt, ad quam ſummopere *Amor* requiritur, hinc oſculum in duobus Draconibus caduceum amplexantibus additum fuit. *Neceſſitas* quoque horum *Draconum nodo* ſubindicatur.

Caſu accidit vt Draconem Scarabæus ſequatur, ſed bene ſatis.

Draco & Scarabæus pro eodem falſo Deo olim colebantur.

Draco pro Sole colebatur.

Pinnæ adiectæ ſunt, quæ principis huius ſideris velocitatem demonſtrant: *Ad huiuſcemodi*, ait idem *Macrob. argumenta Draconum præcipuè volumen lectum eſt, propter iter vtriuſque ſideris flexuoſum. Atque hinc eſt, quod ſimulacris Æſculapij & ſalutis Draco ſubiungitur: quod hi ad Solis naturam Lunæq. referuntur. Et eſt Æſculapius vis ſalutis de ſubſtantia Solis, ſubueniens animis, corporibusq. mortalium. Salus autem naturæ Lunaris effectus eſt: quo animantium corpora iuuantur, à ſalutifero firmata temperamento.*

De *Scarabæo* ſimiliter non deſunt teſtimonia, nam *Plinius* lib. 30. cap. 11. *Propter Scarabæum*, inquit, *qui pilulas voluit, Ægypti magna pars Scarabæos inter numina colit, curiosà Apionis interpretatione, qua colligat, Solis operum ſimilitudinem huic animali ineſſe ad excuſandos gentis ſuæ ritus. Diogenes Laërtius* præterea in proœmio ſuo, hanc de Dijs & iuſtitia philoſophiam *Ægyptiorum* fuiſſe ſcribit, *vt materiam dicerent principium ex qua quatuor eſſent diſcreta poſtmodum elementa, tum animalia quædam effecta, Deos eſſe Solem & Lunam, quorum hæc Iſis, ille Oſiris appellaretur, & Scarabæi Draconis, aliorumq. animalium nomine obſcurè ſignificarentur.*

Scarabæum pro Sole ſimiliter Ægyptij venerabãtur.

Cur autem pro *Sole Scarabæum* coluerint, docet nos *Plutarchus* opuſculo ſuo de *Iſide & Oſiride*. *Iam aſpidem*, inquit, *muſtelam, & Scarabæum colunt, in quibus imagines quaſdam obſcuras ſibi, ſicut in radijs Solis Deorum potentiæ conſiderant. Siquidem Scarabæorum genus fœminâ carere aiunt: Mares omnes emittere ſemen in materiam, quæ fingitur in globum eamq. voluunt aduerſo gradu propellentes, vt videtur cælum Sol, dum ipſe ab Occidente in Orientem conuertitur, in contrarium contorquere.*

Huius ratio à Plutarcho affertur.

Accedit huc, neſcio quæ alia congruentiæ ratio, vltimorum horum animantium quæ agmen claudunt, cũ primo à quo librum meum auſpicatus fui, cum *Cane*, inquam, qui & ipſe ab *Ægyptijs* olim adorabatur.

Primũ huius libri animal, canis nempe habet etiam quid ſimile cum vltimo Scarabæo nimirum.

Dracone demum ex eodem *Macrobij* lib. cap. 9. *Ianum* quoque adumbrabant, ſiue per hunc *Solem* demonſtrare vellent veteres, & ideo geminum pingebant, quaſi vtriuſque ianuæ cæleſtis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat: ſiue *Mundum* potius innuere cuperent. *Ianumq. ab eundo dictum* (verba ſunt *Macrobij*) *quòd Mundus ſemper eat, dum in orbem voluitur: & ex ſe initium faciens, in ſe refertur. Vnde Cornificius Ethym. lib. 3. Cicero*, inquit, *non Ianum, ſed Eanum*

Draco non pro Sole tantùm, ſed pro mundo etiam ſumebatur.

nominat, ab eundo. Hinc & Phœnices in ſacris imaginem eius exprimentes, Draconem finxerunt in orbem redactum, caudamq. ſuam deuorantem, vt appareat, mundum & ex ſeipſo ali, & in ſe reuolui.

Draco & Scarabæus huius operis noſtri finem figurant.

Draconis itaque tam peripherica figura, quàm *Scarabæi* globus, in quibus neque principiũ, neque finis cernitur, completũ noſtrum opus denunciabunt. Aut ſi terminus vltimus, atque initium in his appareat, finem nobis à principio feliciter huc lapſum denotabunt, & coronidem diu nobis optatam, diutiſsimè ab alijs expectatam, libro huic noſtro laborioſo ſaltem & curioſo, ſi non docto & ingenioſo, fauſtis ſub *auſpicijs Barberinis*, impoſitam tandem fuiſſe conteſtabuntur.

Recenſentur abſurdi antiquorũ Dij

Si quis præterea nouiſſe exoptet, quantà animorum inſipientià, & quàm abſurdas res antiquitas coluerit, is calcem adeat librorum omnigenà eruditione refertiſsimorum *Alexandri ab Alexandro*, reperiet ibi, mirabitur & deteſtabitur, inauditas ſuperſtitiones & nefanda gentilium ſacrificia, quibus res abſurdiſsimas honorabant & pro Dijs venerabantur. Non inquam *Dracones* ſolos & *Scarabæos*, ſed *teſtudines* quoque, *hircos, lupos, boues, vaccas, cercopithecos, crocodilos, ibides, feles*. Atque vt de *cælo*, *aſtris* & *elementis* nihil dicam, res abiectiſsimas alias, & inanimatas, eodem numero, & cultu habuerunt, vt *haſtas*, ſeu *ligna* corticibus ſuis delibrata (vnde *Romani* antiquiſsimi ſingulis Deorum ſimulacris haſtas dabant) *arbores, enſes, ventos, montes, colles marinos* & *mæandros*, vilia horũ torum *olera* inſuper, vt ſuperius diximus.

Verùm antilogio hoc miſſo, audiamus ſi libet, quæ *Fr. Gregorius de Boliuar* noſter, de *Scarabæo Mexicano* mihi ſcripta reliquit, hæc autem ex *Hiſpanico* idiomate tranſlata ita Latinè ſonant:

Fr. Greg. de Boliuar hanc Scarabæi noui orbis deſcriptionẽ authori dedit.

Scarabæus linguâ *Peruanâ Acatanac* vocatur, in vna ex duabus ſpeciebus *cornua* in ſuperiore capitis parte erumpit, retròq. æqualiter vertitur, cuius acumen ad humeros fertur. Habet *ſex pedes* cum multis vnguibus in quolibet pedes fortibus, & incuruis. *Alæ* ſunt quatuor, ſubtilis atque tranſparentis telæ ſiue ſubſtantiæ, quarum duas bene inuolutas, & vndequaque cuſtoditas inferiore & intimiore ſede tenet, reliquæ duæ pro tegumentis, ac munimentis eiſdem inſeruiunt, duræ hæ admodum ſunt & nigræ. *Caput* proportionem totius non ſeruat, hoc enim æquè magnum eſt, atque medietas vniuerſi corporis, totumq. coopertum eſt, eodem duro cortice ſeu corio, ſiue cruſtam appellari malis. Quando *volat*, maiorem ſtrepitum ac murmur edit, quàm rota alicuius currus, non vnguine perlita. *Damnoſum* & faſtidioſum eſt *animal*, quandoquidem eò volatum præcipuè dirigit, vbi lumen accenſum videt, huic vbi appropinquat, vel extinguit, vel in terram illud deijcit, atque ita, quouſque non interfectum, aut expulſum fuerit, haud ſine timore perferri poteſt.

Prima ſpecies vnicornis.

Alæ quatuor.

Caput magnum.

Strepitus in volatu.

Secunda ſpecies bicornis.

Secunda ſpecies eiuſdem naturæ & magnitudinis cum priore eſt, niſi quòd *duo* habeat *cornua* antrorsũ porrecta, & cuſpidibus ſiue extremitatibus ſuis ſibi oppoſita. Cruſtam adeptum eſt, ſiue tegumenta ſua veluti *encauſto* quodam teſſellata, adeoq. venuſta ſunt nonnulla, vt cum quouis viridi certare *ſmaragdo* valeant. Obtinet præterea *cingulum* iuſtæ æqualitatis, circa alarum iuncturas, luteoli coloris. Qui naturaliũ rerũ indagandis proprietatibus ſtudent, magnos

Cruſtã habet coloris pulcherrimi.

in his

in his *Scarabæis* abusus committunt, quandoquidem, vt horum in volando strepitum ac rumorem perceperunt, statim aliquam nouitatem prædicunt, & subitò, atque alicui eorum aliquis vicinior factus fuerit, aut in ipsum volitando impetũ fecerit, bona vel mala eidem noua denunciant. Quin his vtuntur quoque pro fascinationis quodam generein conciliando fœminarũ amore viris, & virorum fœminis. Neq; vllus *Scarabæus* ad magnitudinẽ illã quod ipse viderim accedit, quæ in iconibus hisce cõparet, verùm sunt tertiã etiam parte minores.

Ad superstitiones & fascinationes Americanis seruit.

Hæc amici mei *Fr. Gregorij* exquisita & veridica est *Scarabæorum* descriptio, quam vltimam huic operi meo annecto, reliqua ab ipso mihi communicata, varia & iucunda, tomo secundo inserenda reseruo. Ex allatis tamen ipsius verbis hoc mecum quiuis facilè deprehendet, non *Mexicanos* sed *Peruanos* ipsum solummodo *Scarabæos* descripsisse, nam hi, quos icones nostræ exhibent, neque colore, neque magnitudine, cum iam dictis conueniunt, tantùm enim abest, vt *Mexicani* tertia parte, nostris in tabula & charta hac expressis, sint minores, vt ego meis oculis, hìc *Romæ* in *Aracœli* monasterio ita dicto, his ipsis duplo grãdiorem *Mexicanum Scarabæum*, verum & non depictum, anno proximè elapso *Iubileo* 1625. viderim, manibusq. tractauerim, quem ex *Franciscanorum* familia *Frater* quidam *Hispanus* ex *Mexicano orbe* secum tulerat. Vidit eundem mecum iem *Boliuar* noster, vnicornem, & apprimè iconem primam nostram, si ipsi ad magnitudinem aliquid addas, referentem.

Hucusque Fr. Gregorius.

Peruani nõ Mexicani sunt hi iã Scarabæi descripti.

Promiseram hoc loci vberiorem de cornibus physiologiam instituere, sed vrget me Typographus, alia atque alia subripiuntur negotijs tempora, quare hanc mihi beneuolus lector veniam dabit, si abrumpo, & fidem modò non soluo, cum interim, quo animum pascat, ipsi non desit, atque vtinam, ne meam sic etiam nimietatem accuset.

Author Romæ magnũ valde Mexicanũ Scarabæũ cõspexit.

Hoc tamen silentio haudquaquam est inuoluendum *Fr. Gregorium* nostrum, non totius generis *Scarabæorum* diuisionem, sub hac bimembri sua partitione nobis dare voluisse, sed illam solummodo *speciem* quæ *cornigera* est, quã vel vno, vel duobus saltem, non tribus verò præditam corniculis censuit. Ab hoc *Aldrouandus* lib. 4. de *Insect.* non dissentit, quamuis alicui primà fronte contrarium videatur. Huius diligentissimi scriptoris, in hoc maximè animalculo verba necesse est, vt hìc producam: *Suprema Scarabęorum genera duo facimus*, ait, *ob partium varietatem: alia enim cornuta: alia absque cornibus: quę verò cornuta sunt, aut vnicum habent cornu: aut duo, aut tria, quę rarò videntur: rursus quę vnicum, μονόκερωτ nuncupantur, apud Ægyptios nobiles: quæ duo, aut sunt Lucani siue Tauri, quorum nimirum cornua sunt dentata, ac forficum modo clauduntur, & coniunguntur, cum apprehendere quid volunt: aut Carabi, quorum cornua nodosa sunt, ad prętendendum iter facta: Tria, quę habeant in capite nulla*, (optimè ergo Fr. *Gregorius* hæc non posuit) *nisi impropriè habere dixerimus. Reliqua quę sunt sine cornibus, differunt inter se multifariam.* Poterunt igitur præcipuæ *Scarabæorum* differentiæ apud eundem *Aldrouandum* videri. Nam si quis ex *Aristotelis* se putet scriptis has haurire posse, egregiè decipitur, *Aristoteles* enim, inquit idem *Aldrouandus*, *quod sciam, Scarabæorum genera nulla expressa constituit, sed inter ea insecta, quæ Coleoptera dicuntur, Cantharum, Milolonthen, Carabum, & Cantharidem, præcipua connumerat. Sed horum nullam quod sciàm,*

Quæ de cornibus hìc dici possent ad secundum tomũ reijciuntur.

Fr. Greg. de cornigeris saltem Scarabæis locutus est.

Aldrouãdi verba de Scarabæorum differentijs.

In Aristotelis scriptis nihil determinati de Scarabæis extat.

corpo-

Plinius Aristotele diligentior fuit, sed nec hic sine controuersijs legitur.

corporis notam suis, quæ extant, scriptis Philosophus exhibuit. Carabo autem (quem Gaza modò Taurum, modò Fullonem vertit ineptè) ait cornua prætendi, vt Papilioni. Plinius plura *Scarabæorum* genera, & distincta magis commemorat, sed nec hæc quidem controuersijs vacant. Ex quibus hoc, amice lector, discere vales, difficilem adire prouinciam illum, & arduum opus aggredi, qui ex veterum monimentis omnia in naturali philosophia expedita se dare, nobis promittit, Non enim plurimos solummodo hodie *Scarabæos* notissimos nobis, nescias quibus *Aristotelicis* vocare nominibus valeas, sed nec illa ipsa ab eodem posita nomina, quibus accommodes *Scarabæis* nostris, facilè reperias.

Ex hoc discitur in plurimis veteres mancos fuisse.

Cornigeri Scarabæi nobis tantùm describentur.

Relictis igitur excornibus illis, de cornigeris his nostris paucula hæc tandem dicamus, & finiamus. Quem nos *vnicornem* vocamus, *Græci Monocerotem* dicerent, & *Ferdinandus Imperatus* in *hist. sua nat. Rhinocerotem* libentiùs appellat à similitudine cornu, quod huius nominis quadrupes gestat; *Is modò si nasum Rhinocerotis habet.* Volatum huius non vidi, quem idem *Imperatus* adeò pigrum, tardumq. esse scribit, vt quasi vltrò in manum eius, qui eundem apprehendere velit, inuolet.

Vnicornis.

Bicornis.

Bicornem Mexicano nostro similem, nec *Imperatus* nec *Aldrouandus* depingũt, hoc est cornibus quodammodo glabris, & quæ nullis dentibus, ramisq. ex illis protuberantibus asperentur. Talem igitur calamo & picturâ, omnes proponũt authores, & nos sæpissimè vidimus, qualem ob *ceruinorum* cornuum similitudinẽ *Cardanus* lib. 7. cap. 28. *de variet. rer. Scarabelaphũ* non ineptè, siue *Scarabæum ceruum* nominat, *cornua* enim hic gestat pulcherrima, nitentia, ramosa, ceruinis similima, in hoc tamen longè ab illis discrepantia, quòd *Scarabæus* ea moueat, stringat, & arctè adeò, si quid ipsis medium interferatur, claudat, vt puerorum improuidorũ digitos profundo sauciatos vulnusculo sæpe conspexerim, atque prorsus idẽ præstant, quod *chelis* suis *cancri*. Quare *Iul. Cæs. Scaliger* exercit. 194. de his *corniculis* aduersus *Cardanum* pro subtilitate sua: *Tametsi*, inquit, *apud subtiliores, qualis tu es, chelę potius illæ, quàm cornua dici queant, harum enim vsus, vt cancris brachiorum.* At nescio, quare ideo cornua esse desinent, si moueantur, quod priuilegium alijs etiam veteres concessisse animantibus cornutis memini.

Scarabæi cerui describuntur.

Huiusmodi *Scarabæi, cerui volantes* à *Gallis, Germanis*, & *Italis* quoque non paucis nominantur. *Romæ* hi non sunt frequentes, multò frequentiores in patria mea, *Bambergæ* nimirum, *maiali* præsertim, vernali, ac iucundissimo tempore, qui in sylua quadam capiuntur, quæ Vrbi amœnissima præiacet, *pinastris, piceis*, ac *quercubus*, (ex quarum hi aridis lignis nasci creduntur) refertissima.

Bambergæ frequentissimi sunt huiusmodi Scarabæi cerui volãtes.

Hunc magnum & cornutum *Scarabæum* omnium minutissmè, perfectissimè & elegantissimè descriptum reperies in *Theriotropheo Silesiaco*, quo te remitto & tempori hìc ac chartæ parco.

Germanis vocantur Schroter, & quare. Caput abscisũ etiã cornua stringit.

Germani nostri hunc *Schröter* vocant, quo eodem nomine *baiuli* isti, homines robusti & lacertosi, ad quosuis Herculeos labores nati (*Romæ* dicuntur *Facchini*) à *Bambergensibus* appellantur. *Schroten* enim nihil aliud significat nobis *Germanis*, quàm comprimere, arctè stringere, & propellere aliquid, quod corniculis suis *Scarabæi* illi probè moliuntur. Et quod mireris, abscissum horum caput diu-

tiùs

tiùs viuit, & cornua etiam tunc conſtringit, quæ ſi quid ipſis interponas, fortiter comprehendunt.

Hoc præterea monuiſſe, non debeo prætermittere, inter vnicornem & bicornem, noſtrates *Scarabęos*, hoc eſſe diſcriminis, quod vnicornis caput ſtatim ventri adnectatur, in bicorni verò alia pars corporis inter caput & ventrem intercedat, quæ thoracis portionẽ conſtituere videtur, & quidẽ mobili ſuà iunctura ab vtroque diſtinctà. Picturã hanc meliùs *Aldrouandus*, quàm *Imperatus* exprimit, propterea bicornis longior eſt quàm vnicornis, hæc tamen differẽtia in Mexicanis non apparet. *Carabus* Ariſtotelis, quem *Imperatus Taurum* vocat, habet longa valde & nodoſa cornua, quæ *antennæ* rectiùs dicentur.

Diſcrimen inter vnicornem & bicornem noſtratem.

De medicinis ex hiſce deſumptis, certi nihil promittere valeo, vidi tamen quoſdam perpetuò aduerſus faſcinationes duo amuleti loco ſecum circumferre, *hydrargyron* inquam, ſiue *argentum viuum*, nuculæ *auellanæ* excauatæ incluſum, quod contagium peſtis ſimiliter auertere: & *Scarabæi* huius cornicula, quæ caſui ab alto etiam conferre, ſibi perſuadebant. Et hæc cornicula quidem infantibus quoque auro argentoq. concluſa, è collo non rarò ſuſpenduntur. Quidam aiunt ad eorum vrinam, quæ præter modum excernitur, cohibendam: alij ad timorem ipſis eripiendum: alij ab epilepticis inſultibus eiſdem præcauendũ. Refert enim *Imperatus Scarabæos* hos *Lombardię* familiares, *Italis* magno eſſe in pretio, & ad neruorum dolores, contractionesq, feliciter vſurpari, quod malũ tam *Neapolitani*, quàm *Romani*, *il Granchio*, *Germani den Grampf* appellant, & reuera, vt hæc remedia vana & nulla etiam omnia ſint, venuſtatis tamen gratiã, non aliter, atque *corallorum* ramuli, *cornicula* hæc pulchrè rubentia, vitri inſtar ſplendentia, denticulata, & ramis paruulis, quaſi arte dextrè elaborata, ornataq. *infantulos*, cũ reliquis delicijs ſuſpenſis decorare poſſunt, & delectare.

Quæ medicamẽtà ex Scarabæis ſumantur.

Inſeruiunt pro amuletis plerumque.

Ad neruorum dolores & contractiones præcipuè.

Infantibus cornicula propter elegãtiam appendi.

Plinius plerumque horum amuletorum pater & author eſt, vel ex propria ſua inuentione, vel ex *magorum* certè mendacijs, atque relatione. Sic lib. 30. cap. 15. *Vrina infantium cohibetur*, ait, *muribus elixis in cibo datis.* (Huius experimenti praxin ego aliquoties vidi) *Scarabęorum cornua grandia, denticulata, adalligata his, amuleti naturam obtinent*. Et eodem libro cap. 11. *Magos*, ait, *ad quartanam adalligare Scarabęum, cui ſunt cornicula reflexa, ſiniſtrà manu collectum*. Videmus igitur *Scarabæum* animal eſſe, quodammodo ad ſuperſtitiones, amuleta, faſcinationes, & artes magicas exercendas natum, tam in nouo orbe, quàm noſtro viſitatum. Verùm omnia hæc nos mendacijs & erroribus plena miſſa faciemus, & ſi quæ naturalia, quæ non deſunt, ex *Scarabæis* remedia vera comperiemus, ſtudioſo lectori tempore ſuo largiemur.

Plinius amuletorũ pater.

Scarabæus vbique ad amuleta adhibetur.

Hei quanta nobis hìc ſeſe diſſertandi meſſis offert, ex *Scarabæorum* ſatu, ac generatione ſuborta? Verùm hic campus tam latus eſt, materia ipſa, in tam nauci animalculo adeò fœcunda, vt nouus mihi non ſermo tantùm, ſed liber integer quoque ſubnaſceretur. Atqui ego iam feſſus labore ſum, lectores meos pariter tædio affectos ſubuereor, quare hæc omnia vel alijs, vel mihi ipſi, alio in loco diſputanda relinquo.

Plurima dici poſſent de Scarabæorũ naſcendi modo.

Hæc alio in loco explicabũtur

Apes hìc opto & ſpero, hoc eſt beneuolos lectores mihi fore auguror, qui innato animi candore, induſtriâ & benignitate ſuâ, *mel* ſaluberrimum à *veneno*, ſi quod

Promittit ſibi apes, hoc eſt benignos lectores.

si quod esset, quod DEVS auertat, separare possent, vellentq. Mihi quidem satis est, vni atque alteri (quicquid alij blaterent) viro bono, & docto placere, *nam*, vt *Seneca* dicebat, *si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo si omnes idem sentirent, par illis idemq. iudicium est; vir bonus enim*, ait *Menander*, *bonum nunquam odit*: Est miserorum, vt maleuolentes sint, atque inuideant bonis. *Qui inuident egent, illi, quibus inuidetur, rem habent*, dicebat *Plautus*. Quamuis fortasse mihi adhuc non tam bene sit, vt inuideatur, est tamen, quo me mordeat forsitan aliquis, quod acriore subinde, & ipse censurà, *veteres* notauerim, ego quidem *Senecæ* consilium non aspernor, quo ait: *Veteres excusandi sunt, si in quibusdam errant, nec omnia simul inuenerunt. Excusandi*, inquit, *non laudandi*, ne & nos simul cum posteris in errores eorum trahamur. Et verè quidam ex antiquis: *Mirum est*, ait, *quòd homines cum seipsos magis, quàm quemq. alium diligant, tamen suam de se existimationem minoris ducunt, quàm aliorum*. Sed facilis responsio: *Nos magis laudamus illa, quæ tunc fuerunt, quàm quæ nunc sunt, non quia si eligendi facultas esset, semper illa habere mallemus, sed quia vsitatum hoc humanæ mentis vitium est, cum intueatur illa, semper magis velle, quæ desunt*.

Inuidia inuidis nocet.

Excusatio sua quod veterũ scripta nõnun quam acutiùs peruideat.

Cur plerique veteres magis quam seipsos æstiment.

Quapropter mi tyro, & rerum naturalium studiose, reuerere quidem præceptores tuos antiquos, & benignum, atque ingenui plenum pudoris existima, fateri, per quos profeceris, non tamen in his imis subsellijs tibi sedendum semper, sed ad summa quoque enitendum, nilq. desperandum puta, etiamsi citra consistendum sit. *Non differendum est tyrocinium*, ait *Quintilianus*, *in senectutem, nam quotidie metus crescit, maiusq. fit semper, quod ausuri sumus, & dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere serum est*.

Adhortatio ad rerũ naturalium studiosum.

Enitẽdnm ad summa.

Nec deterrearis, si quis à multitudine te aberrantem, recto quidem, sed angusto tramite, cum paucis in rerum naturalium inquisitione, & in via veritatis constitutum, derideat. Idem olim *Senecę* in morali philosophia contigit: *Omnem operam dedi*, ait, *vt me multitudini educerem, & aliquà dote notabilem facerem, quid aliud, quàm telis me opposui, & maleuolentię?*

Non timẽdum à vulgo & multitudine.

Quid inde? Tibi contingat iste derisus, æquo animo ferenda sunt ineptorum conuitia, & ad veri indagationem vadenti, siue vetera rimeris, siue noua inquiras, contemnendus est ille contemptus, nec refert, si innouator voceris.

Vetera examinanda, noua non repudiandà.

Nam gaudere nouis rebus debere videmur,
Cùm veteres obsunt, aiebat *Lucretius*.

De me verò non habeo nunc aliud, quod subiungam, nisi hoc vnicum, quod in exordio huius operis quoque feci, denuo præstem, orem, inquam, atque exorem lectorem beneuolentissimum, vt si quem à me commissum fortè errorem comperiat, me candidè moneat, amicè corrigat, & humaniter ignoscat, atque animo suo prudenter perpendat, quàm periculi plenum mare, hoc biennij spatio sulcauerim, eiq. nauiculam meam sine velis & remis, & absque clauo ac gubernaculo committens, illam solà meà industrià rexerim, hoc est, animalia hæc sine vllis historijs, ac descriptionibus, quin imó, nominibus non rarò quoque suis destituta, meo tamen Marte describenda susceperim, dilucidauerim, ac proprijs incunabulis, quantùm per me fieri potuit, restituerim.

Authoris peroratio ad beneuolum lectorem.

Causæ cur ipsi sit ignoscendum, si humanæ sorti subiectus aliquando lapsus fuerit.

rim. *Res ardua est*, ait, *Plinius, vetustis nouitatem dare noui authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia.* Quæ si non præstiti, omnia præstare certè volui. Tu vale & diuturniorem mihi à DEO vitam precare, vt in tuæ quoque vitæ commodum, meos tibi labores aliquando, quod voueo, valeam largiri. Ex Musco meo ad *B. Virg. super Minerua*m, 16. Mart. anno *Redemptoris nostri*, 1628. ætatis verò meæ quinquagesimo tertio.

Gratiæ DEO, DEIPARÆQ. Virgini MARIAE.

LVCAE HOLSTENII HAMBVRGENSIS

ELEGIA.

In Naturalem *noui orbis* historiam Cl. V. *Ioannis Fabri Lyncei, Bambergensis* Medici *Romani*.

DVm FABER æternis complecteris omnia chartis.
MEXICA quæ clauso condidit ante sinu.
Cærula dum bifidi penetras & scrimina Mundi,
Ausus inaccessam primus inire viam:
Ignotumq. oculis lustrando Lynceus *Orbem,*
In lucem quæ nox presserat atra, trahis:
Nec conspecta prius cuiquam, nec nota animantum
Secula, das scriptis conspicienda tuis:
Atque Anazarbæum *studio*, Ciuemq. Stagiri
Doctrina nobis ingenioq. refers.
Dic, quibus extollat sese inclita gloria terris?
Quæ pateant laudi digna theatra tuæ?
Ille animo intrepido, cæpitq. ingentibus ausis
Clarius, Solis *iter nomine vtrumq. replet:*
Quo duce perrupti patuerunt claustra profundi,
Augustiq. orbis meta remota fuit:
Qui bene diuisi iunxit commercia Mundi,
Intactasq. noui retulis Orbis opes.
Materiamque noui sceleris mortalibus amplam
Subdidit, & vitijs larga alimenta nouis.
Sed qui cuncta animo quærens lustransq. remoti
Innocuas primus protulit Orbis opes:
Omniaq. exhibuit nullo spectanda labore,
Lumine vicino, sepositoq. metu:

Quæ

Quæ procul à noſtris oculis ſubduxerat æquor
Immenſum, & longæ mille pericla viæ:
Illi anguſta nimis gemini diſcrimina Mundi,
Nec ſatis ad laudes Orbis vterq. patet.

SI quis Naturæ *penetrauit mente receſſus,*
Scitq. quibus Mundus *voluitur ordinibus.*
Si quis contractum *parua ſub imagine* Mundum,
Diuum opus agnouit artificemque DEVM:
Si quis Democritus *varijs* animantia *formis*
Vidit, & internas diſſecuit latebras.
Si quis prima *animo ſpeculatus* ſemina *rerum,*
Pluribus ocultas comperit inde vias.
Si quis & abſtruſis quæ terra recondidit antris
Dona metallorum *callet, & arte polit.*
Si quis Apollineà *miracula præſtitit* arte,
Multa herbis, ſucci multa potentis ope.
Si quiſquam Aonidum *latices de fontibus hauſit,*
Queis condire animi Dia reperta *queat.*
Si quis Principibus charus, *ſi quem ordine* quinque
Summorum *fouit* Gratia *PONTIFICVM.*
Si quiſquam omnigenæ doctrinæ *copiâ abundat.*
Virtutumq. *omnes pectore claudit opes.*
Impauidus numen *teſtor*, menteſq. beatas,
Omnibus his tibi par nemo, priórue FABER.

V. Cl. *Ioanni Fabro Lynceo* honoris, & gratitudinis monumentum in Vrbe æterna ponebat *Ioan. Baptiſta VVinthierius Vindelicus*, Ciu. Rom. Ph. & Med. D. Illuſtriſs. & Excellentiſs. Principis Cæſij Medicus.

FA-

FABII COLVMNAE LYNCEI

IN NARDI ANTONII RECCHI

MONTECORVINATIS MEDICI REGII

RERVM MEDICARVM NOVAE HISPANIAE

Volumen.

ANNOTATIONES, ET ADDITIONES

FABII COLVMNAE
LYNCEI
IN NARDI ANTONII RECCHI
MONTECORVINATIS MEDICI REGII
RERVM MEDICARVM NOVAE HISPANIAE
Volumen.
ANNOTATIONES ET ADDITIONES

ΕΙΣ ΤΗΝ ΦΥΣΙΚΗΝ ΙΣΤΟΡΙΑΝ

ΦΑΒΙΟΥ ΤΟΥ ΚΟΛΟΥΜΝΙΑΔΟΥ,

ΑΥΓΚΕΙΟΥ ΕΝΔΟΞΩΤΑΤΟΥ.

ΜΟΥΝΟΝ Φοῖβον ἄνακτα τέκεν ποτὲ πότνια Λητὼ,
Ηματίῳ φαέος ταμίην· ἵν' ἐύτροχον αἴην
Διχθὰ διαζομένην καθαροῖς σελάεσσι φαείνῃ·
Οφρα τιτυσκόμενος διὰ πάντα φερέσβιον ὄμμα,
Αἴθερα τ' ἀτρύγετον, καὶ ἰχθυόεντα κέλευθα
Θάλψῃ ζωογόνοις ὁρμαῖς, καὶ βένθεα γαίης·
Καὶ Μουσάων μεδέων μέλψῃ φόρμιγγι λυγείῃ
Αντίλυρον ζαθέῳ μηέος χαρίεσσαν ἀοιδὴν.
Οφρα καὶ εἰρομένοισι θεοπροπίας ἀνελίξῃ,
Ηπια τ' ὀλομένων πορέῃ ἀλκτήρια νούσων·
Αμφότερον σοφὸς ἰητὴρ, καὶ μάντις ἀμύμων.
Αυτὰρ ἐπεὶ σὲ λόχευσε, φίλον κάρα, νήδυμον ἄστυ
Παρθενόπης, ὅρπηκα Κολουμνιάδων μεγαθύμων,
Μούσαις, καὶ αὐτῷ πεφιλημένον ἔξοχα Φοίβῳ,
Η ῥα τότ' ἀθρήσαντο βροτοὶ διδυμάονε φοίβω.
Τὸν γε μὲν ὀλύμποιο κατάσκοπον, ὄμμα τὲ κόσμου,
Καὶ ζωῆς πρύτανιν· τὸν δὲ χθονίοις μέγ' ὄνειαρ,
Καὶ γλυκερὸν σοφίης φάος. Οὕτως πάμπαν ἔοικας
Λητοΐδῃ, γενεὴν τ' ἐρικυδέα, καὶ φρένας αἰνῶς.
Ος καὶ μήκιστον πραπίδων σοὶ Πλοῦτον ἐνῆκε·
Ατρεκέως τ' ἐσορᾷν δῶκεν, καὶ πάντα νοῆσαι.
Οἷος γὰρ χαροποῖσι περιγλυνώμενος ὄσσοις
Οξέα πανδερκὴς ἀναθρεῖ λύγξ, ἔνθα καὶ ἔνθα
Αἴγλην παμφανόωσαν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀναπέμπων,
Αἰθομένοιο πυρὸς, καὶ ἀστέρος ἵκελον αὐγῇ·
Τοῖα σοι ὀξύτατον ποτιδέρκεται ὄμμα καρηνοῦ.
Τῷ δ' αὖ εἰσοράων νῶτον παμμήτορος αἴης,
Αγνῶτας τὲ φυτῶν δυνάμεις καὶ δύσκριτα φῦλα
Εγνως, καὶ διὰ νόσφιν ἐκρίναο εἶδος ἕκαστον.
Πῇ μὲν προτόπτης δείξας πάντεσσι κρυφαῖα,
Πῇ δὲ παλαιοτέρων εὑρήματα θεῖα πιφαύσκων·
Οσσα θ' ἑῆς πολύπειρος Αναζαρβεὺς σηίδεσσιν,
Οσσα τὲ ἠγαθέοισιν ἑῆς κατεβάλλετο βίβλοις
Ευκτιμένης Ερεσοῖο κλέος, μέγα κῦδος Αθηνῶν.
Τῶν μὴν καταδὺς μυχίου ἐς βένθεα πόντου
Πάντοσε παπταίνων, κυανώπιδος Αμφιτρίτης
Αργύφεόν τε μέλαθρον ὄπωπας, καὶ φιλερίθους
Νηρῆος κούρας ἁλιανθέα φάρεα χερσὶν
Σπερχομένας ῥέξειν, νεοτευχέα κόσμον ἀνάκτων.
Ενθα δὲ νεισσόμενος φέρες ἐς φάος ἠηίοιο,
Τηλοῦ ἀπ' εἰναλίων Τυρίων εὐδαίμονος ἀκτῆς,
Αἱμοβαφῶν πλῆθος κόγχων· μέγα θαῦμα ἰδέσθαι.
Σοί γε καὶ οὐρανίων καθαροῖο δι' ὠτὸς ἔγεντο
Κύκλων ἁρμονίη θηκτήριος· ἣν κελαδοῦσιν
Εὖ μάλα θρηϊκίης χέλυος φθόγγοισι συνωδὸν,
Αντυξ ἀστερόνωτος ἐπήορος, οἵ τε κατ' αὐτῆς,

Εγραψε γὰρ περὶ φυτῶν βιβλία διάφορα.

ὑπομνήματα εἰς τὴν Διοσκορίδην καὶ Θεόφραστον.

Περὶ πορφύρας.

Σαμβύκην, ἤτοι ὄργανον μουσικῆς παν αρμόνιον.

Μεσσηγύς

Μεσσηγύς τε βαρυγδούπου τροχοδινέος αἴης,
Επταπόροις γύροισιν ἀλήμονες ἀμπλνάονται.
Οὐχ οἷον δὲ κέκευθας ἐν οὔασι καὶ πραπίδεσσιν
Ωδὴν σειρήνων, τὰς ἵζανεν αἰθέριος Ζεὺς
Κύκλους εἰς ὑπάτους· σχεδόθεν δέ τοι ὄμμα πελάζων
Αὐτόθι θ' Ερμείαο λύρην εὔμολπον ἐσεῖδες.
Ηποτε ὠγυγίας φήγους Ροδοπήϊος Ορφεὺς
Υψικόμους τὲ δρύας, στυφελῶν τ' ἀποκόμματα πετρῶν
Ηγαγε, καὶ ποταμῶν φιλήκοα στῆσε ῥέεθρα·
Θῆρας τὲ στυγεροὺς θέλξεν, καὶ ἀμείλιχον ἅδην.
Ηνδε χαριζόμενος μούσαις ἐς ὁμήγυριν ἄστρων
Στήριξεν Κρονίδης, ὀλοὴν μετὰ μοῖραν ἀοιδοῦ.
Κείνης Σαμβύκην ἐναλίγκιον ἄμμιν ἐτεύξω,
Ουρανίης ἴνδαλμα λύρης, καὶ γνώμονα φθόγγων.

Υδραυλικά.

Τῷ δ' ἄρα καὶ ποταμῶν κρηνῶν τὲ δυσηχέα ῥοῖζον
Ρεύμασιν αὐτομάτοις ψίθυρον ῥύθμισας ἐς ἠχήν·
Ηδιον ἀδομένην, ἢ ὅπποτε ποιμένες αἰγῶν
Αμβολαδὴν ὕμνοις αἰνοῦσιν ἐρωτίδα νύμφην.

Υπομνήματα εἰς τὰ Ηρωνος πνευματικά.

Οἷα τὲ ἠϋραφεῖ ἀθρόως κατέδησεν ἐν ἀσκῷ
Αἴολος ἀντομένων ἀνέμων βαρυήκοον ἶνα,
Καὶ ξένιον δῶρον ταλασίφρονι δῶκεν Οδυσσεῖ·
Τοῖα δὲ σωληνῶν πολυειδέϊ μήχεϊ πῆξας
Πνοιὰς ἰλλομένας, καὶ στεινοπόροισι κεκεύθοις·
Ηδυμεκῶς τε ῥέειν, καὶ ἔργματ' ἄπιστα τεκέσσαι.

Τῶν ἐξωτικῶν ζώων καὶ φυτῶν ἱστορίαν.

Υστάτιον δ' ἐπιβὰς χρυσαυγέϊ ἅρματι Φοίβου
Αντιπόδων περινόστησας Ατλαντίδα γαίην·
Ην δεινὸν κοτέοντα Ποσειδάων' ἐνέπουσι
Αντιβίην διὰ ὕβριν ἐϋγλώχινι τριαίνῃ
Νόσφιν ἀφ' ἑσπερίων στυφεκιξέμεν, οἶδμ' ἀκέλευθον
Ασπέτου ὠκεανοῖο παρεμβάλλοντα μεταξύ.
Τοῦτο δ' ἀμειβόμενος, γαίης ἀντίχθονος οὖδας
Δέργματι λυγκείῳ διαθρήσαο· πάντα νοήσας,
Δαιδαλέων τὲ φυὰς βοτανῶν, δένδρων τὲ γένεθλα,
Ζῶα θ' ὅσα χθόνα δῖαν ὑπέρχεται· ἠδὲ μέταλλα,
Οσσα γε παμμήτειρα βαθεῖ κρύψασκ' ὑπὸ κόλπῳ·
Ενδόμυχον φύσεως πλοῦτον, καὶ ὄλβον ἄδηλον.
Τὸν δὴ σὺ κρυφίων μύστης, κεδνός θ' ὑποφήτης,
Πρόξενος ἀνθρώποις ἀριδήλως ἴδμεν ἔθηκας.
Χαῖρε Κολουμνιάδων βαθυδόξων κῦδος ἀγαυὸν,
Τηλαυγὲς σοφίης φάος· ὄμμασιν ἀπλανέεσσι
Λυγκός τ' ὀξύτερον, καὶ δεινωποῖο δράκοντος
Πάντα διοπτόμενος, τ' ἀφανῆ τὲ σαφέστατα φαίνων.
Χαῖρε μοὶ αὖθις, χαῖρε· σέθεν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται·
Αὐτὰρ ἀεὶ ζείδωρος ἄρουρα, καὶ οἶδμα θαλάσσης,
Αργυρέοι τὲ ῥοαὶ πηγῶν, ποταμῶν τὲ ῥέεθρα
Οὔνομα φθέγξονται γεραρὸν· καὶ ἄφθιτον εὖχος
Ωκείαις πτερύγεσσι λιγυπνείοντες ἀῆται
Ενθα καὶ ἔνθα οἴσουσι δι' ἠέρος ἤπιον ὕψος·
Χαῖρε, σὲ γὰρ σφετέρῳ ὁμόφοιτον ἐφ' ἅρματι Φοῖβος
Ημετέραν τὲ καὶ Αντιπόδων δνοφερὴν περὶ γαῖαν
Ευκλειής στεφάνῳ μετὰ πᾶσι τετιμένον ἄξει.

ΑΟΥΚΑΣ ὁ ΟΛΣΤΕΙΝΙΟΣ.

ILL.^mo ET EXCELL.^mo PRINCIPI

FEDERICO CAESIO LYNCEO

S. ANGELI, ET S. POLI PRINC. I.

MARCH. M. CAELII. II. &c.

BARON. ROM.

FABIVS COLVMNA LYNC. FEL.

ITERAE tuæ vix acceptæ excellentiſſime Princeps, meam inclinarunt adeò voluntatem, vt quod poſcebas protrahere nè dum potuiſſem per exiguum horę ſpatium. de iſto opere Mexicano iam luce donando quid ſentirem, dum rogares vna imperabas: poſtulationem enim tuam iuſſum in me validum ſemper habui; ergo autem vtpotè Platonis inſtitutionibus enutritus, quo pacto ipſe extulit amorem in ſuo conuiuio commendare ratus fui præſens opus, præſertim quod ſecum trahit tantum opus omnium virtute præditorum effectus. Laudabo igitur, & ab ijs quæ antecedunt: & ecce nobilitas, & quæ ſunt, & ecce magnitudo, & quæ ſequuntur, & ecce vtilitas, quæ ante iuerunt ſit ipſa natura, quæ vt omnium antiquiſſima cuncta præſtat nobilitate: quod ſi nobilitas definita fuerit ab Ariſtotele, vt ſit antiquæ diuitiæ; & quæ opes vetuſtiores ijs naturæ theſauris, quos aperit ſuperiori orbi ab inferiore ſublatos liber hic tua cura fabrefactus? continet ergo quid magnum, equidem ma-

magnum, noui orbis nimirum notios ſoli fœtus, & ante hac noſtræ tectos agnitionis, cætero qui ad medendum languoribus noſtris, quibus opplemur prętſtantiſſimos, & ad multorum explendam curioſitatem. Quapropter à magnitudine ad vtilitatem gradum fecimus; & ego ad ſinem factus proximior, dum putarem eſſe initio dicendi: reliquum eſt ergo, vt ſi ſtuduerim hiſce meis annotatiunculis reſpondere deſiderio excellentię tuę, & non fecerim ſatis, enixè rogem excellentiam tuam, vt poſt habita tenuitate ingenij mei, ac iudicij, arguas potius (modo ſit carpendum, quod ſummam meretur laudem) tanti opus magnitudinem, quę ſi peracutam aciem altiorem quoque iudicij formam poſcebat, vale *Excellentiſs. Princeps*, & meos, & *Academiæ* laudabiles conatus, quod facis promouere perge. Neapoli Kalend. Iunij 1628.

FA-

FABII COLVMNAE LYNCEI

In Rerum Medicarum Nouæ Hiſpaniæ NARDI ANTONII RECCHI MONTECORVINATIS MEDICI REGII VOLVMEN.

ANNOTATIONES ET ADDITIONES.

Libro primo. cap. 1. pag. 2. Ad lin. 7. Poſt verbum permiſſum.

LTERI ſanè Magno Pompeio: imò Maximo exiſtimando. Qui non modò ſuum auxit Imperium, ſed & ſubditas ſibi Indicas nationes, vt etiam Romanum Pontificem *agnoſcerent, &* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *parerent, effecit. Illudq. magis, non repertis Commentarijs, vt hominum omnium ſaluti conſuleret, confici* rerum medicarum volumina, *quæ illis regionibus experimento vtiles prædicarentur, demandauit, Quæ nunc in manus omnium Illuſtriſſ. & Excellentiſſ.* Federici Cæſij ſancti Angeli Principis & Montiſcœlij Marchionis, *omnium ſcientiarum genere ornatiſſimi,* Lynceorum *Inſtitutoris ac Principis liberalitate, magnificentiâ, ac ſedulitate perueniunt, Principis tanti Regis imitatoris: cuius etiam iuſſu hæc nos qualiacunque ſint, libenter notauimus, vt pro virili laudatiſſimam litterarum culturam promouentes, noſtro Principi obſequium præſtaremus.*

Quo opere Medicanoui Orbis volumina publici iuris facta.

In fine cap.

Laudandus profectò eſt Auctor noſter, qui non modò eruditè ac methodicè, ſed eleganter ac facilè noui Orbis medicamenta, non pauco labore concinnata, latinè deſcripta reliquit. Opus quidem ipſum Auctoris doctrinam, & plantarum cognitionem non vulgarem oſtendit, vt meritò huius operis deſcribendi munus, à tanto Rege ipſi demandatum fuerit.

Auctoris laudes.

Pag. 9. cap. 6. lin. 18.

Ab ipſo tamen Dioſcoride *in cap. de Tuſſilagine, & in Proëmio, florem ante foliorum eruptionem, vel cum ipſis foliis proferre dicitur, vt quotannis primo vere obſeruari poteſt, qui facilè in pappos euolans, & marceſcens, folia toto anno vidua relinquit.*

Pag. ead. lin. 31.

Supplendus eſt Auctor noſter hoc loco, foliorum differentias, quibus non modò Arbores, ſed Plantæ omnes facilius dignoſci poſſunt exponendo, ex noſtris in Dioſcoridē *Commentarijs excerptas.* Foliorum *ſumma* differentia *eſt, quod* alia *ſunt læuia, à Græcis* λεῖα *dicta:* Alia *hirſuta, lanoſa, quæ* δασέα: Alia *aſpera quæ* τραχέα. Alia *ſpinoſa vel aculeata, quæ* ἀκανθώδη: Alia *in totum ſpinoſa, vt ſpina ſit pro folio:* Alia *iuxta folium habent ſpinam, quæ* παραπεφυλαγμένα. Læuia *ſunt, vt Beta habet, Lapathū.* Lanoſa *vel* hirſuta, *vt Verbaſcum, Lychnis.* Aſpera *vt Buglоſſum, Echium.* Aculeata *vel* ſpinoſa, *vt Carduorum folia, Aquifolium. Alia* in totum ſpinoſa, *vt Myacantha, Scorpio. Alia* iuxta folium habent ſpinā, *vt Capparis, Malus medica: Alia* in ipſa ſpina folium gerunt, *vt Rhamnus vulgaris, Spina ſancta denominato.*

Differētiæ Foliorum. Varietas in ſpinis.

Differunt etiam, quod alia *ſunt* lata *&* rotunda, *quæ* πλατέα, *vt quæ Petaſites habet, Perſona*

In latitudine.

ſonata, ſiue Arction. Alia anguſta, *quæ* στενὰ, *Quinqueneruia, Scorzonera, Ariſarum angu-ſtifolium. Alia* tenuia admodum, *vt Capillar a, quæ* ψυχρώδη, *vt Piniſolia, Hæniculacea, & Graminis ſpecies folijs anguſtiſ. imis capillaceis, à doctiſs.* Gaſparo Bauhino *dicuntur ſpecies*

Et amplitudine. 37. 39. 46. *& aliæ in ſuo Prodromo Theatri Botanici. Alia* magna & ampla, *vt quæ Petaſites, Nymphæa,* & maxima, *vt Aegyptij Arifolia, & Muſæ. Alia* parua *vt Ariſtolochiæ, Viola martiæ, &* minima *vt Chamæſyces.* Ex anguſtis, magna *vt Quinqueneruiæ*: parua *vt Oleæ*: minima *vt Herniariæ. Differunt etiam, quia alia* longa, & plana, *vt quæ Iris, Gladiolus. Alia* longa, & canaliculata, *vt Porracea, & Arundinis. Alia intus caua, vt Cepa & Gethÿ. Alia* ſolida, *&* farcta, *vt Iuncifolia. Alia* arundinis modo nodis interſecta, *vt Graminis ſpecies aquatica, & arundinaceo folio* Lobelij, *quæ à* Gaſparo Bauhino *Gramen iunceum articulato folio dicitur in ſuo Prodromo Theatri Botanici. Differunt etiam, quod alia ſunt* carnoſa, & in latitudinem aut Orbem expanſa, *vt quæ Beta, Cotyledon, Cymbalaria noſtra, & Portu-*

Et pulpa. *laca, quæ* συχνώδη *dicuntur. Alia* in rotunditatem & longitudinem, *quæ pulpoſa &* σεσηυλα *dicuntur, vt quæ Vermicularia, Kali, & Iuncus Aquaticus.*

Ex magnis & prauis folijs, latis *vel* anguſtis, longis *aut* breuibus, *alia ſunt* circumſerrata in magnis, *vt in flore Solis, Vite, Acere.* In minoribus, *vt folio Caſtaneæ, Menthæ, Vrticæ.* In longis, *Ptarmicæ, Eufragiæ ſylueſtris* in breuibus. *Alia ſunt* leniter ſinuoſa *vt habet Chondrilla tuberoſa, Sonchus leporinus, Leucoion. Alia* leniter inciſa, *vt Quercus, Blattaria. Alia*

In magnitudine. profundè, *vt Eruca, & Rapacea. Alia* profundius ad neruum vſque, *vt Agrimonia, Fraxinus, Sorbus, Scabioſa ſylueſtris. Alia* in ſummo *tantum* folij *diuiduntur, quæ* ἀλεσχιδῆ dici poſſunt, *vt Plantaginis aquaticæ ſpecies bifida in ſummo à* Lobelio *depicta: Phyllitis laciniata, Ononis non ſpinoſa, Telephium à nobis propoſitum. Alia* in imo folij *tantum, vt Acetoſa, Sagittaria, Arum. Alia* ex medio folio *laciniam proferunt, vt Hyppogloſſum, & Braſſicæ ſpecies criſpa, quæ non modò folium, ſed & Thyrſum è medio folio profert.*

Ex profundè ad neruum vſque inſectis *rotundis ambitu ſunt, quæ Dracontium, Elleborus niger, & Cannabis habent.* Profundè tantum inciſis, *Platanus, Ricinus.* Ex longis profundè inciſis, *Cichoreacea. At profundius ad neruum vſque inſectis, alia* ſimplici *cohærente* petiolo, *vt quæ Agrimonia, Fraxinus, Ebulus, quæ pennata dicuntur, à Græcis* πεταφσωμένα *vt in Ebulo* Dioſcorides *dixit. Et etiam* μονόχα, *vt in Filice, qui vnicam pennam inſectione imitantur,*

Inciſione. *&* χιξόπτερα *dici poſſunt. At quia ſunt & alia folia non ſimplici petiolo, ſed* in ramos, & in alias alas diuiſa, *vt in Filice fœmina, Fœrulaceis, Apio, Cicuta, quæ* πολυχιδῆ *dicuntur, nos alio nomine diſtinguenda putauimus. Et quamuis* Theophraſtus *vir doctiſſimus, quæ* penna*ta ſunt, vt Sorbi folia, Fraxini, & Hippoſelini, in hiſtoria plantarum* μανόφυλλα *denominauerit, ad differentiam Apÿ hortenſis cuius folia* πικνόφυλλα *dixit: non tamen ita propriè nobis dictum hoc videtur, vt non exactiùs atque diſtinctiùs dici poſſint illa folia, quæ* raro folio *ſunt, & ab illo* μανόφυλλα *dicta, ad illas pertinere tantum plantas, quarum ramulis alternatim ſingula folia hærent. Et quæ* denſo *ſunt* folio, *&* πικνόφυλλα *dicta, ad illas referri debere plantas, quarum ramuli, ſiue nodi, aut genicula* pluribus *exornantur* folijs, *vt in Pino, Larice, Rubia, Oſyride, Equiſeto, & ſimilibus. Eòque magis, cum non propriè folia ſint illa, quæ plura in Hippoſelino & Apio conſpiciuntur, ſed verùs partes, & Lobi folij, illius ſcilicet, quod vnum habet initium ab radice vel ramulo, à quibus profertur. Idem enim* Theophraſtus *nos docuit, illud totum appellari folium, quod ſcilicet omne cum petiolo decidere ſolet, vt Iuglandis, Fraxini, Sorbi, Apÿ, Ferulæ, & ſimilium, non enim partes decidunt vetuſtate, ſed totum illud foliatum ab origine ramuli, vel radicis. Igitur partes illæ folij, lobi ſunt, & laciniæ, non propriè folia; quamuis in multis folia videantur diſtincta, ſicuti aliàs diximus in noſtro volumine cap. de Ceratia in prima parte, & cap. de Smirnio in ſecunda minus cognitarum Stirpium Romæ impreſſo.*

Folia *igitur quæ* non vnicà pennà, *vt Filix mas, ſed* pluribus *vt Filix fœmina, ſicuti* Dioſcorides *notauit, diuiduntur; vel alio modo* multiplici diuiſurà *fiſſa ſunt, vt ramoſum folium dicas: quæ latos habent lobos, laciniàs, ſiue partes quamplures,* πολυπλαγιοχιδῆ, *folia dici poſſunt, vt Apÿ, Cicutæ, Angelicæ, Sphondylij & ſimilium. Quæ verò* anguſtioribus lobis *diuiduntur,* πολυσενοχιδῆ *vel* πολυλεπτοχυδῆ, *vt Liguſtici, Thapſiæ, Rutæ. Alia verò quæ* longè tenuioribus lobulis & laciniis *diuiduntur in capillorum ferè effigiem,* πολυξυνοχιδῆ, *vt Feru-*

lacea,

lacea, Ammi, Milleſolium, & ſimilia: nam ſimpliciter ψυχόφυλλον *dici poteſt Pinus, Graminis ſpecies, Crocus, quarum folia ex vno principio, radice, vel geniculo multa exoriuntur: atque illa ſunt folia ſimul exorta, & non laciniæ, ſiue lobi, & ſciſſuræ foliorum, vt ſupra diximus de Rubiæ foliis, & ſimilibus, quarum plura folia ſimul ramis, vel trunco hærent quæ* πινόφυλλα *dici debent: & quæ in capillares lacinias diuiduntur* ψυχοειδῆ *appellanda diximus; non* ψυχόφυλλα, *quod ſimplici. & capillari folio conuenit, & ſine ſciſſura, vt de Gramine Peritiſs.* Gaſpari Bauhini *& ſimilibus retulimus.*

Diſtinctio foliorum numero.

Alia foliorum numero *diſtinguuntur: vt Vnifolium, Lingua ſerpentina, Moly luteum. Alia* bifolia, *vt Bifolium dictum.* Trifolium, *cuius plures ſpecies, Lyſimachia lutea.* Quadrifolia, *vt Herba paris, Cruciata, Rubia leuis.* Quinquefolium, *omnibus notum. Alia* Heptaphylla, *vt Heptaphyllon ſic dicta, Tormentilla, & lacinijs diuiſa Vitex & Lupinus.* Octophylla, *vt Mollugo, & Aſperula.* Nouenis lacinijs, *vt Elleboraſtrum &c.*

Germinatione.

Eſt & alia foliorum diuiſio *ex ipſa* germinatione *deſumpta, quod* alia *ſtatim è terrâ ſimul iacentia producuntur, vt quæ* ἐπιγαιόφυλλα *dicuntur, & quæ ab radice exeunt,* ἐιζόφυλλα: *quæ vel etiam* ſine pediculo *ſunt, vt in Lactuca, Tragopogono, & Bulbaceis: vel* cumlongo petiolo, *vt in Malua, Geranio, Cyclamino: vel* breui, *vt in Lychnide, Ocymoide, & ſimilibus.* Alia *non ex* radice, *ſed ex ſupite, & ramulis: & illa* vel ſine petiolo *hærent, vt Mentha, Hyſſopus &* καυλικὰ *&* ὑπαυλόφυλλα *dicuntur;* vel longo *inſident* petiolo, *vt Betonica, & Geranium.* Alia foliolũ pro petiolo habent, *quia illi inſident, & nodo hærent, vt longè differat à lacinia, & inſectione, quę ſine nodo diuiditur à petiolo ipſo, in his peculiare, vt ſunt Mali Aurantij ſiue Aurantij folia, quę geniculata dici poſſunt.* Alia *alio modo, & centris ipſis foliorum ſtipiti hærent, & ab illo perforantur, vt in Periclymeno obſeruatur, Perfoliata, Centaurio luteo à* Lobelio *depicto.*

Poſitu & ortu.

Differunt *etiam foliorum* poſitu, & ortu, *nam* alia *ordinatè caulem cingunt, vt quę bina hærere ſolent,* vel *alio numero, vt in Myrtho, Rubia, ſingulis geniculis.* Alia *inordinata, & ſingula hærent: quamuis nec iſta tàm inordinata dici poſſunt, vt non aliquo numero, quino, aut maiore, vel minore in circuitu ramuli ordinem aliquem obſeruent, vt in Vermicularia, Tithymalo, & ſimilibus.*

Colore.

Differunt etiam, quia alia *colore ſunt virente, vt maior pars foliorum, tàm herbarum, quàm Arborum,* alia *colore in luteum languentia,* alia *obſcurè virentia,* alia *ad cęruleum vergentia,* alia *candida, & incana,* alia *rubentia,* alia *mixta ex viridi, luteo, & rubente colore,* alia *maculoſa.* Hilari virore *videntur folia Graminis in Pratenſibus, folia Vitis, Lactucę, Senecionis, & ſimilium.* Obſcurè virentia, *folia Lauri, Aurantij & Ari.* Ad cęruleum vergentia, *ſunt folia Rutę. Cariophyllorum vulgarium, Vermicularię & Telephij.* Ad luteum languentia, *ſunt folia Ellebori albi, Nardi Celticę, & ſimilium.* Candicantia *folia habent Dictamum album, Creticum, Saluia, Marrubium album.* Incana *ſunt folia Stachidis Flandrorum dictę à Lobelio, Iaceæ mõtanę à* Gaſparo Bauhino *in ſuo Prodromo depictę, Polij marini, ſiue Gnaphalij luteo capite, Polij veri ſylueſtris.* Supernè virentia, & infernè candicantia *ſunt Oleę folia, Tuſſilaginis, & multarum.* Rubentia, *Lapathi ſpecies, Bliti, & Lactucę.* Mixto colore, & vario *Bliti ſpecies illa Symphonia dicta & Amaranthus tricolor.* Albis maculis variegata *aut inſignita, Cardui lactei folia Leucographidos, Cyclaminis, Lamij, & Vrticę mortuę, Pulmonarię, Echij, Borraginis ſylueſtris, & hortenſis in Apulia, Cerinthes recentiorum, & Ari maioris.* Nigricantibus maculis, *Ari montani minoris, Orchidis digitatæ, & bulboſę etiam, Perſicarię mitis, & Trifolij pratenſis ſpeciei.* Rubentibus maculis *aſperſa ſunt folia Ocymi fimbriati, Lactucæ agreſtis ſpinoſæ.* Neruulos habentia candicantes, *Iſatis, Lyſimachia virginea, & maior pars herbarum.* Rubentes neruulos, *Lapathi ſpecies & ſylueſtre Cichorium.* Spinoſis neruulis *inferna parte, Lactucæ agreſtis, Smilax aſpera, Rubus, & Roſa.*

Maculis.

Tempore.

Eſt & alia in tempore differentia, *nam* alia *quotannis prodeunt, & decidunt, vel marceſcunt,* alia *diuturniora ſunt, & perpetuò virere dicuntur, quamuis aliquando ſingula decidant, & alia proferantur, vt in Lauro, Aquifolio, Malo Aurantio, in herbis: Polio, Adiantho, Semperuimagno, quæ* ἀειφυλλα *dicuntur.*

Plãrę, quas animalium & partium illorum figuras repræſentẽt.

Differunt *etiam præter innumeram ferè foliorum effigiem* varià *eorum* magnitudine, ac diuiſurà, *quod* alia *varias exprimunt animalium effigies, eorumq. partes: alia aliarum rerum.* Animalium *quidem referunt, ſcilicet vt quæ,* Dioſcorides *ait, Delphini modo ſunt inciſa & oblonga,*

longa, ideo sic appellata planta, quia Delphinum *referunt.* Scolopendram *imitantur folia Asplenij, Scolopendriæ dictæ.* Linguam, *Aizoi maioris folia singula, & Cymbalariæ, Vmbilici Veneris secundæ speciei, teste* Dioscoride, *sicuti eadem cõpacta* oculum *referre dixit.* Linguam agninam, *Arnoglossum.* Linguam Bouis, *Bugloßum.* Linguam ceruinam, *Phyllitis.* Linguam equinam, *Hyppoglossum.* Pennas Auicularum, *Stratiotes, Millefolium.* Pennas, siue Auium alas, *Filix.* Struthij pennas *Struthium.* Pennas, quæ galeis imponuntur, *folia Musæ.* Auriculam Vrsi, *planta sic dicta à recentioribus, & à nobis pro Alismate proposita in Phytobasano.* Auriculam muris, *Myosotis, & Alsine.* Canos hominum, *Polium.* Capillos, *Fœniculum, Cuscuta, Epithymon, Muscus quernus dependens, & Aquatica Conferua.* Cordis figuram *Aristolochia, Smilax aspera.* Lichenis effigiẽ, *Lichen dicta, sicuti* Hepar, *Hepatica.* Lien, *Galiopsis, & Lamiũ. Pulmonaria à* pulmonis maculis, *sicut* ab effigie *muscus pulmonarius.* Vmbilicũ, *Cotyledon, sicuti* Cotylã, *siue* acetabulũ. Pedẽ Leonis, *Leontopodiũ.* Pedem Cerui *siue* Milui, *Coronopus: quæ &* Cornu Cerui *dicitur ab effigie.* Pedẽ Anseris, *Atriplex, & Eryngium marinum à* Porta *nostro.* Pedem Vrsinum, *Acanthus Pæderos.* Pedem Columbinum, *Geranium sic dictum.* Equorum vngulam, *Tussilago.* Pedem Asini, *Alliaria.* Serpentium maculas, *Dracunculus, Anchusa, Cerinthe, & Bugloßi species, quæ etiam extuberantes tumores repræsentant: item Arum, Pulmonaria, & Orchis palmata.* Dentem Leonis *sic dicta planta à recentioribus inter Cichoreacea.* Equinam caudam *Equisetum siue Hippuris.* Cristam gallinaceam, *Horminj species sic dicta, Centrum galli.* Vermes, *Semperuiuum ab effigie dictum, Vermicularia, Sedi secundi species.* Sagittam, *Sagittaria Aquatica, Scammonium, Oxalis.* Lanceam, *Ruscus.* Gladium *Xiphium, Xyris.* Galerum *Petasites, quæ &* Fungum *imitatur.* Cymbam *siue* Cochlear, *Cymbalaria nostra, & Cochlearia Bataua* Lobelij. Lunam in defectu, *Lunaria Botrytis, & Hemionitis.* Minus plenam, *quæ orbiculata sunt, Viola, Asarum.* Rotæ speciem, *Cirsij folia, & aliarum stratarum.* Ellychnium, *Lychnis.* Tomentum, *Gnaphalium.* Cutis poros; *Hypericon.* Labrum *siue* Alueolum, *Dipsacus: sicuti* peluiculas, *folia Tithymali in Vmbellis.* Cingulum *siue* Fasciam *Alga.*

Linguas. Pennas. Auriculas. Capillos. Cor. Lichen. Lienem. Pulmonẽ. Vmbilicũ. Pedes. Vngulas. Maculas. Dentes. Caudas. Cristas. Vermes. Sagittam. Lancem. Gladium. Galerum. Cymbam. Lunam. Rotam. Ellychniũ. Tomentũ. Cutim porosam. Labrum. Fasciam.

Harum rerum signa in foliis, pleraque ad plantarum vires *dignoscendas conducere videntur, vt ea quæ* ab effectu *nomina plantis indidere, sicuti Pulmonaria, Hepatica, Milzatella recentiorum, vel* ab imagine, *vt Vermicularia, Dracontium, vel* maculas repræsentant venenosorum, *vt Arum, Dracontium, Anchusa, Cerinthe, quibus venena propelluntur. At signa, vel rei inanimatæ similitudo, vt Cymbalaria, Muris auricula,* ad nomen *retinendum, &* plantæ notionem *prosunt. Multa possent cumulari, sed hæc sufficere nunc visa sunt.*

Signa ad vires nomen, & cognitionem plantarum conducũt.

Pag. 9. lin. 35.

Grauis est testis: nos autem auctoritas non cogit. Has mutationes non alio modo accipimus, nisi vt quandam congenerum degenerando similitudinem primà facie ostendant. Nec enim credimus herbas cultu, aut neglectu, loci mutatione in alias transire plantas, sicuti asseritur Lolium è Tritico, hoc enim non affirmat Theophrastus, *nasci verò solitum inter Triticum, & Hordeum, nulli est dubium. Transire Sisimbrium in Mentham ob alimenti inopiam, similiorem scilicet fieri: vel aliàs ob alimenti copiam adolescere, vt fruticare, & arborescere, quod per antonomasiam dicitur, non autem frutices, aut arbores fieri. Hoc experimento affirmare possumus ex Indicis plantis, semine, aut radice ad nos translatis; in quibus hucusque vix aliquis mutationem aliquam obseruasse similem, referre audebit. Degenerare in magis & minus adultam, foliorum incisuris, birsutie, læuitate, hilaritate & similibus, concedimus: non autem in aliam transire plantam vel speciem, omnibus notum putamus.*

Herbæ in alias plantas non transeunt.

Exemplo sunt Indicæ plantæ.

Pag. 10. cap. 7. lin. 21.

Radicum *adde* differentias, *quarum* alia, *quæ simplex est, à Græcis* εὐθύῤῥιζος *dicitur, & cum sit etiam vnica,* μία & μονόῤῥιζος. *Quæ aliquando est* parua *atque* tenuis, *& dicitur* μικρὰ & μικρόῤῥιζος. *Quæ* magna *est &* crassa, παχεῖα & μεγαλόῤῥιζος, *vt Bryoniæ radix. Sed quæ* simplex *est &* longa μακρὰ & μακρόῤῥιζος, *vt Rhaphani, Lapathi & Pastinacæ, quæ cum etiam sit* profunda βαθεῖα & βαθύῤῥιζος *dicitur. At quæ contrario modo* breuis *est &* tenuis, λεπτὴ *dicitur, &* βραχεῖα, *vt Holosteum, & Britannica. Quæ verò* longa *est &* non profunda, *quia obliquè per summam terram repit, vt Gramen,* ὑπωλὴς, & ὑπολαθόῤῥιζος *dicitur.* Ex longis *quæ* lignosa *est, vt Nerium, & Equisetum,* ξυλώδης. *Et quæ* neruosa, *vt Tragacan-*

Differentię radicum. Magnitudine. Multitudine. Soliditate.

gacantha, πυρρώδη ἰνώδη. *E contrario, quæ* mollis *est, vt Myrrhidis*, ἀπαλής. *Harum alia* corticosa, *vel* crassi corticis, *vt Panax, Mandragora, quæ* φλοιώδης, *&* παχύφλοιος *dicitur* ex longis. Ex rotundis *Crocus Colchicum, & Cyclamen. Quæ* molli pelliculâ sine cortice, *vt Ari, & Dracontij, atque Orchidum dicitur* ἄφλοιον. Carnosarum *vero quæ* σαρχώδη *dicitur, est* ex longis *Raphanus, & Brionia*. Ex crassis rotundis, & tuberosis, *Rapa Arum, Cyclaminus, & Bulbacea*. Ex rotundis, bulbos; bulbosis, & capitatis, *radix vnica, quæ* σφόγγυλη, *aut* σφογγυλόῤῥιζος *dicitur, vt Cotyledonis, Arisari, & Cyclaminis*. Ex capitatis, *quæ* κεφαλόῤῥιζος; ex bulbosis, *quæ* βολβώδη *dicitur, est Cæpa, Scilla, & Narcissus. Et harum alia est* squamosa, *quæ* λεπιδώδης, *vt Lilium*: *alia* multiplici tunicâ, *quæ* φλοιώδης, *vt Cæpa, Scilla*. *Aliæ* sub tunica lanam habet, *& dicitur Eriophorus bulbus*. Alia *scinditur, vt quæ* Fissilis *dicitur, & Ascalonia, à Græcis* χιτὴ *in oblongos pares bulbos eodem anno folioſos*. Alia sciſſilis *est, sed non nisi post annum diuisibilis, vt Allium, quod non rotundos bulbos distinctos, sed trigonas sectiones, & simul coniunctas profert, vt vnicus bulbus, non plures videantur; nisi post annum terræ commissæ, nucleatim diuisæ extuberent, & folia proferant: solo Allio proprium*: *cuius partes sciſſiles* Theophrastus *proprio nomine* γέλγας *appellauit, & naturalem illam vegetationem cum diuisione sobolum*, γῆγιδᾶται *dixit*: *quod verbum nisi à diuaricatione sit deductum, ignorare fatemur, & comprobat idem* Theophrastus; *cum ait* διαῤῥῆται πάλιν ἀὶς τὰς γέλγας. Dioscorides *verò Allij diuisiones illas, quas nucleos latini, &* Plinius *non nimis propriè, cum nuclei sint ossiculi à carne fructus obducti, vt in Oliuis, & similibus per verbum* ῥᾶγας ἀγλίθας *expressit* ῥᾶγαι *quidem* sciſſuræ *sunt, &* ἀγλίθαι *Allij nomen est Dorienſium lingua*, ἀγλίδιον *dictum, quod verbum litteræ* λ, *si præponeretur* γ, ἀγλίδιον, *Allium vti Italicè appellatur, exprimeret*: *& sic describit soboles illas in vnum idem caput compositas in Allio*. *Quare à* Columella, *& alijs* spicæ *nomine soboles illæ trigonæ coniunctæ, sed diuisibiles sint denominatæ, nisi* spicæ *verbum ab effigie teli, spiculi dicti, sit deductum, nec propriè ita dici videbuntur*: *spicæ quidem non sub terram, nec in radicibus, sed in summo plantarum, & aëre circumscriptæ obseruantur, semina ad perfectionem, & plantæ propagationem sic Naturâ proferentes*. *Magis quidem proprium vulgare Neapolitanum nomen, & ferè latinum*, Spicolo di Aglio *appellatum*. *At* στάχυς *nomen, græcum, quod Latinis est* spica *à nullo Auctore pro radice, aut radicis parte describitur, & frumentaceis tantùm conuenire docet* Theophrastus *de frumentacris loquens, Tritico, & hordeo, & congeneribus neque alijs herbis, quæ alio modo fructum ferunt, conuenire, quæ flores non lanugineos, sed folioſos edant, & siliquas aut iubam etiam*. *Minus verò impropriè* Dioscorides *Betonicæ fructu spicæ modo, & Satureiæ similem, quia in summo Plantæ, in longam seriem, spicæ modo, esset dispositum, quamuis à frumentacea spica differat. Quam igitur Analogiam poterit spica habere, quæ in summo plantæ producitur, cum radicum lobis? nullam inuenimus, nec ijs assentire possumus, qui Nardi Indici oblongas, folioſas illas germinationes, spicas appellant, quia longè differunt à spicis ipsius Nardi, quod satis ex ipso* Dioscoride *liquet, Nardi Indici genera, radices, comã spicas, & caulem enumerante, quæ omnia in eadem planta diuersa sunt adinuicem. Et* Plinius *lib.* 12. *c.* 12. *ait, foliũ habere paruũ, densum, cacumina in aristas spargi, & spicas & folia celebrari gemina dote Nardi, & in initio dixit*: De folio Nardi plura dicere par est, vt principali in vnguentis. *Ergo radix non erat in vsu, & diu controuertitur à posterioribus volentibus, vt pars illa ima plantæ sic densata, quam alij radicem dicunt, sit & appelletur* Spica Nardi, *cum nihil aliud sit, quàm ima plantæ villosa pars supra radicem, ex veterum germinum, & nouellorum foliorum gramineorum postremæ sobolis, sic densè coacta, in quorum medio, vt obseruauimus, & penes nos habemus, & quilibet etiam obseruare poterit*, caules *rotundos, iunceos, binos habebat, in quorum summo non erit dubitandum, quin spiceum quid proferatur, ex natura plantæ media inter Gramen, Iuncum, Spartum, & Algam*. Radices *habet exiguas, fibrosas, lignosas, nullius vsus, saporis expertes*. *Cur autem à posterioribus* Dioscoridis *&* Plinij *Nardostachis vel Nardi spica, sit dictum Nardum Indicum, si diuinare liceat nobis, illud in causa fuisse putamus, vt non, quia partes illæ imæ Nardi folioſæ, & coactæ sint spicæ vel similes, sed ad differentiam aliorum Nardorum, Celtici, scilicet, & Montanæ, quibus nullæ spicæ tribuuntur, cùm in vmbellam floreant, hoc Nardum Indicum spicam ferens, intelligatur, & accipiatur*. *Pars quidem illa Indici Nardi folioſa, simul coacta, potius pro coma accipi posset, quàm pro spica; cum Comæ nomen possit plantæ supra terram effusæ, illamque operienti, tribui*

Cortice.

Figura.

Sectione.

Quid in spicæ in radice.

Spicæ nomen.

Nardi quæ spicæ.

De Nardo plusçula.

Nardi distinctio.

tribui, vt de Peplo, & alijs ait Dioscorides, *qui Syriaco suo Nardo multã comã, verbo* πολύκομος, *& etiam Gangitidi tribuit, vt non sine causa diuinare voluerimus: cum planta hæc, vt in Gramineis, & Iunceis obseruatur, satis supra humum copiosis, densis germinibus se effundere possit. Sed ad* Bulborum differentias in radicibus *reuertamur.* Alia *paucas emittit ab imo*

Sobole. *latere soboles, vt omnes feræ Bulbosa, sic Narcissus, Hyacinthus, Tulipa & similes.* Alia *plurimas, vt ferè totus Bulbus in bulbillos dissoluatur, vt in Ornithogalo vulgari, & paucis obseruatur, & in Ampelopraso prolifero siue inter flores bulbifero, siue potius Allio: nam capite est rotundo, non oblongo Porri: imas sub bulbo capillares fibras, siue radicis pilos, in bulbulos omnes extuberantes Maio mense obseruauimus, præter ipsius bulbi extuberantias intra corti-*

Multiplicitate. *cem ipsum. Alia* duplex ἁπλῆ, ex longis *est Mandragora.* Ex bulbosis parum oblongis, *quæ* δημώδη *dicitur, Orchis, Nardus montana, & Anthora, quæ lateribus hærent. Alia est,* quæ aliam sub se gerit, & alteri insidet, *vt Gladiolus, & Crocus syluestris. Est quæ* triplex *etiam, vt Mandragora non rarò, vt traditur à* Dioscoride: ex bulbosis *est Triorchis dicta, & Nardus montana & Circæa non semel. Refertur etiam à* Dioscoride quadruplex, *vt Circæa,* quin-

Numerata. tuplex, & sextuplex *radix Alceæ, & Graminis Parnassi. Sed quia radicis huius multiplicitas à loco potius aptiore, quam à Natura producitur, cum varietate sub multiplici numero radicum relinquemus.* Multiplex *igitur* radix *est, quæ in plures æquales ferè radices diuiditur,* πολύριζος, *& πυκνόρριζος dicitur, vt est Elleborus, Aristolochia, Pistolochia dicta, & Clematis, Baccharis, Ranunculus, & similes* ex fibrosis *tenuibus.* Ex crassis, *Asphodelus, Ranunculus Pæonia fœmina, & similes. Radicum etiam alia est, & dicitur,* æqualis, ὁμαλὴς, *quæ etiam*

Aequalitate. *lata, & πλατεῖα* à Dioscoride, *vt Radix Tragacanthæ, Altheæ. Aliæ sunt* anomalæ, & inæquales, *vt fibrosæ radices.*

Colore. *Est &* alia coloris differentia in radicibus, *nam aliæ sunt* in totum candidæ, *vt Raphanus, Rapa, & similes. Aliæ* intus albæ, foris nigræ, *vt Cyclamen, Scorzonera, Tragopogon Apulus verior, & similes. Aliæ* foris ruffescentes, *vt Iris nostras, Colchicum, Nardus montana. Aliæ* foris nigræ, intus virescentes, *vt Smirnium, Polypodium. Aliæ* virescentes ex luteo, *vt Phalangium, Asphodelus luteus montanus. Aliæ* ruffæ *vt Xyris, Zinziber. Aliæ* flauicantes, *vt Rhabarbarum. Aliæ* luteo colore, *vt Chelidonium maius, Lapathum rotundifolium, Curcuma. Aliæ* intus rubræ, *vt Centaurium magnum, Anchusa, Pastinaca rubra, quæ etiam foris rubescit, & similes.*

Lacte. *Aliæ* lac fundunt dulce, *vt Scorzonera, Erinus, Tragopogon. Aliæ* amarum, *vt Lactuca syluestris, Cicborium, Papauer. Aliæ* acre, *vt Tithymali, Thapsia. Aliæ* croceum succum, *vt Chelidonium maius, Argemone, Aliæ* rubentem, *vt Centaurium maius, & Atractylis. Aliæ* vescæ *sunt,* & ori gratæ, *quæ* ἐδώδιμος *vt Rapa, Siser, Pastinaca: Aliæ,* amaræ, & ingustabiles, *vt Gentiana, Aristolochia, quæ* ἄβρωτος & κακώδης. *Aliæ* sapore acerbo, *vt Dryopteris;* austero *vt Polypodium:* subadstringente, *vt Filix mas:* adstringente, *vt Quinquefolium:* salso sapore, *vt Nerij radix.* Feruenti, *vt Pyrethri. Aliæ sunt* gummosæ, *vt Tragacanthæ, Chondrilla, Chamæleon albus. Aliæ* mucosæ, *vt Acanthus, Symphitum maius.*

Succo.

Facultate. *Aliæ* medicamentosæ, *quæ* φαρμακώδη, *vt Gentiana, Rha, Elleborus niges. Alia* morbifera, *quæ* νοσώδη: *Alia* mortifera *quæ* θανάσιμος. *Alia* inutilis, & superuacua, *quæ* ἄχρηστος, ἀχρεῖα, *vt Senecio & maior pars suffructicum.*

Odore. Differunt *etiam* odore, *nam alia est* Aromatica, *vt Iris, Asarum, Baccharis; alia* inodora, *vt Blitum. Alia* Rosæ odorem refert, *vt radix Rhodia. Alia* aromatica, sed cum grauitate odoris, *vt Valeriana, siue Phu. Alia* grauis odoris, *vt Polygonatum, Scammonium. Alia* terram olet, *vt Pycnocomon, Lunaria, & similes.*

Nodis. *Differunt etiam, quia alia est* geniculis distincta, *vt Arundo, Iris. Alia* articulis siue nodis distincta, *vt Gramen, Cyperus. Alia* denticulata, *vt Dentariæ. Alia* strumosa, *vt Scrophularia, Leontopetalon, & Cymbalaria, à nobis descripta.*

Imaginum signis. Hominis. *Aliæ alias* imagines referunt, *quas Phytognomici maximè perquirunt; vt quæ* hominis quodammodo figuram *imitari videtur, quæ* ἀνθρωπόμορφος *dicitur, vt Mandragoras. Cuius radicem tripedalem vidimus* Neapoli *apud quendam Chymicum distillatorem,* puellæ *imaginem æquantem, corpore in umbilico extuberante ac etiam in posterioribus, à quibus femorum, & tibiarum modo in acutum desinebat, supernè verò brachijs elatis crassis, in quibus flores emisit, Dryadum & Daphnidum iconem repræsentãtem. De qua aliàs in phytognomicis,* Deo *dante.*

Alia

Alia quæ Hominis *vel* Canis & Hirci teſtes *imitatur, & quę Orchis, Cynoſorchis, & Trag rchis dicitur, & ſimiles. Quæ cum erumpunt, etiam velut* Genitale *referunt germine, vel ipsa radice, vt Triorchis dicta. Alia* Manum *imitatur vt Orchis palmata. Alia* Digitos *tantum, vt Hermodactylus. Alia* Cordis *figuram, vt Nardus montana, Anthora. Alia* Pulmonem, *vt Radix caua. Alia* Roſtrum ſuillum, *vt Syſirynchium à nobis deſcriptum. Alia* Murem, *vt Napellus murinus, ſic dictus à radicis effigie. Sicuti* Scorpium, Cammarum, *vel* Squillam *imitatur Doronicũ dictũ, & Scorpio* Theophraſti *atque* Dioſcoridis *Pardalianche.* Inſectorũ, & Serpentiũ tabellatũ corpus *imitatur Iris, Gentiana, Acorus, Galanga, & ſimiles. Alia* Pedes Auium, *vt Radix Phu. Alia* Polyporũ acetabulos, *vt Polypodium. Alia* Malũ cotoneum, *vt Lotus Aegyptia. Alia* Malum, *vt Cyclamen, quod Malũ terreſtre vulgò dicitur. Alia* Oliuæ figuram, *vt Orchis, Ariſari radix, & Vmbilicus Veneris paruus. Alia* Tritici grana, *vt Chelidonium minus. Alia* Pyri fructum, *vt Apios. Alia* Glandes, *vt Aſphodelus. Alia* Clauam, *vt Nymphæa. Alia* Folliculum, ſiue Sacculum, *in quo includitur, vt Nardus montana, quæ Thylacitis dicitur. Alia* Muris caudam, & Trigonis marinæ, *vt Paſtinaca nigra, ſiue rubens. Alia* Rete, *vt Napellus reticulatà radice, & Gentiana cruciata. Alia* Dentes, *vt Dentaria, Alabaſtrites dicta. Alia* Calculos, *vt Saxifragiæ bulbilli. Alia* Scrotum, *vt Porri radix. Alia* Vterum *ſiue* Vmbilicum *vt Cyclamen, & Ariſtolochia rotunda.*

Teſtium & genitaliũ. Manus. Digitorũ. Cordis. Pulmonis. Roſtri. Muris. Scorpij. Inſectorũ. Pedum. Malorum. Oliuæ. Tritici. Pyri. Glandium. Clauæ. Folliculi. Retis. Dentium. Calculorũ Scroti. Vteri.

Pap. 11. Cap. eod. lin. 18.

Florum differentias *omiſit Auctor noſter, ſed quia ad plantarum differentias noſcendas non parum conducere videntur, hoc loco afferre voluimus. Florum alij* folijs tantum conſtant, *quos* Theophraſtus ἄνθη φυλλώδη *lib.* 1. *cap.* 21. *appellat, ſed quia verbum* φύλλα *pro frondibus plantarum propriè acceptum putamus, quæ etiam latinè folia dicuntur, nos floris foliola, ad differentiam foliorum, plantæ frondium ſcilicet,* πέταλα *dici magis propriè cenſuimus: ſic enim* Dioſcorides *Roſæ florum foliola denominauit in cap. de Vnguent. roſac. & etiam Iſopyri florum folia, ad differentiam frondium plantæ, quas verbo* φύλλα *diſtinxit. Sic etiam* Alcman Poëta *Chryſanthemi florum folia vmbonem coronantia denominauit his verbis,*

Χρύσεον ὄρμον ἔχον, ἑᾶδινὰν περὶ λοισι κάχλαν.

Aureum torquen habens, teneram * petalis Cachlam.

Florũ differentiæ.

* Siue *barbulis*.

illaq. vt de Bellide flore lib. 21. *cap.* 8. Plinius *ait,* Barbulas *latinè appellare poſſumus.* Grammatici Bracteam *ſiue* Lamellã *interpretantur. Vide quæ in noſtro Phytobaſano diximus cap.* 1. *de Iſopyro, & in* 1. *part. minus cognitar. ſtirp. de Soncho montano tetrapetalo cap.* 92. *Alij* piloſi *ſunt, &* lanuginei, *vt* Gaza *vertit verba illa* Theophraſti, τὰ δὲ χνοώδη *Flores ſcilicet* lanuginei, *vt flos Vitis, Mori, Ederæ.* Foliati *verò, vt Amygdali, Pruni, Pyri. Alij* foliati *ſunt* & ſimul lanuginei *vel* lanoſi, *vt qui bini ſunt, &* bicolores, *vt ſcilicet foris foliati ſint, & internè piloſi: vt alter alterum medium florem gerat, vt in Roſa obſeruatur, quæ intus pilorum congeriem luteorum habet* ἕτερον ἄνθοι ἐν τῷ ἄνθει ἔχει τὸ μέσον ὥσπερ τὸ ῥόδον, τὸ τοῦ κρίνου. *Sic etiam* Dioſcorides *de Roſæ flore in cap. de Roſa, medium illud floris piloſum* ἄνθος *appellauit, ſicuti* Theophraſtus *aliàs languinoſum, nec mirum, cùm verbo illo* ἄνθος, *flos, & efflorescentia quæuis lanoſa dicatur, ſic* ἅλὸς ἄνθος *flos Salis, Chalcanthum, Alumen ſciſſile, quod quaſi flos globoſi intelligitur &* βολίτιδος ἄνθος, *quod piloſum, ſiue* plumoſum Alumen *dicitur: eſt enim efflorescentia, ſicuti* Ammoniacum, *& Sulphur capillare, in ſpecubus igneum fumum eructantibus* Puteoli *obſeruatur. Sed adde quod omnes flores præter externa folia, & interna ſtamina, quæ cellularum, vel fructuum, vt plurimum numero ſunt, medium habent ſtylum, ſiue fructus apicem, quem* Theophraſtus *(vt* Gaza *vertit)* Colum *appellat, quo ſi flos careat, ſterilis eſt omnino, vt in quibuſdam obſeruatur floribus, qui non inſident eorum fructui, & nunquam illum pariunt, ſic in Malo medica* Theophraſtus *obſeruauit lib.* 1. *cap.* 22. *cuius florem ſi colo illo medio careat, decidere, & infructiferum eſſe aſſerit, quod experientiâ comprobatur. Alij* non habent medium ſtylum, *ſiue* apicem, *ſed* numeroſa *illa* tantùm ſtamina, *vt in his, quæ* multiplicem habent fructum *coaceruatum, veluti Anemones, Ranunculi, & quæ* capitata *ſunt, vt Papauer, Nymphæa, quorum fructus medius imminet, & ſine apice eſt deciduo; vel vt in* ſiliquoſis, *idem fructus & ſiliqua ſtylus eſt. Alij qui* multiflori, *& quorum flos inſidet numeroſo fructui ſiue ſemini, totidem habent apices, quot flores, & fructus, vt in Cichoreaceis, Carduis, Chryſanthemo, Anthemide, & ſimilibus. Sed & ſunt* flores, quorum ſtamina *non ſemina, ſed*

Colus floris pars.

floris diuiſuram *ſequantur, quæ ex ipſo originem trahant, vt in Tabaco ſiue Pycielt, Caryophyllis ſylueſtribus, Datura, Verbaſco, & ſimilibus, quorum fructui ſtylus imminet. Sunt & qui* longum habent medium ſtylum, *quia in imo occultum habent fructum. Alij habent* in ſummo magis craſſeſcentem, *vt flos Ari. Alij contrà* in acutum deſinentem, *vt Ariſari, Dracontij flos, qui etiam, quia multiplici fructu eſt interne, multis denſis floſculis ad imũ exornatur. Alij* ſtylum *habent* in ſummo bifidum, *vt Caryophyllorum genus, Gentiana, & ſimiles. Alij* trifidum, *vt Crocus ſylueſtris.* Trigonum, & capitatum, *Tulipa, Lilium.* Latum & cauum, *Crocus ſatiuus.* Quadrifidum & capitatum, *Lyſimachiæ ſiliquoſæ nouæ ſpecies ex Virginea, cuius ſiliqua ima in quatuor cellas diuiditur, & dehiſcit perfecta: & Cynogloſſarum genus, quamuis primo aſpectu vnicum; ſic* quinquefidum, *quamuis in initio acutum, Geraniorum roſtra & ſimilium. Ab initio* conſpicuà diuiſurà, *ſed* in ſe intortà, *Violæ marianæ, Trachelij, & congenerum: & regulariter iuxta fructus diuiſionem, illius apex capitatus diuidi ſolet, & debet.*

Eſt & Maluacearum genus, quod ſtylum *ſiue colum veriùs habet* in ſummo piloſum *ſui generis, & ferè comatum, nullis alijs in imo ſtaminibus, cuius ſummum ſe perficiente in tot diuiditur ſilamenta, quot futura ſunt ſemina, quod in Malua roſea ſimplici obſeruauimus. Similem habent, Cucurbita, Viola mariana, & congeneres. Sunt &* flores *qui* bini, & extra foliati, intus piloſi, *qui* tot apices *habent,* quot *ſunt* ſemina, *vt in Anemone, Ranunculo, & ſimilibus, quorum præter varium & omnimodum colorem, alij ſunt* vnicolores, *vt Chondrilla* cæruleo; *Alcea fruticoſior* purpureo; & luteo colore *in Ranunculis, quorum omnium exempla quiſque ſibi afferre poterit.*

Differentiæ in flore externo.

Differentias *nunc proſequamur* alias, *quæ florem externum diſtinguunt ab alijs. Alij* vno tantum folio conſtant, *& illo conuoluto, vt Dracontij, Ari, Ariſari:* Cucullato folio, *vel pilei modo* Dioſcoridi, *vt rotundæ Ariſtolochiæ.* Cauo, & oblongo, *vt Cerinthes, Solani ſomniferi, Digitalis, Symphyti maioris, Violæ marianæ, & Tracheliorum, Gentianellæ.* In imo magis anguſti, & in ſummo ampli, *vt Scammonij, & Conuoluuli.* In imo tubuloſi, *vt Rhamni, Iaſmini, Narciſſi, & ſimilium.* Orbiculati, *vt Lilium conuallium, Vnedo, Erica, Hyacinthus botryodes montanus cæruleus, Scrophularia montana. Alij* acinoſi effigie *quamuis diſtinctis folijs ſint compacti, vt Ellebori nigri noſtratis, & vulgaris à* Dioſcoride *ſub nomine* Σταφυλὴ, *ſcilicet figura acinoſa, nam & Acinus, & Racemus eodem nomine explicantur, & racematim acinoſi flores inſunt.* Aperti, & latiores abſque tubulo imo, *vt Soldanellæ, ſiue Braſſicæ marinæ* Dioſcoridis, *& Conuoluuli minoris, Helxine, Ciſſampelos Herbariorum.* Planiores, & expanſi, *vt Sambuci, & Verbaſci flores, qui integri decidere ſolent, & perforati.* Binis foliolis *rariores ſunt admodum, vt Cuminum ſiliquoſum* Matthioli, *pro legitimo Hypecoo à doctiſs.* Cluſio *propoſitum, Circæa Lutetiana* Lobelij, *Alſines facie noua planta, à nobis in Phytobaſano propoſita.* Ternis foliolis, *non minus rariores, vt Plantago aquatica, & Sagittaria paluſtris, Militaris Aizoides.* Quaternis folijs *frequentiſſimi, vt Braſſicarum, & Congenerum Leucoia, Papauera, & Clematis cærulea, Cruciata Pannonica* Lobelij, & Cluſij, *Sonchus purpureus, à nobis deſcriptus, Gentianella fimbriata, & purpurea à nobis propoſita in noſtro volumine minus cognitar. ſtirp.* Quaternis *Ruta, ſed quod mirum* quinis primus, & medius flos, *qui ſolus emicat inter alios poſteriores.* Quinis, *vt Maluacearum genus, Quinquefolium, Ranunculorum ſimplicium, Roſarum, & Caryophyllorum familiæ, Geraniorum genus, & maior pars florum.* Senis foliolis, *vt Liliorum, Ornithogali, Moly, Iridum, Xiridum, Tuliparum, & Cæpaceorum familiæ, Elleborum album, & ſimiles.* Septenis *non naturaliter, ſed ob defectum obſeruauimus.* Octonis *foliolis, Trifolium Hepaticum, ſiue Trinitas dicta.* Nouenis *foliolis, vt Caryophyllus Mexicanus tubuloſis floribus, ac etiam ſimplici flore à nobis deſcripti in minus cognitar. ſtirp. part. 2. & ſimiles. Alij* denis *folijs, vt Granadillæ Mexicana. Alij* pluribus foliolis *ſiue barbulis* vſque ad quinquagenas quinas, *quas* Plinius *Bellidi tribuit, quos nimis moleſtum eſſet, longumque referre: vt Chryſanthemi, Buphthalmi, Bellidis, Parthenij, Calendulæ, & ſimilium vmbone medio prædictarum. Alij* pleno *ſunt* flore, & *ita naturà* multiplicibus foliolis, *vt Hieracium, Chondrilla, Cichorium, Tragopogon, Scorzonera, & ſimiles. Alij* pleno *ſunt* flore naturà vel cultu, *qui etiam ſimplices inueniuntur, vt Roſa muſcata, Damaſcena, & aliæ: Pæonia, Anemone, Ranunculus, Papauer fimbriatum, & criſtatum, Primula veris, vt Caryophyllorum genus.*

Alij

Alij pleno sunt flore, ac multiplici, sed foliolis tenuibus, & admodum dissectis, *vt pilosi videantur, & capillares, vt Carduorum, Scolymi, Chamæleontis albi, Centaurij medij, & lacearum squamoso capitulo præditarum plantarum vt plurimùm. Alij* pilosi *sed* in globum *siue sphæram* compositi, *vt Globulariæ cæruleæ dictæ, Cuscutæ, Cumini sylvestris* Matthioli, *Spinæ albæ, Eryngij, Platani, & Acaciæ Aegyptiæ.*

Alij varias imagines imitantur, *& horum alij* pileati, *vt Aristolochiæ, Arisari latifolij, Napelli, & Aconiti. Alij* nutãtes *imitantur* Nolam, *vt Campanulæ dictæ à Recentioribus, Scammonium, & Conuoluuli. Sed ijdem* resupini, & erecti, Calathos, *&* Cyathos, *vt etiã Viola mariana, Tracheliorum varietates, & Viola Calathiana dicta inter Gentianellas, & Pneumonanthe. Alij* galericulati, *vt Saluia, Verbascum saluifoliũ dictum, Calamintha, Lamiũ, & Verticillatæ omnes plantæ. Alij* Comicos hiantes *representãt, vt Lonchitis prima* Dioscoridis. *Alij* Tubã, *vt Caryophyllus Mexicanus tubulosis floribus à nobis, vt supra, descriptus. Alij* Vesparum fauos, *vt Caryophyllus Mexicanus polyanthos, etiam à nobis descriptus. Sed orbiculatà effigie non planà, vt sicut illi* Poculum *imitentur, siue* Scyphum. *Alij sunt* caudati, *vt Violæ martiæ omnes, Pinguicula Recentiorum, & Delphinium, siue Consolida regalis vulgò dicta. Aquilegia siue Isopyrum, Osyris & Linaria, Nasturtium Indicum, Fumaria, Orchidum genus, Staphisagria. Alij* Columbam *effigie imitantur, vt Aquilegia, quæ vulgò Columbina dicitur, à Græcis* φασσίολον, *non* φασίολον. Auiculam *imitatur Viola purpurea martia, & Staphisagria.* Delphinum *conspicitur in Consolida regali strigosiore; ideo Delphinium putata, Osyride, & Noli me tangere.* Elephãtis caput *cũ auribus magnis dependentibus in Elephante Planta, à nobis proposita in 1. part. minus cognitar. stirp.* Papilioné *Leguminosarum flores, Genista, Anagyris, & similes ostendunt.* Os Leonis, *aut* Vituli *Antirrhinum.* Os Lupi *Lycopsis.* Alaudam *Fumaria bulbosa.* Pauonis penniculum *in capite, Vmbelliferæ omnes. Alij* Oculum *Vmbone imitantur, vt de Buphthalmo dicitur, Chamæmelo, & similibus.* Alij Stellam *vt Semperuiuum, Aster Atticus.* Alij Solem *vt Flos Solis dictus, Chrysanthemum & similes. Alij* Lunam in defectu *vt Tithymalorum flores lunati. Alij* Arcum fœderis *versicolorem conuexum, vt Irides geniculatæ, & bulbosæ. Sed effigies quamplurimæ aliæ eæq. variæ, veluti* Hominis maris, *&* fœminæ, Cercopitheci, Apis, Vespæ, Ranæ, Auiculæ, Galeri militaris, Culicis, Cimicis, Delphini, Lacertæ, atq; aliarum rerum *in Orchidum familia conspiciuntur, à* Cornelio Gemma, *& à nobis obseruatæ, præsertim* Hominis *vtriusque &* Cercopitheci, *quas in* nostra *minus cognitar. stirp. Ecphrasi videre poteris in 1. & 2. par. propositas & delineatas. Item alij* Cirros Polypi, *vt Vrticæ fœminæ. Alij* Vmbellam, *vt quæ Vmbelliferæ sunt. Alij* Laternam *vt Ari, Arisari* cũ Candela interna. *Alij* Vterum cum fœtu, *vt Ari ventriosa ima pars, fructum continens adhuc imperfectum. Alij* Columnã, Flagella, Clauos *eodem flore, vt Granadilla Mexicana, quæ Flos passionis dicitur. Alij* Flagella, *vt Amarãthi species spicatis paniculosis floribus, à* Lobelio *proposita. Alij* Flabellũ, *quo fœminæ vtuntur, effingũt Amaranthi scilicet species latis floribus, reticulatis* Lobelio, *veluti in Myrto, Myrtidanum. Alij* Corniculos *cùm primùm erumpunt, vt Rapuntium corniculatum, à nobis descriptum, & Trachelium minus petræum, à doctiss.* Ioanne Pona Veronense *in suæ* Baldi montis *descriptione, nostro Rapuntio congener. Ille florem hunc ampullæ distillatoriæ,* Ciconiæ *dictæ, vulgò* Storta *similem fecit, & rectè cùm primùm erumpunt, sed postea quia finduntur Coli nostratis,* Conocchia *vulgò dicta, effigiem representare videntur, vt in ipsa historia nos retulimus. Alij* Cordis figuram *floris foliis, vt Lychnis, Oxymoides. Alij* Auripigmenti colorem & splendorem *imitantur, & vim habent, vt Ranunculi lutei flores. Alij alias Imagines &c.*

Varias quoque effigies imitãtur vt. Nolæ. Cyathorũ. Tubæ. Fauorum. Poculi. Columbæ. Auiculæ. Delphini. Elephatis. Papilionis. Alaudæ. Oris. Oculi. Stellæ. Solis. Lunæ. Arcus. Hominis. Cercopitheci. Apis. Culicis. Lacertæ. Cirrorũ. Vmbellæ. Laternæ. Vteri. Columbæ. Flagellorum. Flabelli. Cornicu-lorum. Cordis. Auripigmenti.

Differunt *etiam, quia alij* proliferi, *vt Calendulæ, Scabiosæ,* Lobelij *&* Bauhini, *& Plantaginis* Caroli Clusij. *Alij* alijs insidentes *oriuntur, vt Primulæ Veris Anglicæ, Ranunculi species, & Tatulæ nigro purpureo flore. Alij* in spicam dispositi *florent, vt Agrimoniæ, Plantaginis, Mercurialis fœminæ, Oleæ, Hyacinthi aruensis, & Frumentacearum. Alij* in paniculam, *vt in graminum species &* Amaranthi. Alij singuli oriuntur *inter* folia, *vt in Cucurbita, Asaro. Alij* plures, *vt in Aquifolio, Chamædaphne. Alij* in summo tantum caulis *vt Tulipæ, Primulæ veris thyrsoidis, Cæpaceartũ. Alij* subtus folia, *vt in Peplide, Peplo, & Chamæsyce. Alij* ex medio folio, *vt Hippoglossi, Rusci, Lauri Alexandrinæ. Alij* auersà parte folij, *vt Phyllitidis, Asplenij, Filicis, & aliarum capillarium Plantarum.* Alia flore differẽtia.

Alij simul conferti & inordinatè, *vt Chrysocomæ, Sãbuci, Agerati. Alij* ordinatè, *vt Corym-*

bosi, Vmbelliferi, & Verticillati. Alij in curuam, & longam spicam, *vt Heliotropij maioris, Anchusarum, & congenerum. Alij* in rectam spicam, *vt Agrimoniæ, Plantaginis. Alij* verticillatim inter foliorum geniculos, *vt Clinopodij, Marrubij. Alij* in summo tantùm, *vt Menthæ, & Viticis. Alij* semper surrecti, *vt Chrysanthemi, Buphthalmi. Alij* deorsum spectantes, *vt Aquilegiæ, Loti, Hormini, & Leguminosarum plurium. Alij* singuli singulis ramis, *vt Chrysanthemi. Alij* plures, *vt in Galega, Vicia, & Leguminosis, quorum alij* in sūmo cōferti *sunt, vt in Meliloto coronata, Colutea, Coronilla. Alij* erecti, *vt Lupini, & Genistellæ infectoriæ.*

Alij fructui siliquoso insident, *vt in Lysimachia siliquosa, Chamænerio. Alij* fructui vasculo incluso, *vt in Hyoscyamo & similibus. Alij* nudo fructui, *vt Cucurbitæ, Cucumeraceorum, & Acanaceorum genus, &* quorum semina pappo euolant, *vt Carduorum, Chondrillæ, Hieracij Helenij, Parthenij, Chrysanthemi, &* quorū capita squamosa *sunt. Sed & sanguisorbę Pimpinellæ, Psyllij, Plantaginearum, Frumentaceorum, Spicatarum, & Vmbelliferarum. Et* ex Bulbaceis, *Colchici, Orchidum, Croci, Narcissi:* in Arboribus *Pomiferarum, Mespili, Mali Punici; Rosæ in* Fruticibus, *& similium. Alij* fructum continent, aut proferunt in vmbilico, *vt in Aurantio, Assyrio pomo.* Ex Herbis *Malua, Brassica, Ranunculo, Anemone, Geranio, Papauere, Thlaspide, Leguminosis.* Ex Bulbaceis, *in Ornithogalo, Tulipa, Asphodelo, Iridum specie, & Capaceis. Aliæ* Plantæ florem habent supernè, & fructum longè à flore pariunt, *vt Milium Indicum, Lachryma Iobi, Ambrosia, Xanthium, Ricinus, Sparganium, Heliotropium minus, & similes. Aliæ* è latere floris dependentem gerunt fructum, *vt Tithymalorum genus. Aliæ* fructum supra terra, & *etiam* sub terra proferre traduntur in radicibus, *vt Arachydna, quæ Amphicarpa dicitur. Aliæ* radices *siue bulbillos* cum ipsis floribus, & fructu, *vt Saxifragia bulbosa, Ampelopraſon carneo flore, siue Moly serpentinum* Lobelij.

Et pag. ead. lin. 34.

Fructuū differentia ex forma.

Fructuum *verò alij sunt* orbiculares, *vt Cerasus, Aurantium, Præcocia mala. Alij* oblongi pyriformes, *vt ipsa Pyra, Colocynthis, Aristolochia, Ficus, & Prunorum quædam species. Alij* ouales *vt Glans, Olea, Cornus, Limones. Alij* oblongi admodum, *vt Cucumis, Cucurbita anguina. Alij* oblongi, & luli modo, *vt Piper longum & Betre. Aly* Coni figurà, *vt Pinus, Abies, Lupulus, Cynara, quorum figura squamosa. Alij* rotundi, & squamosi, *vt Cupressus, & horum alij edules, alij minimè.*

Alij pulpà, osse, & semine *constant, vt Armeniaca malus, Pruna, Olea, Cerasus, quorum pulpa edulis est: alij non, vt Nucis Iuglandis. Alij* pulpà, & semine sine osse medio, *vt Mala, Pyra, Cucurbita, quorum semina cortice tantùm vestiuntur. Alij* echino cortice semina condunt, *vt Castanea, Fagus, Ricinus. Alij* echino tantùm, *vt Caucalis, & aliæ Vmbelliferæ, Echinophoræ à nobis descriptæ. Alij* osse, & cortice, *vt Auellana. Alij* semine tantùm in globum conferto *Echinum referunt, vt Butomum, Platanus, Spina alba. Aly* siliquis in globum densis, *vt Glycyrrhiza. Sed &* fructuum simplicium *alij* rotundi pyriformes, *aut* oblongi pulpa *sunt* edules, *quæ extima est, vt Mala, Pyra, Cucumis. Alij* inguttabiles, *vt Colocynthis, Cucumis sylvestris, & etiam Cucurbitæ species quædam amara* ex oblongis.

Ex racemosis edules *sunt Vuæ, Ribes, Cerasa, non edules Hederæ, Ligustri, Ari. Alij* amaro cortice *atque acri fructu intus pulpam habent insipidam, interius verò acidum succum, vt Limones, Poma Adami, Citria, & id genus. Alij* lignosum *habent* corticem, & osse continent semen, *vt Pinus. Alij* fungosum, *& squamosum etiam* corticem tantùm, *vt Cupressus. Alij* Cartilagineum, *vt Abies. Alij non squamoso, sed* læui, & vasculi modo fructu semina continent, *vt Papauer, Nigella, Lychnis* ex rotundis. *Alij* in Poculi ampli effigiem, & Vesparum faui cartilaginosi modo in cellulas excauati, *vt Fabæ Aegyptiæ veræ.* Ex longis *qui &* siliquosi in arboribus, *Cassia Cathartica, Siliqua vulgaris.* Ex Herbis *verò Leucoion, Papauer corniculatum, Leguminosa, Pisum, Lupinus, Anagyris. Item Siliquosi fructus. Alij sunt* læues, *vt Pisi, & similiū. Alij* nodosi *vt Rhaphani, Acaciæ, Orobi, Scorpioidis. Aly* simplici siliquà, *vt Genista. Alij* vētriosà, & rotūdà siliquà, *vt Pisi. Alij* depressà planà, *vt Securidacæ.* Alij multiplici, *vt Meliloti. Alij* lęui siliquà, *vt superiorū. Alij* asperà & multiplici, *vt Calēdulę, Glycyrrhizæ, Ranūculi echinati. Alij* sine cortice, *& in totū dura semina sunt, vt Piper, Cubebe* ex rotūdis. Ex longis *Caryophylli, & Piper caudatū. Reliqua nuda semina nō ita. Alij* paleaceo aceroso cortice semina continent, *vt Thapsia, Angelica, Panax asclepium, Lapathū, & Thalictrum* Cordi, *siue Ruta pratēsis. Alij* fungoso, *vt Hippomarathrū, & Cachrys. Alij* vtriculis semina cōdunt,

vt Ver-

vt Verticillatæ plantæ Vitex. Alij infra vtriculos fructum habent inclusum, *in quo semina*, *vt Hyoscyamus, Tabacum, Agrimonoides à nobis descriptum Trissago Apula, Elephas Campoclarensis, & similes. Alij* glumis, *vt frumentacea. Alij* folliculis, *vt Gentiana, Rheseda. Alij* calyce fructum, *vt Quercus, Ilex: Quorum calycum alij* lævues, *alij* asperi, *vt Cerris. Alij* vesicâ semina occludunt, *vt Staphylodendron, Pisum cordatum. Alij* sub vesicâ pulposo fructu semina continent, *vt Alkikengi, Solanum Somniferum, & Lethale. Alij* pulpâ tantùm, *vt Solanum hortense, Solanum manicum, Bella Donna, Bryonia. Alij* pulpam habent internam, & semen in superficie parum exertum, *vt Fraga. Alij* lato, & rotundo compresso fructu fungoso *semina continent, vt Paliurus Herbariorum. Alij* rotundo, & orbiculari, *vt Cupressus. Alij* alato, & expanso, *vt Acer. Item alij* singulares, & rotundi, *vt Malus punica, Solanum Manicum. Alij* duplices rotundi, & bini, *vt Mercurialis, Cynocrambe, Coriandri spurij, Galij, Rubiæ. Alij* duplices oblongi, *vt Seselis, Myrrhides. Alij* duplices, lati & compressi, *vt Thlaspeos, Leucoij Alyssoides à nobis descripti, Veronicæ. Alij* trifidi, *vt Iridis, Gladioli, Ricini, Heliotropij minoris, Capaceorum, & Bulbosarum, Cisti, Aconitorum & similium.* Quadrilateri, *vt Sinapi agrestis echinato semine à doctissimo* Gaspar Bauhino *pro Eruca Monspelienſi quadrangula siliqua proposita in Prodromo Theatri botanici. Tatulæ siue Daturæ, Euonymi, Cynogloſſæ, & Rutæ præter Medium.* Quinquepartiti stellati, *vt Semperuiui, Cotyledonis, Crassulæ, Nigellæ.* Sexanguli, *Corona Imperialis.* Decanguli, *Nigella Constantinopolitana, reflexis, & planis apicibus, quæ aliàs imperfectior* ex ramulis septenis, octonis, nouenis & denis *in perfectioribus, Semperuiuum rubrum Gnaphaloides à nobis descriptum. Alij* plurium, *vt Alceæ species, Abutilon dicta ab Herbarijs.*

Sunt & fructuũ differẽtiæ ab effigie varia, *quæ res alias imitari videntur. Alij similes* Caluariæ, *vt Antirrhinum.* Dentiũ congerié *Pineæ nucis fructus exprimit:* Molaris Dẽtis *Iconem Hyoscyami cytinus coronatus, qui etiam semina denticulata continet. Alij similes* Linguæ, *vt Isatis, Glastum. Alij* gutturis longam annulorum effigiem, *vt siliqua Cassiæ Catharticæ.* Disco, *vt Thlaspi, Tordylion, Leucoion lunatum.* Duplici Disco, *Alyssum, & Leucoium Alyssoides à nobis propositæ.* Bursæ, *Bursa Pastoris, & Polygala* Lobelij. Vesicæ *Staphylodendron, Colutea vesicaria, Pisum cordatum.* Testes hirsutos repræsentat, *Mercurialis mas.* Ollã cũ operculo, *Hyoscyamus.* Ampullã, *Valeriana, & Nardus montana. Vel potius* pilosam araneam siue Phalangium, aut Polypum. Vasculũ siue Alabastrũ, *Papauer, Nymphæa lutea.* Calathũ, *Caryophillus, & Lychnis.* Araneam *imitantur semina Atractylidis, Carduorum, & papposarum, ficuti, &* canos capillos *Senecio, ob id sic dicta.* Taurinum caput *Acetosa Neapolitana, & Tribulus.* Locustam bipedem *imitatur, Auenæ fructus.* Vituli narices *simile Antirrhini fructus.* Clauam asperam *Sinapi agreste, & Ranunculorum fructus.* Cristam, *Coronopus echinato semine, Nasturtij species nobis, perperam à* Matthiolo *pro Ambrosia propositus, & Hedysarum Clypeatum* Lobelij *siue Crista galli.* Galeam, *Cassida à nobis descripta.* Infundibulum *Moluca syriaca.* Pileum, *Scabiosa hispanica.* Barbam hircinam hispidam *Tragopogon Apulum, à nobis descriptũ.* Caput Viperæ & Auiculæ, *Echium, Borrago, Symphytum maius, Cerinthe, Anchusarum genera.* Caput Viperæ cum lingua exerta, *Cynogloſſa à nobis descripta.* Lucernarum modo caui sunt, & cum Ellychnio, *Cynogloſſa, Lychnoides à nobis descripta.* Pedẽ Anseris, *Borrago quædam Apula à nobis descripta.* Vmbilicum *Aparinæ fructus.* Alarum speciem, *Aceris fructus.* Cornu erecti *figuram imitatur Fœnum Græcum.* Cornu contorti, *vt Arietis, Cytisus nostras à* Maranta Venusino *propositus.* Astragali *siue Hedysari species à* Lobelio *depicta.* Soleam equinam, *Ferrum equinum à nobis descriptum Polycheraton.* Cochleam, *Medicæ variæ, Kali cochleato semine.* Polyporum cirros, *Clymenum, sed ipsum* Polypum *Nardi fructus, & Valeriane, vt diximus.* Caudam vulpinam, *Graminis species, eodem nomine, scilicet,* & caudam murinam, *Cauda muris ab effigie.* Caudam Equinam, *Equisetum.* Iubam effusam *scilicet comam, Milium, Bromos.* Pedes Auium, *Ornithopodium.* Linguæ serpentis *similes, lingua serpentina.* Pectini, *Pecten Veneris sic dicta.* Rostro grui no, *Geraniorum familia.* Spiculo anguloso, *Trifolium acetosum.* Gladio, *Securidacæ siliqua, nam illius semen ancipitis securis imaginem refert.* Angui *Cucumis anguinus.* Canino Peni *Siliquastrum siue Piper Indicum.* Testes *imitantur Mercurialis, Cynocrambe, Morsus Gallinæ à* Lobelio *depicta.* Tribulos æreos, *Tribulus terrestris & aquaticus, Stella Calcitrapæ.* Echinum marinum, *Chamæleo albus, Caryophyllata, Arction siue Bardana Personata.*

Fructuum differentiæ ab effigie. Caluariæ. Dentium. Linguæ. Gutturis annulati. Disci. Bursæ. Vesicæ. Testium. Ollæ. Ampullæ. Polypi. Vasculi. Calathi. Araneæ. Canorum capillorũ. Taurini capitis. Locustæ. Clauæ. Cristæ. Galeæ. Barbæ hircinæ. Capitis viperini. Lucernarũ. Vmbilici. Cornu. Soleæ equinæ. Caudæ. Linguæ serpentinæ. Rostri grui ni. Gladij. Anguis. Testium. Echini.

Verticilli. Verticillum *Paliurus vulgaris*. Nidum Auis, *Paſtinacæ ſylueſtris Vmbella*. Caudam ſcorpionis, *Scorpioides*. Vermes *Phyllitis*. Lunam *Senæ folliculi, & Lunaria Græca dicta*. Cordis figuram, *Citria mala, & quædam pruna*. Veſparum Fauos, *Faba Aegyptia*. Cornucopiam, *Valerianella Cornucopioides, à nobis deſcripta*. Verrucas, *Heliotropium minus & Eſula*. Lappas *Arction, Xanthium, Paſtinacæ ſpecies, Caucalis & aliæ Echinophoræ congeneres, Panicum*. Sphæræ in modum rotundi, *Sparganij, Platani, & Cupreſſi, & ſimili modo echinati, Stramonij*.

Caudę ſcorpij. Vermium. Lunæ. Cordis. Fauorum. Verrucarũ. Sphæræ.

Differẽtia, & effigies ſeminum. *His addenda viſa fuit* ſeminum *etiam* differentia, eorumque variæ effigies. Semen *in Plantis ita nos accipimus, vt illud ſit, quod fructu obductum interna eius parte continetur, ab eodem fructu ſuo cortice vel libro ſeparabile; ad Plantæ nouam germinationem propagandam aptum ſatione*. Fructus *verò dicitur, id quod* è medio flore *ſolet emergere tuberoſius, vt in Citrijs, Papauere, Braſſica, & Leguminoſis: vel* in imo floris *ſubeſt, vt in malo Punica, Roſa, Cucumeraceis & ſimilibus, & infra plura: vel* vnicum ſemen *continere obſeruatur, ſuo libro vel cortice veſtitum*. Fructuum varietates *iam ſuprà memorauimus, qui vel* carne externa oſſeum putamen, *in quo ſemen, vt in Præcocijs, Amygdalis, Ceraſo, Pruno, & ſimilibus: aut* oſſeo externo cortice ſemen continent, *vt Corylus; vel* carneo tegumento concretum, *ſiue gelatum* ſuccum, *in quo ſemina, vt in Aurantijs & congeneribus: vel* cartilagineo tegmine carnem, & interius ſemen, *vt in Cucumeraceis: vel* ſuccoſos acinos, *& in illis ſemen incluſum, vt in Punica, & Flore Paſſionis Indica planta: vel* ſuccoſa carne vel pulpà ſemina continent, *vt in Vuis, Ebulo, & ſimilibus. Alias varietates Coniferarum, & Verticillatarum ſuperius retulimus, nec repetere eſt opus, cum hoc loci ſeminum varietates tantùm, & eorum ſimilitudines in animo ſit referre, quas obiter obſeruaſſe nunc meminimus: Iamdiu eſt quidem, quod plantis, & ſimilibus caremus, domeſticis alijs obnoxij negotijs*. Semina igitur naſcuntur aut *carnoſo, vel lignoſo*, aut *corticoſo fructu incluſa, acino, cono, ſiliqua* aut *vtriculo contenta, quæ ἐλεύθερα σπέρματα, & ἐμφλοια σπέρματα ſuo tãtùm cortice veſtita, quæ* nuda, *ad differentiã appellãtur γυμνα σπέρματα, vt ſunt Piperis Cubebæ, quæ ſingula diſtincta, vel* bina, *vt in Vmbelliferis, tàm rotunda, quàm oblonga, vel* plana, *vt in Coriandro ſpurio, Rubia, Galiorum familia, & ferulaceis. Vel* ſingula, & diſtincta, *vt in Valeriana & Nardo montana; vel etiam in Agrimonia, cuius ſemen aſperum deorſum nutans, vt à* Dioſcoride *notatur, ſub nomine Græco σπέρμα, quamuis non minus rectè dici etiam potuiſſet* Fructus; *quia poſt florem emergit ſuo cortice hirſuto aſpero tectus, & diſtinctus: & non rarò* Dioſcorides, *quod verè* ſemen *eſt, & σπέρμα folliculis incluſum nomine*, Fructus καρπὸς *græcè denominat, vt in Cap. de Xyride, & Circea, Staphide agria, & ſimilibus: qua de re potius* ſemen *dici debebat, græcè σπέρμα & verius. Non negamus nudum ſemen, vt in Vmbelliferis, & Agrimonia, & ſimilibus, non minus ſemen, quàm fructus appellari poſſe. cum* Fructus *generaliſsimè illud denominari poſſit, quod marcido vel deciduo flore quoquomodo erumpit, & perficitur poſtremò, pro ipſius plantæ complemento & perfectione, ad aliquem vſum aut plures, vel ad ſuæ plantę tantùm propagationem procreatum. Et* ſemen *illud ſit, quod ſuo tantùm cortice veſtitur, vel in aperto productum, aut alioquin amplius circumductùm, & incluſum. Cuius medulla ſua ſubſtantiã, vel eſt* mollis, & humida, *vt in Cucumeraceis, Amygdalo, Nuce, & alijs, quæ potius in maſſam, quàm in puluere contuſa tegitur*. Vel *eſt* dura, ſed friabilis *admodum, vt facilè in pollinem, vel puluerem abeat, vt in Frumentaceis, & ſimilibus. Vel eſt* omnino dura, & oſſea *ſubſtantia, vt cum difficultate tundatur, & in puluerem ducatur, vt eſt ſeminis Ruſci, Smilacis aſperæ, Xyridis, & ſimilium*.

Fructus quid vocetur latius. Semen præcisè.

Seminum varietates. Seminum varietates *plures obſeruantur, nam alia* leui cortice *ſunt* obducta, *vt quæ fructui præſertim incluſa reperiuntur, vt in Pomiferis eſculentis, Cucumeraceis, & capitula gerentibus: vel nullo modo incluſa fructu*, ſuo tantùm cortice veſtita, *vt in Vmbelliferis quibuſdam ferulaceis, vt etiam paucis racemoſis: quorum alia* rotunda, *vt in Racemoſis Pipere, & Cubebe Fumaria: in Vmbelliferis Coriandro ſpurio, & ſimilibus. Alia* depreſſa, & plana *ferè, vt in Ferula, Sphondylio, & ſimilibus, quę à* Theophraſto φυλλώδη *appellatur, à Dioſcoride* ἀχυρώδη, *quia cartilaginoſa. Alia* canaliculata, & ſtriata, *vt in Libanotide Cachryfera, Hippomarathro, & ſimilibus, quę à* Theophraſto γραμμώδη, *à* Dioſcoride γονίας *habere dicuntur. Alia* canaliculata & piloſa, *vt in Cretica planta Libanotidis nomine ab* Honorio Belli Carolo Cluſio *miſſa. Alia* magis aſpera, *vt Paſtinacę vulgaris. Alia* in totum echinata, *vt in Caucali-*

de, &

de, & Echinophoris à nobis descriptis. Alia Cylindri effigie oblonga, & rotunda, *vt secundæ Securidacæ* Lobelij, *Galegæ siue Rutæ capratiæ appellatæ. Alia* oualia, & rotunda, *vt Oleæ. Alia* oualia, sed depressa, *vt diximus Ferulaceorũ, & Cucumeraceorũ. Alia* oualia, sed altera parte acutiora, *vt Mali, Pyri, & similiũ. Alia* incurua & contorta parum, *vt Phaseolorum familia, & Ferri equini. Alia* rotunda, sed altera parte rostrata, *vt Ciceris, Bugloſſi, & congenerum. Alia* parum depressa, & *similiter* rostrata, *vt Pſyllij. Alia* triangula coni effigie, *vt Cicerculæ Harmalæ, Bulbosarum, & Staphidis agriæ. Alia* vtrinque acuminata, *vt Securidaca vera* Dioscoridis. *Alia* trigona in cuspidem acuminata, *vt Polygoni, Lapathi, & similiũ. Alia* quadrata sed depressa, *vt Hedysari. Alia* rhomboide quadrato, *vt Pimpinellę sanguisorbæ à nobis pro Sideritide secunda propositæ. Alia aliâ effigie, quarum quædam, quæ quibusdam rebus referri posse videntur non iniucunda Phytognomicis, & nunc in promptu se offerunt notare non pigebit.* Cerebri medullam *imitari videtur, Iuglandis siue Regiæ Nucis semen suo putamine detectum.* Dentium congeriem, *Hyoscyami semen asperum pineæ modo denticulatum.* Ipsos dentes *ouali Punici semen carne obauctum ostendit.* Oculi pupillam, *Lenticulæ semen, sed* dimidiatæ lenticulæ *modo Phalangij semen, teste* Dioscoride. Cordis figuram *Citrij & Aurantij semen cum similibus.* Vmbilicum, *Valerianellæ, vmbilicato semine à nobis descriptæ, & Aparinæ* Dioscoride *teste.* Renes *exprimunt Phaseolorum familiæ, & alia nonnulla leguminosa: sed ex alijs generibus Solani, Halicacabi, & aliorum,* Genitalis caput, *siue* Glans *Fabæ dicta, Fabæ semen.* Genitale cum testibus gerentibus, *Cicer album vulgare, quamuis etiam rubro colore Cicer magis* Arietinum Caput *naso crassiore incumo prominente exprimat, oculis & cornibus intortis è regione vtrinque expressis, quapropter Arietinum Cicer à* Dioscoride *dici refertur, non addita causa: quæ omnia in alba Cicere inesse obseruantur, naso exiguo tantùm variante. Sed si quis atramento illius oculos extuberantes circumscribat è regione nasi, rostrum imitantis* Noctuæ caput *satis expressum videbit.* Ventris extuberantis ima pars *supra muliebria, etiam Ciceris albi aduersa pars ostendet.* Testes *imitantur Rubiæ & Galiorum semina duplicia contuncta, Coriandri spurij, Smirnij Cretici ob Herbarijs putati.* Cimices, & Blattas, *siue* Cantharos, *Ferulaceorum, Sphondylij, & Cucumeraceorum semina.* Araneam *imitãtur papposa omnia semina* πάππους *dicta, sed* Phalangiorũ *maximè & pilosarum* Aranearum *Valerianæ, & Nardi montanæ, & congenerum piloso pappo semina.* Pulices *imitantur, Pſyllij semina, teste* Dioscoride. Viperæ caput cum lingua exerta, *quia rostro sunt retuso & plano Cynogloſſarum semina à nobis descriptarum perbellè referunt, quamuis aliorum* Serpentium acutiore rostro, *à* Dioscoride *referre dicantur Echij, Anchusarum, & congenerum semina: quę etiam ad* Auium rostratum caput *accedere non minus quis censere posset, vt in Cap. de Cynogloſſa montana in nostro minus cognitarum stirpium volumine retulimus.* Polypum, aut Leporem marinum *exprimere non ineptè dicitur, semen Valerianellæ stellato semine à nobis descriptæ, & Scabiosarum.* Echinum terrestre *Pastinacę vulgaris, & Caucalidum asperum.* Erucam asperam, & pilosam *Tragopogi, & Scorzonerę semen detracto pappo.* Ricinum Animal, *denudatum suo cortice Ricini semen, sic à* Dioscoride *descriptum.* Insectum bisulca cauda *Asteris, & Buphthalmi, & congenerum semen.* Cochleam intortam, *Medicæ semen, sed* Cochleæ Animalis *effigiem potius Kali semen cochleato semini dicti.* Insectorum tabellatum corpus, siue insectum *Maluæ semen compactum antequam disiungatur obliquè inspectum: quod etiam integrum* Echinum marinum *spinis denudatum exprimere videtur. At singula semina depressa lunata sunt.* Securim *imitantur, Cicerculæ vulgares* Dioscoridis, *Lathyris dictæ.* Ancipitem securim *æmulantur Peluini, & Asclepiadis semina, teste* Dioscoride, *vnde nomen inditum plantæ fuit.* Sagittæ *modo in cuspidis formam Iunci semina, quę* Theophrastus ἀναδώδη *dixit.* Triquetram cuspidem *imitantur trigona Polygoni, & Lapathi semina, & Lonchitidis teste* Dioscoride. Quadratã *Pimpinellę semen. Chirurgorum incuruum cultrum, vulgò* Gammaut, *exprimere videntur Trifolij Asphaltitidis siue Bituminosi seminum extrema pars, quę non minus* Falcem, *aut* Serpentium dentem, Felium vnguem *imitari quis dicere potest.* Contractos vngues Milui, Vulturis *vel etiam* Polypi flagellos, *Calendulę semina incurua in se conglobata.* Margaritas siue Vniones *candore, splendore ac lapidea duritie, Lithospermi semina, teste* Dioscoride *ac* Plinio.

Seminal Phytognomicis obseruata, quas partes referãt. Cerebrum. Dentes. Pupillam. Cor. Vmbilicũ. Renes. Genitale. Caput arietis. C. Noctuæ. Ventrem. Testes. Cimices. Araneam. Caput viperæ. Polypum. Echinum. Erucam. Ricinum. Cochleã. Securim. Cuspidem. Falcem. Vngues. Felium. Milui. Vulturis. Margaritas.

Sunt & in succis herbarum differentiæ, *quę signaturam habent,* tam *conspicuam in virentibus plantis,* quàm *in siccis extractione per infusionem, & decoctionem manifestatis,* tàm *in herbis,*

Differentię in succis herbarum.

In caudicibus. in effigie.

herbis, quàm *arboribus, & eorum partibus, de quibus aliàs.*

Sunt & differentiæ aliæ in plantis, *tàm* in caudicibus, caulibus *eorumq.* effigie *rotunda, trigona, quadrata, vel angulosa, nodosa, & geniculata: in eorum* superficie *læui, aspera, corticosa dura vel fungosa, spinis horrida, & maculosa. Tum etiam* in ramificatione *ordinata, vel inordinata, cum* in foliorum *circa illos* dispositione *ordinatè vel inordinatè & eorum* numero *bino, terno, quaterno, quino vel alio numero, illoq. simplici, aut multiplici, pinnatim, cruciatim, cochleatim, quæ & aliæ differentiæ adhuc minus digestæ, amplum volumen requirerent, quod notarum modum & breuitatem longè latèq. excederet.*

In superficie. in ramificatione. in foliorũ dispositione, & numero.

Pag. 11. cap. 7. lin. 36.

Coma *quid sit, & quomodo intelligatur ex* Dioscoridis *mente, diffusè in nostro volumine minus cognitarum stirp. retulimus in cap. de Hyssopo, quare hìc repetere noluimus.*

Pag. 12. cap. eod. lin. 25.

Corymbus.

Omisit Auctor noster Corymbi descriptionem, & notas in quo differat ab Vmbella, & Capitulo: quare nos addemus tanquam vtiles ad plantarum figuram dignoscendam. Corymbus igitur generalissimè acceptus, pro quouis summo cacumine vel fastigio cuiuscumque rei sumitur. At in plantis, vt apud Plantarum scriptores, quos hoc loco sequi oportet, Corymbos appellasse propriè racemos Hederæ reperimus, Auctorem habemus Plinium *lib. 16. cap. 24. Hederæ descriptionem prosequendo dicentem:* Racemis in orbem circumactis, qui vocantur Corymbi. *Quorum* Dioscorides *in cap. Hederæ remedia tradens pluries mentionem fecit, & in cap. de Hippophae nobis apertè illorum effigiem declarauit cum ait,* Flores Corymbis Hederæ similes veluti racemi cohærentes inter se. *Itaque Corymbus racemus est quidam orbicularis ex cauliculi summo se diffundens, multis in orbem petiolis circumactis in quorum extremo singuli flores, singulis petiolis, & deinde totidem fructus continentur. Nec alio modo ab Vmbella differunt, nisi quo pars à toto. Vmbella quidem ex pluribus corymbosis petiolis ex caulicuto diffusa constituitur: singuli quidem petioli Vmbellarum corymbosi conspiciuntur: diuiduntur enim in summo plures in orbem dispositos flores, & fructus subsistentes; quos* Plinius dependere *dixit, de Elaphoboſco loquens ibi,* semine in Corymbis dependentibus Silis effigie. *Sed* Dioscorides *Cap. de Hippoſelino, illius comam flore plenam in Corymbos, priusquam efflorescant, compactam dixit: & tamen Vmbellam propriè deferre, nemo ambigit. Capita etiam sub Vmbellæ nomine* Plinius *appellauit cap. de Smirnio ibi,* Capitibus caulium orbiculatis vt Anethi. *Et* Dioscorides *de Dauci tertia specie ait: Caput & semen Anetho simile habere; & tamen Anethum Vmbellam propriè, non caput proferre quisque fatebitur. Quapropter ob quandam orbicularem formam Vmbellarum præsertim adhuc non diffusarum, capita dicuntur habere, ac etiam Corymbos quamuis* capita *verius dicantur, quæ compacta sunt, vt Thymi, Stoechadis, Polij, & Chrysanthemi, & similium, & hæc quia ex pluribus constant floribus & fructibus ab vno initio exorientibus, & in Caput simul extuberantibus. Capita Corymborum specie Polij capitula dixit* Dioscorides. *Addendum etiam hoc loco, Vmbellas* alias *esse ordinatas ex vno principio, & basi, vt in Pastinaca, & ferulaceis,* alias *esse inordinatas, & Vmbellarum speciem referentes non propriè: quamuis ob quandam primo aspectu similitudinem sic appellatæ sint, vt Sambuci, Achilleæ, & similium: quarum veluti Elichrysi, Chrysocomæ, & Origani, Onitidis atque Agerati flores ex coniunctis Corymbis composita in Vmbellam esse dixerit* Dioscorides. *Harum Plantarum comæ ex pluribus petiolis plures flores singulis continentibus ad similitudinem Corymborum, & simul coëuntibus Vmbellæ similitudinem exprimere prima facie videntur, in summo tantum Plantæ comam habentes floridam, quare comantes flores habere dicuntur plantæ illæ, & similes, vt de Chrysocome dixit* Plinius.

Corymbi descriptio.

Vmbellæ distinctio.

Capita quæ.

Pag. 12. Cap. eod. lin. 34.

Adde Chamæleonem album, cui à Dioscoride *caput Echini marini modo spinosum tribuitur, de quo, & eius gummi Ixia multa retulimus in Cap. 1. nostri Volum. minus cognitar. stirp. Quorum capita spinis horrent, Acanacea à Græcis appellata, quasi Acanthacea, vide* Theophrast. *lib. 6. histor. Plant. cap. 3.*

Pag. 20. Cap. 11. Lin. 1.

Sic de nostro Tripolio obseruauimus in australi tantum plaga prouenire, vt in histor. minus cognitar. stirp. c. de Tripolio, vbi de similibus plantis propria loca diligentibus etiam fit mentio.

Et Lin.

Et Lin. 19. ibidem.

Aegyptium Arum Neapoli *annis præteritis floruit, & sequentibus, & nobis etiam ex Planta in Salernitano agro à* R.P.F. Donato de Eremita *naturalium rerum studioso reperta, & allata, vbi spontanea: de quo in nostra hist. minus cognitar. stirp. 2. par. cap. 1. vbi & quid sit Colocasia, & in quibus à Faba* Aegyptia *differat, disseritur: & distinctè Aegyptij Ari florum differentia ab Ari vulgaris floribus notatur, odoris præsertim, quæ ab horti etiam Pisani Præfecto* Casaubono *fuit obseruata, & odoratissimum fuisse florem Aegyptij, cum aliorum Arorum flores fœteant: sic refertur à doctiss.* Bauhino *in suo Theatro Botanico lib. 5. sect. 6. cap. de Aro. Et curiosi non pauci* Neapoli *anno 1626. Aestatis fine obseruarunt in horto Clarissimi viri* D. Bernardini de Cordùba *Equitis Hispani, præter Politicam, Militarem & alias disciplinas, quibus ornatissimus est, Exoticorum studiosissimi, tàm Animalium, quàm Plantarum, qui præterito etiam anno floruisse testatus est: cumq. à nobis audiuisset adhuc esse, qui minimè florere putent, cùm ipsi non viderint, risu non potuit se continere. Fabam autem Aegyptiam ibidem à nobis memoratam, frequentem esse in cibo apud Indos Aestate, anno 1622. ex* Hiatim *propè magnam vrbem* Sutschem *in Chinensi regione doctiss.* Io. Terrentius Lynceus *litteris ad D.* Io. Fabrum Lynceum *Collegam testatus est, quas in hoc volumine fol. 557. videre poteris,* Theophrasti *descriptioni respondentem, cuius effigies eidem antea missa ab eodem* Terrentio, *vtinam longo itinere in* Fabri *manus, & non in alienas incidisset, quæ nunc exhiberetur, vt nihil amplius in dubium Recentioribus veniret.*

Ari Aegyptij flos.

Faba Aegyptia.

Lin. 20. ibidem.

Dictamni Cretici Neapoli *florem, & semen collegisse meminimus* Ferdinandum Imperatum *naturalium rerum studiosissimum; & surculo facillimè seritur, vt nos fecimus ligneso. De illo autem & Pseudodictamno aduersus Recentiores in nostro* Dioscoride, *si DEO placuerit, veriora tradentur.*

Lin. 35. ibid.

Magnitudine *variare Plantas, & Fructus ratione cultus, loci, & Cœli, non autem hìc herbas, alibi arbores, sed arborum similitudine prægrandes fieri posse concedimus.* Arborem *intelligimus mutatà specie, vt sit perennis, & alias habeat arboris proprietates, quod minimè posse fieri credimus, at diuersas specie Plantas, ab eodem genere variantes, quæ etiam transtatæ eandem seruent naturam, concedimus.*

Plantæ, & fructus magnitudine variant.

Arboris caudices prægrandes *ita nos* Campoclarì *in* Matesij radice *obseruauimus, vt non solùm tres homines, sed quatuor vix amplecti potuissent, Castanearum, & Nucum Iuglandium, vbi non rarò in tabulas sexpedum latitudine diuidunt serrà, nec ibi vllo pacto mirum videtur, frequens enim est spectandaq. pariter cum prægrandi magnitudine, & ipsa multitudo.*

AD LIBRVM SECVNDVM

Post præfationem pag. 28.

Diuisionis Plantarum *ratio* alia *est, quà Plantæ in arbores, frutices, cremios, & herbas diuidi solent:* Alia *quà in genera, & species.* Alia *quà in Aromaticas, & illas in medicatas, vel gustu suaues, & condimentarias.* Alia *quà in Catharticas, gustu insuaues;* Alia *quà in Alexipharmacas, vel Venenatas, & sic de alijs qualitatibus. Primà, & secundà diuisione* facies Plantarum *distinguuntur, Herbarijs oportunà. Tertià cum reliquis* odores, sapores, & qualitates, *quarum cognitio medicis, vt plurimùm, est necessaria.*

Diuersæ plantarum diuisiones.

Nec immeritò de Nouæ Hispaniæ *re medica tractaturus Auctor noster,* Dioscoridis *vestigia secutus, à sapore, & odore præstantibus initium sumere voluit, tanquam ab illis quæ impressiùs percipiuntur tàm gustu, quàm olfactu, vt sunt Aromatica, & Acria de quibus agit. Facilior quidē est cognitio excessus odoris, & saporis ab alijs rebus minus sapidis, vel odoratis, aut in totum sapore, & odore destitutis. Sic in Mathematicis linea facilius à puncto, & centrum à circumferentia, quam punctus à puncto, vel circulus à circulo, & in Herbis arbor ab herba, quàm à frutice, vel cremium ab herba distinguitur. Reliqua doctissimè Collega noster proposuit.*

Auctor Dioscoridem secutus est in noui Orbis historia describenda.

Pag. 28. Cap. 1.

Adde, radix castaneo colore, folia obscurè virentia, & floribus in summo albicantibus:

Coapatlis. Tlamacazquipan.

ita

ita ex pictura colorata ex ipsa Mexico, *& in duobus voluminibus distincta, quæ apud Auctoris Nepotem Iurisconsultum Virum doctissimum non solum legum peritiâ, sed & Politicis omnibus disciplinis, & priscarum linguarum recondità eruditione refertum* M. Antonium Petilium *obseruare licuit, dum Romæ ageremus, ipsius scilicet* Recchi *exemplaria.*

Pag. 29. Cap. 2.

Coapatlis. & Coiztle. *Vide duas alias Plantas,* Coapatli *nomine frigida temperie infra lib. 8. cap. 55. & 56. Theriacales. Tertiæ verò Coapatlidis folium in* Recchi *exemplari depingitur duos pollices longum, & vnicum ferè latum. Radix colore cinereo nigricante carnosa. At quia in prima Coapatlide Synonymum est, Tlamacazquipan, quod nomen inuenimus in alijs plantis, quarum imagines, & nomina tantùm in exemplaribus extant fol. 414. in alia parum variante figura sub nomine, Tlamacazqui, y, Papan, uel Coapatli, quæ figura tertiæ descriptæ Coapatlidi quodammodo affinis videtur: an Pictoris varia sors, vel Plantæ varietas sit, proponitur expendenda.*

Pag. 30. Cap. 3.

Texaxapotla. Ptarmica Indica. *Vt herbæ vis in lapide permeando ipsius odore sine fallacia dignosci possit, in latissimo lapide, vel potius exiguo, sed parieti amplo alicuius domus compacto, vt ex altera lapidis parte, in qua herbæ succus impositus fuit, nullo modo aër vicinus permeare possit, periculum est faciendum, alioquin aër ille circumfusus odore repletus, astantium nares feriens, fallax experimentum reddet.*

Pag. 32. Cap. 4.

Xochinacaztli. *Huius flos rarà figurà quodammodo similis videtur flori Plantæ Toloxochitl fol. 40. Cap. 20. sed huic simplex est, & colore extra lutescente, intus parum purpurascente, & diametro pollices duos cum dimidio æquat, folia verò longa sunt pedem, & lata pollices tres, vt in* Recchi *exemplaribus.*

Pag. 32. Cap. 6.

Yecocotli. *Primæ & secundæ Iconis huius capitis historia delineationem tantum habet, nam Auctor ab alia seiunxit hoc modo dicens:* Hæc ad speciem Ligustici videtur spectare, Nascitur *&c.* Dioscoridis *Ligusticum est, potius* Matthioli. *Iconem alteram Libanotidi latifoliæ Recentiorum similem Auctor accepisse videtur, cuius folium integrum in* Recchi *exemp. quatuor pollices æquat longitudine. Ex his hæsitandum, quænam sint vires superiorum.*

Pag. 33. Cap. 9.

Atepocapatli. *Radicum color est ex fusco purpurascente: foliorum figura vix historiæ accedit, cum aspera & Amygdalæ similia esse describantur. Floris vmbo prominens virentibus est foliolis, reliquum lutescens, vt Barbulæ coccineæ ex* Recchi *exemp. Asteris vel Baccharis potiùs familiæ adscribenda Planta.*

Pag. 35. Cap. 10.

Caryophyllus Aromaticus. *Caryophyllorum Icones doctiss.* Carolus Clusius *in sua Exoticorum historia ramulis, foliis, & fructibus exactiùs delineatas ante hunc exhibuit fol. 181. & 267. & quam idem maximè probat fol. 376. quam postremò habuit; Iudicium tamen sit eius, qui siccæ Plantæ ramulum saltem viderit, & contulerit.*

Pag. 35. Cap. 11.

Cannella, Cassia. Cinnamomum. *Quid alij de Cannellæ, siue Cassiæ, & Cinnamomi historia, & differentia sentiant, vide Garziam,* Acostam, *&* Monardum *latinè à* Carolo Clusio *in suo Exoticorum volumine: qui aliorum etiam Recentiorum historias refert, & notat. Insuper, &* Lobelium *qui neruosum folium exactè delineatum expressit in Plantarum obseruationibus. In* Recchi *exempl. folium obscurè viret, longum pollices quinque cum dimidio, & latum duos: pluribus quam tribus neruis depictum. Non desunt, qui veram Cassiam, siue Cannellam, & forsan vt alij dubitant Cinnamomum habere se censeant: eo quòd baculus aromaticus cum tenui libro laui sit illis allatus, sapore Cannellæ acutissimo. Sed quia tenui sit* cortice, *quo delibrari nequit, & Cannella siue Cassia sit cortex delibratus à ligno, ideo ab Antiquorum Cassia alienus. Alijs quia* baculi cortex *tenuis est ad delibrandum minimè aptus, nec cortice aliàs delibrato, vt in Subere, non parùm accedere videtur ad Cinnamomum, nisi quia vnciali sit crassitie baculus, & pedali longitudine. Nos talem baculum, quem non vidimus, decorticatam Cassiam, tenui libro interno relicto, si fides*

Pseudocassia. *Garziæ est adhibenda, qui duplicẽ habere corticem asseruit, cẽseremus: aut Pseudocassiam à* Dioscoride *descriptam, quæ medullæ siue ligno hærentem corticem habet. Nec enim quia* sapore *sit*

Can-

Cannellæ acutiſsimo, & lignum cum cortice Cinnamomum eſſe debet. Dioſcoridis *Cinnamomum quidem longè à craſſo, longo, enodi baculo differre iam ſatis omnibus notum putamus: qui tenues habere virgellas dixit, illis verbis,* λεπτὸν ῥάβδίοις, *tenue ramulis,* ὄζοις συνεχέσιν κεχρημένον, *continuis per totum ramis ſiue nodis: qui à radice detrahendi eſſent ad electionem, & probationem. Et alio nomine inferiùs dixit, vellito à radice ſurculum, per verbum,* θαλλὸν; *quod nouellum germen ſignificat, minimè baculo reſpondens. Sicuti & inferiùs Cinnamomi ramulum eligens, ſimilem probat Moſyliticæ Caſſiæ, cuius ramulos, vt tenues, & nouellos, germina denominauit verbo,* βλάστος μοσυλήτις. *Et quidem apud Græcos verbum* βλάστος, *non baculum craſſum lignoſum, ſed germen, & nouellum ſtolonem, aut ſaltem ſilignoſum, nouellæ virgæ parem pro Plantæ natura, & magnitudine, quæ ex Antiquorum deſcriptione breuis erat admodum, vt minimè talem baculi craſſitudinem abſque maxima longitudine poſſet emittere. Ex quibus, vt ſuprà diximus, decorticatam Caſſiam potius, quàm Cinnamomi ramulum putandum. Non tacendum hoc loco* Garziã *Suberis modo ſuam Cannellã duplicem habere corticem, ſed non tam craſſum, & diſtinctum retuliſſe: verùm nos vulgaris Caſſiæ, fiſtulæ partem habemus, cuius cortex extimus manifeſtè videtur, ſcaber enim eſt extra, nodum, & rugas, ramulique veſtigium indicans, & paulò ſuperiùs colore eſt cinereo albicante: & non abraſum, nec intimum eſſe corticem quiſque facilè dijudicat, ſapore & odore Cannellæ adhuc vegeto. Habuimus etiam Cannellæ aliam ſpeciem rariorem cortice craſſo, duro, denſo, eodem colore, ſaturo, dulci ſed ipſius Cannellæ ſapore, cuius arbos non deſcribitur, quæ Caſſiæ antiquorum varietas eſt, præter alios aromaticos cortices ſimiles.*

Cinnamomum Dioſcoridis.

Caſsia Moſylitica.

Nec mirum, nam Recentiores qui de Cannella hactenus ſcripſerunt, adhuc inter ſe minimè conueniunt. Garzias *Cannellæ fructum Oliuæ, vel Lauro ſimilem facit, & calycem habere negat. Alij glandulas calyce ſuberino ligneo apud* Acoſtam, *cuius imaginem* Cluſius *poſuit è regione folij Tamalapatræ, ſiue Indici folij dicti: tribus neruis per longum diſpoſitis, quibus Zeilanica* Cannella, *quæ magis aromatica eſt cæteris, carere, & glandiferam eſſe arborem ſui generis, idem* Garzias *dicit. Sed* Acoſta *pro Cannella vera illam aſſerit. Alij Citri (Mali medicæ) ſimili folio eſſe cum* Garzia, *vt* Lobel. *Lugd. Hiſtoriæ Plantarum Auctor, &* Bauhinus *in ſuo* Matthiolo *depinxerunt, cum baculis corticoſis. Auctor verò noſter tribus etiam neruis, vt* Acoſta, *deſcribit: ſed folium in* Recchi *exemplar. obſeruatum pluribus neruis inæqualibus depingitur, vt è regione expreſſum eſt. Quare in hac controuerſia quid ſit aſſerendum, ignoramus:* Aut *dicendum calycem in fructu alios non obſeruaſſe:* aut aliam *Zeilanicam orientalem Citrij folio venoſo magis aromaticam:* aliam *tribus neruis diſtinctã Malauaricam:* aliam *vel eandem in alijs locis, vt Auctor noſter ait, in* Inſula Philippica, *in Mindanai:* aliam *Oleæ fructu Zeilanicam:* aliam *Glandiferæ modo calycem in fructu habentem, quæ in* Malauar, *&* Peru *oritur:* aliam *ſui generis Cannellæ ſimilem fructu Pilei vel Petaſi, à* Monardo *deſcriptam ex nouo Orbe. Quæ omnia non ab Hiſtoricis, vel Medicis, ſed à curioſo, & diligenti quopiam doctoq. Botanico, qui vtramque Indiã peragraſſet, deſcribi cuperemus. Foliũ quidem tribus neruis diſtinctum latitudine variare obſeruauimus, atque laurino carnoſius, & durius eodem ſapore, quod pro folio Indo exhibuerunt. Cannellæ verò folium* aliud *tribus neruis, ſed minus, & Cannellæ ſapore,* aliud *Citrij folio ſimile venoſum, quod Cannellæ acuto ſapore prædicatur. Sed nos folioſum ramulum peruidere optaremus, vt aliquid aſſerere poſſemus. Denique certum eſt, ramulos tenues, ſiue nouella germina, vt in Citrio notauimus, ſapore, ac odore lignoſos, & vetuſtiores longè ſuperare. Quapropter mirum non eſt, ſi à* Dioſcoride *tenues ramuli, & non baculi craſſitie probarentur. Sed quod à radice ad probationem vellerentur, quæ nec craſſa, ſiue magna eſſet, vt in quarto genere, nec denſa radice, vt in quinto: Si verum eſt, vt Recentiores aſſerunt, quod non aliud Cinnamomum noſtro æuo paruus frutex reperiatur naturâ, vt ab Antiquis refertur; in animo eſt, quod arboris ceſpitem, ſiue caudicis nodum aliàs reciſum, & iam nouellis germinibus emiſſis, vt in Silice, Vlmo, Balſamo, & demeſſilibus arboribus fieri ſolet, auulſum* Dioſcorides *obſeruârit, & pro radice forſitan deſcripſerit. Sed adhuc deſideranda eſt ſimilitudo multorum ramorum, effigie fruticis Corallij æmula à* Dioſcoride *relata, & in cap. de Corallio repetita.* Plinius *fabuloſam Antiquorum de Cinnamomo, & Caſſia hiſtoriã arbitratur, & nos Recentiorum minus accuratam, & variam, vt quæ aliorum etiam relationibus nitatur, qui non harum Plantarum veritatis eruendæ, ſed potius negotiandi, & acquirendi gratiâ in ea loca inciderunt. Et quod ſit verum, folioſum ramulum cum floribus, & fructibus Caſſiæ, aut*

Cannellæ controuerſia.

An Cãnellæ diuerſæ ſpecies.

Cinna-

Cinnamomi nemo adhuc depinxit, vt Piperis, & Caryophyllorum, & similiũ, ob difficultatem, & loci distantiã, in quo nascuntur. Vtinam noster Collega Ioannes Terrentius Lynceus, *vir omni doctrinâ ornatissimus, ac naturalium studiosissimus, vt ex eiusdem in hoc volumine scholijs siue notis quisque certior fieri possit, qui in internis Regni Chinensis nunc reperitur, in animo concipiat, Cassiæ, & Cinnamomi veritatem eruere, vt de alijs indagare cœpit, non amplius profectò de illis dubitandum esset.*



Similitudo cum Tamalapatra.

Sed ecce vulgaris Cannellæ folia ex Orientali India allata, & nobis communicata sunt, quorum iconem apponi curauimus ex foliis mediæ magnitudinis expressam, quæ Cannellæ saporem in breui illo petiolo, quo hærebat, habere cõperimus, in reliquo folio percipi non potest: nec à folio Tamalapatræ vix dignosci, nisi sapore petioli, & quod folium Tamalapatræ magis in medio latum videatur, neruis illis tribus, & folij reliquis signis similibus, vt non omnino quo magis simile sit; &, vt diximus, sapore tantùm differret; quare nisi fructu differre dicatur, eiusdem generis esse, sit iudicandum. Garzias *tamen Cannellæ folium tribus illis neruis, per medium folij, vt folium Indum habet, carere dixit. Ex quibus, vt suprà meminimus, nec illi credendum adeò firmiter est putandum. Obseruandum esset à nobis folium Cãnellæ Citrij effigie obliquè venosum, vt ab eodem describitur, & à* Lobelio, & Bauhino *receptum depingitur, an eodem sapore Cannellæ vulgaris sit, vel maiore, vt aliquid amplius in medium afferremus, sed quia Exoticis caremus, & vix est qui* Neapoli *audiuerit, nedum habuerit tale folium, ideo tacendum nobis est, donec, DEO dante, aliquid vltra obseruare contingat. Hæc verò folia attulit nobisq. dedit clarissimus genere, omnivariæ doctrinæ, virtutis præcipuè strenuæ, peregrinationisq. splendore* D. Petrus de Valle, *inclytus Romanus Eques, qui antiquos illos Heroës nostrâ tempestate representare valet. Si quis enim variorum euentuum historiam, qui ipsi maritimo, & terrestri itinere acciderint, perceperit [plura fortè ex ipsius, quod graphicè descriptum itinerarium expectamus, percipiet] hunc* Vlyssis *æmulum, imò alterum* Vlyssem *dicet, qui multarum gentium mores vidit, & Vrbes; vt enim menti suæ curiosiùs satisfaceret, proprijs ijsq. magnis impensis non patrio concluſus, nec contentus solo, Orientalem propemodum omnem plagam peragrauit: linguarumq. plurium cognitione præditus,* Arabicam *præsertim, & Persicam coluit multos annos, non modò cum illius regionis Regulis, Optimatibusq. versatus, atque honorificè ab illis exceptus; sed & magno Persarum Regi, ob virtutum præstantiam hospes acceptissimus. Rediens porrò ex Naturalibus rarioribus, quę collegit, & mihi hæc folia, atque alia quæ suis locis, & sui amantissimo clarissimoq.* D. Mario Schipano *Medico Neapolitano exhibuit, in cuius gratiam haud pauca amoris ergò contulit.*

Pag. 36. Cap. 12.

Coapatlis Quauhnacensis. *Huius nominis tres alias Plantas in initio proposuit huius libri, facie variantes, sed huic terna folia exprimuntur tertiæ quodammodo respondentia, illius autem circa petiolos lunata.*

Pap. 37. Cap. 13.

Curutzeti. *Radix colore castaneo fibrosa è capite carnoso, folia dilutè virent, & pollices quatuor diametro: flores purpurascentes ex calycibus viridi-flauicantibus. Flosculorum series in imo plantæ à dextris, & corniculum non videtur huius, sed flores tantùm è regione sinistra. Huius Icon, & historia nisi caulem habuisset ad* Cortusæ *Plantam non parùm accedere videretur, cuius cognateres nos ad* Dioscoridis *Alisma referendas proposuimus.*

Pag. 39. Cap. 17.

Hoitzochitl. *Flores bini, aut terni ex basi quinque foliata, qui antequam pandantur ex luteo rubescunt apicem habentes medium luteum, & maculas quinas intus lutescentes, ex* Recchi *exempl.*

Pap. 40. Cap. 18.

Chichipatlis. *Radix carnosa obliqua longis fibris nigris villosa: folia dilutè virent diametro pollicem superant,*

perant, vix descriptioni congruentia, flore vidua depicta est in Recchi *exempl.*

Huius nominis duæ aliæ reperiuntur icones variæ sine historia fol. 364. *&* 365. *quarum folia minimè respondent, & alterius videntur generis.*

Pag. ead. Cap. 19.

Folium depingitur latum pollicem vnum, & tres longum cum petiolo tantundem longitudine. Radix colore fusco, & parum extuberantibus partibus. — *Hucuiur, saluifolia.*

Pag. 41. Cap. 20.

Radix in Recchi *exempl. colore castaneo obsoleto, caudice vestigijs petiolorum insecto. Flos externà parte medià viresçens, circa ora ex cinereo lutescens: diametro quatuor digitorum. Floris verò folia internà parte caua sunt, & purpuro rubentia, & in extremo lutescentia. Vmbonem habent medium virentem, & singula pollicem æquant. Huius floris effigies non parum similis flori Xochinacaztli; descripto fol.* 30. *cap.*4. — *Xolovochitl Aristochyea*

Pag. 42. Cap. 22.

Ex genere longæ Aristolochiæ videri posset, sed quia floris, & fructus descriptionem Author omisit, nihil certi asserere possumus. — *Zazaliela copatlis.*

Pag. 42. Cap. 24.

Folia huic longa pollices quatuor, lata ferè tres. Flores dilutè virent, vt in Clematide. Radix extra colore castaneo. — Aristolochia Mexicana. Conuoluulus Cinnamomeus.

AD LIBRVM TERTIVM.

Pag. 48. Cap. 5.

Folium imminens alijs pennatis duplo maius reliquis ex Recchi *exempl. vt sit digitali longitudine. Non prætereat Lector notas* Clusij *post illum in lib. Exotic. fol.*297. *qui Xolochopalli, & Copalcuhuitl & Copalyua recenset.* — *Copallis mẽtana.*

Pag. ead. Cap. 6.

Non parum effigie accedere videtur ad Balsamum de Tolu, gummi duro, sed hoc candido colore describitur. — *Cuitlacopallis.*

Pag. 49. Cap. 8.

Folia longa pollices quinque cum dimidio, lata pollices duos obscurè virentia, & ramulorum geniculi magis rubescunt. Flores ex longis calycibus dilutè virentibus, densis staminibus luteis compacti. An Balsamum folio Vrticæ simili, de quo Monardus *cap.*9. *ab Indis Xilo, alijs Zilo dictum?* — *Copalliferas.*

Pag. 50. Cap. 10.

Huius arboris durum nobis, vel æquiuocum nomen, & copiosi stellati fructus stipitibus frequenter adhærentes, satisque nostro iudicio, priuata arboris nota, in mentem reuocauit, vt molliore firmioreque denominatione illam decoraremus, & ob id, Stellutam arborem, *copiosis scilicet refertam stellis appellaremus, in mutui amoris signum, quo maximè deuincimur ab immensa erga nos beneuolentia non modò genere, sed omni virtutum, ac disciplinarum varietate clarissimi Viri D.* Francisci Stelluti Lyncei *Collegæ nostri, cuius laudes, quamuis à nobis hoc loco taceantur, ex varijs doctissimi viri scriptis iam omnibus ferè satis notæ sunt.* — *Holquahuitl.* Stelluta Arbor.

Pag. 55. Cap. 15.

Nos potius Terebinthũ quam Lentiscum referre putamus, tam habitu floris, racemo, & alijs, ac gummi præsertim primum lacteo, deinde ad cæruleum vergente paucos post menses: ac viribus etiam. Quapropter angustifolium Terebinthum diceremus: eoq. magis, quia ventrem mollit non minus ac Terebinthum, vt Dioscorides *de Terebintho refert. Et à Recentioribus ob id* Molle *appellata planta: vt à clarissimo* D. Gaspare Bauhino *refertur in suis in* Matthiolum *Synonymis, vbi pro Cathartico ab incolis regionis vsurpari scribit, quo blandè humores omnes vacuentur, & hydropicorum aquæ educantur, drachmæ vnius pondere dissoluto cum aliquo liquore decenti, vel decocto, vel aqua epoto.* — Terebinth Angustifol.

Pag. 56. Cap. 17.

*Huius icon prætermissa, reposita fuit fol.*455. *quam vide.* — *Caragna.*

Pag. 57. Cap. 18.

Radix ex luteo obsoletè flauicat, sicuti caudex. Folia tres pollices æquant diametro, & fructus veluti aculeatus, flauicantibus aculeis circum tuberculos nigro-cæruleos, in Recchi *exempl.* — *Xochiocotroquahuitl. Liquidãbar Yztacquauhxiotl copalfic.*

Pag. ead. Cap. 19. & 20.

An sit congener Antiquorum Balsamo, sicuti sequens planta cap. 20. *scilicet succus in aqua soluitur in lac album, vt quædam Copalliferæ congeneres. Huius folia lata sunt pollicem vnum*

cum dimidio, longa pollices duos, Terebinthi ferè paria, & in ramulis extuberantes globuli, colore rubescentes, qui pro Baccis habentur à nostro Collega, quarum icones etiam aptari possunt ad sequentem descriptionem. Pag. 59. Cap. 21.

Tzinacacuì tlaquahuitl laccifera.

Folia Abietis modo, & ordinata hilari virore depicta. Radix cinereo colore, sicuti caudex, gummi in trunco oblongum, veluti Erucarum effigies, in summo cæruleis capillamentis comatum in Recchi *exemplar.* Pag. 59. Cap. 22.

Ezquahuitl sãguinis arbor.

Draconis arboris binas plantas tenellas, sed foliis palmaceis potius, vt à Clusio *depinguntur è Canariis Insulis aductas* Neapoli *biennio aluit* R.F. Donatus de Eremita *aromatariæ præfectus in monasterio S. Catherinæ à Formello dictæ, apud quem vidimus inter alia rariora, quorum est studiosissimus, quæ post biennium malà culturà perierunt, in cado enim ligneo, in quo aductæ fuerunt, nihil sub radice terræ, quàm cum lignea ima parte cadi putridam reperimus.* Pag. 60. Cap. 24.

Mizquitl.

Acacia.

Plantam ex semine natam triennio aluimus Neapoli, *sicuti &* Ferdinandus Imperatus *noster, iam famà & scriptis clarus, à quo semina accepimus: adoleuit tripedali longitudine caudice rufescente, sicuti ramulis Vlmo similibus, in quibus folia pennata quaterna in singu-*

Acacia Aegyptia.

Mizquitl Acacia Mex. Recchi.

lis petiolis, ex virgarum geniculis alternatis prodeuntia, in quibus binæ spinulæ hærebant: folia verò ex denis, vel pluribus lobulis Rutæ ferè magnitudine densè dispositis, pennarum ritu constructa sunt, quæ manè & Sole hæmispherium illustrante, vel etiam nubilo meridie debiscebant, occidente verò adeò simul cohærebant, vt absque lobulis folium vnicum censeretur, sed primò ex semine bina crassa lunata foliola sibi aduersantia prodiere, deinde vnicum folium pennatum octonis lobulis insectum, cauliculusq. in quo spinulæ binæ, & folia quaternis pennis diuisa, vt diximus. Florem non protulit, quem vtinam dedisset, nam post triennium ambobus etiam adultæ plantæ hyemis sæuitia perierunt. Ex huius siliquis Imperatus *noster prius madefactis, eliciebat succum acidum, adstringentem, rufescentem, pellucidum, in placentulas coagulatum pro optima Theriaca conficienda, in qua omnem adhibebat diligentiam, vt vix vno, vel altero vteretur succedaneo, vt meritò* Theriacæ Instauratoris *nomen sit adeptus. In sicco semine ex siliquis*

Ferdinãdus Imperatus Theriacę instaurator.

liquis nodoſis compreſſis exempto, adhærens reperitur ſuccus concretus, veluti illitum gummi rufeſcens, aridum, ſplendidum quod madefactione colligitur liquatum, & exſiccatione conglobatur. Hanc Dioſcoridis *Acaciam ſecundo loco deſcriptam referre cenſemus, quia ſemen Lenticulæ modò compreſſum, & latum, ſed minus, in ſiliqua depreſſa tribus, aut quatuor diſtincta cellulis, incluſum habet, vt in Lupino obſeruatur. Huius Icon omiſſa fuit à typographo, quam inde fol.* 455. *emiſſam commodiùs hìc prope noſtram ad differentiam repoſuimus.* Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Card. Odoardus Farneſius *rariorum ſtirpium exoticarum ſtudioſiſſimus, aliam Romæ ſimilem foliis, & ſpinis Plantam in ſuo viridario alebat præteritis annis, ſed pluribus pennis ſenis, vel ſeptenis in ſingulis petiolis vtrinque obſeruauimus, tenuioribus lobulis inſectis, & flores edebat rotundos in globulos piloſos luteo colore, aliis plantis leguminoſis, ſeu ſiliquis proferentibus diſſimiles: nam & ſiliquas protulit craſſas, ventrioſas Piſi modo, & magis etiam, nullo modo depreſſas vt in Lupino, rotundis qualibus ſeminibus inordinatis repletas, nec gummoſis ſiue ſuccoſis, vt in vulgari Acacia orientali, ſiue Aegyptiaca, nec latis, & depreſſis, ſuis cellulis diſtinctè, & ordinatè incluſis, vt in Lupino, & ſupraaicta vulgari Acacia obſeruatur. Nec etiam ſapore ſimili, ſed acri admodum, & Allij fœtido odore quare à Theriaca ableganda. Radice longà admodum ſingulari, nec ramosà. Plantam ſibi ſub nomine Sarzæ miſſam fuiſſe dixit, quia Sarzam appellant Exotici Plantã, quæ ſit ſpinoſa.* Proſper Alpinus *in libro de Plantis Aegypti, Acaciam depinxit, & deſcripſit floribus globoſis, piloſis, luteis, ſiliquà verò compreſsà, & effigie* Lupini, *& ſemine intus ſimili Carobis, vt eſt ſiliqua, quæ ab* Imperato *exhibebatur, & ex qua ſuccum eliciebat, vt diximus, quæ nunc vulgaris eſt doctis & curioſis Pharmacopæis. A* Lobelio *depingitur Acacia, cuius Icon Plantæ à nobis obſeruatæ reſpondere præ cæteris videtur, foliis quaternis ex ſingulis petiolis, ſed minus diligenter expreſſis, ſiliquà autem diligentiùs, ſicut etiam in* Matthioli *Epitome à* Camerario, *& ab* Alpino *quoque, aſt folia hic non obſeruauit, nec à pictore effigies rectè depicta eſt, cùm è regione in ramulo, & in ipſa arbore vario numero, & inordinatè diſpoſuerit, à nobis verò quaterna ex ſingulis ſpinarum ramulis, ipſaq. pennata obſeruata ſint. Ex annali plantula icon excerpta, à nobis expoſita eſt.*

Acacia ex Dioſcor.

Acacia Farneſiana.

Acacia Alpini.

Acacia Lobelij.

Acaciæ folijs frutex Meſopotamicus.

His addenda viſa fuit elegans, & rara planta alia, Acaciæ foliis, & ramulis adſimilis, quæ nec amarorem, acrimoniam, aut Allij fœtorem, vt de proximè relata Farneſiana aſſeritur, refert: ſed nec manifeſtam adſtringentiã in hac, vt in Acacia Aegyptia vulgari experti ſumus, obſeruare guſtu potuimus. Ramulum, cuius picturam exhibemus eadẽ quà eſt magnitudine, foliis, ſiliquis, & ſeminibus, vnà cum pluribus rarioribus plantis, radicibus, ſuccis, mineralibus atque alijs ex Oriẽte reaux, vt ſuperiùs indicauimus, attulit doctiſſimo D. Schipano, *clariſſimus, ac liberalium artium, linguarumq. cognitione ornatiſſimus, & Arabicæ præſertim ſtudioſus, Vir optimus, Romanus Eques, nobilitate Familiæ, propriaque virtute conſpicuus* Petrus de Valle: *à quo deinde nos etiam liberaliter, vt ſtudioſis exhiberemus, accepimus. Foliis eſt pennatis, & ſenis pennarum ordinibus vtrinque diſſectis; ac lobulis ferè viginti vtrinque admodum exiguis, vt vix picturà rectè exprimi potuerint, inciſis. Spinas ex lignoſis ramulis vlmeo cortice veſtitis, non ſimul binas in exortu foliorum, ſed diſtinctas habet, & vnicam tantùm in illorum exortu. Semina pauca profert effigie Pyri, ſed maiora, minora parum Aegyptiæ Acaciæ, compreſſa, leuia, nitida, & colore*

ſpadiceo, ſiliquis ſiue craſſis lobis contortis, obeſis, medullà pallente, fungosà turgidis, obliquè diposita, incluſa: nec vt in Acacia Aegyptia vera, cuius ſiliqua eſt depreſſa, latitudine contenta. Florem ignoramus cuius ſit generis, nã in ſicco ramulo non aderat. In Meſopotamiæ itinere cum alijs quibuſdam rarioribus Plantis fuiſſe tunc temporis collectam, Inclyti eiuſdem Viri manu inſcriptum erat, prout & in alijs pleriſque miſſis. Fruticem amplum, non arborem ſublimem eſſe vt veram Acaciam, deinde certiores facti ſumus ab eodem D. Petro de Valle, *qui humanam altitudinem non excedere, & iuxta flumen Tigridem in Meſopotamia, & in deſerta* Arabia *iuxta Euphratem, vel parùm diſſito loco reperiri aſſeruit, cuius ſiliquam ab incolis ad ſanguinis fluxum cohibendum vtilem vſurpari accepit, & vulgariter, ſiliquam hanc, etiam vt* Ceratoniam Charnub *dici, generico forſitan nomine ſiliquarum.*

Pag. 61. Cap. 26.

Hucipochotl Huaxacenſis. *Folia diametro quinque pollices quoquouerſum hilari virore, venulis ramoſis, & flores quinquepartiti, ſtaminibus etiam quinis luteis è centro prodeuntibus, ex* Recchi *exempl. Arboreſcentis Ricini Indici Plantam vidimus nouellam in horto* Illuſtriſsimi D. Card. Farneſij *magnis foliis, & maioribus noſtrate, carnoſis, obſcurè virentibus, & multis inciſuris, ſed non ita profundè, rotundiore ambitu.*

Ricinus Indicus.

Pag. 62. Cap. 27.

Saſſafras. *Saſſafras hiſtoriam non minus diligenter proſequitur* Monardus, *qui folia ficulnea in angulos deſinentia deſcribit: Nouella forte Pyri magnitudine, & formà, quæ angulorum veſtigia habeant, ſemperuirentia ob ſubcreſcentiam nouellorum in locum decidentium vetuſtorum. Odorata ſunt, & obſcurè virentia. Vires, facultates, modumq. vtendi prolixè deſcribit, quæ ob breuitatem videre poteris ſimul cum* Cluſij *ſcholijs in eius Exoticorum volumine fol. 320. & 21. Antuerp. impreſſ. for. folij.*

Pag. ead. Cap. 28.

Tecpatlis, *Folia depinguntur longa dodrantem, radice craſſiore, & flauicante in* Recchi *exempl.*

Pag. 63. Cap. 29.

Hoaxacan lignum ſanctum Guaiacum. *Aliam Iconem foliorum paucitate, & florum in globum compactorum multitudine variantem exhibuit* Cluſius *in lib. Exotic. & ſcholijs ad* Monardum *fol. 314. & fructibus multis racomatim dependentibus: & folijs ſiue lobis quaternis, vel ſenis in ſingulis petiolis rotundis ferè: quam ibidem vide: nam ſimilibus etiam fructibus à Collega noſtro depingitur, & deſcribitur; cui floribus, & fructibus non parùm accedere videtur, ſed non folijs planta Yzquixochitl fol. 69. cap. 37. vt icon oſtendit.*

Pag. 66. Cap. 31.

Yzquixochitl. *Huius Radix iterum radices emittens in* Recchi *exempl. depingitur, caules geniculati, &*

Cayolizan. *folia ſerrata, pollices quatuor latitudine, & dupla longitudine.*

Pag. 67. Cap. 32.

Nanahuaquahuitl. *An idem ſit nomen, Y in O tantùm mutata, cuius Icon adeſt fol. 389.*

Pag. 68. Cap. 35.

Quauhtlepatlis. Nerium. *Nerium noſtro Calo, non lac, ſed copioſum luteum ſuccum Apocyno ſimilem, quod alij pro Aſclepiade vſurpant, habet, in radice tamen albũ copioſum lac emittit, quod Amicis, & F. Donato de Eremita, in cuius horto radicem, & ramulos excidimus, oſtendimus, & hìc annotatũ voluimus, vt quid amplius diceremus. Sic etiam in Periplocis obſeruatur, & vulgari Aſclepiade, vt in noſtro Phytobaſano expoſuimus multis abhinc annis; vt & in Conuoluulis, nam pennatus Conuoluulus ſub nomine Quamoclit à nobis depictus, in noſtro Volumine minus cognitar. ſtirp. copioſum flauicantem, & acrem, aliæque Plantæ dilutum ſuccum habent, cum nouellæ ante caulis perfectionem, deinde craſſeſcentem, & albicantem, vt in Cichorio, Lactuca, & alijs obſeruare licet. A noſtrate Nerio magnitudine differt folijs longitudinis pedalis, & latitudine pollicum trium cum dimidio, & quod neruuli foliorum circa folij ora coniungantur. Notandum etiam non tantùm à* Dioſcoride, *ſed & à* Nicandro *contra ſerpentium venena vtile hominibus prædicari, quamuis Animalibus noxium, ſed vt Collega noſter doctiſſimè animaduertit, debità doſi, & modo vtendi.*

Quamoclit Conuoluulus pennatus.

Pag. 69. Cap. 35.

Xiloxochitl. *Folia, vt in Agno caſto, & Caſtanea Equina, ſunt compoſita quina, quorum ſumnum maiuſculum, media minora, reliqua minima, vt dupla parua à maioribus ſuperentur, vt in Plantis, quibus comparata ſunt, obſeruatur. Huic latiora, & in ſummo magis lata, neruulis obliquis, & circa foliorum ora coniunctis. Maius & medium folium longum eſt pollices ſex, latum quatuor. Flores piloſi in ſummo luteſcentes, reliquum coccineum: baſi includuntur quinque foliata calycis vice, ex viridi coccinea in imo, & lateribus. A* Ioanne Pona Veronenſe *Natura-*

lium

lium studiosissimo, in suo monte Baldo *italicâ linguâ edito Planta depingitur herbacea trium cubitorum altitudine, flore veluti ex hac Icone excepto, adeò simili, verùm foliys siue lobis septenis non quinis, reliquis in totum eandem Plantam, & figuram referre videtur. Nomen ei italicè* Bambagio Indiano *imposuit, quod idem est, quod Gossipium Indicum latinè.* Bambagio Indiano.

Pag. 69. Cap. 37.

Similitudo floris duplex ab Auctore refertur, quam ex Recchi *exempl. sic expressam vidimus. Flos basim habet virentem magnam quinque foliatam, vt est ipse flos, qui albus exiguo flauicante umbilico, ex quo stamina plura virentia prodeunt. Fructum habet in acutum desinentem, distinctionem valuularum per medium ostendentem, vt Guaiaci ligni, à Collega nostro depictum, colore ex viridi purpureo fusco luteis punctis inscriptum. Folia longa pollices quatuor, lata pollices duos.* Yzquixochitl.

Pag. 70. Cap. 38.

Si Auctor pro acinis siliquas posuisset, facilè ad Anagyrim referri possent Icon, & Vires. Siluit (Auctor) foliorum numerum ternarium in pictura expressum: & Saluiæ similitudo vix aptari posset, nisi quoad magnitudinem intelligere voluisset. Tlalamatl.

Eiusdem nominis est alia Planta longè differens ab ista, fol. 420, *sed fol.* 451. *adest alia Icon similis sub Synonymo vocabulo Yztacllalamatl.* Yztacllalamatl. Chatalhuic Cassia siluestris.

Pag. 71. Cap. 39.

In Recchi *exempl. Siliqua bipedalis depingitur Cassiæ solutiuæ modo, & folia pennata senis lobis vtrinque, vnico in summo, obscurè virentibus, & latis pollicem, sed longis pollices duos cum dimidio.*

Pag. 75. Cap. 41.

Folia lata pollices duos, longa duos cum dimidio, in flore stamina sunt ceaceruata lutea, apicibus coccineis, & floris diameter aquat pollicem vnum cum dimidio. Acbiotl.

Pag. 75. Cap. 42.

Huius arboris caudex ab Auctore Columnæ formâ describitur, idcirco Illustrissimus & Excellentissimus Princeps Federicus Cæsius Lynceorum *Institutor & Princeps* Columniam arborem *nobis dixit, vocariq. iussit, quapropter hoc loco adnotauimus, ne non tanto Principi obsequi videremur.* Palma Bahiocoyolli. Columnia Princ. Cæs.

Pag. 76. Cap. 42.

Yccotl, *seu Palma montana. Huius Icon prætermissa, sed fol.* 443. *reposita est.* Yccotl.

Pag. 79. Cap. 46.

Primæ Iconis fructus maturi rubescentes, & sanguinei, Punicæ fructibus æmuli longi pollices septem, lati tres cum dimidio, striis undosis. Secundæ verò radix flauicat, sicut & caudex. Folia obscurè virent in superna parte, infernà verò candicant. Flores quinque partiti colore dilutè carnei rosei. Fructus longi pollices quinque, lati tres aut magis, rotundiores primis obscurè flauicantes maculosi & venenosi. Vide quæ Clusius *Exoticorum de Cacao fructu & Cacauate moneta eiusque arbore tradit lib.* 2. *fol.* 57. Cacauaquahuitl. Quauhpatlathli.

Pag. 82. Cap. 47.

In Recchi *exempl. fructus in summo colore rubente per longum hians, & ostendens quinque semina ex cinereo cærulea per ordinem digesta, & in imo rotundus flos nigro purpurascens ex calyce virente, ac purpurascente prominens. Huius autem nominis* Amacoztic *siue Tepeamatl duæ describuntur species, alterius iconem, fol.* 409. *reperies.* Amacoztic.

Pag. ead. Cap. 48.

Folia longa pollices quinque, lata pollices tres cum dimidio in Recchi *exempl.* Cepalxochotl.

Pag. 84. Cap. 50.

Nobis ex semine nata Planta folia protulit ex aduerso bina cauli opposita, illaque pennata, an hoc eueniat dum parua est, vt in plerisque obseruauimus, incompertum est, cùm adultas non viderimus, quia nostro Cælo hyeme perierunt. Vide Alpinum, *qui historiam, & Iconem Plantæ à nobis obseruatæ respondentem proponit, &* Garziam *cum* Clusij *notis in lib. Exotic. fol.* 271. Tamarindus.

Pag. 85. Cap. 51.

Gomara *eadem habet ferè in historia generali cap.* 67. *qui varietatem in fructu hispanicis pomis* Camuesas *appellatis similes referens, modò rotundos, modò alia forma omnino viridi, forisq. Mespili modo coronatos esse ait; quæ* Clusius *in suis Exoticorum scholijs addidit ad* Monardum *fol.* 346. Xalxocotl.

Pag. 87. Cap. 54.

Quauhnyohuatlis 1. — *De Auellanis purgantibus vide* Monardum,& Cluſium *in ſuis Exoticis fol.* 334. *qui etiam fructus depinxit.*

Pag. 87. Cap. 55.

Quauhnyohuatlis 2. Caſſia fiſtula. — *Vide* Acoſtam, *&* Cluſium *fol.* 271. *Exoticorum, & etiam* Garziam. *Sed ab his diſſentit* Monardus, *qui folio Pyri eſſe retulit. Aliam foliorum Iconem ponũt* Lobelius *&* Bauhinus, *ſed ſimplici flore. Meliorem hiſtoriam, & Iconem ex* Alpino *petendam eſſe cenſemus in libro de Plantis Aegyptiacis.*

Pag. 88. Cap. 56.

Quauhnyohuatlis 3. Pinei Cathartici. — *Radix dilutè ex flauo ad carneum colorem declinat in* Recchi *exempl. fructu longitudine pollicis vnius cum dimidio, & latitudine vnius colore luteſcente. Appellatur in* Mexico purgatiua de ſanto Domingo.

Pag. 89. Cap. 57.

Purgatiua de S. Domingo. Quauhtlaxlatzin. — *Folium longitudine dodrantali, latitudine pollices octo, & circa petiolum lunatum, ſed fructus, vt depingitur, non videtur deſcriptioni reſpondere.*

Pag. 90. Cap. 60.

Anona. — *An ſit eadem cum Anona* Ouiedi, *quam refert* Cluſius *Exoticorum lib. 2. fol.* 229. *ad cap. de Mangas.*

Pag. 93. Cap. 66.

Aueuetl. Abies Mexicana. — *Rami purpuraſcentes ex fuſco obſoleto; foliorum petioli palmum longi; fructus ſquamoſi, veluti Pinus, qui perfectiores, reliqui globuli rotundi veſicæ ſunt, in quibus oleum ſolet reperiri.*

Pag. 95. Cap. 71.

Capolin. — *Flores ex pallido candicantes quinquepartiti, in* Recchi *exempl.*

Pag. 97. Cap. 76.

Tepeyzquixochitl. — *Huius nominis Tepeyzquixochitl prætermiſſam iconem habes folio* 411.

Pag. 99. Cap. 82.

Papaya Orientalis, ſiue Pepo arboreſcens.

Eiuſdem nominis Planta ab Auctore noſtro propoſita eſt in Occidente, & vt ex ipſius hiſtoria, niſi eadem ſit, eiuſdem generis eſſe videtur: quare hanc rariorem orientalem addere viſum fuit, icone appoſitâ, quæ in occidentali Papaya defuit. Ex ſemine nata anno 1626. Neapoli *apud doctiſſimum* D. Marium Schipanum *Virum omni doctrinarum genere præſtantiſſimum, obſeruare contingit. Ex fibroſa radice candicante caulem protulit duùm dodrantum longitudine, digitali craſſitie, leuem, candicantem, fungoſum, rotundum, non abſimilem Ricini cauli, eodem modo interſectum ex deiectione foliorum ex imo deciduorum: folia longo petiolo alternatim obliquè in gyrum hærebant à medio ad ſummum, illaq. lata quoquouerſum quatuor, vel quinque vncias, quinquepartita veluti Ficulnea, ſed partes illæ profundis admodum ſinibus diſſectæ, vt non parum accedant illis Anguriæ, ſiue Citrulli officinarum Lobelij, leuia, dilutè virentia hilarique aſpectu: quæ hyberno frigore omnia deciderunt, & caulis deinde paulatim à ſummo tabeſcens, cum radice tandem vnà periit. Huius Plantæ ſemen ex Oriente cum alijs rarioribus Naturæ donis poſt duodecimum ſuæ peregrinationis annum ad nos tulit Nobilis ille Romaniq. animi peregrinus* D. Petrus de Valle, *de quo ſuprà. Ab eodem, quæ nos per epiſtolam de huius Plantæ naturâ accepimus, nunc proferemus. Arboreſcentem eſſe Plantam, & aſpectu non diſſimilem noſtrati Ficui, hilariorem verò: illius flores non vidiſſe in India: fructum verò eſſe vulgari noſtrati Melopeponi ſimilem, ouali effigie, minorem, leui & virente cortice, nullis aut vix apparentibus ſtrijs.*

ſtriÿs: Internà parte carnem habentem Aurantÿ colore ſaturo, ſapore dulci noſtratibus ſimili, ſed quid ampliùs aromatici præ ſe ferentem, vt gratiùs quid ſapiat: Fructiferam etiam ſatis eſſe aſſeruit, & ſemen colore nigreſcente, dum recens, & poſtea, vt ex ſeminibus allatis didicimus, ad caſtaneum dilutum inclinans exiccatum, quod Coriandri ſemen æquat craſſitie, verùm oblongius, & densè aſperum. Sectum medullam oſtendit parum candicantem, ſapore dulci ad oleoſum accedens, vt in rancidis noſtratibus Melonibus euenit diuturnitate, nam biennale, & magis erat. Addit etiam fructuum petiolos ante maturitatem Fici modo lacteſcere, ex quibus eadem cum illa ab Auctore noſtro deſcripta videtur, eò magis cum in Oriente aduena Planta cenſeatur. Ramoſa non minus quàm Ficus, ſed quia nos non niſi nouellam ex ſemine quadrimeſtrem Plantam obſeruauimus, qualem vidimus depinximus. Fructum verò ex relatione ouali formà.

IN LIBRVM QVARTVM.

Pag. 102. Cap. 1.

Folia lata pollicem, longa duplum. Tlepatlis alia florida icon, eſt fol. 429. — Tlepatlis.

Pag. ead. Cap. 2.

Folia lata pollicem vnum cum dimidio, longa duos. Flores ex ſquamoſis calycibus exigui compacti, veluti in plantis corymbiferis. — Chillapatlis.

Pag. 103. Cap. 4.

Huius flores Herbarij Galericulatos appellant ab effigie, ſicuti in omnibus ſimilibus odoratis, & acribus plantis coronarijs, & condimentarijs. — Hoitzitzilxochitl.

Pag. 104. Cap. 5.

Folia in Recchi *exempl. veluti obliquè ſquamoſa lineis depinguntur, quia forſan coniuncta veſperi erant, vt in Acacia, & alijs obſeruatur. Florum ſummum veluti capilli lateſcentes, reliquum coccineum. Siliquæ dependent ex illis, deinde plures ſimul extuberantibus intus ſeminibus craſſis, colore flauicantes.* — Tlacoxilexochitl.

Pag. 105. Cap. 6.

Huius nominis alia eſt Icon latifolia, & altera tenuifolia multùm fol. 418. ex his, quæ ſine hiſtoria ſunt, Sed aliam cum hiſtoria vide fol. 231. cap. 20. — Tlacoxochitl.

Pag. 106. Cap. 8.

Folia longa pollices quatuor cum dimidio, lata ferè duos. Flores lutei ſquamoſi ex calyce virente noſtratem Diaboli morſum dictam Plantam refert. Tlacococtic alterius generis, vt videtur Icon ſine hiſtoria eſt fol. 426. — Tlatlacotic.

Pag. ead. Cap. 9.

Radix flauicat, ramuli geniculati, & alas habentes in imo petiolo Geraniorum modo, vel Leguminoſorum ritu. Floſculi veluti galericulati. Vide aliam ſimilem Iconem, & eiuſdem nominis, & cognominis fol. 451. quo loco alias plantas eiuſdem nominis Yztacpatlis plures reperies inter ſe longè differentes, vide alias cum hiſtoria, fol. 151. 152. & 197. — Yztacpatlis. Yztacpatlalia.

Pag. 107. Cap. 10.

Folia longa pollices duos, lata vnum. Flores valde ſimiles Arabico Iaſmino, ſiue Sambac Aegyptio ab Alpino *deſcripto, octonis foliolis, ſiue angulis quaternis, decuſſatim ſuper alijs inſidentibus, ſtaminibus intus luteis ex calyce cruciato virente prodeuntes.* — Acuiloti.

Pag. 108. Cap. 11.

Folia longa dodrantem, lata pollices quatuor: Floris folia violaceo colore, apicibus luteis in medio. Planta videtur ex genere Solani, vel Mandragoræ ſpecies ferulacea, fructu racemoſo Theophraſti. — Huitzimatzin.

Pag. 112 Cap. 15.

Eiuſdem nominis, ſed diuerſi generis eſt depicta, fol. 355. — Axixpatlis.

Pag. 113. Cap. 16.

In Recchi *exempl. ſumma folia bina in ſingulis petiolis latiora ſunt, & maiora: reliquis decreſcentibus circa ramulos, lata pollicem, & longa duplum. Flores ſeptem foliolis conſtructi ex flauo rubeſcentes, ſtamina intus habentes craſſa, & obliqua. Ecapatlis imago altera maior eſt expreſſa, fol. 376.* — Ecapatlis.

Pag. 114 Cap. 18.

Macaxcui, Datura. *De Datura in noſtro Phytobaſano multis abhinc annis, quæ ſcire potuimus retulimus, & quid apud Antiquiores eſſet, propoſuimus in Cap. de Solano manico, & infra lib. 8. cap. 28.*

Pag. 115. Cap. 20.

Tocizquich *Radix flauicans, folia longa pollices tres cum dimidio, lata duos, vel amplius. Flores lutei veluti Phialæ angustæ, & oblongæ.*

Pag. 116 Cap. 21.

Xtlcpatlis. *Secundæ Iconis foliorum ſimilitudo etiam ad Maluæ ſpeciem ſiue Alceæ laciniatis foliis referri poteſt, non enim foliorum imago tantùm, ſed potius floris & fructus ſpeciem Plantarum deſignant, vt diximus in 2. par. minus cognit. ſtirp. à nobis edita cap. 27. Geranios Auctor noſter ſub nomine Tlatlauhcapatli roſtratis fructibus infrà deſcripſit lib. 8. cap. 48.*

Pag. 117. Cap. 22.

Atlatzopillin. *Folia pollices ſeptem diametro quoquouerſum, obſcurè virentia flores ex baſi foliata, & calyce prodeuntes oblongi coccinei ſaturi, capitatum apicem habentes effigie Maluaceæ, vel Altheæ modo, vt Collega noſter rectè notauit, cuius varietates videntur Bammia Aegyptia* Alpini, & *Sabdariffa* Lobelij, *quarum folia magis vitiginea, vel cucurbitina, vt etiam Abdelmoſch* Ioannis Ponæ *Veronenſis in ſuo* monte Baldo. *Differunt verò fructus cacumine acutiore, & flore luteo.*

Pag. 118. Cap. 23.

Cocoztamati Vrinaria. *Bryoniæ congener non tantùm ex effigie, & deſcriptione, quàm ex viribus videtur. Folia in* Recchi *exempl. quinque pollices æquant diametro quoquouerſum, neruulis ſiue venis criſpis ramoſis pallentibus, colore ſunt diluto ex viridi, petioli contorti, radix verò obliquè rugoſa.*

Pag. 120. Cap. 26.

Cacapipiloloxoduti. *Radix colore inter carneum dilutum, & flauum fuſcum. Folia longitudine bipollicari obtuſiora in ſummo. Flores veluti pulpoſi ex flauo rubeſcentes noſtratis Periclymeni ex carneo rubeſcunt externè, ſed in valle* Campoclarenſium *luteis floribus, & vulgari maioribus obſeruaſſe meminimus Iunio menſe.*

Pag. 121. Cap. 28.

Curaqua Braſilium. *Radix in exempl.* Recchi *magis fibroſa depingitur, colore caſtaneo diluto, & maculoſa, ramuli geniculis purpureis, & flores veluti lutei vtriculi: folia atro virent.*

Pag. 123. Cap. 31.

Xiuchcocolin. *Folia longa pollices tres, lata duos, & contortæ ſummitates, ſint ne flores, fructus vel ſiliquæ, vix ex* Recchi *exempl. colligere potuimus, omnia namque viridi ſunt colore, & indiſtincta, vt teneræ potius videantur germinationes.*

Pag. 124. Cap. 33.

Mexochitl. *Ad Nerij ſpeciem etiam referri poſſet.*

Pag. 127. Cap. 37.

Tlatlancuaye. Piper longum. *Prima Icon longè differt à ſecunda, nam illius folia ſunt quinqueneruia parua, longa pollices duos tantùm, & rotundiora geniculis ramulorum rubentibus, quod in fructus Icone tantùm è regione eſt expreſſum. Secunda Icon folium habet longum pollices octo, latum duos cum dimidio, venulis criſpis admodum.* Cluſius *aliam Iconem expreſſit fructus tantùm ex* Monardo *in Exoticorum volumine fol. 342. ſimilem Iulo, ſiue Spicæ plantagineæ, cuius ſapor & odor orientali magis iucundus, & validus percipitur.*

Pag. 128. Cap. 40.

Huapahuaizpatlis. *Huapahuizpatli ſi eadem ſit cum Huapahualizpatli hoc loco deſcripta, duas alias Icones reperies fol. 379. quarum ſecunda floribus reſpondere videtur.*

Pag. 128. Cap. 41.

Yllamatlanthis. *Huius Iconem habet fol. 443. quam vide, & hoc loco repone.*

Pag. 129. Cap. 43.

Xiopatlis. *Xiopatlis nomine Icon eſt fol. 418. ſine foliis, & ſiliquis in ſumma multis, quæ non deſcribuntur in hac hiſtoria, quare alterius ſit generis ambigitur.*

AD

AD LIBRVM QVINTVM.

Pag. 134 Cap. 2.

Flores villosi, in extremo purpurei, in imo candicantes, ex calyce virente, & folia quina ramulis simul hærentia, fructu rotundo, & in apicem non desinente. Planta proposita à descriptione, vt Collega noster notauit, non parùm abesse videtur. Acxoyatic.

Pag. 138. Cap. 3.

Primæ Iconis fructus à dextris, Quauhchilli, colore est sanguineo coccineo: à sinistris sunt, Totocuilatl exigui fructus, quorum dexter colore rosaceo saturo: alij simul à sinistris coccineo saturo. Fructus inferior à dextris Chichimechachilli colore roseo saturo: sinister verò nomine Pochehoachtli colore purpureo violaceo parùm. In secunda tabella maior fructus Tlalchilli, colore roseo, saturo, fusco. Chilli Capsicum Mexicanum.

Pag. 139 Cap. 4.

Potiùs ad Tithymali speciem, quæ Apios dicitur, referri censeremus, radice tuberosà, fructu ex pelui prodeunte, cuius semen non obest, quod dulce gustu percipiatur, nam Lathyridis semen; Dioscoride *teste, sine cortice dulce gustu esse dicitur. Et quamuis huius Plantæ folia longa sint, atque tenuia, & plura ex geniculis simul prodeuntia, quod alijs Tithymalis videtur alienum, nisi in summis ramulis, ex quibus comæ, & vmbellæ producuntur; vires tamen præter effigiem, & vsus cum reliquis notis illam ad tale genus remittere videntur. Nerium verò nobis lac habet in radice, & luteum succum in reliqua planta, vt Apocynum, veluti suprà diximus.* Chichimecapatlis.

Pag. ead. Cap. 5.

Alia eiusdem nominis Icon reperitur fol. 367. Chilpatlis.

Pag. 140. Cap. 6.

Sub vocabulo Synonymo Hoitzitzitentli exactior Icon adest fol. 378. Hoitzitzitentlis.

Pag. 141. Cap. 7.

Folium longum pollices tres, latum duos, obscurè virens non modò, vt Collega noster ait, ad Clematidem Cruciatam præsertim, sed etiam ad Periclymeni speciem referri posset ex Icone, nec minus ex viribus, quàm ex effigie Asclepiadis, nisi acrimonia summa prohiberet. Chilmechatl.

Alio nomine dicitur etiam Tcha, vt ab Auctore refertur, cui Tchatomac dicta, cuius Icon fol. 441. *non videtur absimilis.* Tchatomac.

Pag. ead. Cap. 8.

Folia lata pollices duos, longa duos cum dimidio, obscurè virentia: ex Recchi *exempl.* Cocotemecatl.

Pag. 142. Cap. 9.

Aliam eiusdem nominis, sed alterius generis cum sua historia reperies fol. 158. Cocoxihuitl.

Pag. 143. Cap. 11.

Viribus acribus, & natalibus cum reliquis accedere videtur ad Crocodilij vires, vt etiam ex Galeno, *sed effigie ad Dipsacum, veluti iam Collega noster animaduertit.* Cohayelli.

Pag. 144. Cap. 12.

Folia lata pollicis dimidium, longa pollices septem. Flores Rapuntio similes, latiores quàm in Icone ex Recchi *exemplar.* Cocoyatic.

Pag. 145. Cap. 13.

Folia longa pollices quatuor, lata duos cum dimidio. Iuli ex viridi-flauo purpurascunt, pilosi, & longi pollices tres cum dimidio. Radix ex viridi-nigro purpurascit nodosa, fibris albis. Mecaxochitl.

Pag. 146. Cap. 14.

Folium obscurè viret in Recchi *exemplar. magis lunatum circa petiolum. Flores pallentes ex albo-virente, nec hiantes.* Oliliuhqui.

Pag. 148. Cap. 18.

Planta Cæsia.

Tuxpatlis Cæsia.

Exhilarans animos intuentium Cyaneus color, siue Cæsius in huius rarissimæ Plantæ radice ab Auctore nostro obseruatus, qui in nullis alijs tam veteris, quàm noui Orbis Plantis, quod sciamus, huc vsque fuit notatus: ac etiam eximiæ, & aromaticæ facultates plures, quas Auctor noster Cæsia radix rara.

noſter refert, vt hiſce denique verbis concludere voluerit: quamobrem nullæ officinæ hac egregiâ herbâ carere deberent: *anſam nobis præbuerunt illam* Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo *noſtro* Principi Cæſio *dicandi, ac illius cognomine eandem nobilem Plantam decorandi. Sicuti enim iſta* Planta *hoc ipſo, quoniam in radice huius coloris vna præ alijs ſumpſit priuilegium, dici debet, & haberi rariſſima, & è tota herbarum familia in primis obſeruari: ita* Illuſtriſs. Cæſius Princeps *noſter, quoniam iuxta Natales antiquiſſimos Illuſtriſsimi generis, in quo poſt regium, & clariſſimum Pontificiæ dignitatis faſtigium, cæteri gradus dignitatum, & honorum in belli, & pacis vſu, ſummis, & clariſſimis viris, atque etiam vitæ innocentiâ, & ſanctimoniâ præſignibus, ſemper claruerunt, ac præter vulgarem tùm exteriorum, cùm animi dotum excellentiam, quæ omnem Principem exornare debent, priuatim alia quoque ſuperiora innumera prærogatiua accepit, tum id præcipuè quod, veluti iam nemini ignotum eſt, ei parum videbatur liberalium artium ſtudia amaſſe, nobiliores ſcientias, & diſciplinas tractaſſe, imò omnium naturalium rerum, & hyperphyſicarum ſapientiam pectore ſuo comprehendiſſe, niſi harum perſequendarum, in alios quoque corriuaret amorem non ſolùm, ſed & promouendarum nouo inſtituti genere omnibus Principibus admirandum daret exemplum. Vt ita meritiſſimò* Cæſius *alter, quaſi Iouis filius & γλαυκώπιδος, Cæſiæ Mineruæ frater dici poſſit, ſi antiquo, mythologico quidem more, laudes exprimere velis, ad quem adeò huius verſus ſcribendi cauſam olim habuimus:*

Dux tibi Lynceidum Cæſi, Lynx, Cæſia Pallas,
Cedunt: mente, oculis nam tibi cuncta patent.

Neque hæc tantùm Cæſia Planta optimo iure, ſed & reliquæ quæcunque iſtius ampli voluminis, & ipſum Volumen, Cæſium ferre nomen, Cæſiumq. dici debet, dum noſtri Principis Cæſij *ſedulitate, magnanimitate, ac liberalitate, ſtudijsq. ſimul ac ſumptibus, & quidem ingentibus, quibus ipſe latè proſpicere publico omnium voluit bono: in mortalium manus editum producetur. Parum autem hoc tanto Principi! Plura* Lynceorum *namque volumina varia, eiuſdem liberalitate, ac paterno erga ſuos* Lynceos *affectu, & effectu iam impreſſa multis abhinc annis per Orbem vagantur, nec liuor, aut inanis latratus obſtant vel minimum, prorſus enim illi poſt habentur, (ſi quoſdam habent:) multa etiam ſub prælo ſunt: nullis parcit ille expenſis, vt ex* Lynceorum *ſtudijs reſpublica litteraria iuuetur. Quapropter omnes Orbis Vrbes tanto* Principi *veroq.* Mecœnati Cæſio, *& huiuſmodi ſtudij Promotori plurimùm ſicuti debent, ita eius imitatoribus, eiuſque operibus ipſis, nullo modo carere deberent, quod & de Planta ipa Cæſia* Recchus *Auctor noſter affirmat. Quid autem nos vlterius impulerit, vt hanc potius Plantam quàm aliam, quæ cyaneo ſiue cæſio colore in flore præcipuè micaret, aſpectuq. forſan gratior videretur, elegerimus tanto conſtituendam Principi, paucis dicemus.*

Cæruleo ſiue Cæſio colore florentes plantæ adeò ſunt vulgares, vt nullus ſit olitor, qui in ſuo horto, vel ſaltem Cichorium non habeat: rarioremq. in floribus cyaneis effigiem nullam, quæ nos ad hoc excitare poſſet, adhuc cognouimus. Hanc etſi non floridam, quod & obijci poſſet, id ab Auctore noſtro potiùs dubitanter his verbis aſſeritur, & flos, vt aiunt, nullus: *quapropter nullâ obſeruatione contrariâ exiſtente, quod flore omnino careat, nõ deſperandũ exiſtimauimus, quin florida eſſe poſsit, quamuis Cæſius in flore non adſit color. De Plantis ex Filiceorum, & Capillarium genere, quod flore, & fructu careant, iam diu recepta eſt opinio, etiam teſte* Dioſcoride: *ſed vt maximum medicæ materiæ Virum illum omnibus præferendum, defendere videamur, cui præcipuè mortales omnes debent, & nos priuatim, illud intelligendum exiſtimamus, quod ſcilicet conſpicui vulgò ſint, non quod doctis, & curioſis naturalium indagatoribus ſint occulti, & ignoti: Et quamuis Auctor noſter Plantæ folia ſimilia Polypodij folijs minoribus, ſed virentioribus poſuerit, illud* virentioribus *differentiam parit, vt non ex Polypodij, ſed ex alterius genere eſſe poſsit: ex quo noſter doctiſsimus Collega, ad Acanthi foliorum diuiſuram accedere dixit, atque ob id floridæ Plantæ affinem: ſed quod non modò effigie ſit Polypodio ſimilis, foliorũ ſcilicet diuiſura conceſſa eſt, ſed etiam ipsâ ſubſtantiâ, & naturâ, quod ab Auctore, ſi ita fuiſſet, eſſet expreſſum, & ſic ex genere Filiceorum. Floridam, & fructiferam eſſe adhuc Plantam hanc, aſſerendum duximus, & mirum in modum, quod etiam non modò à nobis iam multis abhinc annis eſt obiter annotatum, ſed etiam ab* Illuſtriſs. *noſtro* Principe Cæſio *inter multa alia præclariſsima cogitata, & ſcripta in volumine illo, cui vt nobis relatum, titulus;* De Plantis imperfectis, *elegantiſsimè atque doctiſsimè diſſeritur, & demonſtratur.*

Cæſia mirè florida, ac fructifera.

Quid

Quid enim vetat, quod omnium mater Natura plantis tribuerit alio vel alio loco vterum & fœtum gerere, & excludere magis, minusq. conſpicuum? Et ſi Ruſco, Hypogloſſo & Lauro Alexandrinæ flores, & fructus in ſummo foliorum conſtituit conſpicuos quid mirum; in Filiceis & Capillaribus, ſi in eorum dorſo non tam conſpicuos, ſed paruos adeò naſci voluit? quos nullo in his diligenti examine, vel anatome præpoſita, à iuuentute adeſſe animaduertimus. Hæc ab Illuſtriſs. *noſtro* Principe Cæſio *non modò iam diu obſeruata ſunt, ſed nunc apertius demonſtrata parui illius Teleſcopij adiumento, quod mirum magnumque in modum obiecta, vel minima ob oculos diſtendit magis quidem, minusq. iuxta artificis præſtantiam, & lentis exiguitatem, & illius varietatem, imò exigua, vel Atomo paria obiecta, ita magna oculis obijcit, vt quiſque in admirationem incidat, ac Polypodij, & congenerum ſemina Piſo, vel Ciceri paria offert oculis, quæ arenæ exiguo grano paria ſimplicioribus exiſtimantur. Qui autem ſuo tempore piloſam illam extuberantiam in ſimilibus Teleſcopio paruo obſeruauerit, & flores vireſcentes magnos, & ſemina, vt diximus, conſpiciet, & inſuper in ſemine vmbilicatam partem etiam qua hærebat, & alimentum, & incrementum capiebat, clariſſimè obſeruabit, qui abſque Teleſcopio vix nigram arenulam ſplendidam conſpiciet: in hac ſcilicet piloſa flaueſcente in folij dorſo extuberantia bino ordine diſpoſitos corymbos deprehendet quinquagenos circiter flores ſiue fructus cum ſeminibus in ſingulis. Ex his non imperfectam plantam, ſed ſua natura dorſiparam exiſtimandam, & ſic perfectam, ſi etiam hæc noſtra planta ex eo eſſet genere; vnde & rariſſimam ob Cæſij coloris in radice obſeruati, & ob aromaticas facultates digniſſimam noſtri Principis cognomine decorare maluimus, illique omnino dicare.*

Plantæ quidem, vt & Theophraſtus *etiam lib. 1. cap. 1. adnotauit, non ſolùm vario loco fructum gerunt, & ſubtus folia, quarum plantarum, non inuenimus expreſſum, an de Capillaribus, & Filiceis, vti diximus, intellexerit; quod potuit fieri: vt ſupra folia, vt de Lauro Alexandrina expreſſit ſupra terram conſpicuum; ſed etiam infra terram occultum, vt defodi tellus oporteat ſi quæratur, vt in planta Arachydna, quæ Amphycarpa etiam dicitur, & obſeruata, & deſcripta fuit à clariſſimis* Carolo Cluſio *lib. 1. Exoticorum, & à* Ioanne Pona *in ſuo* monte Baldo *italicà linguà* Venetijs *impreſſo. Et quia locus videtur, addendum cenſuimus, quod ab alijs memoriæ adhuc proditum non eſt, à nobis autem obſeruatum multis abhinc annis, plantas non modò fructum edere, & perficere ſupra terram intra menſem, bimeſtre, vel trimeſtre interuallum, aut quoduis, ſed plantam quoq; eſſe, quæ integro anno vterũ cum fœtu gerat infra terrã obrutum, nec niſi poſt annum ſupra terram proferat, & perficiat. Hoc in planta euenit à nobis dicta in noſtro Phytobaſano, Epimedium, & vulgo Lunaria racemoſa, quæ Maio menſe exit ſupra terram folioſa tantùm, vel folioſa cum racemo etiam, ſic enim à terra aſſurgit, & quæ ab initio caret racemo, illo ſemper carere eſt obſeruatum; ſi enim ab initio natam produxit, nec amplius racemum apta eſt proferre. Et nos obſeruauimus in quamplurimis Plantis in Aequicolarum montibus omnes plantas in imo petiolo ſupra radicem folliculum habere quendam, veluti Ari florem exiguum, in quo plantulam exiguam veluti fœtum, complicatum extare vidimus intra folliculum vteri vicem gerentem, integram folioſam tantùm, quæ racemo vidua erat poſt annum proferenda, & quæ racemoſa, cum ipſo exiguo, ſed integro racemo conuoluta: & hoc mirum Naturæ inſtitutum! Alias plantas ſimili modo infra terram vterum gerere agnouimus, & ſuo tempore proferre, ſed non anno integro, & forſan nec medio, verùm à noua radicis ipſius extumeſcentia, vt in bulboſis quibuſdam, in quibus intra bulbum ipſum ſpicatum caulículum obſeruauimus ſuo tempore proferendum.*

Epimedij partus mirabilis.

Plantarum folliculus.

Pag. 149. Cap. 21.

Huius nominis icon tertia omiſſa fuit, cuius folia vix apparent ſerrata, lata pollices duos cum dimidio, longà tres cum dimidio, craſſis dentibus, & inordinatis parum circumſciſſa, alterà parte obſcurè virentia, alterà candicantia, radice craſsà, obſcurè flauicante, cauli ex viridi candicante. Flores inſummis ramulis copioſi, ſtellati, flauicantes, ſtaminibus fuſcis in medio, ex Recchi *exemplar. Vide fol. 183. cap. 2. lib. 6. vbi repoſita eſt, & deſcribitur. Alia etiam eiuſdem nominis reperitur icon fol. 436. cum qualitatis nota, ex* Recchi *picto exemplari deſumpta, quæ margini aderat.*

Tzecuilpatlis.

Pag. 150. Cap. 22.

Huius nominis Tchatlepatlis, alia eſt icon fol. 442.

Tchatlepatlis.

Pag. 151. & 152. Cap. 24. 25. & 26.

Ytzacpatlis. *Eiusdem nominis Ytzacpatlis præter descriptas, & depictas fol. 106. & 197. alias varias sine historia reperies fol. 450. 451. & 452.*

Pag. 153. Cap. 28.

Axixocahuizpatlis. *In* Recchi *exempl. Radix videtur tuberosa, in imo latior, colore flauicante, folia lanata pollices tres cum dimidio, & tres lata.*

Pag. 157. Cap. 29.

Cempoalxochitl. *Tubulosis floribus plantas rariores, atque aspectu iucundiores in nostra 2. part. minus cognit. stirp. proposuimus, alteram simplici flore, alteram multifloram. Polyanthon verò degenerare in magis, & minus debiscentibus tubulis, ore scilicet magis hiantibus, & barbulis longioribus, alijs verò rotunda, tubuli recisione sine barbulis; atque domesticas gallinas auidè aliorum congenerum simplici flore folia pluries sine noxa esitasse, obseruauimus.*

Pag. 159. Cap. 32.

Epazotl. *Vera Atriplex latioribus est folijs ferè trigonis, fructu foliaceo, vt aliàs diximus, viribus ferè contrarijs.*

Pag. 162. Cap. 35.

Pelonmexiquilitl. *Tricoccos fructus quos notauimus, acrimoniâ præditos esse reperimus, præsertim quibus singula semina, vt Tithymali, Chamelææ, Ricini, & similium.* Camerarius *huius plantæ iconem exactiorem habet.*

Pag. 163. Cap. 36.

Phehuame. Dioscorides *ad longæ Aristolochiæ speciem refert Clematidem, nec ob radicum longitudinem, sed viticularum Clematidem dici putamus, sicuti quæ propriè Clematis Planta dicitur. Radix flauicans, & rugosa est. Folia tripollicari diametro. Flores virentes punctis obscurè purpureis intus & extra depicti.*

Pag. ead. Cap. 37.

Piper rotundum.



Betle & Piperis foliorum differentia.

Piperis iconem hactenus elegantiorem, vt Collega notauit, doctiss. Clusius *expressit, non modò Exoticorum lib. 1. cap. 19. sed iterum in notis ad* Garziam *cap. 22. At etiam videndus est* Christophorus à Costa *cap. 17. de Pipere, in quo similitudinem, atque differentiam refert foliorum Piperis, & Betle, quam nobis anno præterito obseruare contingit, munere clariss.* D. Petri de Valle nob. Rom. *suprà memorati; cuius humanitate inter alia Exotica rariora, Piperis, & Betle folia accepimus. Horum folia quanquam inter se magnitudine vix differant, simlique modo sarmentis arbores scandentibus hæreant, effigie, atque alijs non parum distungi videntur. Piperis enim folia quæ non tribus tantum, sed quinque neruis per longum folij ferè plantagineis distinguuntur, carnosiora & solidiora sunt folijs Betle; magisq. ad oualem figuram accedentia, & inde in acutum desinentia. Betle verò ijsdem neruis tenuioribus molliora, & delicatiora sunt admodum, & circa petiolum latiora, atque in summo sinuosa, vt ipsius Coni potius quàm vllam Oui effigiem exprimere videantur. Piperis folium maius, quod habuimus, latum in medio erat vncias quatuor, & duplà longitudine, quamuis aliqua oblongiora, ac etiam obesiora reperiantur, non tamen in imo ita lata, vt in* Clusij *pictura, sed acutiora circa pediculum, qui non lignosus, sed neruosus est, dimidiâ folij longitudine, Piperisq. sapore, si dentibus teratur. Iconem ex ipso folio expressam adijcere voluimus, vt cum ob exiguitatem plantæ arborem scandentis depictæ, quædam minus rectè sint expressa, in hoc maiore folio curiosus lector magis adspicere possit.*

Pag. 165. Cap. 38.

Tacuache Michuacan. *Huius plantæ fructus nulli nostratis plantæ fructui similis est: non Cucumeri asinino; non Colo-*

Colocynthidi, quamuis flore cum dictis, Scammonio & Conuoluulis conueniat ſemine interno cum Apocynis, ſed non fructu. Nulli plantæ à Monardo *propoſitæ, nam prima illius Bryoniæ, ſecunda Scammonio, & Conuoluulis accedit, ſicuti tertia magis ſylueſtris, quæ fructum habet cartilagineo cortice conuoluulis ſimilem. Quod autem radice tuberosà varient non mirum, cum alijs eueniat: quare hucuſque ſui generis, vel media inter illas eſſe plantas videri poteſt. Folium iconis cum fructu longitudine quatuor pollices æquat, latum tres, colore viridi-cæruleo obſcuro: fructus ex albo flauicat obſoletè. Eſt & alia icon in* Recchi *exempl, eiuſdem nominis Tlalantlacuacuitlapilli, cuius radix craſſa eſt, & carnoſa, ſed in fibras multas deſinens, colore caſtaneo pallente, viticulæ longæ nodoſæ, folia rotunda lunata, fructus veluti ouum, longitudine pollices quatuor, craſſitie pollicum duorum cum dimidio, exiguis maculis vt punctis depictus, colore obſcurè virente.* *Tlalantlacuacuitlapilli.*

Pag. 166. cap. 39. *Teoquilin.*

In Recchi *exemplar. caules ſquamoſi virentes, folia lata bipollicaria: Iuli, ſiue ſiliquæ, aut fructus ex dilutè viridibus-flauicantibus punctis notati.*

Pag. ead. cap. 40. *Tlatlaubcapatlis.*

Aliam iconem vide fol. 428.

Pag. 167. cap. 42. *Tztaclexcaltlacotl.*

Radix intortis fibris, colore caſtaneo. Flores terni in ſummo ramulorum colore purpureo, violaceo, calyce albicantes.

Pag. 168. cap. 44. *Xoxonacatic.*

Si quis noſtrates bulbos acrimonia præditos experiretur, facilè catharticas vires inueniret, Colchico meliores atque innocentiores. Græci vim Scillæ ventrem emolliendi tribuerunt ex bulbaceis, non eſculentis, nam Cæpa, & Allium bonam facere aluum tradunt.

Pag. 171 cap. 47. *Atzoyatl.*

Hirſutis folijs adhuc nobis inuiſa congener, fieri tamen poſſe arbitramur loci varietate, nam Cichorium dulce à nobis in noſtro volumine propoſitum in montano natali loco, & frigido hirſutum eſt admodum, tranſlatum, & cultum Neapoli *omnem hirſutiem depoſuit, ſic etiam in Sanguiſorba, & alijs obſeruatur, & maritima Braſſica oleracea.* Mutatio in plantarum hirſutie. *Congenerum verò flores varietate eleganti obſeruauimus, nam alij ſunt longo tubulo, alij amplo, & patulo ore, alij rubentes, alij purpuraſcentes, alij albi, alij luteſcentes, alij mixti ex duobus coloribus diſtincti, in quibus aliquando alius magis albicat medietate, alius magis rubet, ſic alijs coloribus, alij inſcripti lineis, & variegati verſicolores.* Florum in hac varietas.

Pag. ead. cap. 48. *Cocoquaquilitl.*

An voluiſſet Auctor deſcribere plantam vulgatiorem nobis, Fior Velluto *appellatã ab Herbarijs, ex Caryophyllis hiſpanicis, ignoramus; folijs non parum congeneribus accedit, flore verò ſi ita ſit minus rectè depicto; obeſt etiam Naſturtij odor. In* Recchi *exempl. non fuerunt folia omnia depicta in ramulis, ſed tantum initia, vbi erant apponenda, quare ſculptor etiam hic mutilam expreſſit figuram.*

Pag. 173. Cap. 50. *Chichiualmemeya.*

Folia dodrantem longa ſunt, & lata pollices duos. Radix veluti nodoſa, caſtaneo colore diluto; & flores, qui deſcribuntur vaſculis ſimiles, non ſunt expreſſi, ſed tantum Siliquæ modo, Chilli, Siliquaſtri ſcilicet in acutum deſinentes rubentes, & in ſummo ad luteum vergentes cum virore, & aliæ minores in ſummis ramulis virides ſunt, ad rubedinem parum inclinantes, nec aliquo modo hiant, vel floris imaginem referunt, quare adhuc cuius ſit generis nos ignorare fatemur.

Pag. 177. Cap. 51. *Pyciele* Tabacus.

Planta propoſita, vt ex icone colligi poteſt, minori ſpeciei ſimilior videtur, quæ ab Herbarijs dubius Hyoſcyamus dicitur, pallentibus floribus: in alijs maioribus, & vulgatioribus flores ex candido, vel pallente rubeſcunt. In hac planta, vt Recchi *exemplar habet, pallente ſunt colore flores, & folia rotundiora in ſummo, quæ in vulgaribus angusta ſunt admodum circa flores: Vide* Monardum *cap.* 14. *&* Cluſium, *qui in ſuo Exoticorum volumine duas elegantes icones propoſuit, & depinxit.*

Pag. 178. Cap. 53. *Tlanoquiloni.*

Potius ad coronarias plantas capitatas, vt Stoechadis, Thymi referenda: floſculi depinguntur ex capitulis prodeuntes cærulei, vt in ſimilibus obſeruatur.

AD LIBRVM SEXTVM.

Tzoculpatlis altera.

Pag. 183. Cap. 2.

Radix in Recchi *exempl. flauicans obscurè, folia lata pollices duos cum dimidio, longa tres cum dimidio, crassis dentibus inordinatè serrata, altera parte candicantia, flores stellati staminibus fuscis. De hac quoque verba fecimus in lib. 5. cap. 21. vbi duæ aliæ describuntur. Vide etiam fol. 436. aliam iconem eiusdem nominis, & facultatis, floribus inter folia in iconibus alijs cum nominibus.*

Axixcocahuilixpatlis

Pag. 183. Cap. 3.

Hæc flores habet à leguminosis alienos, quinquepartitos, staminibus intus multis nigris, & siliquas oblongum semen vnicum continentes, vt ex Recchi *exempl. figura colligitur, quare vix inter leguminosas reponenda, non enim omnes plantæ siliquas proferentes leguminosæ idcirco censeri debere videntur, nos enim potius à flore dijudicaremus.*

Cenanam Tezcoquensis.

Pag. 185. Cap. 6.

In Recchi *exempl. flores depinguntur coccineo colore ex calycibus virentibus, altero verò ramulo basis coccinea, & flos insidens luteus: forsitan coloris varietatem in flore ostendere voluit. Siliquæ semine flauicante, lanugine candida oblonga dependente refertæ. Pictura non habet folia obtusa, nec maiora longitudine pollicum quinque, & latitudine vix digitali: Quare non parum Nerium vel eius speciem, aut congenerem hirsutam plantam folijs, vt in siliquosa Lysimachia dicta obseruatur, in palustribus nostratibus, binis hirsutis folijs referre posset: Nos in Vinca peruinca vulgari cæruleo flore Neapolitana succum lacteum, vt in Asclepiade luteum sicuti in Nerio, amicis Herbarijs ostendimus perpetuò obseruandum, vt ab opinione contraria discederent. Huius nominis Cenanam, reperitur altera icon cognomine Tezcoquensis fol. 362. Et altera de Quahunahoac fol. 361. quæ similes, & congeneres videntur.*

Ciuipatlis Hemionitila.

Pag. 186. Cap. 7.

Nullam ex Dioscoride *nos Hemionitin agnouimus pennatis folijs, & ignorare fatemur de qua noster Auctor intelligat, nisi Trichomanen accipiat, quam alio nomine pro Hemionitide acceptum non reperimus: nisi pro Hemionitide* Dioscoridis, *Asplenj delineationem intellexerit folijs Polypodij. Nam Hemionitidis veræ folia lunata Dracunculi modo describuntur (quibus secundæ iconis plantæ magis accedere videntur) & descriptioni respondentia, bina cauli hærentia, & reliqua.*

Cocoxxochipatlis.

Pag. 188. Cap. 8.

Nouum est in Asteribus radices tuberosas dependere, vt in hac planta depinguntur, quæ an alijs Buphthalmicis sit affinis, difficilè est asserere; sed minimè mirum congeneres plantas alias radice fibrosa, alias tuberosa obseruari, nam & Peruanum Solis florem ex Indijs tuberosum habuimus, de quo in nostra 2. par. minus cognitar. stirp. verba fecimus, & iconem proposuimus: inde alia postmodum obseruata in hisce Annot. inferiùs addemus. Et etiam in nostratibus Gerania, & Ranunculos præsertim radice tuberosa, & fibrosa variare, omnibus notum speciemq. distinguere non genus.

Flos Solis Peruanus tuberosus.

Tepetlaxiuhitl.

Pag. 192. Cap. 17.

Folia longa pollices duos ex Recchi *exempl.*

Xararo.

Pag. 196. Cap. 24.

Folia longa pollices septem, lata vnum cum dimidio, & ad Iaceas dictas plantas capitulis, & folijs accedere videtur.

Yolmimiquilixpatlis.

Pag. 197. Cap. 25.

Huius iconem prætermissam reperies infra fol. 445.

Yztacpatlis Tepuxcullula.

Pag. ead. Cap. 27,

Huius plantæ icon, & vires non parum conueniunt Conizæ minori Dioscoridis, *quam nos* Mesues *Eupatorium diximus,* Matthiolo *minimè cognitam, sed* Lobelio, *& Petro Penæ: Asti illi folia non sunt candida, sed lutescentia potius. Eiusdem supradictæ plantæ nominis varias effigies inter se genere differentes reperies fol. 450. & 451.*

Pag. 199. Cap. 31. Nanahuapatlis.

Folia latiora: & lata pollices duos cum dimidio, longa quatuor cum dimidio.

Pag. 200. Cap. 32. Xiuhtotonqui.

Eiusdem nominis Nanahuapatli est icon sine historia fol. 389. quæ minimè huic historiæ respondet.

Pag. 201. Cap. 34.

Folia lata pollices duos cum dimidio, longa quatuor cum dimidio ex Recchi *exempl.*

Pag. ead. Cap. 35. Tlallayotli.

Ad Cucumeris syluestris aliud nouum genus referri posset, licet viribus purgantibus, & facie differat, quia fructus edulis dicitur ab Authore, & semen lanuginosum.

Pag. 202. Cap. 37. Chilpan.

Digitales appellatæ plantæ, vt Lobelius *Anglorum experimento refert, non parùm facie, & viribus accedere videntur, de quibus in nostro volumine cap. de Ephemero* Dioscoridis *verba fecimus.*

Pag. 204. Cap. 40. Coyotemati.

Radix flaua, maculis castaneis, nisi sint cauitates. Folia altero latere dentata, lata pollices duos, longa pollices tres. Fructus siue folliculi pollicari diametro, sed oblongiores.

Pag. 205. Cap. 42. Nanacace.

Viniferæ vitis folia minimè referre videtur planta depicta, nisi fortè magnitudinem non formam referre videatur.

Pag. 206. Cap. 43. Teixmiscapatli.

Folium longum pollices sex, latum dimidio minus. Flores pilosi veluti Amelli, ex flauo rubentes, in Recchi *exempl.*

Pag. 208. Cap. 47. Ytzciihuatl.

Radix castaneo colore diluto, longioribus, & crassioribus fibris elleboraceis, flores in calycibus squamosis, flauicantibus. Cardui mitis species videtur.

Pag. 209. Cap. 49. Tlalpatli.

Ad Symphyti petræi species referri posset, ni parùm amaresceret; radice castaneâ, fusco colore, foliis rotundioribus, digitali longitudine sesquipollicem latis in Recchi *exempl.*

Pag. ead. Cap. 50.

In Recchi *exempl. flores calycibus Rutæ colore rubentes pilosi, radice pallente: folium è regione latiùs, oblongum, non extenuatum in medio, colore rutaceo.*

Pag. 210. Cap 51. Chilpanquechitl.

An Anthirrhini species.

Pag. 213. Cap. 66. Phaca.

Huic similem iconem absque historia reperies fol. 398. sub nomine Pocayo.

Pag. 216. Cap. 61. Quauhxocotl Cullinensis. Ytzcmic.

Folia longa, & lata quoquouersum pollices quatuor cum dimidio, in Recchi *exemplar.*

Pag. 218. Cap. 64.

Quia in pappos semen abit non erit ex genere Anchusæ, vel Echij: propter alias partes similes, aut florem tantùm, nisi fructu, vel semine quoque respondeat, vt suo generi, referri possit. vide de his quæ scripsimus in nostra minus cognit. stirp. 2. par. cap. 27.

AD LIBRVM SEPTIMVM.

Pag. 226. Cap. 12. Cacamacechitl.

Flos est cauus, integer, Campanulæ, vel Trachelij colore carneo, coccineis punctis depictus, & in summo apices tenet saturiores. Reliquis non multùm abest, sicuti & viribus astringentibus, & exsiccantibus. Amplæ huic familiæ addenda visa fuit rarior sequens spectabilis Planta.

Planta Cardinalis Barberini. Herba Cardinalis Barberini.

Inter Rapuntia maximum coccineo spicato flore.

Exotica nobis, & inprimis elegans planta nuper studiosis aduecta, cùm peculiari patrioq. nomine carere videretur, atque coccineis copiosis, ac diuturnis esset floribus, aspectu iucundissimis, in crassam & longam spicam confertis, Cardinalitiam vestem colore referentibus; herbæ Cardi-

nalis denominatione ab Herbarijs insignita, & euulgata fuit, vt conijcere potuimus. Ob elegantiam igitur nos, & nouitatem illam obseruantes, atque ad proprium genus reuocantes, ex notis aliàs à nobis pro cognitione specierum plantarum in minus cognit. Stirp. 2. part. traditis, illius tam præclarum Cardinalis *nomen delere, aut immutare nullo pacto voluimus, imò potiùs clarius reddere, atque sub generico nomine ad suam speciem, vel proprium indiuiduum referre. Itaque Cardinalis appellationem in genere sumptam, præstantem proculdubio benèq. conspicuum Cardinalem exprimere palam est, vnde profectò in* Vrbe, *hoc præsertim quo innotuit tempore felici* Barberinum Cardinalem *subindicare voluisse, sicut existimare debuimus, ita omnibus decreuimus declarare, qui præterquam quod omni scientiarum genere in hac sua virenti ætate præditus, sanctissimisque moribus perornatus existit, prudentiâ quoque maximâ, ac erga omnes humanitate, pietatisq. summæ studijs nemini vnquam secundus, ac meritò quidem Nepos Sapientissimi ac Beatissimi* Pont. Max. Vrbani VIII. *quapropter Cardinalis, vt diximus denominatio, tali de purpurâ conuestito Pontificis Summi Nepote plerosque intelligere, ambigendum non est, qui cum naturâ, cunctisq. animi conatibus Apum Regum, reliquarumq. sedularum inter mysticas illas, nobilesq. volucellas, præclaras virtutes in subditis rectè regendis, omnibusq. benignè fouendis abundè præ se ferat, non sine mysterio Apum Insignia trino numero, tribus angulis dispositâ à suis maioribus delecta fuerunt, mirabili quodam, vt ita dicam, præsagij spiritu, quasi præscijs hunc futurum qui Maximum propè Patruum in magno totius Christiani Orbis onere sustinendo, regendoq. leuamen afferret, quorum præclarissima gesta cum Amicis litterarum cultoribus non rarò commemorantes, debitisq. laudibus prosequentes synopticis, emblematicisque encomijs ab* Illustriss. & Excellentiss. Principe Federico Cæsio *Lynceorum Institutore, ac Principe doctissimo, in* Apiario *ex naturalis sui Theatri Frontispicijs deprompto, non minus aptè quàm eleganter in* Barberinas Apes *prolatis, pleniùs recoluimus, ad quod* Romæ *annis præteritis impressum, lectorem ablegamus. Non abs re interim plantam hanc suo Cardinalis nomine simpliciter receptam, posthac addito Illustriss.* Barberini *cognomine proferendam producimus: Eoque magis cùm hanc hucusque à nemine descriptam, nos primùm obseruauerimus, illiusq. historiam, plena cum icone publici iuris fecerimus: tuoq. cognomine, Amplissime simul & doctissime* Barberine, *decoratam, tibi dicare humiliter atque offerre ausi sumus. Sit illius in plantis nomen, qui inter omnimoda studia illarum quoque & scientiâ, & nominibus non parùm oblectatur, eaq. speciosos suos* Apibus Barberinis *exhibeat flores, vigente semper atque nitente purpurâ, quibus fouentibus diutius reliquas inter fulgere poterit. Ex radice igitur hæc perenni, vegeta, fibrosa, candida, repente lateribus, cespite facilè se propagante, tenera, lactescente, dulci, cum pauca caliditate, plures caules, siue soboles, iuxta radicis vetustatem, & vbertatem promente Aprili mense, sed primo vere folia in terra strata erumpunt, vulgari Rapuntio non dissimilia: nisi quia minora, & angustiora, læuia, obscurè virentia, & in orbem iuxta radicis caput expansa, quæ deinde in læui candicante rotundo, sed anguloso caule (tripedalem obseruauimus, & aliquando multis alis diuisam) qui crassior, & vegetior est Rapuntio vulgari, minimi digiti crassitudine, maiora & latiora fiunt, illi alternatim hærentia, & cochleatim quino ferè ordine circumdantia, semperq. maiora, vt in medio caule semipedalia fiant longitudine, ac duarum vnciarum latitudine, parùm incurua, per ambitum dentata, illaq. disrupta lacte manantia, sicuti tota planta, verùm non ita copioso vt in cõgeneribus, sed exiguo. E medio caule folia decrescere incipiunt ad summum vsque, in quo flores coaceruatim in spicam crassam, longam, dodrantalem, & in summo duplici veluti vmbellâ coronatam Iunij initio obser-*

uauimus:

FLOS CARDINALIS BARBERINI.

uauimus: illisq. se perficientibus spica producitur, & flores rariore ordine inter foliorum alas densè exeruntur, breui petiolo hærentes, & ex calyce quinquefoliato Rapuntij modo, tubulo oblongo sesquiuncíali, & in summo colore saturè coccineo, hilari admodum, paulatim debiscentes circa finem Iunij, in quinque foliola diuiduntur nouo quodam ritu in hoc genere, vt tria foliola dependeant effigie barbularum, bina alia superiora, & angustiora veluti alæ obliquæ, tubulum medium exiguum ex illorum centro siue medio emicantem amplexentur, colore etiam coccineo, in cuius summo caput cæruleum, siue violaceum auiculæ cuiusdam rostrum incuruum æmulans, profertur. Ab alijs congenerum floribus hi variant, vt non Campanulas, sed galericulatos potiùs flores imitari videantur, non parum ad Gladioli flores accedentes, quanquam naturà sint tubulosi: at in summa dissectione differentes: quod in nullo alio plantarum siue florum, nisi in hoc Rapuntiorum genere, hucusque obseruauimus, vt in corniculato montano Rapuntio diximus, in nostro minus cognit. stirp. Volumine suo capite: ac etiam in 2. part. cap de Rapuntio umbellato, & sequentibus, & in Cretico Rapuntio, Petramarula dicto, etiam variante. Huius floris medius tubulus, ex quo caput exeritur violaceum, supernam externi maioris floris tubuli partem disrumpit, relicto canali, sicuti, & medius internus stylus fructui insidens. In floris externa parte ima supra fructum si tubulus eximatur, melleus liquor non paucus reperitur, qui etiam in Viola Mariana dicta congenere conspicitur. Huius flores non modò in hortis, & fictilibus summo studio coluntur, & expetuntur, quia copiosi, & hilari coccineo colore conspicui, oculis afferunt voluptatem, sed etiam, quia diutius immarcescentes permanent, vt tota spica sit florida, & in phyala reposita cum aqua pluribus diebus seruentur, paulatim debiscentes. Fructus in calycibus extuberantiores obseruantur perfecti, semina flauicantia minuta, vt in congeneribus continentes: Iulio & Augusto mense perficiuntur, & ab imo planta denuò regerminat. Sapor dulcis in tota planta cum quadam caliditate, vt in Viola Mariana obseruatur, quæ etiam ad Rapuntiorum genus refertur. Vires Rapuntio similes, atque validiores esse propter maiorem acrimoniam dulcedini mixtam, non dubitandum arbitramur, de quibus aliàs plura diximus in nostro Phytobasano cap. de Erino Dioscoridis, *& Nicandri, inter quas Alexipharmacas cõtineri, ex* Nicandri *sententia retulimus. Hanc obseruare licuit ex humanitate reuerendi admodum & doctissimi Viri* Ioannis Baptistæ Sersalis *Clerici Regularis Neapolitani Theatinorum, rariorum florum cognitione præstantissimi, à quo & alia præclara, rarioràq. nobis communicata sunt, de quibus suo loco.* Pag. 228. Cap. 15.

Chimalatl.

De alia specie rariori, tuberosà radice, quam Peruanũ Asterem & Farnesianum florem (quia in horto Illustrissimi Card. Farnesij Romæ *primùm cultam vidimus) nuncupauimus, in nostra minus cognit. stirp. Ecphrasi in 2. part. verba fecimus, iconem cũ historia apponentes, sed nunc ex ipsa viua planta apud nos culta, obseruationem proponimus. Radice nititur tuberosâ, foris flauicante, intus albicante, succosà, dulci, aqueo sapore, foris veluti geniculata in vetustiore, sed in nouella radice rotundiore aspectu, & in acutum candicantem extumescente, & multos bulbulos emittente: ex qua post annum caulis vnicus, vel plures enascuntur, folijs primùm binis rotundis, deinde oblongioribus, cruciato ordine ex aduerso caule hærentibus vsque ad caulis sesquipedalem altitudinem, postea alternatim hærere incipiunt singula, & alas inter illa edere: sed post adeptam caulis magnitudinem ferè arboream, in coni effigiem floridam plantam aspicies, stellatis floribus, lutei is, tripollicari diametro, squamosis capitibus insidentibus, vt iam depinximus: oculos hilari aspectu recreantibus. Semine simili sed minore admodum, nigrescente cortice, medulla ingrata sapore & odore, minimè vt vulgaris eduli: quo tempore radix in imo caulis fibrosa, & lignosa reperitur, in extremo fibrarum bulbulos exiguos proferens, ad nouam sobolem propagandam: reliqua ibi vide.* Pag. 229. Cap. 17.

Aster Peruanus, Farnesianus flos.

Eius obseruatio plenior.

Trigono fructu, calidà temperie obseruatur, præter Irides, Xyrides, vt Collega noster annotauit, Chamelæa tricoccos, Tithymalorum genera, Heliotropium minus, Ricinus, Bulbacea non pauca, Elleborus albus, Aconita cum quibus Stapbis agria, & aliæ.

Micuitlaxcolli.

Pag. 230. Cap. 18.

Ex genere Medij siue Iacearum vulgò videtur, calyce squamoso.

Nextlaxcally. Tlalcapelin.

Pag. ead. Cap. 19.

Florum positus in geniculis plurium simul, Galij vel Rubiæ genus exprimunt, fructus Cerasis adsimilis, at exiguus & coaceruatus, à nobis obseruatus est in nouo quodam Galij genere, è Sicilia *misso: rubescens, mollis, quo marcescente, semina bina remanent etiam coaceruata,*

Galiũ è Sicilia fructu rubescẽte.

& Galij ritu, de qua, Triuno *adspirante, cum alijs rarioribus suo tempore plura.*

Pag. 231. Cap. 20.

Yluetoxochitl. *Folia terna simul hærentia, longa pollices tres, & minimum digitum lata, in* Recchi *exempl. & vires adstringentes, Lysimachiæ familiam referunt, quamuis flores Viscariæ dictæ sint similes, calida, frigidave sit Lysimachia ex* Galeno *non habemus: vide quæ notauimus fol.* 105. *& alias figuras fol.* 418.

Pag. 232. Cap. 23.

Xcelaeococlis. Libanotis Rosmarinus Cachrys fer Apuliæ. *In Cerignolano* Apuliæ *agro copiosum, spontaneum, Cachryferum Rosmarinum, siue Libanotidem, totoq. caule resinosà crustà, veluti scabie infecto, resinam emittentem obseruauimus anno* 1600. *multamq. ex caule collectam (vt* Plinius *etiam retulit in caule proferre)* Imperato *nostro tunc temporis missimus in admirando suo naturalium rerum Museo reponendam. Nomine & figurà similem reperies plantæ iconem fol.* 442.

Pag. 233. Cap. 24.

Yztacxihuitl. *Radix lutescens, folia longa pollices duos, lata dimidium vel amplius in* Recchi *exempl.*

Pag. ead. Cap. 25.

Axixpatlis Coztic patlis *Duæ plantæ Axixpatlis describuntur, est tamen icon eiusdem nominis fol.* 355. *sed quæ huic descriptioni minimè respondeat, an pictoris fuerit culpa, ignoramus.*

Pag. 235. Cap. 28.

Tlallantlacuacuitlapilli. Michuacan diureticum. *Thalictri nostratis, & sic ab Herbarijs dicti, radices cathartica, experimento dicuntur: Rhabarbari colore, & viribus.*

Pag. 239. Cap. 34.

Quoad primã iconẽ; Radicis color fuscus obsoletus; folia rotundiora in Recchi *exempl. lata pollicem cum dimidio, longa duos, & dimidium. De quarta icone locuti sumus in cap.* 38. *lib.* 5. *supra de Tacuache.*

Pag. 241. Cap. 38.

Cecepatlis. *Eiusdem nominis alia reperitur icon fol.* 453. *longè differens.*

Pag. 250. Cap. 46.

Quaquahut Zontic. *Eiusdem nominis alia est icon longà radice, & alijs differens fol.* 399. *sed sub synonyma appellatione Yztacpatlis fol.* 450. *sub numero sexto huius varietas reperitur.*

Axochiatl.

Pag. 252. Cap. 48.

Lysimachia Americana.

Lysimachia Virginiana

Primæ iconis plantam, ni fallimur, vel illi admodum similem, satam habemus ex Virginia *Noui Orbis allatam, & sub nomine Lysimachiæ luteæ à doctiss.* Ioanne Pona Veronense *nobis cum alijs rarioribus dono missam, cuius flores (pictoris forsan incuriâ in summo non densè depicti) siliquis insidentes apparent, longo lobulo prodeuntes lutei, qui crescente caule paulatim inter foliorum sinus alternatim, & in spicam disponuntur: marcescentibus verò illis crassescunt siliquæ quadratæ, duas vncias longæ, duræ, & perfectæ, in quatuor partes debiscentes: copiosa intus, parua, angulosa, fusca, insipida semina continentes, & facilè, vento agitatà plantà, decidentia, vt necesse sit cum incipiunt debiscere, colligere. Augusto floret, & Septembri perficitur. Folia sapore insipido, quæ primà facie Keiri siue luteæ Violæ similia videntur, sinibus leuibus excauata, quæ in caule vix sinuosa apparent, vt facilè salignis æquiparari potuerint. Flores fructui insident longo tubulo, foliato capite, qui etsi quatuor foliolis constructi sint, non tamen ideo cum Keiri aliquid commune habent, siliquà non biualui, non capitatà, nec semine compresso: nec etiam cum vera Lysimachia folijs inordinatis, non ternis, nec adstringentibus: fructu diuerso cum siliquosa dicta si-*

cla siue Chamænerio non parùm, nisi semina huic non pappoſa eſſent. Planta eſt leuifolia, radice longà parùm, & fibrosà, lignosà, quæ regerminare ſolet. Iconem expreſſam addimus. Aliam eiuſdem nominis plantam bulbosà radice, infra reperies alterius generis fol.257.

Pag. 255. Cap. 54.

Secundæ iconis planta ad Violarum ſpeciem referenda videtur, quia fructu trigono, ſemine turgido eodem modo, quamuis non flore, ſed radice cathartica ponatur. *Tlalchipillin.*

Pag. 256. Cap. 55.

Conuoluulo laciniato Althææ folio Cluſij, *ſimilis videtur, aſt radice hæc tuberoſa differt.* *Totoyexitl.*

Pag. 258. Cap. 61.

Sub ſynonyma Tlamacazquiypapan vel Coapatli depingitur alia icon, & florida fol.414. *Quaminatl.*

AD LIBRVM OCTAVVM.

Pag. 261. Cap. 1.

An ex genere Rapuntij, ſiue Erini, vide de his in noſtris voluminibus. *Teuxochitl.*

Pag. 263. Cap. 3.

Potamogeton vulgare ſpicam edit plantagineam, vt in lacubus montanis obſeruauimus, hinc illam potius Plantaginem lacuſtrem diceremus, hæc autem alio modo florida eſt, quare ſui generis videtur. Depingitur alia nomine, & genere ſimilis fol.247. ſed quæ Iulum, ſiue Spicam noſtratis vulgaris Potamogetonis fortè ſimilem exprimere voluerit. *Acaxaxan.*

Pag. 264. Cap. 4.

Folia duas vncias lata, & parùm oblongiora, in Recchi *exemplar. Atehuapatlis alia icon eſt fol.354. foliis Vrticæ, verùm radice variat rotundà.* *Atehuapatlis.*

Pag. 265. Cap. 6.

Primæ iconis flores non ſunt leguminoſarum, ſed potiùs Conuoluulorum colore puniceo; Secundæ verò ſpicæ vel capitella, ex cinereo-purpureis ſquamis conflata, ex quibus prominent, an flores vel fructus, vix dignoſci potuit, ſicuti ſiliqua è regione depicta, colore cinereo, maculis ad purpuram inclinantibus. *Cicimatic.*

Pag. 266. Cap. 7.

Huius flos, vt ex icone in Recchi *exempl. coloribus expreſſa, colligere potuimus, ad proliferum Orchidum genus referri poſſet, quamuis non in ſpicam, vt in illis, ſit diſpoſitus. Colore ſunt extima petala carneo, colore pallente, maculis inſcripta purpuro-rubentibus, media candicantia rubentibus punctis puniceis: interna verò ad violaceum inclinant. Radix non teſticulata, ſed bulbos coniunctos refert, quod mirum in planta talem Orchidis florem emittente: quorum genus fœcundiſſimum vtinam ſempiternam prolem* Lynceis *pronunciet & ferat, quemadmodum ipſa ſibi planta proferendo perennat.* *Coatzontecoxochitl. Lyncea.*

Pag. 269. Cap. 11.

Huiuſmodi plantas, vt diximus in 2. part. minus cognit. ſtirp. cap. 27. ad Bliti genus potiùs referendas putamus, quia flore, & ſemine non ſunt Atriplici ſimiles, ſed ipſi Blito. A clariſſimo Cluſio *ſimilis pro Atriplice baccifera ſylueſtri exhibetur. Huius baccæ coccineo colore inficiunt, nec poſt annum euanido, vt in alijs plantis.* *Honuliquilitl.*

Pag. 271. Cap. 12.

Romæ, & Neapoli *iam multis abhinc annis caules (arbores certè dixeris) iſtius generis plantæ protulerunt, bene ſcilicet grandes eos, & viginti ac triginta pedum longitudine pluribus circa ſummum ramulis, floribus in condenſas gradatim eruptiones onuſtis, cuius iconem peritiſſimus* Camerarius *cum ſuo* Horto medico, *&* Hercynia Thalij *ante alios omnes anno* 1588. *num.* 5. *propoſuit, accuratamq. ad eam* Cæſalpini *deſcriptionem indicauit, præter ea quæ in ſuo Horto pag.* 19. *de ea adnotauit, vt iam nec picta, nec verbis deſcripta facies vllo pacto deeſſe poſſit, quapropter non opus erat ab alijs multos poſt annos iterum proponi. Quam verò hoc capite imaginem habemus, alterius humilioris quidem ſpecies eſt ab ea, quæ arboreſcenti caule noſtris in regionibus reperitur, & floribus magnitudine potiùs, quàm multitudine conſpicuis, vnde noſtra inter ſequentes erit, quæ abſque flore proponuntur.* *Metl. Maguei. Aloë Americana.*

Metlcoztli. Pag. ead. cap. 13.

Cathartica hæc & lutea, quæ à virium vtilitate in toto hoc genere, quasi insignior notatur, absque flore hic est, nec ab hospita nostra reliqua figurà multùm differt.

Mexcatmetl. Pag. 272. cap. 14.

Asperior hæc aculeis, & minor ab omnibus non parùm distinguitur.

Mexocotl. Pag. ead. cap. 15.

Hæc verò sui, vel alterius quidem à reliquis hisce Magueis esse generis, tam ex icone, quàm ex historia apertum videtur, non enim ex folijs, & alijs, sed ex flore, & fructu, vel semine plantarum species, & genera dignoscuntur, vt pleniùs in nostra rar. stirp. 2. part. diximus cap. 27.

Nequametl. Pag. 274. cap. 16.

Plures hìc species, tres icones habemus, prima à reliquis differt, quæ inter se conueniunt magis. Elegantior illa, & singulari floris productione spectabilis, necnon tenuissimo inter alias omnes numerosoq. folio. Plures profectò desideramus, quæ vix indicantur.

Tepemexcallis. Pag. ead. cap. 17.

Caremus hucusque icone, sed 8. fortasse accedet, cùm montana pariter dicatur, sed tenuibus spinulis, facultate quidem haud spernenda.

Tlacametl. Pag. ead. cap. 18.

Hæc lutea pariter dicitur, vt 5. cui & figurà similis est.

Theometl. Pag. ead. cap. 19.

Paruitate hæc distat, titulo autem eius aduersus febres facultas extolli videtur, quæ certè satis ampla videri potest si omnes comprehendit, & intus extraque adhibita idem præstat.

Pati. Quetzalichtli, Xolometl. Pag. 275. Cap. 20. 21. & 22.

Harum quas habemus duæ imagines faciem aliquantulum ab alijs diuersam in foliorum ratione ostendunt, sed flores desunt; priores ambæ pannorum gratia expetuntur, dum fila exhibent preciosæ tenuitatis, ac nerui, præsertim quæ inde lenissima dicitur, delicatioremq. ex ipsa facie inter omnes constitutionem ostendit. Vltima medicinæ potiùs gratià. Vtinam omnes adferantur, vt suis omnibus cum partibus obseruari à nobis possint; & frequentiorem hìc vsum habere simulque & hortos nostros exornare, siquidem genus hoc, specie perquam eleganti, & numerosa varietate ita oblectare valet, sicuti & præcipuis viribus, multisq. & multiplici vsu prodesse atque iuuare.

Ocoloxochitl Flos Tigris. Pag. 276. Cap. 23.

Faciat vna hæc Mexicani *nostri* Thesauri *planta, quominus quispiam à naturalibus semotus studijs, aut illis sobriè addictus, Naturæ vires restringere audeat, & illa duntaxat quæ ipsemet proprijs oculis viderit, admittere velit. Proximè elapsi seculi Botanici, imò illi etiam qui ad hanc vsque peruenerunt ætatem, visà huius Tigrini floris imagine, imposturam timuerunt, simulque cum florilegis omnibus haudquaquam reperiri huiusmodi florem in rerũ Natura existimarunt, quasi verò defuissent Naturæ industria, facultates, instrumenta, quibus elegantiora, quæ videntur nobisq. spectanda magis, concinnare potuerit. Dum igitur, qui edidere, potiùs malè audiunt, nemoque voces, aut suspicionem compescere, allata ipsiusmet plantæ notitia potis est: En prodit flos ex occidentali ipsius penu, proditq. ipsa præmissa (quæ perturbata aliquantulum exierat) imagine pulchrior, nomenque patrià linguà secum fert ab ipsa Tigridis similitudine. Et quid magis? pulchriorem multò eodem in bulboso genere, & maculoso dispersorum, & colludentium colorum ornatu Lyncis nostræ subsequitur florem, in quo spectanda magis non macularum tantùm varia perfusio, sed & figuræ ipsius ratio. Animalia certè ipsa cũ suis nominibus, & varietate habes fol. 498. & 512. à doctissimo* Fabro *Collega exposita. Nõ abs re igitur* Dodonæus *iconẽ dedit, nec improbandus est quamuis patriam nesciuerit, licet icone pictoris defectu minus rectè expressa, ad Dracunculos à Bulbis amandauerit, nec enim plura, aut alia accepit à* D. Branciono *(qui dicitur ei misisse) quæ proferre, & dignoscere posset, & ditandi, si quis huius studij gratià ea dederit, quæ conquirere potuerit, licet non omni ex parte explorata, ei tamen grates à studiosis habendæ sunt, non enim omnia ab ipsius Naturæ pleniùs largientis manibus excipere possumus, nec alias atque alias remotas, vt opus esset regiones visitare ad minutiores vsque obseruationes pro desiderio, cuique datum est. Bene ita protulit inde* Lobelius, *& cum* Dodonæo *de Dracunculi affinitate dubitauit, radicis præsertim, nec non floris longiùs rudiusque producti occasione, si verò ambobus illis videre, & obseruare minimè datum est, certè misso nun-*

Floris Tigridis Dodonæi icõ.

Lobelij quoque corrigẽda.

nuncio icone qualicunque edita alijs saltem desiderium habendi excitarunt, vt facilius multis simul quærentibus, & indagantibus, res tandẽ ipsa comparere inde posset. Iam igitur icone nostra restituenda ea est, vt non solum in flore ea fiat emendatio, quam Collega noster Terrentius *indicauit, sed etiam in bulbo, ac foliorum ab eo productione, vt cæteros ad bulbos reducatur. Plenior porrò conspectus ipsius viuentis plantæ ad nos traductione exquirendus est, cum alijs compluribus, quorum & nomina, & historias, & icones habemus hoc in volumine, plenoq. cognitionis iure non iam ad Indos tantum, sed ad nos quoque Auctorum, & Promotorum operis beneficio spectant. Hæ porrò à Lynce & Tigride appellatæ, præter cæteras dotes, pulchritudine complures præcellere ex illis poterunt, quæ à florum prærogatiuis in pretio hodie summo, ac in delitijs habentur, si non primas prorsus inter eas omnes habere. Quamuis enim multæ in hoc libro ex bulbosarum classe plantæ non sint, quod Auctor noster (vt à plerisque hodie fieri consueuit citra vllam Naturæ, aut virium proprietatumq. considerationem, citraq. historicam ipsam, vel sedulam saltem obseruationem) flores sibi perquirendos in delicias minimè proposuerit, sed tantùm medicas res in sanitatis emolumentum, peculiaresq. proprietates in naturalis scientiæ additamentum, nobis seligere congereret q. voluerit: illæ tamen quæ ex bulbosis adducuntur, si pulchritudinem, & elegantiam, si vires ipsas respicias, multarum ad instar esse poterunt, & pro multis satisfacere, selectissimis licet floribus, vel etiam illis, qui aliud hoc in genere ab ipsis floribus desiderant nihil. Secundas ferat à* Lyncea Tigridis *hic* flos, *cui & Indicam aliam & maculosam & è bulbis pulchritudinem subnectamus, non sine raro quodam interim ac mirando, præter consuetum in bulbis, Naturæ opere.*

Narcissus Indicus Serpentarius.

πολύφυλλος, siue πολύκαρπος.

Cùm enim non longè absimilis sit, maculis non in flore, sed in caule, & hæc Indica bulbosa planta nuper nostro sub Cœlo aduecta, nec ab aliquo hucusque descripta, inter has Mexicanas in studiosorum gratiam libuit reponere Excellentiss. Principe *nostro* Cæsio *annuente. Hæc sub nomine Narcissi Indici missa fuit, à quadam forsitan cum Narcisso similitudine, radicis nempe bulbosæ, & magnæ, foliorum duorum, quæ plana sunt, æqualia, & minimè carinata, quinque vnciarum latitudine, & bipedali longitudine, carnosa admodum, vt meritò inter ea* quæ Theophrastus *folio pulposo, siue carnoso cõstare ait, græcè, φύλλα σαρκώδη sit cõnumerãda & ideo plãta πολυφύλλη. Certè pulposa magis nõ nouimus, nisi quis Aloës folia in mediũ adducat, quæ dorso sũt crassiora. Huic humi ex opposito strata iacent suo tempore folia, quæ vt in autũnali Narcisso, & Colchico euenit, post floris amissionẽ emergere solent. Autũni initio, caulem promit pedalem, aut maiorẽ, nõ rotũdũ sed depressũ, ex viridi pallentem, maculisq. distinctũ, ac variegatũ, obliquis purpurascentibus ex castaneo colore* Serpẽtariæ, *siue* Dioscoridis *Dracũtij caulis æmulum, vnde cognomen nobis interim inditum. In eius summo flos emicat nudus ipsis floris folijs in coni effigiem siue spiculi conuolutis post primas Aestatis fine pluuias, qui debiscens magnus fit admodum, trium ferè vnciarum diametro, magnis folijs carnosis, duris, parùm striatis, septem externis, & tribus minoribus internis, colore sanguineo rubente, internà verò parte dilutiore, magnum calycem efformans; in quo (veluti in Carduorum capitibus obseruatur, quæ flores habent singulis seminibus insidentes) copiosi fructus densi ouales, Oliuæ nuclei magnitudine tunc temporis, vi-*

rentes

rentes continebantur, vt πολύκαρπος dici possit, nulli bulbosæ similis. Hi singuli præter medium stylum oblongiorem oblongo candicante capite micantem, sena exilia stamina rubentia capitibus luteis definita, quinque angusta rubescentia foliola ex breui candicante petiolo è summo fructu prodeuntia, staminula, & apicem continentia deferunt: vt magnam pilorum congeriem rubescentem cum capitellis luteis calycem floris replentem, (quod hucusque in nullis bulbaceis est obseruatum) oculis offerant non ingratam, vel potius nouitate admirandam, & contemplandam. Sic iste rarior flos, verius dici poterit duplex, cùm foliatus sit magnis foliis externis, & interius etiam exiguis foliolis, quæ stamina cum stylo supra singulos obseruantur fructus, quod in Rosa, & Lilio non obseruatur, cùm tantùm pilosam congeriem staminum intra se contineant, & tamen à Dioscoride *dicitur*, Flos, qui in medijs Rosis inuenitur, Τὸ δὲ ἐν μέσοις τοῖς ῥόδοις ἐυρισκόμενον ἄνθος. *Florem appellans pilosam congeriem, siue stamina lutea interna. In nostro flore verius alij flosculi foliati exigui, stamina & stylum continentia obseruantur.*

Duplex flos.

Alia in floribus differentia.

Quapropter in diuisione illa florum à nobis in initio proposita ex Theophrasto, *qui ait*, Flores alij sunt foliati, & simul lanuginei, siue pilosi, vt qui bini sint, & bicolores, *vt scilicet* foris sint foliati, & internè pilosi, vt alterum alter contineat velut Rosa, & Lilium &c. *Addendum sit, & sic distinguendum: Quod alij* flores *sint* extrà, & infrà foliati, *& insuper* interius pilosi: *quorum alij* terni, *vt in noua Daturæ specie nigro-purpureo flore, atro virentibus foliis obseruatur, à doctiss.* Io. Pona in suo Baldo *Italico, & ab* Alpino *in lib. 2. de Exoticis descripta. Alij verò* bini, *vt in flore Narcissi candidi marini, & congenerum lutescentium terrestrium: Et in alio genere in Primula Veris, cui alter flos alteri insidet. Alij* bini, *quia proliferi, vt in Calendula, quæ perfectos alios flores foliatos, & pilosos ex primo producit. Alij* bini, extra *scilicet* foliati & intra pilosi, *vt de Rosa ab Antiquis traditum fuit. Alij singuli &* in totum foliati extrà & intrà, *vt de Primula Veris multiplici siue pleno flore & similibus. Hanc alij* vnico folio integro, diuisuram *tamen* in summo habent, *vt Viola Mariana, & congenerum, Cucumeracea, quæ colum habent comatum. Alij* vnico folio nec diuiso in summo, *sed tantùm lineis siue plicis coniunctionem distinguunt, vt in Brassica marina, Scammonio, & similibus habent stamina, & hæc satis.*

Datura ternis floribus.

Narcissus binis floribus.

Anno præterito in fictilibus floridam obseruare licuit apud Illustris. D. Bernardinum de Corduba *Catholicæ Maiestatis à Consilijs Status, & Neapolitanæ Arcis nouæ iuxta mare Gubernatorem, qui vt diximus, præter alias disciplinas, naturalium est studiosissimus, iam Solem Libram ingressuro, imaginem excepimus, nec amplius ob aduersam valetudinem fructus, & seminis perfectionem obseruare licuit, cùm recisum etiam florem dono amicis miserit. Ex fructus quidem contemplatione, vt aliàs diximus, an sui, vel alterius generis planta fuerit, statuere potuissemus, quod nunc affirmare nequimus, nisi iterum eiusdem Domini humanitate, mea gratia, fructum, si edat, perficere permittat, atque alia circa saporem, & vires obseruare. Quæ, vt speramus, si antequam volumen prælo dimittatur, obseruare simul cum alijs rarioribus contingat, in appendice ad libri calcem addendam proferemus.*

Pag. 279. Cap. 28.

Tlapatl Stramonium.

De Datura vide quæ in nostro Phytobasano diximus cap. de Strychno Manico: & Caroli Clusij *scholia in* Acostam *volumine Exoticorum cap. 53. Sed aliam addit speciem flore pleno sub nomine Stramonij Aegyptij à doctissimo* Ioanne Pona Veronense *in suo* Baldo monte, *italicâ linguâ descriptam, & depictam, quam superius proximè indicauimus, cuius semen nobis ab eodem communicatum, & satum flores protulit triplices: altero alteri insidente, vt primus, & exterior binos alios contineret, parùm, & digitali ferè gradu exertos. Secundum à primo, & sic tertium à secundo flore. Externa parte nigro-purpureos, interna verò candicantes, vt gratum oculis reddant aspectum. Ex his igitur quinque differentias nouimus. Primam vulgare Stramonium fructu rotundo deorsum spectante, & aspero. Secundam flore albo etiam, & fructu rotundo, sed foliis incisis per ambitum Xanthij modo, vt ab* Acosta *describitur. Tertiam similiter albo flore, & Xanthij foliis, sed fructu oblongo spinoso, & in quatuor angulos distincto, & sursum spectante, à nobis pro Solano manico propositam in Phytobasano, & à* Clusio *probatam. Quartam speciem flauo flore, & circa petiolum rubente. Quintam sub nomine tertiæ speciei ab eodem* Acosta *flore Hyoscyami colore.*

Stramonium Ægyptium flore pleno.

Stramonij quinque species.

Pag. 280. Cap. 29.

Tlaquilin.

Aliam speciem Mexicanam depinxit Auctor noster lib. 5. cap. 57. radice fibris tenuibus diuisâ.

uisà, odore, & ſapore Aniſum referentibus, viribus diſparibus, cuius ſemen tacuit, vel non obſeruauit.

Pag. 281. Cap. 30.

Tlalcacahuatli.

Sub nomine Tlancacaboatli parùm variante à Tlalcacahuatli: Planta eſt depicta adeò ſimilis, vt eadem videatur, fol. 424.

Pag. ead. Cap. 31.

Tlallantla cacuitlapitli alia.

Trifoliæ plantæ aliæ ſunt ſpicoſæ, vt pratenſes equorum pabulum, aliæ leguminoſæ & ſiliquoſæ, vt Phaſeolus, Medica, Cytiſus; quarum flores imitantur Papiliones: aliæ quamuis terna folia emittant, ſui vel alterius generis ſunt, vt Trifolium acetoſum, Hepaticum, Melilotus italica, Trifolium bituminoſum, & hæc, de quibus aliàs.

Pag. ead. Cap. ead.

Mungo, ſiue Phaſeolus orthocaulis.

Mungo, apud Indos orientales à Perſis, ac etiam à Turcis dicitur Maſc, *quod ab Hiſpanis diceretur* Max. *Planta eſt tripedalis, hirſuta tota, foliis Phaſeoli noſtratis effigie, & magnitudine, albicante hirſutie obſitis, caule erecto, nec procumbente, angulis quinis diſtincto, ſingulisq. geniculis auriculatis, vt in Phaſeolo, nunc in dexteram nunc in ſiniſtram inflexo, alternatim longis petiolis hærentibus, & ad cacumen vſq; ſemper decreſcentibus. In ſummo ex foliorum alis breues producuntur petioli Septembri menſe, in quibus flores parui ex viridi luteſcente colore languido, Phaſeolo ſimiles, ex quibus Siliquæ hirſutæ triunciales in roſtrum incuruum deſinentes, per maturitatem ruſeſcentes, in quibus dena ſemina diſtincta continentur, primùm virentia oblonga, teretia, vt in Phaſeolis latere hærentia, in quibus eſt linea alba; ſed non incurua, & perfecta nigreſcentia, exiguis caſtaneis maculis varicgata. Apud orientales in cibo frequens elixum ſemen, & butyro conditũ, vti alia legumina, quibus hoc in delicijs habetur, & ſuauius ac iucundius alijs videtur. Sato ſemine poſt aliquot dies germen extra terram exurgit, turgidum capite bifido ferè ex petiolo purpuro-rubente, vt in icone ima è regione. Poſtea hians emittit parumper foliola in ſummo ſeminis corticem deferentia; tertio, magis emiſſa foliola coniuncta oſtenduntur, adhuc ſeminis corticem habentia: quarto expanſa foliola ex germinis medio erupta: deinde caulem emittit, & in ſingulis geniculis terna folia, plantaq. perficitur. De Mungo* Garzias ab horto *lib. 2. cap. 21. hæc refert.* Eſt Mungo ſemen viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri ſicci magnitudine, pabulum eſt equorum, interdum etiam ab hominibus editur. Guzarate, & Decan incolæ in febribus hoc modo vtuntur. Febricitans cibo abſtinet per decem, nonnunquam per quindecim dies: poſt quos huius fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſerit: deinde cortice delibratum Mungo, & inſtar Orizæ coctum febricitanti exhibent; Panem verò triticeum non niſi poſt multos dies. Naſci etiam ferunt in Palæſtina hoc Mungo. Eius meminit Auicenna lib. 2. vocatq. *Meiſce.* Bellunenſis eius interpres, *Mens*, *Mex* autem dici debere ab eruditis medicis Arabibus edoctus ſum. *Et nos à peritis Arabicæ linguæ tàm Mex, quàm Max, interpretari poſſe: Auicenna lib. 2. tract. 2. cap. 499. ſub nomine Meiſce, hæc habet,* Integrum paululùm ſiccat; cortice detracto in ſiccitate, & humiditate temperatum: cætera proximum naturà Fabæ. Minus inflat, & deterget quàm Faba: citius per aluum deſcendit; minus refrigerat quàm Lenticula: & addito Cardamomo in cibo ſalubrius eſt. Bonum

ſuccum

ſuccum gignit præcipuè decorticatum, & coctum cum oleo Amygdalarum dulcium. Abiecto priore decocto iterum elixum aluum cohibet, & valentius addito Rhoe cum acidi Punici ſucco. Cum vino aut ſapa, & Croco leuat cruciatus articulorum, & tuſis, vulſis, ruptisq. auxiliatur.

Pag. 282. Cap. 32.

Tzocuitlapilxochitl. *Hanc* Pena & Lobelius *Cannacorum appellaſſe videntur, quia ipſis Cannam, quæ eſt Arundo, & Acorum, referre videbatur, ſed alij, inter quos* Camerarius *in ſuo* Matthiolo, *potius Xyphium, ſiue Gladiolum Indicum denominarunt; quia flore, & fructu trigono magis conuenire exiſtimarunt, & melius noſtrà etiam ſententià, donec plenius obſeruare contingat ex viua planta. Lachryma Iobi dicta, & Lithoſpermon maius ex genere miliaceo cenſetur: hæc autem potiùs bulboſo, & tuberoſo accedit, nec aliò, niſi ſeminis duritie cum Lithoſpermo conuenire poteſt.*

Gladiolus Indicus.

Pag. 287. Cap. 39.

Hochoetzon tecomatl. *Folia obſcurè virent, longa pollices quinque, lata verò quatuor in* Recchi *exempl.*

Pag. 288. Cap. 41.

Mecapatlis *Smilacis aſperæ ſpeciem aliam folijs non oualibus, nec iuxta petiolos lunatis, vel ſinuoſis cordis figuram æmulantibus, ſed ventrioſis, & latioribus circa petiolos, aſperioribus viticulis denſitate ſpinarum, nec duplices capreolos habentibus, ſingulis foliorum exortibus, aut alio modo, vt in Mexicanis iconibus exprimitur, in Zacyntho* Proſper Alpinus *obſeruauit, & in libro ſuo de Plantis Aegyptiacis depinxit cap. 43. de qua vide illum affirmantem, eſſe* Sarzam-parillam, *vel congenerem viribus reſpondentem.*

Sarza-parilla.

Pag. 290. Cap. 43.

Quauhmecapatlis. *An fructum ferant Sarzæ iſtæ quærendum eſt, etſi ab Auctore nullum proferre dicantur, quod potiùs inobſeruantiæ tribuendum cenſeremus. Noſtrates Smilaces fructum facilè ferunt racemoſum, rubentem, aliæ verò nigrum, vt doctiſſimus* Cluſius *obſeruauit rar. ſtirp. lib. 1. c. 80.*

Pag. 292. Cap. 46.

Tlachichimea. *Sine dubio Heliotropium* Dioſcoridis *maius refert prima icon, & reliquæ quodammodo, ſed radice tam craſsà, vt in tertia icone hucuſque noſtris regionibus inobſeruatum.*

Pag. 294. Cap. 48.

Tlatlauhcapatlis. *Radix primæ colore fuſco, purpuraſcente, ſecundæ verò coccineo.*

Pag. 207. Cap. 51.

Xaltomatl- *Solani hortenſis noſtratis folia commanducata calorem aliquem in fine imprimere viſa ſunt potiùs, quàm frigiditatem, quare potiùs emolliendo calore expirante pars refrigeratur.*

Pag. 300. Cap. 56.

Coapatlis. *Tres plantas nomine Coapatli lib. 2. Aromaticas cap. 1. & 2. retulit.*

Pag. 301. Cap. 57.

Coaciuizpatlis, *Auriculæ vrſi Herbariorum, & Aliſmati noſtræ congener, vel eadem: cuius decocto luxati articuli fouentur: noſtras verò manifeſtè calefacere, ſapore, & effectu colligitur, quamuis à* Matthiolo *frigida ſit putata. Vide quæ in cap. de Aliſmate in noſtro Phytobaſano, & in cap. de Paralytica montana cap. 98. minus cognit. ſtirp. in prima parte retulimus.*

Pag. 301. Cap. 58.

Granadilla Hiſpanis. Flos Paſſionis Italis.

Cum ſarmentis, capreolis, & flore non admodum diſtare videatur hæc rarior aſpectu iucundiſſima planta, & exotica; hoc loco opportunè addi poſſe exiſtimauimus, addita eius icone cum partibus eius, quam à Monardo *primum deſcriptam, ſed non depictam habuimus: nec priuatim adeò obſeruatam.* Granadilla *dicta fuit hæc ab Hiſpanis, qui primùm illam noſtro detulerunt Orbi; à ſimilitudine quadam cum fructu Mali Punici, cùm interna, tùm externa; niſi quod minor ſit, & careat ſumma illa corona. Ab Italis, qui floris venuſtate potiùs allecti partes illius obſeruarunt,* Fior della Paſsione, *nominata: Flos ſcilicet Paſſionis; eo quod non pauca inſtrumentorum ſigna referat, quibus in Paſſione Domini noſtri IESV Chriſti vſi fuerunt Iudæi, vt infra notatum. Quo nomine à Peruanis appelletur, & incolis regni de Quito, vbi ſpontanea dicitur, ignoramus. Ibi frequens, & duorum generum, plantas ſcilicet eſſe admodum*

dum ſarmentoſas, magnumq. iter in ſepibus implere, legiſſe meminimus in quodam Hiſtorico & Geographico manuſcripto libello regni de Quito, multis abhinc annis tempore, quo Prorex erat Neapoli Illuſtriſs. Comes de Lemos, *qui illius regni Præſes antea fuerat. Vtinamque iterum in manus peruenisſet libellus ille, vt generis differentiam, & deſcriptionem excipere in ſtudioſorum gratiam licuiſſet. Planta* Neapoli *culta apud* R.P.Fr. Donatum de Eremita, *naturalium rerum ſtudioſiſſimum, inter alias peregrinas quas alit, radice nititur viuace, perenni, fibroſa, repente, fracta facili, colore albicante ex pallido, ſapore ſubdulci, recentem Fabam imitante, natura Vitiginea, more Clematidis, ſarmentis multis tenuibus, prælongis ex viridi rubentibus,*

GRANADILLA FLOS PASSIONIS.

terramque tangentibus facilè ſeſe propagantibus ex geniculis, ſiue alis foliorum radicem demittentibus, repentibus ſiue ſcandentibus quacumque proxima fulcra, frutices, vel arbores reperiat, quibus incumbat. Capreolis ex ſingulis foliorum ſinibus illas amplexantibus, aut alioquin in ſeſe contorquentibus, funiculos imitantibus. Folijs trifidis lanceam imitantibus, alternatim diſpoſitis, quatuor vncias quoquouerſum magnitudine, per ambitum densè inciſis, minutis ſerræ dentibus, neruoſis, venoſis, rigentibus colore virente, & circa petiolum binas quaſdam extuberantias habentibus magis virentes, & Milij magnitudine, quod in aliorum folijs vix obſeruatur. Odore graui Xyridis, & acri parùm ſapore. Floribus ex ſingulis foliorum alis, quotidie totà Aeſtate ad Autumnum vſque emicantibus, odore iucundo Mellis vel Hyacinthi: effigie primùm antequam pandantur Nigellæ fructus folioſo virente calyce imitantibus, oblongis, angustis, longo petiolo ferè trigono inſidentibus, in quinos apices deſinentibus, totidemq. folia non roſtrata claudentibus: quibus deinde debiſcentibus, candida intus, & caua foliola conſpiciuntur. His inſident rotæ denſarum fimbriarum filli craſſitudine, duplici ordine diſſectæ, purpureis maculis ſuffuſæ, quibus flagella imitari videntur, ſanguineis guttis aſperſa, quarum ſuperiores rectis filamentis breuioribus parùm expanduntur, inferiores verò rotæ longioribus, illisq. in extremo aduncis vno curſu, quia ob maiorem illorum longitudinem, cauis calycibus foliorũ comprimebantur. Ambæ quinquagenis, aut ſexagenis circà filamentis diſſecari, obſeruauimus in nouella planta. Ex harum & internarum aliarum breuiſſimarum vmbilico ſtylus ſiue colus, effigie columnæ cum baſi, vel imo torculo, longitudine ferè vnciali aſſurgit erectus, rotundus, læuis, dilute virens, globulum parùm oblongum pro capitulo eodem colore ſuſtinens: hic verò parte imà, qua hæret columnæ luteis quinque lamellis pendulis circumdiſpoſitis coronatur: ex obliquis craſſiuſculis, maculoſis petiolis parùm inſuruis rigidis dependentibus, radiatum diadema rotundum æmulantibus. Ex globulo verò ſummo tres capitati claui erecti oblongi aſſurgunt; ex viridi albicantes, trigono poſitu inter ſe diſtantes in ſummo, & parum contorti, litteram S, oblongam imitantes capitibus craſſis, ſaturiore colore diſtinctis, & ſupernà parte leni inciſurà diuiſis, vt biſida capita videantur, quanquam eorum ambitus ſit rotundus, & veluti quinque partitus. His ſimiles in Liliorum floribus ac ſinguli obſeruantur, huic plantæ naturà terni: verùm aliquando ob nimium humorem quatuor, & quinque non rarò conſpiciuntur. Manè, vt annotauimus, Auguſto menſe horà decimà quartà debiſcebant flores: tota die hiantes manent, noctu clauduntur, nec amplius aperiuntur, ſed flaueſcunt & decidunt; niſi, quod rarò, noſtro Cælo fructum gerunt extuberantem Mali Appij magnitudine rotundũ, colore cinereo tribus diſtinctum cellulis, quæ etiam in integro fructu ani-

maduertuntur, ob lenem quandam extuberantiam, & trianguli effigie in ſummo circa apicem. Acinos intus continet obliquè diſpoſitos, centrum petentes, non à ſummo dependentes, vt quidam depinxerunt: ſimiles quodammodo illis Mali Punici, vulgo Granato *dicti (vnde nomen huic* Granadilla, *quaſi paruum Granatum) duplo maiores, baſi cauâ, quâ petiolo hærent, in acutum deſinentes, minimè anguloſo & lato capite, vt in Punico ſunt, candicantes, diaphani, & molliores. Semine intus Mali formâ & nigro, quod intra carnem acinorum diaphanam, ſuccoſam, & mollem apparet, effigie quadam cordis æmula, & exceptum ab illa, cauis punctis impreſſis aſperum cernitur, medullam habens candidam, & ferè inſipidam: Auguſto menſe habuimus. Exiccato fructu, ſemina intus, vt in Cucurbita, ſi agitetur, crepitant. Inueniuntur etiam diſſecto fructu ſemina adhuc nigra, carne illà obducta, exucta, viſcoſa, nigricante, dulcique ſapore, veluti Caſſiæ fiſtulæ, & alia detecta, & ſoluta ex flauo candicantia, aſperiora, oſſeo veluti cortice, datà proportione Perſici Mali oſſibus ſimilia, non enim cortice vt in Pyro, vel Malo, ſed oſſeo ferè tegumento obducuntur. Huius plantæ cortex eſt veluti coriaceus, vt Colocynthidis, intus cartilagineus candicans, odore ſuauiſſimo, & gratiſſimo, ſed remiſſo. Acinorum recentium ſapor in maturo fructu ex dulci ad acidulum vergit, admodum gratus, & iucundo odore palatum feriente inter Fragam & Melopeponem. Aiunt multum comeſum aluũ lenire, & ſubducere potius quàm grauare. Flos ipſe ob ſigna Paſſionis Domini deuotè in eius memoriam habitus, & geſtatus, immundos ſpiritus arcere exiſtimatur, atque contra incantamenta, & veneficia valere. Aprili menſe erumpit, & Autumno perficitur. Fluminum ripas adamare* Petrus de Cieza *in hiſtoria Peruana part. 1. cap. 28. his refert verbis.* Amplam iſtam vallem de Lile dictam, in qua oppidum Cali, medium ſecat flumen, cuius ripæ abundant fructibus eius loci, inter quos grati admodum ſaporis, & iucundi odoris eſt Granadilla nuncupata. Monardus, *in hiſtoria ſimpl. med. noui Orbis ait, in montibus oriri ſponte, & hiſtoriam narrat, quam latinè redditam vide in Exotic. volumin. doctiſs.* Caroli Cluſij. *Vanum eſt denique interimi Muſcas ſupra folia inſidentes, quæ diu ſine noxa in illis morantur, & aliquam ab Aranea interemptam inuenire facilè fuit. Huius iconem, & breuem hiſtoriam æneis typis expreſſam, nobiſque dicatam; cum floribus, fructu, & ſemine obſeruatis, primus omnium in Italia publici iuris fecit anno* 1622. R. P. Fr. Donatus de Eremita, *ſuprà nominatus. Florum fructus, & ſeminum iconem maiorem, ſed naturalium minorem adiunximus, vt facilior ſit cognitio, & maior aſpectu delectatio in alia tabella, in qua deinde quid amplius à nobis, quod hucuſque à nemine fuit obſeruatum: præſertim fructum, non ex imo flore, vel floris baſi, in imo petiolo in quo nodus eſt, ſupra illa exigua foliola bina, nec ex columna ſiue ſtylo floris, qui etiam torulo diſtinctus apparet, & ſtriatus more columnarum Ioniarum, colore etiam diſtinctus rufeſcente, ſed ex globulo illo ſuperno clauos proferente perfici, vt ex pictura liquet efficta ex fructu cum ramulo nobis miſſo, ex ſumma viticula dependente ab Illuſtriſs. & Excellentiſs.* D. Andrea Matthæo Aquauiuio Caſertæ ciuitatis Principe, *atque clariſſimo aurei velleris Equite, ac Regiæ Maieſtatis Catholicæ à conſilijs ſtatus, ex horto ſuo Caſertano rariorum amœnitate florum inſtructiſſimo: quibus, præter alia virtutum exercitia delectatur adeò, vt pro illis adiſcendis nullis omnino parcat impenſis, quod iam non ſolùm Floripolis, & Bulbipolis Belgicis, ſed & alijs quibuſcumque ſatis notum eſt.*

GRAN. F. PASS. FLOS ET FRVCTVS.



Pag. 303.

Pag. 303. Cap. 59.

Alterius folij imaginem, non folium alterum insidens habere, tam Auctor noster quàm Monardus *scripsit.* *Coca Peruina.*

Pag. ead. Cap. 60.

An potius ad Thymelææ speciem referenda? *Cozeicxihuitl.*

Pag. 304. Cap. 64.

Qualancapatlis Mexicano nomine dicta hæc planta, nostra verò lingua ab ipsomet Auctore lib. 1. cap. 5. irati hominis medicina, quia hilaritatem inducit, & iram mulcet. Quæ potius ad animum, quam ad corpus pertinere videntur: Sicuti quæ Oceloxochitl lib. 7. cap. 30. hilaritatem afferre dicitur: sed hæc ablata causa intrinseca, quæ à contrario naturæ pharmaco erat illata. In nostra verò planta, nihil de intrinseca, sed potius de extrinseca iniuria refertur. Quare quod planta hæc homini non modò ab intrinseco humore irritato, sed vel ab extrinseca etiam causa irato medeatur, & sic animo potiùs quam corpori, maximæ eius virium efficaciæ est tribuendum, quia vesanum illum, ac furentem in hominibus ignem restinguere possit, impetusque ad blandam temperiem reducendo sedare. vnde Pacificam *libuit vocitare.* *Qualancapatlis Pacifica.*

Pag. 305. Cap. 66.

Huius icon sub nomine Tezompotonic reposita est lib. 6. huius voluminis folio, 191. cap. 16. cuius folia effigie maioris Conizæ serrata, longa pollicestres, & lata vnum, venis lutescentibus, colore dilutè virentia, sicuti florum calyces, flores verò dilutè ex albo violacei depinguntur in Recchi *exempl. atque papposi. Radice longa, fibrosa, & fibris flauicantibus, non parum effigie, & viribus Conizæ respondens, & Barbarorum Tharalhan, de qua vide cap. 42. de Eupatorio in nostra minus cognit. Stirp. historia part. 1.* Romæ *impressa.* *Tlacochichil.* Tharalhan Barbarorũ.

Pag. 307. Cap. 70.

Rectè Collega noster putat Ranunculis congenerem, eoque magis quia radice variat tuberosa, & glandulosa, nostro Ranũculo bulboso leptomacrophyllo gramineo folio affinis fortè, in nostra 1. part. minus cognit. Stirp. cap. 141. descripto. An autem hanc, vel congeneris simili folio, vel potiùs angustifolium Arisarum, quod Samnites, eo quod angusto, & oblongo virente folio exeat, primis Cichorij folijs æmulo Cichorium venenatum appellant, frequens in monte Maiella, *intellexerit* Theophrastus *in cap. de Aconito, quod frumento simile dixit, breuem herbam folio cichoreaceo, radice nuci proxima tuberosa, nisi quia semine ait esse non spicoso, viribus tamen putrefactorijs, siue caustícis simile non parum hæsitandum, si textus, vt iacet, sit incorruptus. Vide quæ in cap. de Scorpione, siue Thelyphono* Theophrasti *diximus in 2. part. minus cognit. Stirp. cap. 19. Arisari quidem fructus potiùs racemosus, quàm spicosus dici debet, folia verò tam Cichorium non incisum, quàm frumentum possunt referre, & in tactu obseruatur à feris.* *Ytzcuimpatlis.* Arisarũ an gustifoliũ Cichoriũ venenatũ Samnitum. An Aconitũ frumento simile Theoph.

Pag. 309. Cap. 74.

Plantam hanc virentem vidimus præteritis annis in cultissimo Exoticarum Stirpium horto Romæ *ad ædes* Illustriss. Cardinalis Farnesij, *& edulem esse accepimus.* *Xicama.*

AD LIBRVM NONVM.

Pag. 315. Cap. 1.

Χελόνισκον, *siue testudinati Porcellionis nomine animal depinximus, atque descripsimus: rarum profectò animal, nec nostro Cœlo visum, in nostro Plantarum volumine, cui titulus, minus cognit. Stirp. Ecphrasis, in Aquatilium, & Terrestrium obseruationibus cap. 7. Ex qua nostra exactiore tegminis animalis, ni fallimur, icone, in quibus differat ab illa proposita à doctissimo* Clusio *in suo Exoticorum volumine lib. 5. cap. 15. & hac Mexicana, quamuis ex ipso aspectu dignosci possit, ad faciliorem tamen eorum cognitionem paucis exponemus. Differt quidem nostra icon ab illa* Clusij, *medijs illis tabellis, quibus animal contrahi, atque produci potest, nam in illa* Clusij *tres in animalis medio depinguntur æquales zonæ, siue fasciæ totum corporis ambitum cingentes: in nostra verò illæ non æquales, sed in tegminis clauiculis, siue articulis vtrinque in acutum desinunt nouellæ Lunæ modo, & in medio in elatiore parte latiores sunt admodum, vt cum animal conglobatur, superna tegminis pars circularis diametri longitudine amplius extensa dorsum contegere possit, & quia cartilagine quadam coniunguntur, cum animal se exerit, & producitur, illæ contrahuntur, ita vt illa ferè proportio, quæ est diametri ad semicir-* *Ayotochili.* Cheloniscus Authoris. Differentia imaginum Tatou Auctoris, & Clusij.

micirculum, chordæ scilicet ad arcum. Amplius in nostra quatuor sunt fasciæ siue tabellæ, non tres; atque fimbriarum modo depictæ, quarum pars media latior, & vt magnitudinem exprimamus, singulis lata est sesquiuncia, & iuxta clauiculas in acutum desinunt, & imbricatim dispositæ, & cum animal exertum graditur, occultantur in totum, cum aliàs conglobato animale tertiã animalis partem cooperiant. De reliquis non ambigitur, quin idem animal voluerit pictor ille exprimere, quamuis minus rectè, ni fallimur; ex qua pictura Clusius *suam tabellam exarauit. Hoc animal tertium Tatou genus constituere, ex iam sibi cognitis idem* Clusius *retulit: nam primum genus illud esse statuit, quod primum innotuit, & à* Monardo *fuit descriptum omnium antiquius, & vulgatius; quod videre licuit in ditissimo* Imperati *nostri Musæo, & maius est omnibus alijs, corpore, & cauda oblongiore, squamis contectum. Secundum genus quod est minus & simile, vt ait* Clusius, *idem forsan cum hoc ab Auctore nostro descripto breuiore statura, & cauda, sed simili. Tertium est à nobis descriptum, & depictum. Pictura ex testa demortui, & animal descriptum coniecturà: cuius cortex non squamosus, vt in superioribus duobus, sed testudinato, biualuo, osseoq. tegmine, cauda breuissima, & alijs differens miro Naturæ artificio, vt diximus, quo se in globum comorquet. Animal verò à doctiss.* Clusio, *ex colorata icone ad ipsum à studioso* Iacobo Plateau *in epistola adiecta, vnde breuem historiam concinnasse refert, sic describitur.* Habebat porrò id animal pedis vnius, & quatuor vnciarum longitudinem: corporis verò ambitus, erat quatuordecim vnciarum, binis videlicet minor longitudine: eius tegmen durum, & testaceum, fuliginosi coloris, quem fortè vetustate, & manuum tractatione contraxerat, quodammodo tessellatum, à collo ad medium, corpus quasi orbiculatæ figuræ tessellis variè pictis distinctum, medio autem corpore, ternis ordinibus quadrangularum tessellarum variè etiam pictarum insignitum; postrema tegminis pars similibus orbibus distincta erat, qualibus pars anterior: totum etiam caput ad nares vsque similibus testis tectum, aures patentiores, nec adeò mucronatas habebat, vt illud quod in scholio ad Monardum exhibitum: cauda breuis erat, duobus digiti humani articulis extremis non maior; tota etiam orbiculatis tessellis tecta: ventrem nullà crustà tectum fuisse, sed villis duntaxat obsitum, pictura representabat, quemadmodum etiam crurum posteriorem partem, atque guttur, & nares: posteriores pedes ternis digitis, & calcari præditos fuisse pictura fidem faciebat, anteriores verò duntaxat binis, & calcari, nisi à pictore fuerint prætermissi: penem satis longum, & exertum habebat. Huius animalis testudinem biualuam, à nobis* Romæ *repertam, curiosè seruamus, tanquam rarum quid Naturæ, & admirandum, osseum, tessellatum, testudinatum, compositum, quod, vt diximus, & oblongà, & rotundà figurà fit ad animalis libitum. Huius singulas tessellas crescente animale crescere oportet quoquouersum, quamuis ossea sint duritie, & substantia, & non cornea, vt in terrestri Testudine, in qua singulis tessellis extremæ ambientes lineæ illud augmentum ostendunt, quod in hoc animale minimè obseruatur, cum varijs tuberculis, non lineis sit depictum, & asperum. In testaceis clarum est incrementum fieri testæ in extremis oris per additionem, in crustaceis verò per totam crustã, & sic per dilatationem. Hoc animal, vt post nostrã editionem, ab Exoticorũ* Clusij *volumine, quod postea* Romæ *venale fuit, didicimus, Brasiliana Tatou, Hispanica Armadillo, Mexicana verò voce Aiotochtli, id est cuniculus cucurbitinus appellari, quod nomen magis huic, quàm alijs congruere videtur, licet conglobentur. Vide* Theuetum *vltra* Monardum. Pag. ead. Cap. 3.

1. Tatou Monardi.

2. Tatou minus an Recchi?

3. Tatou Authoris, & Clusij.

Aquetzpalin. Crocodilus Mexicanus.

Hìc nostra confirmatur propositio, in loco vbi sit materies apta, & eadem Cæli constitutio siue similis qualitatis materies, & Cælum, indeque eadem temperies; eadem similibus locis generari posse. Nec nisi Maris qualitas, & similis Cæli temperies supra montem adsit, posse supra montem oriri maritimum, quamuis posse alibi genitum aqua ipsa prouehi, sicuti nec in lacustribus terrestria, nec in terrestribus, & siccis lacustria, nisi loci conuersione prius acta.

Pag. 315. Cap. eod.

Nostram sententiam adiuuat etiam Plinij *auctoritas, qui lib. 5. cap. 1. refert, flumen Darat, in australi Aphricæ parte post promontoriũ Solis Crocodilos gignere: ac etiam vltra post Aethiopas Daratitas flumen Bamborum, Crocodilis, & Hippopotamis abundare: & præter fluuiatiles inueniri quoque Crocodilos marinos, cùm in aqua dulci & salsa fuerint obseruati. Terribilis hæc belua est contra fugaces, & fugax contra insequentes. Hæc* Plinius *recenset lib 8. cap. 16. cuius mores, & vires etiam medicas apud eundem vide.*

Pag. 318.

Pag. 318. Cap. 6.

Aliam nouam ſpeciem deſcribit, & depingit doctiſs. Cluſius *in Auctario ad Exoticorum volumen cap. de Manucodiatarum, ſiue Paradiſearum auium Rege credito, cuius picturam, & hiſtoriam refert, & præter alias notas quamplures, magnitudine, colore, & alijs, hanc præcipuam differentiam notauimus, quod ſcilicet rotundæ illæ pennæ ſiue Cerdonum filis ſimiles tenuitate, piloſæ, & admodum longæ, quibus ſuſpendi aſſeritur vice pedum; in hac ſpecie, præter breuitatem, & tenuitatem, læues ſint, & in ſummitate tantum ad vnciæ longitudinem in orbem conuoluantur, ab vno duntaxat latere tenuiſſimis villis præditæ, prona parte coloris viridis, ſaturi, ſplendentis, & elegantis, penè inſtar pennularum, quæ Anatis feræ maris collum tegunt, magnam ſanè venuſtatem addentes, ſupina verò parte fuſci coloris. Inueniri etiam tradit alias aues, quæ ſetas habeant alteram ſuper alteram verſus extremum decuſſatim ſitas.*

Pag. 327. Cap. 14.

Algazel ex Aphrica.

Quia ab Auctore noſtro inter animalia Bezoarifera nouæ Hiſpaniæ præter Ceruorum ſpeciem Mazame *vocatam, ceruinis cornibus præditam, aliæ minores ſpecies, quarum aliæ feræ, aliæ mitiores, & timidæ, ac aliæ minimæ pluribus etiam differentijs diſtinctæ referuntur, quas non inter Ceruorum ſpecies vt priores, at inter Capreas potiùs recenſendas iudicauerit, vt poſtremam* Temamaçame *dictam breuibus, nec ramoſis cornibus, & toto reliquo ferè corporis habitu non parum animali à nobis nunc exhibendo, niſi maioribus eſſet cornibus (quod forſitan ex ætate) reſpondens illud depictum, & à nobis obſeruatum hoc loco addere non ingratum ſtudioſis fore putauimus. Animal eſt exoticum à quodam Turca diuite ex Aphrica* Neapolim *muneris loco Principi viro miſſum, magnitudine Capreæ,* Capreoli *dicti, cui toto habitu prima facie ſimile, niſi quod cornibus nulli magis quam Hirco ſimilioribus ſit præditum, quare arabicè* Algazel *dicitur, vt à* D. Gaſparo Principe Fez, *cui notum hoc animal eſt, relatum fuit, quod idem quod* Capra *ſonat, nam cornibus, & ſtatura Capram prima facie videtur æmulari, vt*

Temamaçame.

Algazel.

Hirco-caprea, *vel* αἰγοδόρκας *dici poſſit. Pilo eſt breui, leui, flauicante, at in ventre, & lateribus candicante, ſicuti in internis femorum, & brachiorum, illoq. Capreolo molliori. Altitudo illius in poſterioribus, quæ ſublimiora ſunt anterioribus tibijs, tres ſpithamas æquat. Corpus obeſius, & collum craſſius habet, cruribus, & tibijs admodum gracile: vngulis biſulcis admodum diſſectis, illisq. tenuibus, & hircinis oblongioribus, & acutioribus ſimilitudine Alces, & nigri-*

nigricantibus. Caudam habet dodrantem ferè pilosam, hircinam, & è medio ad extremum vsque nigrescentem. In exteriori posterarum tibiarum iunctura quid callosum extumescens obseruatur, quia cum residet forsitan comprimitur, vel alia de causa, nam & in anterioribus genibus depilatum quid crustosum, propter genuflexionem, conspicitur. Hilaris aspectu facies, oculi magni, nigri, lucidi, læti, aures longæ, magnæ, patulæ, in prospectu elatæ, illæq. intus canaliculatæ quinquefido strigium ordine nigricante, extumentibus circa illas strijs pilosis candicantibus, & linea tenui circumducta; quod in hoc animale obseruare contingit. Cornua pedem romanum longa, retrorsum inclinata hircina, ex nigro castaneo colore cochleatim striata, & interno situ adinuicem sinuata, & post dilatationem reflexa, atque deinde in extremo parum acie resupinata. In his rotundum, quod à fronte ad medium vsque striæ illæ in cornibus elatæ scissura quadam laterali hinc inde diuisæ, aut intersectæ apparent, & quod magis striges strijs opponi videntur, vt interruptus ordo cochleatus appareat: donec post medium illorum scissura deleta, siue coniuncta ad summum vsque iterum seruetur. Hoc autem accidere putamus, quia cornibus incrementum internè prouenit, & siccior externa pars veluti excrementitia iam facta, nec ad illud recipiendum amplius apta, findi oportet, vt in Quercus, & Vitis cortice obseruatur, & similibus. Nasus colore magis ruffo, sicuti ex oculis parallelo ordine linea nigricans dependet ad os vsque reliquis candicantibus. Nares, & labia, os, & lingua nigrescunt: quod satis, dum ruminabat, obseruauimus, dentibus ouium modò exiguis, & vix conspicuis, vocem edit non absimilem suillæ. Animal est omniuorum, vescitur quidem herbis, hordeo, pane, ferculis quibuscunque ad hominis etiam vsum paratis, nec non & dulciarijs. Dum mingere, vel corpus exonerare sit opus, è solito loco mansionis secedit, & vbi rimam in aulæ pauimento conspicit, in illa mingit, & paulò post longè excernit, nec locum mansionis vult deturpare. In minctionis actu renes deprimit se inclinans, vt quadrupedibus mos est similibus, deinde se erigens ad secessum vadit. Mansuetum est animal, quia forsan ab ineunte ætate assuetum hominibus à quibus cibus ministrabatur: cornibus tamen tactis, suam in illis fortitudinem induit vim faciens, & illa minimè decidua esse putamus. Dum de loco in locum migrat festinanter succurritans, domus angulum petit, vbi posterioribus versis illico quiescit, indeque aliqua de causa discedens, simili modo alium alterius cubiculi angulum petit, ne forsitan imparatè auersa parte lædi contingat, nam & tactis posterioribus calcitrans aufugit, & in angulo positum, arrectis auribus hinc inde prospiciens consistit: quod etiam Ceruæ expauescenti naturà inditum est, vt simili modo aures in prospectu patulas erigat, vt postea obseruauimus. Quare timidum, & suspectum est animal, & hæc obseruare licuit apud clariss. D. Marium Schipanum *naturalium studiosissimum, Philosophiæque demonstratiuæ ex Chymia professæ, præter logophysicam illam scholarum dominam, obseruatorem diligentissimum, à cuius manu hoc animal, quamuis parum timidum, non semel dulciaria etiam accipere vidimus, & hilariter deuorare, cui dictum animal ob scientiarum, morumque præstantiam dono & amoris ergo fuit oblatum.*

Scriptores de Bezoar. *De Orientalibus, & Persicis lapidibus, & animalibus illos generantibus vide quoque* Garziam ab horto *in lib. Aromatum cap. 45. qui ex quadam Hirci specie illos erui asserit: cuius cornu effigies tuberculis circa ima coronati, & eiusdem vngulæ à clarissimo* Carolo Clusio *post doctissima scholia exhibetur. Verùm nos eiusdem animalis cornu, quod parum illius iconem superabat striatum obliquè, sed absque tuberculis illis apud doctiss.* Franciscum Imperatum Ferdinandi filium *simul cum rufescente lana breui eiusdem animalis, & ouium modo molli obseruauimus. Videndus est etiam libellus clarissimi* Gasparis Bauhini *de Bezoar orientali, occidentali, atque germanico, in quo diffusè cum breuitate, quæ ab Arabibus, & Recentioribus de supradicto lapide scripta sunt, singulari methodo referuntur.*

Alia animalia Mex. *De Quadrupedibus alijs nouæ Hispaniæ ab Auctore nostro non descriptis, sed nuda pictura exhibitis, adeundus est doctiss. Collega noster* Io. Faber Lynceus, *qui diligentissimè illa descripsit, & scholijs etiam luculentâ eruditione refertis illustrauit fol. 465. ad finem vsque.*

Pag. 333. Cap. 21.

Apes. Mel. Ind. *De Apum generibus, speciebus, differentijs, moribus, ingenio, virtute, mellificantium, vel non mellificantium, generatione, fœtura, & alijs: De mellis differentijs, ipsarumque vniuersa historia doctissimè, & elegantissimè in suo Apiario egit Illustriss. & Excellentiss. itemque omni scientiarum genere præstantissimus* D. Federicus Cæsius Princeps S. Angeli, & Montis Cælij Mar-

Marchio Lynceorum Institutor, ac Princeps, *cuius exemplum ex Frontispicis naturalis sui Theatri ab eodem Illustriss. descripti, depromptum, & impressum*, à Lynceorum *Academia* S. D. N. Papæ Vrbano Octauo *in perpetuæ deuotionis symbolum oblatum fuit anno* 1625. *cum nostratis Apis imagine accuratissimè à clariss.* D. Francisco Stelluto Lynceo, *viro præter quam in alijs omnibus, vt suprà diximus, scientijs in naturalibus etiã studiosissimo, nouo quodam Microscopio obseruata; vt qui illam viderit, in admirationem incidat, dum tam multas partes organaq. ipsa apertè depicta discernit, quæ ab intuentium oculis in ipso animalculo omnino absconduntur. Theatrum porrò, & aliæ variæ supradicti Excellentiss. Principis doctissimæ lucubrationes quamprimùm, in studiosorum gratiam, prælo subijcientur, ex quibus quantùm scientijs varijs acquirendis insudauerit, & quantùm in ijs profecerit, omnibus palàm fiet; tantique Principis scientiam eruditionemq. summam, ac rempubl. litterariam adiuuandi studium, solertiam, ac liberalitatem, quam nos superius & hic attigimus, summis laudibus in toto Orbe extollendam existimamus.*

AD LIBRVM DECIMVM.

Pag. 336. Cap. 1.

Apozonalli. Succinum Bitumina.

De Succini, & Bituminis generatione, varietate, natura, splendore, colore, piscatu, tempore, modo, & loco, atque herbis marinis in ipso vigentibus vsu medico vide Goebellium, Bellonium *ac* Ferdinandum Imperatum *in sua historia naturali italica lingua* Neapoli *impressa lib.* 14. *cap.* 5. *vsque ad* 9. *&* Franciscum Imperatum *eius filium in lib. de Fossilibus.*

Pag. ead. Cap. 3.

Chimaltezatl. Mexcuitlatl.

Differentiæ huius lapidis Mexcuitlatl, tam in substantia, magnitudine, colore, & ad ignem mutatione, vel contumacia doctissimè referuntur à nostro Imperato *hist. natural. lib.* 25. *vsque ad cap.* 4. *Qui flamma vento in laminam irruente, Lunæ dimidiatæ iconem argenteo colore, atque splendore in medio excitabat, flammam intra limites signatæ Lunæ effigiei paulatim circumferendo, sic enim eo loci flamma vento illata, lapis mutationem coloris acquirit argentei amittendo transluciditatem. Id facilè quisque facere poterit, si artificem vitreorum, monilium, & iocalium adierit, qui simili flamma mollit vitrea; aliàs si tota igni exponatur lamina, tota simili colore afficeretur, si rectè sint ignita.*

Pag. 337. Cap. 5.

Extecpatlis, Iaspis no. Hisp.

- *Immutans* Alterans *dicta, vt Hordeum refrigerans Zarza exiccans, humectans Cucurbita, calefacientia tã multa, Poeonia caput præcipuè roborans, fumos noxios dissipans; & alia, quæ peculiaribus fauent membris, vt Mentha ventriculo, Capparis splenì, Eupatorium iecori, eordi Crocus, Chamæpytis articulis, Betonica capiti, Hyssopus pectori, Artemisia vtero.*
- Cathartica. *Purgantia seu euacuãtia, quæ nec peculiaribus ita humoribus trahendis tuto destinata, ipsorumq. limitibus finitas, sicut nec ipsos numero & finitionibus comprehensos omni ex parte facilè crediderim. Pariter non obscurè, & occulta, vt aiunt qualitate omnia; sed plura manifesta vi Naturam intrinsecus quoquouersum quasi aciculis perpungere, & pruritare, inde humores acrimonia impellente in expurgationem elicere, vnde prout medio ad nos modo se habere videntur, ita viribus amica; odore, sapore, ipsaq. agendi molestia, aduersa naturæ dignoscuntur. Vnde cauendum maximè ne modum excedant, & vim effrenatius inferant. Niger Helleborus, quod Viru ab atro nomen obtinuit, venenatum prorsus ob vehementiã apud Hispanos, conuulsiones excitat, & languores. Mitiora, quæ partes solummodo peculiares stimulãt, superioribus accedunt. Sicula Scylla non parũ descendit.*
  - in fluorem agens
  - per se / per accidens
  - e toto / e partibus
    - Errhina Apophlegmatismi
    - E parte infixum telum.
  - Per deiectionẽ
    - Per vomitum
    - Per vrinam
    - Per sudorem
    - Menstrua
    - Sputũ mucos
    - Vno vel pluribus
- Deleterica, *venenata, vitæ inimica, quæ summa frigiditate, vel summa caliditate, vel potius occulta itidem cerebri nostri qualitate, agere dicuntur, quibus potius omnibus crediderim; nam veneni opus destructio est, scilicet penitissima partium diuisio, & signati nexus dissolutio; hoc à summa concitatione quæ caloris est, hoc à summa constipatione, quæ frigus, prouenire poterit, & pluribus occultum, & dici, & esse. Septica verò illa, quæ putrefaciunt dicuntur, in quibus multisecam vim facilè dixeris. Sunt quæ peculiaribus membris obsunt, quamuis alijs prodesse possint, Mezereũ Iecori, Aloës hæmorrhoidibus, Eruum renibus, & vesicæ, Hyoscyamus capiti.*
- Bezoartica *in oppositum ad hæc accensent, quæ vita amica venenis obstent, ac destruentibus; siue hæc simplicia, siue composita e multis addente semper conseruationis desiderio, copijs quasi in venenatos hostes conscriptis, auxiliaribusq. vndiq. vel in numerum conquisitis, in quibus siue apertis, siue reconditis, primæ qualitates haudquaquam satisfacere videntur; nec enim aqua temperies, quæ extremis obstare videtur satis esse potest, quæ ad nutriendum potius apta videatur; sed magis quæ ad eam illam in nobis tueantur, aut reddant, & à contrarijs liberent quoquomodo; & quæ aduersa quæq. siue iectis sedare compedibus, siue protinus extrudere, viribusq. arcere, vel forti conclusione valeant.*

Hæc acie nõ carent, qua penetrationem habeant. & ab ingressu secum ducendi per motas, naturæ graues, partes, in succum actas possint: quæ verò suis pro ingrediẽdi, & pungendi modis diuersos humores è corpore propellant, & vulgatum quidem duci.

- Bilem, Rhabarbaro, Aloë, Pituitam, Turpeto Agarico, Atram Bilem Veratris
- Sanguinem ignota Galenica illa, & Eruo quibusdã, aut potius omnibus, vel nullis.

Potius & mixtos, & diuersos, & nondum affatim, aut distinctos, aut nominibus donatos, discreueris per membra humores, & per Pharmaca ipsa, quæ diuersos singillatim nec forsan numero comprehensos, & agant, & agitent. Res plena, & periculi, & salubritatis.

Acutissimi in his mucrones, immo multisecæ nouaculæ; nec quæ vndequaque secta, infarciant, complicentq. desũt ipsa quo prorũt furore. hinc veneficia, lurida illa Aconita, Taxica à Taxo, & Fungi peior multo pernicies, quæ dolosè gulam extra, intraq. aggreditur. nec nomina id tacent.

Et contra Mexipharmaca illa quæ occurrunt, siue simplicia, Coanenepilli, Coccum Maldiuæ, Gentiana, Napum; siue composita, vt Theriaca, Mitridatium, & nostrũ Lynceorum Alexipharmacum, Antidotaque alia, quæ siue torpentem oneribus naturã liberent, & vniuersim roborent, & ad insurgendum, & expellendum quidquid morbosum; ac inimicum moueãt; siue spiritus addant, eosque vniant, partes adstringendi moderata vi firment; vel glutino quodam obducto quosuis aditus hostilibus occludant; aut crassioribus interpositis excipiẽdo cassos reddant, vel inanes; vel potius hos compescãt restincto opportunis succis igneo furore; aut pluribus simul obsistant.

Penitiori ferè nexu immutato pag. sequenti.

Sequ. pag.

Tab. 7.

Vires destructæ Plantæ

Particulis comminutione confusis

Penitiori fere nexu, opere vario immutato, & magis minusq. perturbato.

Putrefactione naturali ferè ad

Noua vegetantia inferioris gradus, quasi in hoc genere vermes; præsertim in massis Lapituberis fugiferi Lyncurij quibusdam dicti.

Fungos frondigenas, arte quoque addente diuersos.

Animalia feruido, confertoque in altiorem gradum plantali spiritu, triplici saltu.

- Araneos
- Vermes
- Erucas
- Chrysalides
- Nymphas
- Papiliones
- Scarabeos
- Merulæ similem, Albertianâ è Saluia volucellam, nescio an habeas. Certe Rutaceam omnem ab Eruca per Chrysalidem à D. F. Columna L. diligentissimè habes.

Extractione, seu eductione latentium

Liquoris.

- Aquei — Aqu. Tinctur.
- Aq. ardent.
- Arcan. Magister.
- Essent. vbi tandem Quintã, siue decimam nescias. — Elixir.
- Spirit.

Olei

- Cliffi ex multis cõiunctis
- Extracta succo crasso, glutinoso concreto.

Salis

Percoquente igne ad moto, varijs cõclusionum ergastulis

Elici, vel potius excoqui è plantis Metallica alia illi benè norunt qui è Punicis, aut Berberis, acinis, & Aronia Mespilo Vitriolum habent: inesse qui rodentem æruginem in ipsorum foliis, vt Oxalidis, & Rumicis obseruant; & qui Cretica illa Idæ montis auro mandentium dentes obduci sciunt.

Productione noui corporis plantali euerso, & ad alium compositionis, & consistentiæ gradum protracto.

Vitrum

Nec pretiosa requiras, aut quæ abscondita, reconditaq. magis medicamina, vel deperdita, & pluribus exoleta iam annorum circulis. hominũq. ætatibus. Scilicet alijs, atque alijs regionibus, ac sæculis, quam opportune plantas distribuit Omnipotens, signisque commodè nobis indigitauit, nostrasque & exoticas abundè exposuit.

Solutis ferè particulis. pag. sequenti.

Tab. 7.

FACVLTAS

Cosmetica *decorans, fucans, mangonizãs mulieres præsertim; iure merito venenis proxima, quod multiplici veneno mentes circumueniat, precipitesq. & imminutas reddat: quod ipsum ex veneno, & venere Veneficium.* — Quæ scilicet detegũt partes, aut mollefaciunt, diuersosq. inducunt, aut obducũt colores, & nitores.

Inficiens *tingens, qua omnifariã rerũ facies immutare valet, innumeros appingẽdo colores insignis in Luto Isatide Rubia Xochipalli Achiotl: inde qua obducit, & nitida reddit. vt Sinensis illa bituminosa resina Cie ex arborũ corticibus in speculi nitorem, & Sandaraca Vernigonobis dicta. obducuntur ad lauitatem plura, & arcendas aqua iniurias, & aëris; pice, resinis diuersis, ceraque & huiusmodi alijs.* — Colores, quæ inferũt, aut se, aut suos diffusius, aut partes corporis, quod ingrediuntur in aliam faciem præuertunt, vel exterius in superficiẽ appinguntur.

Emundans *fullonia smegmatũ, qua partibus sese inserere inde asportare abstergere detractis solet, vt struthium saponaria.* — Leniter quæ sese inserunt, & mordicando purgata cũ detersis abscedentes sordibus relinquũt.

Spirans *qua rerum spirationes iucundas in humanum vsum siue sanitatis, siue deliciarum vnguentarijs subministrat.* — Spiritu quæ polient halitu, quæ æque nostris inferẽdo sensibus abundant.

Glutinans *qua varia cõnectit, iungit, in vnum diffita, interiectis tenacibus collis varijs, gummatibus resinisque.* — Aeque iunctas, quæ partes in viscidum nexum habent facilè quæ applicari queant.

Resistens *igni, vt inunctis manibus succus Portulacæ, Mercurialis Visci, vel potius ex Ibisci radice.* — Constipare, & occludere, quæ crassum valent.

Metallurgica *varie agens in*
- *Vitris smaltis dictis*
- *Fictitijs adulterinis Gẽmis,*
- *Metallis ipsis, & ferro præcipuè Tẽperaturis dictis.*

Variè quæ dirimere, aut componere, & conlocare possunt, & in alia, atque alia coagmẽta formare, atq; ab opaco ad diaphanum vsque transferre.

Alchimistica *spuria proles tingens vt Curcuma, mollefaciens vt Caricis, passis, & Lasere fœtido, immutare variè tentans, Mercurium coagulare Lunarijs Borisis Sferracauallo pluribus nimirũ; omnibus ferè, in cassum, vtuntur vel potius abuzunturidum in aurigenum lapidem illũ tam multis, & vel ipsis vsque vuis perquirendo omnem ludunt operam.* — Quæ violenter permouere, stringereq. creduntur, & partes in nouam constitutionem firmare.

Varia [*vti prope concludamus*] *in alijs operibus imò artium ferè omnium vsu; siue etiam in venationibus feras alliciendo, siue in conuiualibus ludis; siue etiam iocis, spectrisque, incutiendis timoribus, & huiusmodi.*

Specifica *porrò dicta, qua specioso titulo nesciri solet. abstrusa. magicis nominibus à quibusdã ornata facultas. quarta illius qualitatis proles: caelestis pluribus: Astralis nonnullis, et si aliud nomen, quod rei purissimam ignorationem elegantius tegere possit. hac Aethiopis insolẽtissimè claustra aperire dicta nescio an & credita. Spina Theophrasto aquam congelare, ni hoc ab interna sit viscositate, vt de Psyllio similia, & Aquifolij flove, de cuius baculo in animal emisso sponte sua accedente, aliaque mira. Viticis inde Agni casti dicti contactu si non propinquitate & præsentia veneris quoscunque igniculos extingui, castarum Matronarum Athenienſium documento, qua ex huius foliis sibi in Thesmoporijs cubitum sternebant, virgaq. eiusdem manu detenta viatores ab intertrigine tutos reddi: Quauhnacensis vero Recchi Tragorigani foliis ore gestatis, ijsdem addi celeritatem: Cozolmecatl, vel tractata vires instaurari. Corni arboris qualibet parte contrectata demorsos à rabido cane quamuis iam olim sanatos in rabiem rursum agi, eaq. affectos maximè concitari additis morbo viribus, admirabili, & perhorrenda facultate, idemq. quod maius, quod peius Sorbo inumbrante cõtingere, & huiusmodi non pauca, qua libentius profectò videris, quam audieris. Si autem legitimum Visci quernì aduersus Cephalica incommoda, vertigines præsertim, & epileptica initia, Amuletum adscripseris; poteris pariter experimento, quod ipsi fecimus comprobare. Quod autem de Corallio domi habito inuidiam amoliri dicitur; neque hic meo cõsilio, neque alibi adnotauerim. potius, quod margaritis, & adamantibus absentibus viso ea tantum Corallio liuescere non soleat, vel quod specie, ac colore quodcumque luridum, liuidumq. ab huius quã maxime differt purpura; vtcũq. veritati illuserit pulchritudo.* — Abditis hic particulis longè lateq. fusis spiritibus nempe qui ingruentes acutius diuersis partibus congruere, imprimereque & imprimi possunt, non parum tribue, nec omnia à nobis sentiri posse credas; sed multa sua se paruitate abscondinosque fugere, quæ minimè frustra sunt in rerum natura. Habet Recchus noster Qualancapatlim Pacificam, quę irã temperat; Cuitiriqui quæ Zelotypiam amouet; aliasq amorem quæ cõciliant, non tamẽ huius loci hæc esse crediderim. & occultæ virtutis. Restinguit prima igniculos circa cor, circa lumbos alia missos facit, qui Veneris sunt, quos tertiæ instimulauerit omnes Cocoquahuitl, quæ cordi mirabiliter prodest, & quæ huiusmodi, blãdis spiritibus suauiter ipsum refecerint, obscurorumq. fuligines dispulerint. Nec quæ gratiam facit Yhuixochitl alio existimauerim quam Solaridæ hilaritatis modo.

Vires destructæ Planæ

Solutis ferè particulis

Crasſius. *Fumida exhalatione tãtum, quod ab ipſa Natura, tũ arte varia, multis modis vſurpentur e ſtirpium genere, partes ad ſuffimenta, in multiplicem* Capnurgiam, *in quibus ſcilicet vis*

Effumans

E ſimplici planta

Herbæ ipſarum partes, vt Roſæ, Roſmarini, lignaq; vt Agallochi, Santali, Narcapthi. Germanis autem Iuniperina ligna ad hoc, vel vulgo vſurpata. Gummata, & reſina Thus, Myrrha, Styrax Laſer Balſam. Copallis Anime.

Verbenasq. adole pingues, & maſcula Thura.

En herba, & reſina Virgilio fumantes. Thus primas inter hæc habere, vel ex ipſo nomine videtur, ſiue à tuſis glebis, ſiue à frequenti in ſacrificijs vſu, nomen deducere velis: certè quod ad odoratos fumos incendatur Incenſi nomen apud Italos præſertim, per antenomaſiam obtinuit.

E cõpoſitis, e plãtis ipſarũq. partibus.

Cyphi Dioſcoridi, Thymiamata, Paſtilli diuerſi Auiculas Cyprij, odoras nõ canoras; Carbocandelas, *Luſitani iam mittunt præſuaues, quæ à carbone citra flammam in odoratum fumum paulatim abeunt, & caud elabra occupant, quæ non oculis ſed naribus pergrate famulentur.*

Vſtionem ſimul, & lucem habes. Diſcerne an hæc blanda iucunda magis, vel grauis illa, & violenta? Clara ne hæc fulgidaq. magis, per quæ omnia ſpectare licet; aut obſcuriſſima potius quæ penitus delitescant intellectui noſtro? Ambiguum pariter: ſed quod abſurdius videri debet, excitatur ignis à nobis quotieſcunque libuerit, accendentibus, & cum eo Lychnobijs præſertim lux, vtrumque ad menſuram: excipitur lucis portiuncula à Solaribus furtiue ſublata radijs [nec enim Promethidæ noſtro ſæculo deſunt] concluditur pyxide, transfertur, infertur tenebris. Speculis, vitris, aquis, & lux, & ignis diffunduntur, glomerantur in vnum in fulmineam vſque virtutem: Et nihilominus pleniſsimè neſciri ſolet, nec lux magis quam ignis. ignoratur illud, quod noſtris factitatur, attrectatur manibus; quotidianis quod operis nobis famulatur; maximè quod ſentitur, ac penetrat; quod frequentiſſimum eſt, quibuſque humanis notiſſimum ſenſibus; exulat certè noſtro ab intellectu, imò ad elementorum extima, & Lunæ cauernas in exilium, ab intellectu plurimo truditur. Nos autem hæc ad libros noſtros de naturalibus ſocis.

Lucens

Rudimentum illud præmittatur, dicas præfiguratam lucem; dicas leuiuſculam eius adumbrationem ſi placet. In putridis illis lignis [nos in Populi obſeruauimus] in Alcionio illo inquam, quod à faui marina ſimilitudine nomen habet; Si qua de Baara, & Agluophotide de Aſtere, vel de Paonia apertis in grana vaſculis dicuntur, recondita admirata potius videntur, quam explorata. Lunaribus hanc innoxiam, frigidamq; compares, ſi igneam Solaribus radijs, ſicuti enim minus multo, quam exiſtimari ſoleat caloris ipſa acies ab acuto diſtat frigoris gelu; ita quod à concitatis mittitur lumen haudquaquam longo diſterminatur interuallo ab eo, qui à placide, vel in ipsã quietè diſiectis habetur: vt lucis, & ignis conſortia ſint, diuortia, & de quibus ſuo egimus loco; nec in ipſa niue, chryſtallinaq; glacie modicum eniteat lucis.

Lumminiſtris pluribus. De cera, & olei æmulatione, indicauimus in noſtro Apiario. Tedas, Faceſq; varias ab Antiquarijs petas. Cedrinas candelas, aliaſq; è ligno, aut ligni ſtirpium, ſuccis, & quæcumque luculentius lucent è reſinis, plantiſque è Phyſica hiſtoria. ligneas certè faces ſi neſcis hodie, accipe, & ride. Obolarias adſtante ad id officina paratas, Neapolitana crypta dabit, quæ amœniſsimum Pauſilypum perforat. Scilicet nunc quoque ſpiraculis caret, vt Seneca tempore, & talibus è virgulis ſtipulis, ſarmentiſque auertenda pluueroſa illa, & obſcura fuit moleſtia, de qua infelix ille morum præceptor conquerebatur. Sunt ex Quernis vſtulatis flagellis, quibus Aquaſpartani noſtri elangores inter ac ſtrepitus, nubentibus viduis turbulẽta, atrataque luce rumoribus intermixta multiplici debacchatione ominentur. Oſtendent venatores, quibus hallucinatas feras, miſellos præcipuè lepuſculos capiant. Primordia hic innuere ſatis eſſet in fungoſa primum Ferula,

Clara Prometheo munere ligna ſumus

Sed & à fungis eſca illa petatur ignis, malleo etiam diducta, quæ primo, concipit, allicit, nutrit. Aſſula folia, & huiuſmodi fomites, & ſuſcitabula.

Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam

Elychnia certè è plantis ad lucem plura, vt inferius; hic autem ab ipſis fomitibus Igniarius ſubnectatur funis. Miccio vocitant, è Cneori Caſalpino (Sanamundas Cluſius nominat) ramulis exiccatis, inque reſtim ductis; è villoſo Cocci Indica Nucipalmæ cortice Mexicanis quo ſerpens iguiculus ad tormenta ſiue manuaria, ſiue muraria incendenda, & contineatur, & detineatur vehemens quamuis obſcurius delitescans in inſidijs.

Feſtiuos accenſeamus ignes, noctilucos illos in latos variè diſcurrentes ſplendores, variè diſtributos; qui huiuſmodi ſuccis; qui reſinoſis, piceis, pinguibuſque corporibus, lignique buſtis carbonibus; à ſtirpibus materia plurimum agnoſcant.

Ardens hinc ignes

Militares feſtiuis quidem ſocij, nec tamen ludicro, ſed ſerio, nimiſque multo excitantur; dum perniciem deſtructionemque ipſam pernicius miniſtrant, & inferunt. Sic fulmina quoquouerſum æmulantur; ac terræmotus. quæ incendunt, quatiunt, aperiunt, vorant horreas terribiles faces: Chaſmata horreas. Præſertim à Phyſico, à Mathematico Duce, qui figuris, qui materijs aptè vti nouerit, vt in noſtra militari Philoſophia ſcripſimus.

Fabriles artificum. Pyrotechnia vniuerſa miniſtrante Vulcano; quæcunque ab arte, aut natura fiunt, præſertim verò metallariorum lapicoctorum, omniumq. artificum, qui fornacibus vtuntur, qui vſtrinas obſident. Quid ſi omnes noſtris cum cibis incaleſcimus ſtirpium adiumentis, & rigentis bruma repellimus iniurias? Dicant Germanorum Hypocauſta, dicant priſcorum Patrum in Vrbe Therma, Thermopolia, ipſiq. qui hodie videntur Thermopotæ.

Nec tepores prætermiſerimus, qui ex herbarum cumulatis madentibus adhuc partibus concipiuntur, & in furentes vſque ignes euadunt. Norunt Agricolæ, imò non raro ciues, quæ ab huiuſmodi fœno, ac paleis mala proueniant, & Chimici, agriq. non pauci ſuis cum medicis, quam benigni fomenta caloris ab vinaceis, fracibusq. imò ipſo ſimo, qui ab ingeſtis, egeſtisq. fumat ſtirpibus, & ſtirpes coquit, inque guttas cogit coactus in ergaſtula.

Sed hæc iã & ignis, & lucis à qualitate redire videntur ad modos quãtitatis, quod ſuperioribus indicatũ eſſe potuit, & alibi fuſius.

Subtilius. *Flammea exolutione penitiori ex ipſis carbonibus, prunis, ſtipulis, pinguibuſque, ſuccis ignitis excitata; in* Igniariam *vnde qualitas*

Laxante igne vincula concluſæ, colligataeq. particulæ diuerſos, quæ nobis æquè apponantur, aut opportunè, in halitus abeant. modos pro cerebri ratione, & affectionibus quis generatim potius quam ſigillatim vnquam cogitauerit.

Medicus autem vſus præſertim aëris corrigendi, & præſeruãdi a corruptionibus erit, iuuandi mox, & roborandi præcipuè caput fumis, necnõ vterum, & pulmones hauſtu. his Tabaco fumantes apud Neandrum reſpice, & frequentiora infumibula.

Deliciarum quoque cauſa ſi floridis aërem odoribus reſpergimus ſolutis in halitus præcioſos præcipuis aromatibus reſinis præſertim.

Particularum in maxime, æquã apertionẽ ſedata tamẽ diſpoſitio, ſolutione quadã præſertim ipſius ſucci, vt frigida nobis videatur, & nomina à putredine etiam habeat, ac pingui conſtitutione, ignis certe æmula.

Soluente quæ agantur ad dilatationem, & æqualẽ aperturam igne; vtpotè recluſa magis, ſine ea laxiori pinguitudinis ſuſpenſa contextu; ſiue inanitatibus dum exaruerint abſcendente ab humore remanentibus veluti in ſpongioſum rarum, ac diffiatile corpus foraminoſa: hæc excuſſis liquoris vinculis; illa diffluentibus à compoſito inuicem particulis; introrumpentibus hiãtia: Aut quæ vi quidẽ conſtrictis, ſed in apertũ iturientibus illis conflata. Talia inquam omnia, quæ ad ſolutionem igneam lucidamque dum procliuia ſunt, ad lucem ipſam promoueri, & eam alijs inferre queant, nobis diſpellere tenebras, fulgetras, & coruſcas præferre valeant.

In ardores per concitationem rabidam, ita proruẽtes partes, vt impetens earum deſtructa multitudo deſtructionem faciat. Habeas inde præter deuaſtationes has, ad pacis etiam & commodus omnis vſum

Coctiones, excoctiones, fuſiones, ad puriora, ſimpliciora que reductiones: Ex Partium in ignem actarum ingreſſu.

Calores quoſcumque, & quæ inde adiumenta, ab ijſdem ad modum diſtributis.

Halituum particularum omnium in exolutione licentius ab incompoſitis, deſtructiſque rebus motarum, concluſa, comprimentibus obſtructionibus in concitationem vſque præfocatio; vnde diuerſi caloris modi.

Tab. 7.

Tab. 8.

Vſus Plantę, eius peculiaribꝰ partibus nõnullis sũptis.

— Neruoſis ſegmentis detractis, ſeu in Phyluras, aut prætenues, & quam latiſsimas lamellas, vel potius membranas, acu [vt vulgati codices, potius lato ferro, vt concludit Guilandinus] diſciſsis; è medio Plantæ ſcapo.

Diſcerptis internis præcipuè neruoſis partibus, ad villos.

Animalculorũ arroſione, inde excoctione, & diductione.

Bombycum Seriea, pretioſum illud, ac ſplendidum repertum, mirabile, mutuo, & naturæ, & artis, hominum, & vermium opere. — Ex Moro

Erucarũ, & huiuſmodi plurium diuerſa fila nentium è quibus varios folliculos, minimoſque videmus. — Ex diuerſis, ferèque omnibus ſtirpibus.

Araneorum etiam ſylueſtrium quorundam Aranea. — hinc

Fila variè pertracta, & contorta magis, magiſque à ſimplicitate deducta.

Funes, multiplicatis ſcilicet, & conuolutis in vnũ diuerſo numero, ac ratione filis.

Retia quibus apertam quãdam texturam habemus, vel potius textura rudimentum, aut imaginem.

Pãni quorũ ſpecies & luxus fœcunditate vberrimè prodeũtes, non facilè multiſpleniſque paginis dinumeraueris; quando plus in illis ornamenti, quã tegumẽti, & plus certè Phrygij, quã Latini habemus. — *Linteamina quæcũque & mantilia. Tẽtoria. Veſtes diuerſi generis, ac modorum, pro loci, tẽporis, ac cerebroſa ratione.*

Neruuli plantarũ tenuius, craſſiuſque producta conuolutione in longum compliciti.

Et à vermiculis indumenta petimus nudi, ac miſelli: vincimur inde tenuitate, nitore fili, atque opere, nec tantum æquo animo ſuſtinemus ſecundas, ſed & inſeruire huiuſmodi beſtiolis ad ouorumque vſque ſolemus incubatum, quo vel delicatulæ toro pectore heroinæ fouere non dedignantur. ah cur potius noſtra non reſumimus, quæ mentis ſunt, & villos, & colores, & quæcunque puerilia, quæcunque vermium ſunt miſſa prorſus facimus omnia?

Inde tranſuerſa multiplici ad appoſitionem, interpoſitione, & reflexu alternatim diſpoſiti in contextum conſtricti.

Pluribus artificibus hinc materia non minus ampla, quam varia, neceſſitate primum magiſtra inde commodo, tandem peritiſsimo ni mauis perditiſsimo luxu. Non ſatis fuit in nitidos floccos, in criſpos cincinnos flores, figuraſque omnes ſericum miſiſſe; variegatos colore, nitore, ſigniſque pannos expandiſſe, itum eſt ad metalla, eaque in fila in obſequium ducta, panniſque interducta ſunt, aurum ſcilicet, & argentum in fulgorem; interdum & ſuperbo mentis faſtu, pretioſa qui faſtidiret, ac temneret, ipſe in fila mollefactus, vulnificus chalibs; ipſe in veſtes prodigioſè interpoſitus, nudos qui parentes, qui artifices, ſortitus erat.

Humana arte macerationis, excuſſionis, explicationis.

Simplici exempto neruorũ villo inde explicito.

Ramulis, cortice ipſo. — Cannabis, Vrticæ, Iunci, Maluæ, Lini, Tribuli terres. Mori, Ficus

Foliis — Meti, Recchi præſertim, Pitæ.

Bulbo — Theophraſto teſte extincta nuperis arte, villo licet conſpicuo, eoque pratenui, & copioſo. — Eriophoro inde dicto, in hortis etiãnũ, ſed otioſè vigẽte.

Replicata in cõnexionẽ, commaceratione, & preſsione ad chartam, noſtroſque libros.

Pannorũ fracidis dilaceratis reliquijs in pultẽ redactis, inde craticulis in folia exceptis, & exſiccatis, quæ ex varijs varia, prout in cõmixtione etiam admittuntur, ac digeruntur, ſecernũtur, diluuunturq; diuerſa; aqua porrò plurimum in opere habet.

Similiter redactis pãnorum aliorum fruſtis. — E Lino, Cannabe, aut alijs, quæ ſuperius.

Rectis inde [vt multi quidem operis, ſed plurimi fructus rem intelligamus] in ſtratum appoſitis, ſtaminis corij, ſiue ſtaminis, & tranſuerſis alijs ſubtegminis dicti ſecundum, vt duplex ſcilicet charta, amputatis reſegninibus in plagulas, folia ſcilicet, antiquis conſiſteret, iũgebat ipſa Nili aqua, vel turbidi liquoris pinguedo, aut flos pollinis in glutinum: conſtringebat prælum: complanabat malleus: ſiccabat inſolatio, vel ipſe humoris exitus: laugabat Cochlea. quominus ſcabrities, contumacia, lentigo, aut tineæ officere ſcriptoribus poſſent. ita quidẽ operoſa priſcis charta, nec ſcio an ſatis cõmoda: quod fungoſa quodammodo, & continuitatis neruo imbecillior, integriſque rudior fibris. diuerſi porrò generis, & nominis, vt in ſequenti. — E Papyro, & Sari, præſigni inde familia priori charticio.

Noſtras — *Charta, de qua in ſequẽti pagina.*

Orientaliũ.

Priſcorum Patrum.

Vt cutes eſtendamus, & frondes lituris excipiendis, quæ minimè marceſcant, Plantas adimus, à Plantis petimus: in liquidas conterimus pultes, in madentes ſquamulas contundimus, quæ tenuiſsima in omne ſicceſcant, dureſcant æuum.

Contextus naturalis partes exemptæ, & in ſe replicatæ, inde in plagulas, neruulorum plurimis adiunctionibus firmatas preſſæ.

Mirum quot habemus folia ab ipſa, quæ foliis plurimum caret Planta; & vt magis, vtiliſque non minus vulgata, quam anciqua illa eludatur regula: Quot fructus ab ea, quæ fructus expers dicitur? Siquidem ierit tibi in folia, ſeruauerit, prompſerit abunde fructus; imò in te parere potis illa erit. Execrandum profectò ſi in aleas demiſeris, peſsimo ad perditionum fructus abuſu.

Varia quæ amplitudo, à ſcapi craſſitie, & altitudine eſt, & appoſitarum inde Phylurarum numero, quibus locus ſectionibus variè fit: tenuitas, denſitas, candor, lauor, à materia, & artificij puritate, huiuſque diligentia.

Antiquis Romani totius Orbis, Aegypto plurimum emittente, multo ante ipsum crediderim Alexandrum, & aliundè quam à Charta illa Tyri, quibus celebrior potius. Nec enim Homerum, Hesiodumque praeterieris, quamuis à Sarpedone, & Sybilla, infossisque desumere nolueris Numelibris. Papyri huic etiam à stirpe nomen, quod omnibus inde Chartis.

Quale hic charta stirpium munus, quę gratia plenis e Charitum manibus ne facile nedum in huius chartæ angulis, sed nec chartis in omnibus explicauerim, ipse de se, vel tacentes loquuntur chartæ. Plinium laudatæ laudant reciproca testimonij auctoritate. Illi chartæ vsu humanitas vitæ constat, & memoria, imò ipsa hominum immortalitas. En Plinij viuum chartis nomen, viua memoria vim superat sæculorum. Comprobatum vtrinque, & quod non minusculorum tantum ignium, sed & leuiusculis digitorum iniurijs prorsus destruitur: id infiniti quadam imagine, & spatia transuolare quæcunque, & ætatum metas, numerosque transigere potest; supra quam æra, marmoraque; supra quam fusæ per æthera pennæ, aut quiuis currentium valeant impetus. Charta nimirum humanæ præsentia, quoquouersum fundit, nectuntur commercia, frustrata remanent quæcunque nos dirimunt interualla, & locorum, & temporum; & quasi ex vno multi, multis reddamur chartis, opera simul multa præstare eius multiplicibus, promptisque ministerijs valemus; quæ ampliſsima studijs nostris, & per accommoda supellex: quæ litterarum basis, proma scientiarum, & conda, artium omnium theca, atque scrinium existit; quæ mentis nostræ conceptus vniuersos in ditissimum veluti thesaurum, ac promptuarium excipit, summaque seruat, suggerit, exhibet fide, promptoq. siue concluſos, siue apertos velis obsequio, ad nutum quemlibet habere possis; vt vel hoc vnum ab herbis collatum beneficium, quo doctiores, quo ampliores, & perennes effecti, & vel cum posteris ipsis loquentes, atauos audientes a sæculis; non affectu, non studijs omnibus, cultuq. in Plantas per quam diligenti, quo, à stirpibus, quæ omnes prouenium, stirpibus aliquantulum reddantur chartæ; satis vnquam rependi possit. Ea dignitas, ea huius admirandi Phytocharismatis magnitudo est.

Nobis iam omnem ferè per Orbem Christianum praesertim, absq; vllâ Papyri, aut Aegypti ope amplis, & frequentibus officinis.

Etot charis detur hæc huius facies ipsi chartæ, vel parenthetica si opus fuerit in Chartophylacium licētia; nō enim quæ ab ipsis prouenit, nō admitti à stirpibus potest

CHARTA.

- Europea
  - Scriptorū
    - Macrocolum, seu Macrocollum chartæ genus antiquius pedem, aut sesquiped. habens in latitudine à maiori corio nuncupatum Regio quoque titulo donatum.
    - Augusta prior ex Hieratica epistolis dicata. } optimæ xiij. digitorum.
    - Liuia secundæ dignitatis.
    - Hieratica iij. præcisè à sacris scriptis dicta nomine ab adulatione demisso, vel à potiore Hieratica Papyri stirpe. hæc Strabo Papyrus, & dig. xi. { præstantior / vtilior.
    - Fanniana x. quam & Grammaticus, & Chartopola Fannius ex inferiori elegantiorem reddidit.
    - Amphitheatrica ix. Athribiticam à Nomo Aegyptio corrigit Guilandinus. mauult primum ab Alexandrino Amphiteatro Scaliger.
    - Saitica ix. ex vilioribus prope corticem ramentis à Sai Oppido, ni potius à Sari minori, & corticosa quasi degenere Papyro Sariticam deducere velis.
    - Emporetica vi. fegestribus cucullis, inuolucrisque varijs mercium in Emporijs præsertim tributa, huic Cucullaria, & Cærulea è nostris successerint.
    - Taniotica, Hermolao, vel Tanitica, Guilandino, Taneotica alijs, cortici propior venalis pondere non bonitate.
    - Claudia xiv. vel xv. densata triplici corio, & aucta, nec mirum Imperatore Grammatico. Nominantur ab alijs Lybiana, & Thebaica, porrò Aegyptia, Memphitica, Niliaca, & Mellonis paginæ, & Meletææ chartæ variè dicuntur.
  - Litteraria
    - Studijs dicta, candida amplior quam primam merito fecerimus, Graphicis, Pictorijsque omnibus exercitijs inseruiens. Philosophica aptè diceretur. Gallicam Regalem, Imperialem diuersas, scilicet ab amplitudine, soliditate nostri distinguunt. Addita, & Papalis in gratiam Conclusionistarum excogitata, quibus iam nulla satis erat charta, vtpotè trans omnes mensuras suis ierant trophæis.
    - Epistolis præcisius tributa, cuius plura genera candoris tenuitatis, & amplitudinis ratione. optima apud nos Fulginas, inferiores, Interamnas, Nucerina, Prolacensis, & æliæ. Tiburtina otium illud crassum sapit. respondere videtur hæc salutatrici antiquorum, quæ calamis inanibus plurimum præsertim in Aulis teritur.
    - Computis, abacisque, mercimonijsque omnibus destinata plenior, & rudior.
  - Impressorū
    - Alba Typographis, librarijsque opportuna plenior, Fabrianensis primas tenet frequentissima, inde Interamnas à puritate discedens magis. mensura triplex erat, amplior nimirum media, ac parua, sed media in maiorem quoque, & minorem distincta est.
    - Cærulea ex ipsis cæruleis lineis confecta, vilior esse solet, & inuolucris destinata, sed præstantior, maiorque non raro præmio præmitur, quod quibusdam oculis gratior facilior sit.
  - Prophanis vsibus accommodata
    - Fenestraria, quæ sicciores quidem repellat aëris iniurias è tabernis pauperum.
    - Cucullaria si placet varia, quæ crasiusicula à flore, alijsque signis notatur.
    - Bibula interpositionibus foliorum à celeriter in aduersarijs scribentibus ad excipiendas, siccandasque lituras præsertim oeconomicis adhibita.
    - Infima rudior, vilior à laceris vulgo suas, quæ habet etiam in oeconomicis partes.
    - Crassior, rudior, varia corpulentia, tegumentis, non scriptionibus destinata, Cartone, Cartoncino vulgo.
- Asiatica
  - Persica Arabica
    - Nitida, quæ maior, minorque amplitudine, crassitie denſitate colore quoque varians. Bissina, quæ dicitur roseo perfusa est candidior corium etiam soliditate quadam æmulatur est: & tenuissima translucida velaminis modo, quę adamussim lituras vtrinque referat: admittuntur, & arborum ad quasdam cortices.
  - Indica
    - Indorum magis litterati Sinenses, qui litterarijs nos etiam typis sæculis præcesserunt, & frequentia præcellunt, cedunt quidem charta, sed peculiaribus quibusdam eius generibus non carent. Notum de Gossipina quoad materiam. Amplitudine Quadrata est. quæ passum æquat. Amplissima, neruosa solida quatuor vlnarū: quæ huc asseruntur. Porrò in alijs regionibus, ciuitatibusque, vel similes, vel amplitudine, alijsque dotibus magis, minusque diuersas facile quis chartas offendere poterit.

Quæ non sibi patres folia è quibus, è rebus non sumere conati sunt, vt quæcunque ab humana mente proueniunt, darent literis, scriptisque, & mitterent, & seruarent? Ab Interraneis arenis primo, & eineribus præsertim Geometricè exaratis, areas, metallicasque diuersas tabulas, lateritas, saxeas, lapideas habuere, imò Gemmeas. Ab animalibus Elephantino ebore, atque omentis Draconum vsque, & aliorum intestinis vsi sunt: scitale: ex corio, & membranis, quæ è Pergamo non prima [antecedentibus saltem hebraicis] sed copiosa magnis Attalicis, Ptolemaicisque regibus instruentibus Bibliothecas. Ab herbis tandem nostris à pomis, fungisque rudius incisis, & libros corticosos, & digniores, quæ à cedro schedas, tabellas [vti inferius] sumpsere addita, & Cera nec non Maltha, Gypsoque deletilibus quibusdam. Folia multo aptius, quæ & nomen dedere perpetuum, linteamina nonnulli vtut iuncta minus, scabraque magis. Ventum tandem est ad Papyri sectiones candido, neruosoque viscerum alliciente contextu: inde multi iugo, quo supra labore purior, fœcundiorque deducta calamo coniux, conquisita, & Principibus & Plebi charta: & vulgatis, & arcanis: & litteris, & mercibus: diuersis, vt vides nominibus, & apparatu. Dignissimis ea quidem si recolis pertrita calamis. Quæ Homeros nobis, & Pindaros; quæ Platones, Aristoteles, Theophrastos, Cicerones, Virgilios, Ouidios, Plinianos Thesauros, Hebræos, Græcos, Romanos explicat, & pandit: Romanam rem omnem tanta molis vndequaque representat.

Candidior nobis, & fortior, commodiusque paratur Charta, propagatur Germanicis typis scriptio. Quinimo ligneis Sinensibus vetustissimis pleno stirpium iure: iam & facilis librorum copia, nec amplius curta, sed & multa & facilis quauis studiorum supellex: perennat mens perpetuum: extinguitur obliuio, obliteratur omni ex parte, litterarum fœcunditate immortali. Tantum sobolis a charta, calamique coniugio tantum in plantis est potestatis. Submini-strauerint hæ pariter fumosum, resinosum, oleosum, laticem, qui ipsius etiam administri ignis, furentes euincere possit iniurias. Dummodo voluptatum otia altum nobis non iniecerint soporem non excusserint rationes è mentibus, amouerint ab oculis paginas, à digitis calamos.

Loquitur certè stirpigena hæc candida proles virentis matris, & sine vlla vocis molestia; imò ita tacet, vt simul audiatur ab ipsis etiam absentibus, nec quemquam interpellet inuitum. Vices humanas subit, & superat, & semper, & vbique: imo, & Regias, & Philosophicas. Animos pascit: mentes reficit: peragit negotia Regnorum, Ciuitatum, domorum: iussa fert & sententias, & oracula: serit, excitat, agitat, & virtutes, & vitia. Ab ea testimoniū fidem, & memoriam obtinent quæcunque sunt hominum. Quid inuentum, præceptum, testatum vnquam, quod in ea depositum, ab ea seruatum, redditum non sit? Quid absque Charta, aut Principes, aut Ciues, aut negotia, siue ea belli, siue pacis? quid ipsa moderatio? Viden vt calamo instructa manus, mentis per chartam ministra, multo quam imago quauis apertior, quam lingua ipsa, & potior, & promptior, & res, & sermones exprimat, imprimatque: cogitationes, concludat, & referet: temporum quosuis prosternat seuientes impetus; laui aut pluma, aut tubulo, vniuersum, æternumque spectet? & mirari potes vitam in tumultu fuisse Charta sub Tiberio deficiente, & a Senatu dispendi arbitros fuisse præficiendos,

Tab. 8.

Quis inquam non debere, aut possit, aut velit, & plurimum quidem plantis per Chartam scientias, artesque omnes ministrantibus, nostræ rationis vsum longè, latèq. diffundentibus? Quis eas non amet? non hæc amoenissima colat studia? si indè præter propriam Herbariam, & libros quoscunque habemus, & litteras; si virtutum, disciplinarumq. omnium semina? nisi ingratus prorsus, & qui huiusmodi indignus spernat, nec agnoscat gratias.

Vsus Plantæ

Tab. 8.

Abscissis crassioribus membrorũ partibus.

Ad materiam ex consistenti, neruoq. compacta interiori solidita te; aut villoso. ductu ad

Septa
Parietes
Tabulata
Contabulationes
Clausstra
Tigna.

Nexus
Ductus
Vimina
Flagella
Floccos.

Conceptacula
Frusta
Partes varias.

HINC Aedificia aliaq. ex Plantis industri artis manu variè superaddita.

Fulcra
Trabes
Statumina
Longurios
Stipites
Palos
Furcas.

Ipsammet habitationem, quæ ab aëris inclementia, ferarum, ferhominumq; iniurijs nos tueatur.

Stabilem, solo fixam.

Mobilem, aquæ innatantem.

Domus lignea, Tabernaculũ à tabulis propriè, casa, sive à casu, quod facilius riseris, sive à cauitate: lignea certè humilior: in quacunque verò ostia pluraq; ex ligno, & in quibusdam, vt inferius, imbrices.

Molendinum dictum, huiusmodique officinarum taberna, quæ supra aquam pendere, alligataq; ripis fluctuare solent.

Nauigia quæcunque Triremes, quæ cuicunque inducuntur aquæ, aut fluentibus lignea committuntur, vnde classes quasi mobiles Ciuitates.

Aggeres Vallationes, & quæ ex Ridicis, Palis, Arundinibus, aggesta terra struuntur.

Casæ, & Tabernacula, minoraque Gurgustiola, Tuguria ex Arundinibus, paleisque, & flagellis, vt in Indijs plura.

Rhedas, currusque omnifariam hic nota; quasi gradientes tractas adiculas: Carpenta: Cœtinos: Plaustra: Vehicula: sunt hodie quæ pretio, plures simul ædes exuperent.

Scrinia, Armaria, nostri à studio dicunt, quæ retuera à luxu esse solent: locularias capsas diceres, bene, & multas simul, & arcanas arculas.

Arca Mactra Capsa inde, quæ simplicius concluduntur.

Plutei, Trapezophora, Mensæ, Quadræ, Abaci.

Simpinia, Obbæ, Pixides, Vasa diuersa, & ad escam, & potum varia.

Cupæ, Cadi Mulctræ, Orbes Socci, sed & quibus eminent mulieres Pedisequa potius quam Sandalia.

Vectes, Arcus, Claua, Hastæ ex nostra Corno præsertim, & Taxo fortissimis.

Baculi, Bacilli, Scipiones, Pali, Valli.

Quid desculptis inseram? aut omnia, aut nihil: indicare satis sit, & statuas, & signa rerum ferè omnium; & Emblemata, & Xilostrota, quæ lithostrotis antestent, de quibus in nostris Metallophytis. Columnæ cornices, Architectura membra omnia, imò Ichnographica tota. Colophon autem hic. Plantæ Plantas referunt: Plantas monstrãt docent, nostris Typis. Dicat Mexicanum volumen: dicant subsequentes tabulæ. Et si sculptum lignum, Picturas in infinitum parit, immittit chartis imagines, vestigijs semper luculentis à quibus, & quicunque literarij, ac Hieroglyphici Typi antiquissimè à stirpibus apud Sinenses; à plantis id demirandum. Iam verò quæ scribantur

Sectione, dedolatione, scalptura, compositione, & huiusmodi.

Schedæ, Schidiæ, Assellæ, seu Tabellæ scriptoria à punctione Pugillares, vnde à caudice Codices, scindulæ inde sive scandulæ rudiores, crassioresque quæ tegularum vicem obtinent.

Crates Transennæ Cancelli, & quæ crassioribus fissis lignis texuntur in hortis, quadrata quoque illa Cerealia Neapolitana vbertatis.

Vestes linteamina diuersis modis.

Panni Gossipio, vel arborũ floccis, vt laniferis Aethiopũ nemoribus, & Erioxilon, quæ de ligno ab Arboribꝰ, scilicet lana, et Gossipini qui lepide in Aulæa Persis, Armenisq. depingũtur.

Elychinia, olychnobi nõ tantum ex Gossipij villo. sed etiam virenti Verbasci, & inde Lychnitidis dicta folio, succi ipsius obsequio insuper, quæ ad chartam inuitent ab eadem parente Papyro.

Subtili, & cõplexo magis.

Contextu.

Restes, Rudentes, Prymnesia, crassiora ad saccos, Fila, Funes, Igniaria Calceamina, Pilei ex Sparto, & ex eodem à soleis, colisque vrnæ etiam, & amphoræ, & papyraceæ quoque ac scyrpea, & præterea quæ tam multa superius ex Cannabis, & Lini neruis aliqua ex Plantarum foliis. Ex Cyperi verò ad sedes contextus, flabella inde, & delicatiores pilei Florentini ex paleis tenuioribus quibus quamuis rustica Pales, ipsis administrat Regibus.

Canistra, Corbes, Quali, Cistæ Clitellæ, Sirpiculi, Arundine, Sparto, Vimine vario in texturam multifariam eunte ad fiscinas vsque, & fiscellas, quæ pretiosas etiam pecunias continere possint.

Crassiori, simplici magis.

Tegetes, Storeæ, Tapetes eadem, è Vincorum, & Sparti supellectili, & Holoschœno.

Tegetes, Storeæ, Tapetes eadem, è Vincorum, & Sparti supellectili, & Holoschœno.

Quæ virgarum, & fasciũ authoritas, vel ligni potius è quo adsumũtur, non percussionis tantum gratia cum clauis, ac fustibus, vnde, & Plautina illa Virgidemia, sed & honorũ etiam ac Imperij. Quid? nonne & qui Ducibus Chiliarchis, qui omni Magistratui præferuntur baculi à plantis, ligniq. robore sunt? vnde ipsissima Regum sceptra? nonne, & Regum inde imagũculæ si nõ æmuli Narticophori inter quos præceptor ille Siculus se recepit, ingrata pueris ferali, sive feriẽte Ferula, verendos sese, ac formidabiles reddunt vel læuiusculi munimento ligni, inde à ferendo dicti, & cõmoditati meribibuli, nutantipedis, titubantigradi, Bacchi dicati: vnde minutum Baculi nomen per me quoque sumas licebit, nec Thyrsum dũtaxat socium, sed temeti lymphas in causam agnoscas.

Multiplicem, & variũ vsum plurima supellex non quidẽ Corynthia, sed lignea, innumera instrumẽta
Conuictus
Pacis, & Belli
Agricultura, &
Venationis
Musica, Mechanica
& ferè omniũ { artiũ operũ.

Betulam extollas fasciibus, & libris. Quid verò supra ad authoritatem? si in eius scriptum corticibus Bibli vice? Si ea baculos Magistratibus dedit legum vindices?

Nota quam tibi multa gracile, deforme, strigosum, sterile producat Spartum.

Hinc antonomasticè lignum Materia, & qui ligno vtuntur Materiarij: quod reuera artificibus cunctis ad innumera ferè conficienda materia lignum sit, nec vtilior alia, aut amplior in rerum Natura vniuersa: & pro musculorum diuersa ratione, ligna diuersarum plantarum operibus diuersis. Inde cum metallo ad elementi vsque dignitatem, & titulos promotum à Sinensibus Philosophis lignum est. Nec ab re, si constituenda sint elementa artibus quoque, quæ nihil ferè absque ligno, & ferro composuerint.

Ad ornamenta, pag. seq.

Ampliores, compositæ, confixæ, adiunctæ, quæ egeno omnium misello homini & tegmen, & nidulos exhibeant.

Quæ citra natandi laborem per aquam diuidentẽ nos ducant, mundiq. omnẽ vnam patriam communẽ coniunctam reddãt. Quæ quoquomodo muniant.

Quæ ab ambulãdi etiam onere subleuent, & alienis pedibus vti faciant.

Quæ seruent, sustineant, & inseruiant, concludant submittant.

Quæ & crura addunt, & fulcimina.

Quæ iam repræsentent, imprimant, exprimant.

Lignea quã plena seges, quæ in cõmoda nostra quoquouersum ire possit, quæ artifici vndequaque se exhibeat, secare, discindere velit, aut iungere, vel flectere, sive in figuram quamcumque ducere. Plurima quidem, omnia dixerim talia. Plantarum partium in connexum præstat robur.

Exhibiti ab ipsa Planta Villi, coliculi, ramuli, virgulæ, sive maiusculæ, & duriores, sive minores, flexilesque, & pleniores, aut diuisæ, quæ texturis absque vlla ferè præparatione in multiiugum cõponentis obsequium suppo nantur.

Vſus Plantæ, abſciſſ. craſſ. membr. partibus

Scis à Plãtis & Reſinas,& Pices:gummata & Laccã illã quæ à formicis dicitur; agnoſce & Ceram, quãuis minutius ea à Melliſſum Volucellarum collecta digitulis proſtet,& vermiculorum etiam apud Sinas. Inſeras inde tam multa, præter quæ ad ignẽ ad lucem notata,ſcilicet horum corpori & cereo præſertim debetur,quod obediat artificibus, obſtruens, tegens,muniens oblitũ, obductum:quod in figuras ducatur, facies induat ac colores; tam multa ornet quocũque pertractum & adhibitum.

Iungendarum partium ratione.

In cõfertum cumulata cõfuſione.

Strata Anaclynteria, quæ præter paleam ac fœnum; à Sparto,& Alga ipſa exhibet, quam inde lãnam appellitant Venetam.

Puluini ſuccedant eadem è materia, necnon Typhina lanugine Goſſipij, pappo, ipſisq. frondibus.

Eodem conferenda & lana Aethiopicarum arborum, quæ villo ipſo à Natura demiſſo exhibetur. Arboris quoque Goſſipij, & plurium ex Apocyni floccigera familia villus.

In conſtrictum.

Faſciculi,ſcopæ ad verrendum, ac flagella. quibus tantum naſcitur Tamarix Plinio.

Paniculæ verò, ſiue ex Melica dicta, ſiue Arundinibus, necnon è gramineis pluribus, Ericæ quoque virgulta, ita præſto ſunt ad opus, vt vix adiunctione vlla opus ſit. Nec enim ſuperuacua Arundinis coma notatur Plinio, quæ pro pluma ſtrata cauponatum explet, durior contuſa interijcitur nauium commiſſuris in ferrumen.

Pinnati pariter exhibentur flocci ad capitum leuitatem, & volitantium æmulos ſpiritus.

Fecit hìc compendia noſtris artibus Natura, præſertim verò ad ſcribendũ inuitans. iners ille ſit,vel torpeat potius,qui hæc,& quę huiuſmodi plura nobis parit, ac parturit, & mentę, & calamo attingere renuerit.

In toto ferè corporis cõagmento.

Vimina ad vinciendum, inde ad vitium nexus, ex Amerina præſertim Salice,noſtrate Geniſta, & Iunco qui maxime iungit. Salici certè tertium in æſtimatione ruris locum attribuit Cato ex ea, Geniſta, Populo, Vlmo, Sanguineo, Betula, Corylo, Vite quoque parata vincula.

Spongiæ, & eius loco Ezou Muſcus Hebræorum ad aſperſiones, vt alibi oſtendimus.

Muſcoſa inde, & corticoſa plura. Suber primas tenet corticis arbor, in quo ſcilicet fructus, plurimum nobis ſiccæ leuitatis officijs inſeruiens. is præcraſſus, ac renaſcens Plinio certè noſtri gratia, iterum atque iterum ſeſe conueſtit, deglubique ſe permittit, quaſi ſponte offerat ſpolia: piſcantium tragulis,cadorum obturamentis,hyberno fæminarum calceatu ad vſum, vt ille ait: noſtris tamen diebus mulierum pedibus grandiora ligna ſubmiſſa ſunt, altius vt Venus immineret.

Stupea & hìc adſcribenda materies ex arboribus corticibusque,præſertim ea quæ ad Nucipalmæ Indicæ fructum, de qua ſuperius.

Dipſaci aſperiora capita ad pannorum villos ſubexcitandos.

Et Elychnia hìc quoque abſque quod nectere debeamus confecta,præparata proſtant è Sambuci medulla,exucca, bibula, fungoſa,candida,producta, quæ flammam àduſque inuitent.

In prõptu & ſimplici ferè abſciſſione ad vſurpationẽ collectis, Natura ipſa ita noſtrum ad opus elaborata promente; vt vix quidquam ſupra ipſius miniſteriũ addendum ſit

Sumendum ferè ſingillatim figuræ modo.

Lagenaria Cucurbita. Antiquum quod nobis naſcitur vaſis genus. inde Plinio in balinearum vſum vrceorum vice, & iampridem etiam cadorum ad vina condenda. ſiccantur eidem condendis hortenſium ſeminibus ruſticæ ſupellectilis. Etruſcæ ſalem concipiunt.

Nucipalma, quæ Oenophoros dat lignoſo, eoque perpulchro fructus cortice. Indicorum fructuum cõceptacula,quibus Baſſama etiam excipiunt.

Arundo, tubulos, calamos, vaſcula ex articulis vtrinque nodo concluſis. quam multa thecæ,cuculli? Maizij folia, quæ ſpicam complecti ſolent non rarò Copalli,Caragna, & huiuſmodi recipiant ac ſeruant. Arundinea ſupellex Plinio principem tenet Aquatica Arundinem fecit. Belli, pacisque experimentis neceſſariam, atque etiam delicijs gratam tegulas, cameras, ſagittas, calamos, plura ex ea in pompam producit. Porrò quod de ſingulis Germaniæ arboribus cauatis, quod nauiculas prædonibus exhibeant, vt aliquæ triginta ad vſque homines deferant; id amplius mirabiliusque internodijs Indicæ Arundinis celebratum, quæ ſingulæ nauigij præſtent vicem ab ipſa natura ad opus cauata. Tibias, ac fiſtulas illas canoras, moroſas, prætioſas multo deinceps, ſed multo potius adnotaueris, ſiue è Syringia, ſiue ex Auletico.

Corticum libri ex Betula præcipuè Tilia, Phylira, Thya, Citro, membrana Iauæ Papyriferæ inde dictæ arboris panni, ſubpuniceiq; illi,& Tidoræ libri, plicatili ſubſtantia nuciferæ Palmæ Indicæ. nobiliores ex Fago. Religioſum huius corticem in quodam vſu ſacrorum, ait Plinius, Tiliæ quoque Abietis, & Piceæ in magno vſu, ſcripturis in recentibus ab exploratoribus ad Duces inciſis à ſucco litteris, vaſis quoque & corbibus ad vſus agreſtes & tuguriorum.

In exterioribus terminis potius.

Folia iam vnde folia dicta noſtrorum librorum, in quibus & à Sibylla & antiquiſſimè ſcriptum. In Maluarum ait Guilandinus, quod in Palmarum libentius legiſſem: incommodum illud, hoc frequens. & præter anguſtiores lamellas vulgaris Palmæ, ampla Muſa Palmeta Guayabara, Tal, Santor, Copey Braſiliæ, latifolia. Ampliſſima, quæ deferendum tectũ miniſtrat viatoribus, & illa quæ ſingula abollæ vice cubile tegere poſſunt pulcherrimæ arboris à Platani nomine [latiora certè] Americanis dicta. Craſſiora certè Metl, & Tunc litteras Indis excepere. Anguſtiſſima Oleæ, & Antiquis idem præſtitit. At Maluæ vt vt a Cinna verſus habeant, & à Pythagora laudes [quæ forſan à viribus, vnde omnimorbia quibuſdam, vel à cibo vti Heſiodus] ſubhirſuta, & in fiaccidam lacernam criſpa folia ſunt, ni forſan è congenere Goſſipio acceperis. habes Pelagicam chartam, Fuco Gyganteo imperati Algam illam latam neruoſam, coriaceam qua Oceanicolæ, vt Emporetica Saccari conos conuoluunt, neſcio an & calamo percurrant. Sunt quæ à Papyro apud Recchum nomen habent, vt Tepeamatl, forſan a chartæ ſimilitudine, aut vſu quopiam.

Accenſe & folia, quæ & homines, vel humani ſaltem corporis partes contegebant, neſcio an aureo, antiquioribus certè ſæculis.

Arbores, ſyluæque ſummum munus homini datum (vt ex Plinio ſtrictim arripias) ipſi notatur. Hinc primum alimentum,harum fronde mollior ſpecus, libro veſtis, ex ijs recreans membra, olei liquor, viresque potus vini; tot annui fœtus: menſæque etiam ſecundæ. Mille vſus earum ſine quis vita degi non poſſit. Arbore ſulcamus maria, terrasque admouemus: arbore exædificamus tecta: ex arbore & ſimulacra Numinum fuere. Quid igitur mirum ſi arboris ramis; ſi floribus, frondibusque & ornamenta ſumantur, quæ honorem, quæ lætitiam, quæ præmium nobis dicant.

Iam & pluribus ſeminibus monilia nobis comparat natura Aurea pilula coccineum illud, nitidumque Legumen, & corticoſi, ac nitidi, fereq. oſſei globuli, Coco dicti, quam pulchra ſi traijciantur ornamenta exhibent, quam lætis coloribus?

Et aliæ itidem particulæ, quæ in vſus veniant.

Siue in ſtipulas feſtucas, teniasq; ſiue in villos, floccoſue, aut ramulos, virgulasq; diſpoſita offerantur.

Et quæ neruoſa in ligulas,

Aut neruulorum foraminoſo, apertoque conteſtu, in ſpongias

Siue ſpongioſa productione in funiculos, obueniant.

Vel excauata capacitate ventricoſa ad excipiendum.

Vel producta cauitate, & nodis obturata, aut in cucullis aliquantulum concepta, aut aptè excauandas;ducente,& præparante nobis in figuras natura.

In cortices quoque obſequioſos, volubiles,plicatiles.

Aut in viuas comprimente pagellas ad noſtræ mentis lituras excipiendas, vt non ſe ſolum charta nobis cum Papyro, & lino materiem dediſſe, ſed etiam chartam ipſam oſtenderet, & in nitorem vſque nullo vſu dente lauigaret, ad ſcriptionem vndequaque inuitando.

Veſtes, ſeu tegmina diſtendendo.

Baccas vſque tornãdo, & præparando, quaſi præmiorum ſigna.

Ad ornamenta ſeq. pag.

Tab. 8.

Vſus Plantæ, abſciſſ. craſſ. membr. partibus

Cedat quæ veſtium purpura. Creſcit hæc, & nitet, non à vermiculo ſumitur, nec timet tineam, baccas quoque, nec marceſcentes protulerit; ſi tornare quoquo modo volueris; ne expolitis deceptus, natas à frutice, cum non nemine exiſtimes. quodcũque interim ſcalpſeris, id pelliciet, id recreabit, beneq. fulgido colore.

Ad ornamẽta, quæ ex figura, pulchritudine quadã, & exteriori nitore, vel decora acceptione cõſiſtunt.

Deliciarum cauſa, quæ ſcilicet iucũditatem, hilaritatem, ac pretiũ in luxu reſpicere videntur.

Perẽniã, perpetua ferè

Ad figuras ſuis picta coloribus.

Ad nitidos colores

Ramis fruſtisq. elaboratis, & perpolitis.

Partibus quibuſdam, præſertim medullæ ad teſſelata, emblemata, & globulos.

& odores præſuaues.

Ad ſonitum, & crepundia ſaltationũ.

vel Tẽporaria, breuem exhibẽt aſpectũ.

Appoſita architecturæ, & picturæ rationibus, modisq. diſponentibus.

Aſportata hinc inde in partium feſtiuam ſpeciẽ, & ornatum.

Florilegia.

Fœdilegia.

ad

Perennant iam qui in floribus flores, quæ ſeſe folia incidenda in perelegantes figuras exhibeant, vt flores quaſi auro, argentoque obductos, non in Ranunculis tantum, & Elichryſo, atque huiuſmodi pingit natura; ſed Cinaræ pomo, & Punicæ cytinis ſquamas nobis, quibus concinnare æmuli, nec noſtris poſſimus diuitijs.

Ad flores hîc à floribus ſubminiſtrans, vt in ſui amulationem hilariter pelliceret; æquis, ritèque iunctis particulis.

Corallium pulchrum illud, nobile, & bene auſpicatum geſtamen. Quo vtinam mulieribus ſatisfactum eſſet, & adamantum, ac margaritarum vectigalibus parcerent, aut ornamentis ſi gauderent non pretio, quo dumtaxat hoc viluit, minimè ad ruſticas, & infantulos hos purpureos pelagicæ Veneris fructus demandaſſent.

Oſſeis, vt Cuci & Dactilorum ad anulos vſque.

Setim. Sitah ex Arazim Laricis, ſeu Cedri genere nobilis in Salomonis templo materies, an Aegidi compar.

Ebenus. Indica nux. & Fic. Canna Indica farcta purpurea, ſiue nigra.

Ziziphus Cornus, Sorbus, Rubericà Mexic. Braſilium. Buxum, cui honorata Plinio materies ſubiungitur Bruſcis, ac Molluſcis Acernis. immò ipſius etiam Alni criſpis, intortisque muſculis ex arboris tubere. Pyrenæi Buxea hodie quoque Brouchon vocant Dalechampio. Quid, quod que lignum, Plinius dixerit. laminæ, ſeu bracteæ, quæ poſterius ex generibus Aceris ipſi ſunt Buxo, Palma, Aquifolio, Ilice, Sambuci radice, Populo præcipua. Nec Cornus ſpernitur, placent & colore diebus noſtris Ceraſus, ac Sorbus rubentes. Venis Olea, vtriſque Taxus & Iuniperus. Solido Ceratonia contextu.

Terebinthus à nobis operi reſtituta, materie lenta ad vetuſtatem fideli; eximij, ac nigri, nunc quoque maculoſi ſplendoris, nigrior olim Syriaca, ex qua calices tornabat Thericles, Ebeno ſuccedebat; Cytiſus inde fortè congener; Africana Lotus ſi colorem reſpicias medulla. Splendidiusque variegatum maculis, & colore præcipuum nuperis Colubrinum.

Metallophytum lignoſum à nobis inuentum, & huiuſmodi operibus varijs adhibitum.

Agallochum odore potius, & pretio, quam planta notum; & Calambac.

Cupreſſus, Cedrus, Thuya, uniperus, Aſpalathus, Santalum. Almugim Salomonis. Subiunge & Citrum, Atlantica munera, quæ ſeſtertijs tam multis, prædijs quoque commutata, menſis Ciceronis, Aſinij, Ptolæmei, Tiberij, & potiore eius liberti Nomij famigerata; ſi à Cedro & Thya diſtinguis, nam Cedri & Citri ſuorum fruticum ait Plinius, & Thyam quoque habet ſeiunctim: quod ſuis diſpiciendum locis. Inde & Roſeam quam radicem dicunt, ni ad Aſpalathum pariter, vel Santalum, alia apud globularios & ſcriniarios, & ſemper aliquid noui, plantis quidem; nedum facie; ſed nec à nomine ſalutatis.

Ahouai Indorum.

Feſtiua ornamenta ramulorum, frondium, florumque, quibus poſtes, parietesq. varie exornari ſolent, præſertim Myrto, Buxo, Muſco, Aquifolio, Aſparago, Abietinis, Laurinis, Tino etiam Lauroceraſoq. adſcitis: Funebria dicit Cupreſſus, indicante mœrorem obſcuriori natura, vel etiam apud Sinas. interueniunt in omnibus chartacei colores.

Sparſiones plenis Liliorum manibus. & ſepulcra, & menſæ, necnon viæ, & pauimenta decorantur.

Coronas Gregarias Sympoſiacas ſcilicet, & Venereas, Serta, Corollas, trophia, Strophiola [ſtrupi e Verbena] ſolijs, floribus, ſimplicitate, aut permixtione, odore, colore, varietate placentibus, & vel Catoni probatis.

Faſciculos [Seruiæ antiquis.] Principum Amaſiarum, ſed & Scholaſticorum concluſioniſtarum, & quarumcumque congreſſionũ; vt iã in hortis ampliores dominis, certè è floribus, quã à fructibus prouentus, & oliueta cedant violarijs omni ex parte, mortalium plurium creſcente, & luxu, & luſu. Corollas, manipulos, torques è Cacaloxochitl odoro, & pereleganti, reuerentis ſalurationis gratia Mexicani offerunt. Interueniunt & ramuli vt Myrti, qui in conuiuijs antiquitùs ſuas partes habebant, vnde ad Myrtum canere dictum, carmina præſertim Aeſchili, & Steſichori.

Thyrſi Dionyſiaci, & Feſtiui, & militares, Hedera plurimũ circumuoluẽte. nondum enim Medici infimis proſtituentes operibus eam ab arborũ, murorumq. foraminibus ad factitia humano in corpore traduxerant; à quibusque certè ſemota immundis cauernulis, in Bacchi ierat ſuperba trophæis.

Coronæ, quas & ſacras, & militares auro, Quercu, Pino, Olea, Loto, Myrto, Aeſculo, Ilice, Gramine, Bacchare, Apio capiti circumeuntes antiqui habebant, & collares, & ſutiles, & pactiles. Ianus inuenit. Addiderunt nuperi Braſſiceas, & Pampineas, vt Archipoëtas luderent. Prima autem floris Papyri, chartacea ſcilicet auctoritate dignitas, è quo antiqui Deos coronabant. ipſa tandem Hedera in Antiſtherijs ſolemnibus viurpabatur, & doctarum frontium præmia, quæ non Bacchi tantùm, ſed Alexandri exercitum coronauit. Graminea Romanis nobilior, quæ obſidionalis, quæ Fabij, illius qui rem cunctando reſtituit.

Palmæ ex Palma inde dicta, nam ſi figuram ſpectes Chamæriphen dumtaxat à nomine accipies. habes autem ex Oleis quoque, & alijs clarioribus ſtirpibus Palmas ſuis quidem à titulis, eo autem ab ipſa Palma victorio nomine, quod pondera vincat, contra ea reſurgens, præter aliorum ſtipitum morem, qui inferius flectuntur, vnde nobile illud & famoſum problema. Subiunge & varios ramos, quibus & victoriam dicebant & lætitiam, & venerationem. Ferebant & Victoriæ nuntij, vt illi ab Hidaſpe.

Sagmen illud Hierobotani Verbenæ virgula, quæ victoribus porrigebatur à victis, vnde herbam dare prouerbio, ſcilicet, & Fœciales, & Patratus Pater fœdera facturi, vel bella indicturi è ſacris Capitolij ſumpta Verbena tempora vincti: & Verbenarij legati dicti ſunt. Simplicius certè ſuccedebat & Gramen.

Celebretur à Plinio, veſtium cum floribus antiqua æmulatio. illarum certè plurimi è plantis colores, & è Cocco prior, non alia hodie purpura, non conchilio. Veſtes ſuperantur, vel etiam in ſacris, vel etiam regiæ; nec mutuatis aliũde coloribus.

Honorũ ergo, quæ dignitatũ ſigna, gloriæ humanarũ actionũ inſignia, præmiorũ arrhæ, eſſe ſolent.

Viritim ad tributa ſolemniter conferenda, aut proferenda.

I nunc, & plantas ſperne, qui Phyſicæ ſolidioris faſtidis ſtudia; iam & honores è ſtirpibus ſumis, & titulos, quibus incedas inflatior, nec ſatis eſt ære, marmoreq. vultus, ipſũq. corpus, vel etiam vndequaque in coloſſum extendiſſe: ni ſimul & metalla, & lapides, ac gemmæ palmas exprimerent, corollas, virgellas, ſequacesq. lambentes Hederas; quibus potiora ſumeres, & illa quæ cum plantis ipſis minus fortè intelligis ornamenta.

In locis conſtituta, ſpectandaque in egregiæ ipſius actionis memoriam, & celebritatem.

Trophæi modo. florida, frondeaque trophæa, ramique arborum, hoſtium ſpolia in trophæa ſuſtinentes. quibus ſecundò adſcripſeris, qui ad inſignium Virorum fores affigebantur rami.

Si pro bruris modò aliquid colligere vis, ijs ſupellex tota, immò & quæ reliqua, aut habent, aut habitant, ſi à cauernulis primæ matris excipias, in plantis eſt. Quid verò præter nidos dices? vides latibula, & ſtructuras, ædificia vides: vin' vlterius habitum? vin' veſtes, & armaturas? non ſolum vegetantiũ è genere eſt quodcumque animalia conueſtit, quodq. ab ipſis nos abripimus; ſed à plantarũ viſceribus expetitur Xilopthoro, quod ipſum munit, quo in tegumento cochleas, quibus armis brinaceum æmulatur, & Iſtricem. hilce dum includitur, ab his dum prorumpit noſtras ludit vermiculus lacinias, & quæ mutuatæ communiunt, ſquamas, herbaceis ridiculis feſtuculis indutus, ligneꝰ ruderis veſte.

Odorosq. etiam ſpiritus emittere, aërem ipſum odorum reddere, & cõclauia perfundere.

vel ipſummoꝰ concreparе.

Aptius, quæ Phytarchi, tecto inſeruiant, & decorẽ, numerum, ac ſymmetriã dicere poſſint.

Elegantiora, odoratiq. magis, & quæ hilarius nitent, aut virent.

Et quæ myſterij celebritatem quandam, aut ſignum habebant, vt in ſequentibus, quæ raritatem, aut gratiã oculis, naribusque noſtris; necnon manibus: capitibus certè, vel auriculis etiam fœminarum.

Virores inter ac furores, ſtrepitus, ac impetus quæ feſtiua.

Cõcinna denique magis in plãtis, & quæ ſpectatu decora, at in Papyri flore, nec pulcritudo, nec niſi cœnoſus odor: ſed propria chartæ dignitas, & Dijs tributa, & quamuis ſimplex corona merito Ageſilao placuit. Charta ſi quidẽ famã & dare, & firmare potis eſt, in ea perẽnis ipſi corona, in qua hucuſque vixit, viuetq. diu ſecurius ab hinc fœcundiſſima impreſſione ea in multiplicem proolem propagata.

Quæ altius quidquam exprimere ſolent.

Quæ decenter & fulcire, & ornare poſſunt, beneque conſpicua.

Nil ferè vt inutile, nil non plurimum vtile è plãtis agnoſcere debeas; ſimulq. ſpectandum: cõtemnendum numquam.

Collige cum D. Ambroſio. Nihil vacat, nihil inane terra germinat, quod tibi putas inutile; alijs, immò tibi ipſi frequenter alio vſu eſt vtile.

Tab. 8.

Energia

Tab. 9.

Energia, & præstãtia Plãtæ viuẽtis.

- Corpore agens ipso.
  - Inferioribus nimirũ radicibus. — *Interfluis non solum liquoribus terra attemperatur ariditas; sed & intermistis radicibus, atque radiculis quasi ligamentis labiles in compositum colligantur partes, neve in hiatus fatiscant, connectuntur in vnum. viuis terra palis. viuis fulcitur trabibus. apprimè Dantes ita arbores dixit; nec abluſit acernis, itidem trabibus praceptor Virgilius. Quid verò possint gleboſi cespites resistendis ictibus, qui muniunt, qui defendunt, probè milites sciunt. Quæ autem exiccatio vliginoſa Hydropis in terra ab ebibentibus radicibus, Agricolæ.*
  - Immediatè quidem appositò, partibus
    - Superioribus.
      - Perpetuis, seu perennibus membris. — *Protensis scilicet in condensum ramis, sempiterna, vel alterna fronde, tegumenti non parum habemus. Habent bruta: terra habet. Huic vestis pleniſſimo viridario: varia radiorum dispensatio, varia stillicidij vel moroſi ratio, & illis & nobis vmbra gratior quam prætendunt, ipsaq; temperies, fontiumq; vindicata, importunis ab æstibus refrigeriũ. Parietum inde, vel à syluis plenioribus; vel non tantum mortuis; sed viuis etiam, & armatis sepibus, quibus repellantur iniurijs quicumque, siue ratione careant, siue ea abutantur; quinimmo altiores illæ, vel etiam ipsis colluctantur ventis, eorumq; frangunt vires, dirijciunt agmina, in auras tandem molliunt amicas. Porro pacem & regionibus faciunt statutis, seruatis non saxeis, sed viuentibus in testimonium terminis, quod & in agris sepiuſcule, & agellis præstiterint. Pergamus in Aedisitirpium. extollimur brachijs quasi scalis, ne aqua, ne dentes deſtruant, obruat. Cunas priores hominum, miſellique, vel beatiores potius suſpendunt: nidos auiculæ ab humore, ab insidijs inhabitantes longius. Fuêre qui turritis arboribus signa in conuictum, Nolasque proferrent in altum. Domos ipsas arboreas, tabernas scilicet, casasq; appositas, & superpositas tabulationibus additis, vt in condensis bene Moris non raro videre erit. Quæ sponte & sylua durioribus apparauerint, gramine molliuſcule in grabatum subſtrato. Palatia certè è Multifico illa Indica, & grandioribus Platanis: cœnacula in pluribus, & antra, cryptas, vel in vnius caudice in cauernam aperto: latibula, spelea ferarum, auium habitacula vniuersa. Quam multa & nobis abscondunt & illis? Quam multum ruboris virore excuſatur: Non rarò tamen magis exerunt aurium, quam impediant, vel retineant oculorum.*
      - Fructuũ à fœtu absoluto dispensatione. — *Nobis scilicet pariunt, colligendosq. porrigunt nobis fructus, quos absque * iniuria plantæ vlla vsurpare licet.*
  - Vt Calampac [præstantiſs. scilicet Agallocham] & radix Tauzarghent Mauritanorũ quæ non alio igniculo in suffimenta, sed proprio inhalitus spiritu soluẽte cõclauia replent odoro particularum effluuio. Arabiæ felicitas multiplici huiusmodi perfunditur spiritu, quam vel supra annuos prouentus expilatã, vno vt adoleret in die Poppæ suæ Nero ille qui laudatorem Cardanum fortitus est, compilauit, cõcremauit.
  - In circumfusum aërem
    - Salubrem ipsum reddendo, noxamq; eius, & prauitatem corrigendo, vt
      - Olea.
      - Vitis.
      - Rosmarinus.
      - Laurus.
      - Aurantiorum omne genus.
      - Eleagno florente: Paradiseam vocant.
    - Odoribus respergendo bene fusis, siue etiam minus gratis, indeq; fœtoribus.
      - Azadaracth, itidem, & Nocturniflora, inde Tristi dicta.
      - Alapathus rorata, Irinis ad inenarrabilem vsque suauitatem Plinio. imbribus Rosa illa odorifolia vna. Neglenctir Belgæ vocant.
    - Corrumpendo, vitiando, vt
      - Cicuta.
      - Cannabis.
      - Buxus.
      - Oryza.
      - Frumentacea plura.
  - In adstantia corpora vmbra, scilicet
    - Magis, minusq; fouendo, iuuandoque, vt
      - Pinus, Iuniperus Acer, Fraxinus, cuius vmbrã venenatis serpentibus inimicam dicunt.
    - Nocendo, perturbandoque, vt
      - Taxus ad mortem vsque, vt scribunt, Sorbus, Buxus, Nux, Iuglans, vt vulgo quoque notum. Cupressus densior.
  - Diffusione, ac euaporatione solita partiũ.
  - Fminus missis particulis.
    - Emissione occulta partiũ insolẽti, rara, ac mirabili efficacia. — *Hac in domo, aut villa sata arbore Aquifolij veneficia propulsantur, Plinio † ramis fulgura, & fascinationes, Rusticis apud Matthiolũ. Hàc Scylla in vestibulo viuũs [cuius præsentia omnes plantas iuuari ac tueri scriptũ] arcere maleficia dicitur, quod albo Chamæleoni Carlinæ dicto, etiã dum floret exiccato tribuitur. eadem Thu implantata, domesticã concordiam facere, Asphodelus ante portas Villarum satus contra Veneficiorum noxam antiquis. Ramni tertij ramus valuis ac fenestris impositus: Betonica à piaculis omnibus domum in qua sita sit immunem reddere. Altius porrò Ficus & Laurus fulminibus obsistere. Huiusmodi fortè spirationibus Palma mas fœminã cum obices altitudine sua transcenderit respicit, atq; fœcundat, quod tamen multò faciliùs receperis. nec Bulbum aut Ficum vel prouerbijs suasus contra fulmina quæritaueris.*

—*Quæ delectent simul, & prosint siue forma, siue odoratis spiritibus, & Natura vel artis ministerio exhibitæ plures erunt in hoc genere. Mouebit florum gratia non nares tantum, & oculos, sed & mentem ipsam. Ea vel hyemali, vt adnotauimus tempore Ver tibi pleniſsimum in Bulborum familia, & Anemonum effundet si à Colchicis, Crocisq; inceperis. Omnimestres plures, kalendas ornare poterunt, concurrente Rosa, plurimam anni partem Gelsimina floribus copiosè promissis. Omni tempore fructibus Aurantia. Florum & fructuum mira in multiferis vbertas. Succeſsio inordinata in dies effusione Ephemerorum, Hemerocallium, aliorumque. Contextus in Conuoluulis quasi appensis aulæis. aureis in Acriuola floribus, pomis in Balsamina, caruleis veluti gemmulis in Lazura, lacteis calathis in Smilace, triquetris marsupijs in cordato Piso. Pyramidalis in Cupresso viror, comatus in Pino, crucibus eleganter decussatus, distributus in Abiete, in fastigiatam densitatem lepidè protractus in Beluedere inde vulgo dicta. humisparsus in Nummularia catillatus in Cuscuta, squamosus in holoserici nitorem in tapetis instar in Lycopodio. Quid porro multiflora & prolifera? Quid spica, vmbella, racemi, corymbi? Aſter Sol ille inter Plantas? Quid cælestis Iridis nitor, & colorum in Amarantho illo Psittacorum æmula concertatio, frons in tam multis sempiterna, & Elychrisi aurum marcoris nescium? nonne omnia excitare, recreare nos valent?*

Agminatim inde si inuaserint, quæ in conspiratione illa, quã elegans quoquouersum effunditur species? Vilior seges, & simplicior, & frequentior pulchritudinem habet multa viroris æqualitate: Linũ & quæ calcantur gramina replicata densitate. Minutus in Pineto obscurior aspectus, Rutilus in Laureto, incanus in Styracetis nostris, quam iucundè sese obijciunt? placet vel ad cinereũ dilutus in Tyburtinis, & Interamnatibus oliuetis. sua inter Fabeta per lymphas scaphis, thalamisq; iubeuntes conuiuari, deliciari solebant Aegyptij, grauissimis & vmbris & viroribus inuitati ac retenti. Cymbula inter Rosifloras Nympheas, adolescentes nos quandoque in nostro suburbano Cassiæ villæ lacu non parum oblectati sumus. Placent herbosa, placent virentia quæcumque.

Aſpectu *pag. seq.*

Quæ collectionũ natura est, ea replicatis firmatur in vnum nexibus, cõprehendit ea cor pora, vincit, roborat vnit.

Interiecta quæ pluriſariam iuuãt, quæ impediendo modum faciunt, & locum, aut in diuersa adiutoria protenduntur, fusoue, deque, & circumundiq. disponuntur. Primas habeãt Platanus, Lotus, Ficusq. illa mult pes. Miratur Plinius vmbrę tantùm gratia Platanũ ex alieno per maria petitam orbe, vinoq. enutritam inflo: celebratã in Athenienſi Academia; magis in Lycia ad gelidum fontẽ Lucinij Mutiani Conſ. conuiuio intra eã & thoros præbente cũ xlix. Comite. Veliterna inde Caij Princ. xv. conuiu capaci triclinio. monumẽtis nobilior Cretica, semper virens Gortynica, quæ Ioui adeò placuit, vt sub ea thalamũ sibi ad Europã comprimendam elegerit. Lotus aurẽ domibus expetitur Plinio ramorũ petulantia breui caudice latiſs. expatiantiũ vmbra, & in vicinas domos sæpè transilientium. nulli opacitatem breuiorẽ quæ nec Solem auferat hyeme decidẽtibus foliis: nulli corticẽ iucundiorem esse quodve blandius oculos excipiat; nulli lõgiores, validioresq ramos aut plures, vt dixisse totidẽ arbores liceat. Denique Ficus illa se semper ferens demiſsis ad terrã ramis in multiplicem propaginẽ, opere, vt ait Plinius topiario, decora, subter intuẽti specie procul fornicato ambitu cõtextum exhibet concludentis circumsepientis nemuculi. Iniuria illa fuerit qua deprimuntur arbores ne altiores nobis difficiles videantur in fructibus porrigẽdis vt pulcrũ Chameplatanos aliosq. in hoc genere pumiliones habere.

*Poma, Nuces, Baccæ, Acini, & quæ legenda offeruntur legumina. In nos mittit Oxiſapertis protinus exhibet mar supijs Balsamina vix tactu prouocatæ elaculatur impatiens illa: ventis distribuenda credant, quæ pappum in pennas habent.

Particulæ à plãtis excretæ, & in halitus fuæ, quæ aëri intermixtæ vel disijciant, ac diffundant; vel torpidum ac craſſiuſculum reddant: & siue odorum, siue fœtidum, & graue. Longius autem, latiusq. effundi, vel à grauioribus discamus: siquidem Dracunculi cucullus, & Phalli cœnoſa illa excretio, quàm longiſſimè sentitæ, muſcas prouocant, & conuocant; Tuliparum & Rosæ spiritus, quamuis suauis Scarabæos. quid si Vua ipſa quamuis parùm odore a nobis sentiatur, Apes, Veſpas, & huiusmodi Volucellas à longè ad se trahit?

¶ Particulæ, quæ solaribus radijs pertrãseuntibus miscẽtur, eosq. ita qualitatibus infectos reddãt, imbutosque; vt ad corpora cum illis simul ferãtur, & impingãtur.

†Ignores hic facile, & occultũ prorsus dicas, an mittantur particulæ à plantis, & quæ, & quomodo; pariter an aliquid ita fit, vel fiat.

Facies, speciesq nimirum, quæ ex coloribus, figuris, odoribus qui in nos mittuntur, vel in singulis stirpium familijs, & consitis seu cõplantatis. Nec humus ipſa noſtrique, aut Naturæ parietes, & quæ rigua percurrunt, aliud præter fundamenta, aut distinctiones quidquam apponunt. Proſcenij decor, omnisq. hilaritas multiuirentium stirpium ex vegetantis matris opere, vndequaq; consurgit.

Energia Plantæ viu.

Aſpectu, & Cõſpectu.

Ipſiuſmet Naturæ operę duntaxat.

Regionum oræ, quæ ſpecie, ac amœnitate ſplendent, ridentq. nemorum obſcuriuſcula, concluſaque facies, aperta renidenſque pratorum, ornatiq. tractus terreni corticis, quales in Belgica felicitatę plures, in Neapolitano, Florentino, noſtræq. Vmbriæ agris præcipuè. Sed nulla ferè regio ſua pulchritudine caret, qua pluribus ſi non omnibus placere poſſit, præſertim incolis multiplici nexu adalligatis. Peculiares verò, & Tempe æmulæ partes, Naturaq. horti, ſiue montes, ſiue valles ſumas, & nemora, ſiue ad fontes, riuoſque decliuia, & ad mare, littora; plura inuenies, quæ ſiue Studioſum; ſiue Amuſium reficere valeant. Scis laudatum Tybur, & angulum illum Horatio præter omnes ridentem. Scis doctas ad Tuſculum amœnitates, Romanasq. ſupra aliàs Baianas, quæ à Marone condito, rediuiuos Arcades per lepidas Sannazarij Veneres obtinuerunt. At quæ tum multo honore plantarum, cultuque pereleganti tum fluuiorum, montium, ipſiuſque tota facie ſoli, Vrbibus, Oppidis, villulis, ædificijs ſimul diſtributa, præſigni Naturæ, ſpectabiliq. artis ſpectaculo diffulget: Vmbriæ vallis illa eſt, quæ à Peruſio per Aſiſium, Fulginiumq. deducta Spoleto concluditur, cui medijs partibus ad Propertianam vetuſtam Meuaniam noſtris ita Pſychogogijs imminemus; vt periucundis totam luminibus, æſtimare liceat.

Artis multiplici ſuperaddito miniſterio.

Cõſitis, varieque diſtributis diuerſis ſtirpibus, agmine, ſerie, ordine, vario, ſexcunciali &c. Varieq. locatis, vt ipſa cõpoſitio, & diſtributio, viror multi-uariusdiuerſimodè fuſus, florumq. gẽmulis, omnifarijs coloribus, ac figuris interſtinctus, odoratis auris reſperſus hilaritatẽ, ſanitatẽq. faciat, veſanos exteriùs, interiùs cordatos viros, & ſtudio, & contemplatione, & ſpecie oblectet.

Plantæ intermixtæ diuiſæ.

In areolis, locellis, angulis, vaſculis locatæ.

Parietibus appoſitæ.

In parietes excitatę, & cõdenſos quidem Cupreſſi, ac Iuniperi.

Incuruos in Fornices cõcameratæ.

In Sepes connexæ.

Opere Topiario, varioque in figuras hominũ, nauium, animalium contextæ, vel moroſa Cupreſſo, triſtiq. Iunipero in obſequiũ ductis, hinc mixtione quadam architecturę cum agricultura, in viuentia, ac virentia ędificia.

Affixæ.

Ipſam ad humum iacentes.

Syluæ.

Luci.

Viridaria.

Horti.

A ſolo eleuatæ.

Fornicibus in æreas extollentibus parietibus. Pẽſiles horti.

Vineæ.

Erecta nouæ hortuli parietarij ſpecies, quam ipſi addidimus. Admœnianiq. huiuſmodi ſpecimẽ dedimus nouo ex muro accũbentibus hiãti ſpectaculo.

Vlmiuineæ.

Pomaria.

Oliueta.

Segetes.

Arundineta.

Glaſteta.

Lineta.

Cannab.

Card.

Mobiles.

Teſtaceis, ligneis vaſis, areolisque.

Adonidis hortulos dicunt leuiuſculos, indeq. Adonium Abrotanum feneſtrale ſcilicet, breuiculos leuiculos in prouerbiũ uſq; Veneri non fructui dicatos. Rus in feneſtra habes apud ludentem Martialem. exuccos ſitienteſque crediderim qui Tantali dicuntur. cæterum non teſtulas iã ſed quæ pragrandes dolia imitatæ arbores vſque enutrire poſſint; quæ fructibus etiã onuſta in ſpeciem ac luxũ porticus & ambulacra exornent; nuperi Deliciarchæ [ſilicet] habent, vt nemuſcula hinc inde conſtituere, & deducere poſſint.

Diuerſarum ſtirpium huiuſmodi plãtaria, aut ſingillatim cultus, & noſtratium exceptiones, exoticarũq. traductiones, & hoſpitia.

Pertinax naturæ vis, lubrica viciſſitudo rerum. Imponunt nuperi hortos ruderibus iacentis antiquæ Maieſtatis; reſultat ab arte natura: deuicta ſuccumbit hæc, quæ ſuperbiebat in vaſtum herbamq. porrigit victrici. quid herbam etiam porrigere autumo, ſi & hanc à natura habet? cogitur ſcilicet ars vndequaque in naturæ ire miniſteria quæve illius ſunt, præter quæ nihil habet, reſtituere omnia.

Terreſtris naturæ ornatus omnis, qui veſtium eſt; varietate, coloribus, pictura, humanas mirè reficit ab oculis mentes. Interſtinguẽtibus nimirũ omnigenis ſtirpibus, varia diſpoſitione, ac ſitu Natura ita ſuas haſce dimitias, deliciasq. repræſentat; vt negotij plurimum pingentibus, cælantibusq. nobis faceſſat; dum omnem lapidem mouemus, vt vel imagine pigris illata cubiculis, illis frui liceat, quæ efficta quoque ſpecie, plurimum iuuare queant.

Similior ſibi nec pulchra minus, quę Ciminię in Etruria Dodonæ in Chaonia, Arduennæ in Gallia, ſed ampliſſima Germanica Herciniæ itineris dierum 60. intacta æuis roborũ vaſtitate congenita mundo; quæ & colles vſq; attollat ſpiritu. Ipſummet herbosũ Mare quas velut e ſpeculo merſarũ plantularũ ſpecies, Corallia inter & Villos & Squamulas & contuberata Alcionia, Algas Phycosq. omnes repræſentat. Pelagica nimirum natura haudquaquã virentibus ſpecioſisq. caret induſijs.

Quæ vegetantiũ Parentem permouerant diuerſas vt facies hinc inde ſuis cõſtituat fœtibus, colentiũ non tantùm agnoſcas manus, ingenia, cupiditates, mores; ſed multò prius radiorum cæleſtiũ receptationes, indeq. proiectiones vmbrarum, diſcurrentes Lymphis genitales vitales illos Thaleticos ſuccos, qui infuſi in lac iuſcula chilum ipſum excitent, nutriãt, augeant. Aegyptij Nilo perfuſi alienis indigent nullis. Salodienſes temperiẽ vel in rigidis regionibus obtinuerunt ab aquis. Amalphitani maritimis auris, proſilientibus è ſaxis fontibus, lætis gaudent in Mare propendentibus ſupercilijs. Ianuenſes ſicciorem naturam ad pleniſſimas delitias inſtimularunt, vberem, & præſuauem fructum. Rorulenta ea aura ad Sali vicinias quæ affunditur. mira ad Partenopæi Crateris oras pulchritudo. Syluoſis at inſulis quam elegans per Græca Aequora, & vbicumque contigerit aſpectus.

Periucunda ſpecies, ac diſpoſitio.

Odor fuſus, ac viror, quibus animi exhilarantur.

Elyſiæ hinc antiquis deliciæ.

Penſiles quoq; vincas Tiburtini habent, quod Romanorum ædificiorum ampliſſimum illud ciuitatibus diſtinctum, Adriani ſcilicet villa vaſtiſſimo iam rudere Agricolis ceſſerit. pariter arcuatæ Mœcenatis extructiones. Vt vineales ita fornices, nec paucos montani illi nepotes fortiantur.

Quæ maximi in Vrbe Circi olim magnificentia in hortenſem hodie ceſſit vbertatem: tramum hinc inde conſcribillantes ligonibus iura. profuſa circuit Sambucus: Erigitur Obeliſcorũ vice, replet non denſus humeris Romanus ille Populus, ſed virens Populus eaq. & frequens & alba: ora hinc inde quæ magnis olim Senatorum capitibus cõſpicua erant, iam non alijs, quàm benè turgentibus glomeratisq. braſſicaceis occupantur. Iudit per totum varia Braſsica circum. Imminent exeſis è Palatij ruderibus ſuperba minis, elata comis feruleta, in miſerandam profectò amœnitatem: antiquæ Maieſtatis ſepulcreta nec in Vrbe rara. non hodie ſpectacula, ſed ſapores ità celebrantur è Circo, vt multis Syrorum oleribus; vt Campanis foliatis dapibus minus inuidendum ſit.

Hortorum certè amœnitates inter præcipuos Romanorum Imperatores haud ignauus ille Diocletianus florentis tunc Monarchiæ magnitudini vniuerſæ prætulit.

Scilicet miræ oblectationis ergo ipſiſmet cubiculis additi ſunt hortuli, & adinuenti, qui transferri poſſint, ipſaq. ab humo inſumptæ partes; vt viuentes plantæ, vel inuito Phyſico Locomotiuam [vt dicunt] obtinuerint.

Hortorum amplitudo maieſtatem quiſpiam dixerit, plenos ſibi exigit libros. ſatis ſit ſi ad aſpectum hic prouocauero. fidem ſi Babylonijs, aut Heſperidũ, aut Phæacibus illis Homericis Alcinoi non habes; Luculianos, Salluſtianos, Mœcenatis Ouidij Lucani & magiſtri hortorum ſi vides minus; vrbem pete Florentiam, pete & quæ Principum, Magnatumq. ſedibus gaudent ciuitates; nec credideris Italicos noſtros, vel Indica felicitate ſuperari. Neapolitani viridaria ſibi minus ornare ſolent, id præſtante Natura, vt inibi vniuerſus ferè ager amœniſſimum ſit viridarium. propè Tyburtini Eſtenſes inſignes ſunt ad prodigium vſque. in Vrbe temet ſi receperis Pontificios ad Quirinale, & Vaticanum, Mediceos ad Pincium, Farneſios ad Palatinum, ad Viminale Peretios, Burghefianos ad Pincij ſuburbia, Matthæios ad Cœlium, eruditiores Barberinos inter Pincium, & Quirinalem omni ex parte admirari poteris, nec ſatis. Scriptum ab alijs iam olim de Cæſijs noſtris ad Vaticanũ, antiquioribus, immò antiquarijs ſimul pleniſſimis à noſtris Auũculis Cardinalibus in eruditionem, ac delicias compoſitis, inſtructiſq.

Tab. 9.

Virtus

Tab. 10.

Ita si flores, fructusque legere volueris; Næ tu periucundũ, perutilemque intellectui pabulum, coronam animo, laboribus perennem fructum tibi constitues.

Hieroglyphicũ.

Flores immaculati candoris, & omnium instar Albi Lilij [antiquis Iunonis lacte] quod etiam antonomasticè floris sibi nomen adsciuit, & inde dicta Florentia semper florens, suis ostendit insignibus, quamuis mutato colore, Susianaque iam olim præseferebat Regia; Puritatis incontaminatæ decorem. Pudicitiam, virgineam pulchritudinem, Regis clementiam, referunt: Angelicas Christianas virtutes à Christo Domino dicunt. Huiusmodi concipere in te flores, atque enutrire satagas, nec frustra spectaueris.

Succedant Rosaria, quæ spinas inter flores habent in gratiam è Veneris vsque sanguine Priscis; quæ nobis vberiores multiplici è vulnere fructus, & circumdatas asperioribus lætitias, eligenda quæ sint ostendant, & odore magis dum appositis Allijs, Cæpisque absonis pollent spiritu sumendas ab inimicis vires dicant; Quæ ephemero decore fragilitatem referant humanam. Anemone postmodum ventoso, flaccidoque Cremio, labili Scolymi, & huiusmodi floscvlis morborum impetus, viresque labiles corporum. Amaranthinis contra, vel potius Helichrysi omnis marcoris nescijs, perseuerantiam in sanitate imperturbata, & bonorum vigore. Iuuentutem omnes, ac spem, & hilarem pulchritudinem, & si cista colligantur, aut fasciculo ver ipsum multiflorum, & decorum commonstrare poterunt affluentiam. Porrò non morbosos tantum, sed & qui funesti habeantur flores interuenire, vt Fabæ atratis litteris, & Smilacis obscuris vaporibus non ab re erit; si obiecerint animo commista semper huius vitæ mœroribus gaudia, honoresque periculis.

Iam si tam multis decerpendis fructibus auidus inhias, cur non & mente perfruaris salubri? Grossos, poma, racemos, baccas, ne tantum retuleris ad palatum. Si glandem non ructas amplius, Balanophagos, Arcades, Tegeates, Tegos, & quidquid inde petitur obscœnum simul & respue: duraque ab arbore, antiquis ramis & cauitatibus priores, quæ exhibuit casas, non rusticam seritatem; sed robusto siue rubris venis, siue incorrupta materie fortitudinem robore, perpetemque ab annosa planta intellige Principatum; non exoletis in cariem vsque augurijs illis, sed principe stirpe, & Iouis apud Celtas signo: Inde stabili sceptrum imperio, & ciuibus corona seruatis, Herculeam quoque clauam virtutis indicem, iram quamuis remotam si adiungatur Oliuæ; officiosamque pluribus agnosce. Poma quæ placent magis, quæ colore, odore, gratia, figura; veneres, amores spirant, horaria simul accipe, lubricam felicitatem voluptates, intus erodentibus vermiculis marcidas, caducas, & Persici nucleo plagis diuulnerato plusculis, damna quæ imprimuntur. Puerilia prorsus ni ad stellas cogitatum transtuleris, quæ Hesperides noctis filias, quæ auro rutilant poma. vide quam bene è malis voluptatum coronam deposuerit Apollo, vt virtutum lauream insumeret. irritum ne demiseris exemplũ. Reijce quæ à Vitis cruore nimio titillationem, Lampsacenum Bacchi, & Veneris prolem referat: libertatem, hilaritatem, lætitiam cum modo sume, à succo, ab aspectu non furente; sed heroicis experrecto laboribus Baccho. Vindemia haudquaquam inani flore, sed multifluo copiosa fructu: felicitas, fertilitas confertim. Vinea, Vitis cum palmitibus; cultu, nexibus, charitatis complexu sacram christianam congregationem tibi in mentem reduxerint. Ficulneus ne ita sis vt abutaris Ficu; illius Thrioni folio, aut fructui nihil imponas obscœni. Sycitem agnoscat Bacchum Syceram, fructus Ambrosia & Nectare stipatos, & quid aliud nisi dulcedinem, delectationem cibum? traduc ad veritatis mella, quibus Mercurio antiquis litatum.

Simplici signi expressione & præsentatione, inde

Sedet Prudentia in Moro, tantum abest vt à stultitia deducas nomen, nec à colore, sed à moræ ipsius laudibus quod sero germinet, pruinæque præmissas deuitet iniurias, contra quam fiat in Amygdalo festinante, & pericula aperiente præcocium ingeniorum. Breuis in hac iuuentus floribus cito deperditis, senili inde ætate folijs expressa remanente.

Oleæ nomina multa à stirpe, & succo. Mansuetudo in statuis. Ramulis ad Cornucopiam, clemens animus, à Mercurio Agricultura, cum caduceo felicitas, ex abundantia, pace, vtilitate, quæ priora. vnde eleemosyna, misericordia, & amaritudine addita correctio. Virore perpeti Iustus ærumnas inter imperturbatus, & quæ fructu compleatur spes: obsonio parsimonia: puritas quod à castis colligeretur: hilaritas bacca numerose profusa: pinguitudo liquore: Aeternitas materie nisi ab igne inuicta: Pax à Numa, ab Vrbis, verius ab Orbis initijs: Victoria à Coronis Trophæis, præsentione quadam communi.

Palma festiua Oleæ socia. brachia in summo distendit, & manus à collectione, quæ cerebrum, quibus nec non nuptijs, & semine recepto, amoreque à Philostrato Diophane Pontano, pluribusque celebrato referatur ad hominem. Virore perpetuo, & ramorum ac fructuum æquilibrio incorruptam designat Iustitiam, & florentem Iustum. Religiosam, Christianam vitæ rationem, quod in altum se ab humo retrahat, inibique vigeat, splendeat in summo tota. Solem radijs corona in orbem annum, mensem ramis ad singulos lunæ circuitus missis, dies illa quæ 360. præstare dicitur, ab hisce tempus, eiusque longitudinem, potius ab expectato partu. Iudæam frequenti incolatu, damnum ab amissione eradicata. Corona porrò vniuersalis, siue etiam ramulo, nedum historijs Augusti, & alijs: victoriam semper celebrauit, & fortitudinem quæ contra quæuis immania resurgit, pondera inuicta simul & vincens.

Descende per fructus & fruges. Lege, & collige in bonam frugem. Vberiores certè præsertim Triticum [summæ in humano conuictu vtilitatis spica illa sua tumentibus onusta granis, eoque magis in racemos quandoque coaceruata prole luxurians, ad feracem te virtutem excitare videtur, & pleniores siue ethicas, siue etiam sacras messes. Pacemque, & Victum, æstatemque & Cererem, & præcipuos cum Vua anni prouentus indicauerit.

Symbolũ.

Cerealis Papauer antiquis Cererem, Terramque vniuersam globo signauit, distinctis etiam plagulis pariter, & Ciuitatem dispertitis sedibus multis, æqualibus inde interstitiis Iustitiam: Caput dum in summo, nec absque Corona capitatum: hinc & gentem, eoque magis quod substitutione facta, humana à periculo eripuerit. quomodo & Punica non Carthaginensem tantum, sed omnem Populum. A semine multo Venus: à percussi amor augurio. Nobis autem & Papauer, & quæ huiusmodi multo referta semine consurgunt capita, præter fertilitatem, conclusaque plurima quæ indicant, hypnotica etiam vi consopita capita ludere videntur, quæ præsertim cogitationibus pluribus sibi propositis oppleta, eas citra vllum opus somniculoso conceptaculo conclusas retinent. Contra in Milio spargitur in effusum numerus, nec vel minimum retinetur quod conceptum est.

Sinapi quæ à minimo principio magnitudo? quis numerus? quantitatem dicat vtramque: amplitudinem ab humilitate & contemptu: desiderium rerum exprimat quæ in alto sunt, vt mirabiliter extollitur. Valida spirituum vis cerebrum, acutissimè percutiens, firmiorque impressio: intellectus designet energiam, expergefactionem, doctrinæ quoque firmitatem multiplici propagatione.

Nec careant fructu quæ vesca non sunt, Impellat Laurus ad lauream, absterreat à Veneris Myrtus delicijs ludicra hæc Coniugula perforatis apud Tressenios folijs amoris vulnera notauit. Harpagij in Chalcide Myrtetis Ganymedem; & Pæderastas. Genium & voluptates figura, & virore delicatulo; inanesque & gratias & lætitias saltante in conuiuijs Venere, sed opplente funebris mœstitudine, minus serias exornauit, & quæ sine clade victorias.

Solidas autem Laurus non quidem contentiosa illa Bebricia in Amyci portu, sed quæ cælitus à Columba nobilẽ medelam ac Phylacterium, quæ purgationem odora; insidijs aduersa custodiam; à fulmine securitatem; diuinationem crepitu, & excitatis, vt olim creditum insomnijs: Quæ profecto victoriam & Virtutem armis & litteris: triumphales honores, siue à Veientanæ syluæ Gallina ad Aug. Liuiam: certè omnium consensu: Quæ Imperij authoritatem, Bacchum, Apollinem ornauit: Poeticam cum Hesiodi sceptro, & Hederæ furore vim adiunxit, hac qua liberatores coronati, qua occulta vis contecta pernicies, inuoluta in ea potentis Thyrsi cuspide.

Cupressus tristis, imbecillique in membris virtute mortis trophæa constituere videtur, lugubris, atrato virore, funebris, omnium consensu, non viu tantum antiquo, aut quod Cyparissiæ implantata sepulchro, quòd Diti dicata, quod Seueri alijsque augurijs inumbrata, quod lecta ad id materie. Horret Plinius natu morosam, fructu superuacuam, baccis torua, folijs amaram, odore violentam, nec vmbra gratiosam. Magnates hac crescenti quidem Pyramide sua complent viridaria citra vllam imminentis cogitationem mortis. Accense Populum, iterumque & Myrtum vt Herculeos labores, Venereosque iocos & morti, & luctibus obnoxios, vel opinione hominem agnoscas: mortisque plenas & voluptates & vires. A Picea, eiusque prouerbio cum Pino conclude. Hæc celsitudine proceriores, & vel ipsos notat Reges, fructu Aesculapium ornat: lugubris & mortis Medicis & Monarchis superextollit imperia, vt siue Regnorum, siue medicaminum eludat vires. Dicitur & Cybeles & Natura Pino, feminis conspiciendo sanè, vt ita dicam ædificio: Dicitur paritas Cupressio protractis in vnum brachijs; Inutile dicitur pulchritudinis spectaculum inani fructu, perennis notatur natura materie incorrupta, vt ex morte hac dumtaxat discas immortalitatem.

Quæ & sæpius occurrit, & spernitur frugiperda Salix cassò à semine, & in floccos difecto homunciones nobis referat absque fructu. Alijs quod frigida insuper, quod vberem laqueis materiam præbeat, & castum Viticem colligam, sortiatur, suspensa retinuerit Hebræorum organa; Sterilitatem, Castitatem, Temperantiam vincula, resecationemque à Lampsaceni falce, præproperaque quasi salientis incrementa, torrentiumque propinquitate confluentes in otiosos illos, inutilesque hydropotas hæreditates dixerit. Compar Populus Herculeis nobilis coronis bicoloribus folijs; tempora diurnis, nocturnisque distributa partibus. Platani cælebs pulchritudo, reprobis spatiosas desidias; bonis exempla referat intaminati decoris.

Afferant & ad perficiendum subsidia, & illa quoque quæ imperfecta sunt. Fungus amplo, sed putrido pileo labilem & ridiculam Mundi huius authoritatem deridet. Moriones & credulos refert, necnon repente factos, cuiusmodi ouis in Aula haud pauci indies excludi solent. Galla spuria & subsiliens proles inanem in Mundi fructibus, & hilaritatibus leuitatem, maximè verò in choris & ridiculis saltationum iocis ob oculos ponere videtur.

Porrò in omnibus figura non pauca designauerit. Riseris Aegyptijs Lunam cum suis figuris in lachrymosi Cepis sectionibus, & voluis vtvt prophana re à Dictidis morte: Solem in solido vniuscuiusdem superficiei Rapo. Dignius sua, ipsius ortum Loto mysterijs plena; obrotundis, & in solis obedientiam, & motum apertis, indeque constrictis folijs. Schœno vitæ progressus, & filo. Inde Lino factum, candidisque ex eius neruis contextis puritas, volatus Filicis folijs dictus, quod ea alas fingant & pennas, inde Pterigæ nomen.

Monitu etiã pag. seqq.

Virtus Platæ, morale ab ea præceptũ ad animos excitãdos, ne credas corpori tantum prodesse plantas, quæ animo quoque optimè mederi poterunt, & in te quamcũque patere virtutem.

Non ita præsto Animalia ad condocendum fuerint, non ita nobis gesserint morem. Abscondita quæ terra intrusa visceribus, aut altiorem quæ sublata in aërem, vtrinque difficilia obuenerint. Planta in aspectu in conuictu nobis, semperque ad manum, nec fuga, nec vllis proripiuntur latibulis.

Singulas si plantas considerare suis cum proprietatibus diligentius volueris, multiplicis documenti, incitamenti, stimuli, virtutes elicies; siue ex internis proprietatibus: siue in cute, primaque ex facie desumere velis, alias atque alias, prout diuersimodè, insumere

Virtus Plantæ Morale ab ea præceptum.

Sigmo

Imago siue Figura.

Similitudo, expresio quædam.

Exemplum. Homilia.

Parabola.

Emblema.

Gryphus.

Aenigma.

Monitum

Scrupolum signum.

Apologus. Fabula.

Tab. 10.

Spinarum asperitas quid non asperum repræsentabit. Odium sic Rubo indicatur, Vrtica crudelitas, Paliuro Cardui omnibus perturbationes molestiæ. Fructus si interruperit, suauitas illas inter; vt tenellis Asparagis, benèque spapidis Cynaræ capitibus, lacteis Cardui tubulis, Tuneque pomis. Si verò flores intermissi, decora virtutis inter ærumnas: vtrisque quæ ex aduersis emergunt iucunda cum vtilitate.

A viribus recordatio quædam. Satyria, Erucæ, vitia, quæ à furente, quæ ab vrente sunt Venere dicent, præsertim si ob id indita nomina. Bulbi nuptias addito etiam antiquo more. Tempertem Lactuca, Castimoniam Ruta, Cicuta, Nymphæa colludente candore. a Typha & Arundinis panniculis audies surditatem. Ciconia Origanum monstrante, & huiusmodi pluribus medicinam. Desiderium Concupiscentiam Cappari, quod instimulet omnem appetitum. Mandragora Amatorium quid, nec non ex Socratico Xenophonte, & Hebraico cibo lætitiam. Somnolentos, vel præsigni historia detruncatis ab Hannibale Afris rebellibus vino ea perfuso. Securitatem denique Filice quæ serpentes arcet. Temperantiam quæ Taurum coërcet Caprificus, cuius ramulis Iuno Caprotina solemnitates habuit,

Dabit & vsus. Ferula, puerorum, ebriorum castigationem reducet in animum. Purgationem Hyssopus, vel Lepræ. supplicium Cicuta iniquè Socrati bibita. Sacra capita antiquis ceremonijs Verbena. Victum Papyrus antiquissimo cibo, & simplicissimo, vnde & parcus, nec spicam quærens, vnde gentis supra memoriam vetusta nobilitas. Chartas præterea cum folijs omnibus. Iuncus & Arundo stylum, & calamos.

Fabulæ quoque significandi vim apposuerint. Narcissus flori suo stultam pulchritudinem, finanemqùe formæ, quæ in corpore est conspectum inscripsit. Qui Adonis dicitur cruenta retulerit Veneris dona.

Lilium bulbiferum, & huius generis plantæ, quæ prolis complexu plurimo circumornantur, eam quam matre filijs in sinu detentis Pictores effingunt, repræsentant procul dubio Charitatem. Suo modo Radicifera Oenanthe, & quæ plura germina mittunt & nutriunt. Perbellè etiam Ornithogali bulbus bulbillorum caterua contectus. Puram Agnus Scythicus simplicitatem expresè referre poterit si venerit in conspectum. Patientiam Iuglans Nux retulerit quæ & saxis, & longurijs quotannis percussa fructum reddit. potius quam nuptias ab antiquis illis sparsionibus, vel fragore, aut munito fœtu. Notant alij fœcunditatem in ea sibi ipsi damnosam, qua talibus iniurijs obnoxia fiat.

Pudicitiam plenissimè, quæ Pudica inde appellatur herba, & contactum vitat, seque contrahit. Ita Impatiens illa filiquosa, quæ manum non fert, nec poppisma.

Lasciuiem in Hedera, quæ vagis membrorum motibus lvxurians, alienis tota in corporibus procumbit, lentis stringens quasi brachijs multiplici provoluta complexu sugens vndequaque, & sese radiculis inserens foramina perterendo quibus insistat, vnde nedum tangere, sed nec nominare eam Flaminibus Dialibus fas erat, quasi spectaculo ipso impuram & more.

Quæ inde perplexa viticulis appenduntur arboribus, aut sparsis ramorum excursionibus senticeta condensant. & asperant, dum Animalia retinent, præsertim verò Tanis illa Vitis albæ è familia furentem Vrum implicitis comprehendens cornibus nos omnes referunt, dum voluptatibus decepti implexi sistimur, & irretiti.

Matrimonium pingit pari manu, & pacem, quæ e concubitu, & gignendi motibus, Palmata Orchis, Concordiæ inde nomen audire solita. Humani vtriusque sexus fœcunditatem Anthropophoræ D. Fabij Columnæ L. Orchides, quæ spicatum in numerum, masculos & fœmellas, mirabili fundunt spectaculo. Dulcamarum amorem Aurantiæ comparant malo. tu dum à pulcherrima arbore, benèque odora, & sapida mixtos, minusque gratos habes succos huiusmodi omnes vitæ huius voluptates, & iucunda quæque consideraueris molestijs permixtas, & amaroribus.

Cedrus in Libano, Palma in Cades, patrijs vtpote cælo, & solo; prosperitatis: Vitis in domus lateribus abundans vbertatis fructuosæ: Nouellæ oliuarum circa matrem succrescentis feliciter prolis. Arbor iuxta aquas, cuius nec defluet folium beatitatis affusis à Deo bonis: designationes habent.

Laser illud multi nominis, spissique spiritus, quod in odoratissimum, fœtidissimumque distinguitur, nomen ipsum designet famam, & infamiam, quæ ijsdem parentibus voce, litterisque pronascuntur, viresque acquirunt siue in laudem, siue in vituperium contendant. Itidem quæ ab eodem genere, & in eadem familia Atriplex, & Garosmus: Cucurbita, & Colocynthis; aut cibos, grataque obsonia; aut fœtorem, virulentumque amarorem submnistrent.

Persica malus, quæ ex nimio fructu suopte pondere rumpitur, itidem Prunus, aliæque quibus idem contingit: Virtutem proponunt, vitium detestantur exemplo euidenti. Scilicet cum res tulerit heroico spiritu publica pro vtilitate temnendum esse propriæ vitæ periculum; interimque cauendum ne supra vires nostras nimis multa moliamur, quibus omnibus succumbamus imperfectis, nimisque multa concipiamus animo, quæ numquam præstare possimus. Ilex alijs quæ ex sese rumpitur ciuiles exprobat seditiones.

Tritici exsatione diuersa ratio prouentus, vitæque ipsius & fructuum Christi Domini in sacris Euangelijs parabola diuersos exprimit ex sacra concione fructus. Lilia agri, quæ absque vllo labore, & textura Regia Salomonis indumenta superant, diuinam prouidentiã quæ eo magis pijs religiosisque prospiciat viris, si ad infima quæque cõplenda, & exornada extenditur. Mixta Tritico Zizania, mala, quæ bonis interponi, quæ bona præuertere solent liuido præsertim opere, nec nisi diligẽter, ac opportunè seponi queunt. prauos mores Loliũ abunde notauerit pessima bonas inter fruges cõiunctudine.

Addideris & litteras non inutiliter, dummodo difficiles tibi regulis tricas non feceris, quod minutissimo à quibusdam otio potius, quam negotio fieri solet. Expedite igitur & licenter. Florum gemmæ inscriptione [non sera dies] spem dicunt nobis. Caucafon multiplici fœcunditate [in benedictione] vim crescendi à Domino. Cornus nostra ad hastas, & clauas [vi & vittute.] Laurus a fulminibus tuta, [nec ira, nec ignes.] Larix Vitruuiana in cæsareis incombusta [vis nescia vinci.] Hemorocallis alijs, atque alijs singulis diebus floribus emissis [vices dedit æmula virtus.] Amarum aspectus coniugalis [paret amor paribus.] Palmaceus trabs pondere impositò [excitat non comprimit.] In minimis dum maxima sunt nobis, Sinapi è sacris posita. [è minimis magnitudo.] Capparis [ex arido sapor.] Vitis racemis plenis [non flos, sed fructus.] Aurantia [aut flos, aut fructus.] Ficus cum fructibus [& flos & fructu.] Eadem efficacius [flos omnis in fructu.] Cornus nostra saxosis obstricta montibus [emergere.] Vitis suis cum racemis sed acinis ablatis. [Patres nostri] quæ hic indicasse satis. Sedum appositæ virtute se explicet, ea semperuiuum facit, vt ab alijs notatum. mater enim est perennis vitæ. resistit plantula omnibus aduersis constanti firmata succo, succedit, quæ rorida semper & inexhausta, quæ quouis ab æstu siccari nequit, quamuis minuscula Rorella. Corona nobis è Papyro [Aere perennius] quæ instimulet. Laudo quæ ab alijs, vel ex historia antiquæ penu, ex Martis, ac Saturni Gramine, defensio, salus, fiducia in aduersis ex cordato Perseæ pomo linguatis folijs virulentiæ depositione mutata patria, signa. ex Abietis montana materie ad mare nauigijs currente, vel ex periculis stipes. Momentanea felicitas breuis exaltatio ex cucurbita vitra Pinum conscendente. Nuptiæ, sponsæque suis cum Cydonijs. fistula è semper virenti pallenti Buxo. Flura certè quæ ipsi ex Plantis assiduè sumimus in nostris ædificiorum picturis exprimere solent, loquentibus, docentibus aulæis. odimus enim quæ muta splendent, nec animum inani pictura pascere consueuimus, si quod profit simul & placeat adeò facilè iungi potest, & oculos simul, & animos iuuare.

Fabarum solemne illud Pythagoricum præceptum in primis fuerit. Quod tamen vel à munijs publicis, prophanisque cõmercijs; vel à venereis dementijs abstinendum non a legumine vult: dum hoc suffragia in comitijs præberentur; dum hoc aut instrumenta ipsius Veneris designarentur, aut inflata magis cierentur in furorem. Scio interim apud Lucianum non sine mysterio cremorem hunc eruentum esse, & quæ de mortuis parentalibus manibus lugubribus floris litteris inferorum portis, ac cognominibus, quæ de somnijs, deque Aegyptia, & Romana Dialis Flaminis superstitione fabam eruditam reddere solent, fabaceamque abstinentiam ancipitem. illa Cumini æmula in salini contubernio familiaritatis etiam prouerbium dedit. aliud dum cuditur. Expressæ porrò Aenigmatibus à Symposio Malua, Beta, Cucurbita, Cæpe, Rosa, Lilium, Vitis, Arundo, Spongia.

Liliorum, siue Papauerum vertices summos, elatiora scilicet capita demetebat ille, vt tyrannicum firmandi imperij præceptum traderet. Contrectati Ocymi odorem, contusi fœtorem Ianuensis ille Moderatori repræsentabat, vt submoneret Populos imperio conterendos non esse.

Impedimenta procerum habentur in sacris, nec non humilium exaltatio spiritus simul, ac vires, in Regis illa electione inter ligna: a qua pingui suo succo excusauit se Olea; dulcedine sui fructus Ficus: liquoris sui præstantia Vitis: vt tandem Regnum asperiusculæ Rhamno contingeret. Siquidem & hæc spinosa sub vmbra omnes recepit, & ignis minas in Cedros vsque Libani effudit.

Rubus apprehendens, lædensque Vulpem Aesopo & Gabriæ, quæ conuiciabatur, & te ipsam increpa audiebat; norat insaniam accurrentium ad iniurios pro beneficijs, & sucordiam alienа vitia non sua agnoscentium. Idem amissis in Mari vestium mercibus prætereuntium vestes retinens, & attrectans vt suas inueniat, in sua vnumquemque recidere semper designat, & cauendum ab illis qui sua perdiderint, siquidem alienis posthodum instaurari curent, vnde ad quæcumque peruenerint ea arripere, & retinere studeant: simul autem & vncos, & tricas vitandas. Vite vero pampinis condensis Ceruam à Venatoribus tegente, quam postea arrodens detectam prædam reliquerit Aesopo, & Gabriæ eadem ab iniurio hirco amotis pampinis potius adiuta vinum producente ad eius in sacrificijs mactationem, quid aliud dictum, quam pœnas, easq. atroces ingratos erga benefactores manere, benefactoribus omnino illæsis. Rubo interposito Punica & Malo de pulchritudine contendentibus in tituli partem, derisio est apud Aesopum inanium ambitionum, & titulorum vili stamine in consortium accurrente socio. Inflata pulchritudine, & spernente Dumos, Rubosque inde securis tempora abscindendis membris subinferente, & canente Auieni ore: quam velles spinas tunc habuisse meas, procerum fortunatorum pericula habentur, & priuatorum securitas. scilicet deformis & humilis ab humanis tutior iniurijs. Oliua & Arundine apud Aesopum contendentibus de tolerantia, viribus, & quiete, vt Aesopo vel Quercu, & Arundineis calamis, vt Auie-

mere volueris qualitates, conditiones habebis. Quibus in propriam vtilitatem ductis ad probitatem, ad sapientiam contendere possis, ipsa docente natura, suasque regulas oculos proponente nõ mystice, & signis tantum, sed & euidenter viuis etiam proprijs exẽplis, necnon alienorum etiam recordatione, & suggestione, improperia tandem ad minas vsque, ac derisiones addente, vt respiscas, rubo-

Virtus Plantæ Morale ab ea præceptum.

Monitu etiam, vel sententiæ quadã indigitatione picturæ modo

Mythologia. Auiene flexibilibus quamuis irrisis, venti vim maximam declinantibus, illis verò robustis resistentia penitus confractis, prudentia exponitur, modesta inclinatione violentos impetus eludentium, temeritas vi obsistentium maioribus. Quæ verò Gabriæ Vulpis racemos dum consequi nequit acerbitatem acinorum comminiscitur, illa necessitati leniter subiugandam voluntatem docet. Herbas denique implantatas infelicius genitis habere in terra, optimæ matris, & nouercæ differentiam apud Aesopum statuunt: & ciuium ac aduenarum in Ciuitate locum, & Pyrum quæ cito transilit, inde, que excidit Cucurbita prouectos repentino fortunæ motu labiles ocyus ostendunt, contraque suo cum robore permanentes illos quos Virtus ipsa valido firmauit statumine meritorum.

Parœmia. Arbor certe homo, beneque arborum in morem Genealogi gentes ducunt. stirpesque dicunt Antiquum homericum, nimisque verum illud, Genus Hominum sicut foliorum. Quam multi inde à folijs, siue stirpibus ipsis morum characteres? Videas corticosos leuiores subere, Phellinas suberinos dixeris, qui & alios cogant ad leuitatem, stultiores Terebintho, clamosiores ardente Lauro, proceriores Alno, Rubo arefacto præfractiores, crispiores, molliores Apio & Spongia, eaque bibaciores. Clematide Aegyptia graciliores, Moro maturiores, Cucurbita saniores, similiores Ficu, viliores Corchoro. Quot cruribus vel mutuatitijs scipionibus nixos arundineis, vt persæpe vitem decipiat vallus? Quot Pepones potius, molles, aut stupidos Fungos, quam viros dixeris? Betizat iste, ille sachanizat, Cæpas alius edit ærumnosus, Cypariſſi fructum referunt complures. Non satis est quibusdam Ficus diuidere, sed Cuminum vsque secare, Milium terebrare conantur. Victus varius, at Vitæ ratio multò magis. Terrestris & sine sanguine Cæna, Cicernus Bacchus, & philosophica illa Lens, & ad ollam, & ad vnguentum, & omnia, syrorumque in oleribus diuitiæ ac additamenta, Azanea mala, Lampsana victitare, & Cappari illos iuuerit dumtaxat; quibus hortus altera succidia est, neque igni egent; vel quibus agrestibus oleribus, & Carduis vesci placet, reliquis vt egenis etiam non paucis Eruum. Ilimia pro corona non multi certauerint. Rari Ficum cupiunt, Alliumque in retibus; dum multi aluntur Ambrosia, qui Fœno potius deberent. satis Quercus dicent, ad lautiora ventum iam est. Totum irretiti gustarunt plures, Thymo, Thymbra, immò & Sinapi sunt qui acrius vescantur, Parus qui Origanum tueatur æqua mente. comperias Mandragoram & Strychnum vsque bibentes somno veterno, spissaque correptos insania, feraci vitiorum messe à crasso, beneque stupenti otio. Mandrones quoque à Ficulnea nauicula. Quid potius huius farinæ hominibus condixeris Anticyræ, ne nauigent. Helleborum bibant, vel Scyllas à sepulchro vellant, Nasturtium comedant? Laconicum ne Tithymalum illis obtuleris, qui proprijs ita lippiunt in rebus? Gallamne bibendam nepotibus, non quibus nil Bulbus profuerit, sed quibus nullo opus est Bulbo amara nimis glande. Et qui risu profunduntur Sardonio bene petulanti? Quid Fabarum Arrosoribus, & qui cum his Allia comedunt ad extremam vsque fabam incassum reclamante silentij præceptore? scilicet illos qui Cuminum serere, Ocyma quoque & cantare, spinas colligere, linum lino nectere, in syluam ligna ferre: Samiorum inter flores in Anthemusa dormitare, Rosam cum Anemone conferre, Anagyrim ad fœtorem vsque commouere, miseroque in agro Filices enutrire inculti solent rudes inepti; vel extra omnes Oleas, intraque aleas irrequieti petricosi, quibus prouoluta certè saxa, nullo vspiam Musco obduci possint; frustra Byssinis ad vitutem compellaueris verbis: frustra vel Cedro digna loquutus, leguminum nunc messem indicaueris, flores Viticem misisse, maturuisse botrum, dandam sedulò operam litteris, nec cum præterierit quærendam aut è Scylla Rosam, vel Federam post Antistheria, Mentham bello colendam non esse. Moly nigram, & difficilem radicem lacteum florem: dulcem tandem fructum arduum, sed perutile opus. Satis Biblo vberratis spicam non ferre grauem nec postulare. Quippe ne intra quidem Apia vnquam admissi, non vitiata Nuce doctrinæ sibi, vel tantillum vt Mydas in Faba comparauerint: talemque ex herbis fasciculum, in quo plus sibi Aloes, quam Mellis compererint ficco constrinxerint lunco, vel Porrifolio, quo fatui amatores fragilissimo, & igniculos ciente suam sibi crumenam vinciunt prodigentia perditi. Obstiterint potius siculneo muniti contenti gladio, dum minimè sciunt quantum distent æra Lupinis, quid vile sit, quid pretiosum, non secus viris intermixti, ac Corchorus inter olera. Similes habeant labra Lactucas, nullo tale gramen mansuescit aratro, nullo ferè perit sydere, nec facilè radicitus extirpatur. Operæpretium sit nonnulli si ausculrent; anguilla siculneo folio retinenda, nec mirum si, non è vite Rubus, sed è fœtidis folijs odorus Flos, è vepribus Rosa, sique spinosum in prato aliquid quod auerruncandum, paruula interim spina ni bona fuerit; haudquaquam mala. Surculus surculum fert, botrus oppositus botro matureſcit. Quercus multis deijcitur ictibus: erumpit fungus in horam, & Asparagi, vel in Augusti culina celerrimè coquuntur: alia, atque alia subinde quærenda Quercus. Qui aliud nequit, Cupressum simulet. Aut flos denique, aut Cucurbita. Cedri quidem, at humquam cadentis altitudinem, pulchritudinem, odorum spiritum heroica quæ virtus superauerit fastigio. bona Arbor fructus dabit bonos, mala malos excidenda, & igni committenda, vt quæque ab eis quæ protulerit dignoscatur.

Monitum. Quid modò Sycomorum, quid Blitum, Betamque insulsa tibi, stupidæ stultitiæ nominibus dedecoras? Sapiant alijs viuentibus, Blitteus fueris tu si quæ ori potius quam cordi sapiant perquisieris, dum & acrius admonuerint, quæ vtut sapida minus, obsonia tamen supplent, tu non inutilis tantum, sed damnosus absumis.

Olea dum conscendentem vitem suis cum racemis horret, Prudentes à vino abstinere monet: Vlmus quæ etiam postquam aruerit sustinet Vitem, & è contra, quæ aridam Vlmum adhuc contegit, & complectitur Vitis, Amicitiam vltra mortem protrahendam. Quercus ramos quæ non protollit in altum, nisi pariter radices in imum dimiserit, firmitati simul ac incrementis dandam esse operam.

Dogma. Humiles plantæ, quæ calcatæ, & compressæ non minus virent, sed etiam lætius insurgunt, sumendos in afflictione animos, aduersaque tolerando superanda esse monent. Id præter vndique fusum Gramen præstiterit Fœnum Græcum Chamæmel. Hispanic. & muscosæ ferè omnes, quæ nobis vias pulchre sternere solent.

Qui conferto à lumine sese contrahunt flores, vt Tristis inde dictæ arboris Lazuræ Iasmirabilis, inflatos, tumidosque dimittendos esse vultus à superna luce, summaque veneratione ac humilitate.

Metl, quæ multos post annos cum superbissime multiflorum caudicem, supra adstantes etiam arbores emiserit inde exsiccatur, Triumphos Mundi, & pleniora illa extrema coarguit gaudia, quæ subsequens occupat luctus. Putrigena inde Fungus venenata, qui maximè allicit esca, immanem præsentis, vel leuiusculi boni vim, quo præoccupante, futurum omne quamuis ingentis molis, & emolumenti, vesanis nil prospicitur.

Phallus, qui inhonesta facie, putridusque sua vi frangitur, dum impetuose promittitur insanos Veneris impetus mole, qui sua ruentes nos rumpunt, demonstrando; absterrere nos valet ab huiusmodi efferatis motibus.

Quid multirepa Hedera prætereà? Bacchum ea, siue Osiridem refert, à quo lata, inebrians, & ipsa commansa, concidens inde, annosisque accumbens arboribus, parietibus quasi baculis firmata. in reciprocam ruinam, senectutis ostendit silicernium, quod & in vino. ab hærendo fortè dicta, nexus tenaces, multiplici scribens complexu, quibus male sani Lieo correpti mente ligantur. Labile atque aridum, quod in Mundi fauoribus, ac fortunis notat, & eam beneficijs rependi gratiam, qua sufferentes, diuque sustinentes, nutrientesque arbores in aridam vsque mortem ducit, simulque ruitura prosternit. Poëtas interim expresserit, qui pertinacius famæ subnixi humeris exsurgere conantur. viret ea ac pallet, cum ipsis, labore nimirum ac nomine.

Arundine iam sagittas vides, & calamos, fragilitatem imbecillo adiumento: & inania, & nodos. confringe, calamitatem habebis, vel nomine, vel absono fragore dicentibus: fasciculos interim litterarios. Quid hic ominis? & litteris, & armis aduersi plurimum imminere, ni firmitatis, & munimenti ab ipsa virtute quod opportunum fuerit apponatur. Vtinam calamis nulla interesset vanitas, nulla obueniret calamitas.

Viscum, quod sua non seminat arbos, nec nutrit, aliæque parasiticæ plantæ, quæ aliena quadra, alieno succo victitant, dum nutrices ipsas exhauriunt; quàm arcendi sint à dorso nostro Parasiti, Curræ, gnatones, inutilesque homuncione prænonere videntur, præsertim Cuscuta, & Epithimum; quæ è terra subsilientes Linum, aliasque plantas complexu plurimo deuinciunt, & stringunt, maternaque humo prorsus relicta illis inuiuentes absumunt, & strangulant. Meretricum complexus, illasque perplexas tricas apprimè repræsentant; quibus tam illæ, quàm assentatores versuti, subdolique in aulis plures nos vndique circumueniunt, arteque comprehendunt circumplexos, reiectisque, & quammaximè absconditis propriæ originis nidulis nos, nostraque omnia in se pertrahentes disperdere, consumere assiduè conantur, vt nisi caueamus, nisi cane peius & angue fugiamus, bardi, blenni, fungique profectò simus, miseram incassum spectantes malorum effigiem.

Paræneſis. En quæ commoneant agminatim. Terram ramis quæ petunt, & in multarborem consurgunt sumendas ab humilitate vires, figendas alias, atque alias radices, vt firmiora subsequantur incrementa. Quæ tardius præsuaues producunt fructus, vt Palmaceum omne genus, paulatimque, beneque perficienda opera. Remouendas laboribus difficultates, aperienda quæ obsistunt, illa prænonerint, quæ in altum proferunt nobis, multoque & præduro occludunt cortice, vt Coccum, Nux, Amygdalus, Pinus. Pulchra inde minus, sed perutili fruge, & quæ asperum & puluerosum quamuis elegantem producunt, & speciosum; formæ haudquaquam credendum; nec gratiæ, quæ iucundo sapore noxam perniciosa inferunt voluptate: expectandum potius graui à labore, & insignem fructum illæ docuerint, quæ amaris ab radicibus prædulcem ferunt. Perutiles dicunt Iachrymas, Balsamiferæ, & Copalliferæ Ornus, & Styrax. Patientia famæ odorem longè, latèque diffundi, quæ in suffitus vsurpantur; & splendorem vsque illius per aduersa quæcumque, quæ à concisione lucent ligna; & quæ ferrum ferrea superant medulla, heroicum etiam spiritum inferiora induere. Quæ floribus, frondibus, nullo, aut perexiguo fructu abundant, pariter ac verbosos, & elegantes, minus tamen operi deditos viros contemptui esse, vt Italorum Beluedere, quæ virenti elata, sed superuacua Pyramide, ad scopas tandem, & deuerrenda pauimenta damnatur viliſſimo ministerio, quo & illi atterere Magnatum Aulas solent. Huiusmodi autem omnia, quæ viroris coma, aut colorum flosculis nimium luxuriant, indeque concipiunt nihil; bene quidem illos redarguerint, qui deliciarum, diuitiarum, nugarum pleni inter inania, semper inutilem

ruboremque ex ipso virore contrahas, & abiectis vitijs, animisque ægritudinibus, virtutũ omnium amicimine decoratus in opificis summi Dei Optimi Maximi amorem ascẽdens perfectionem, felicitatem, beatitatem ipsam virentem perpetuò, ac florentem in sempiterni, veris, & incorru-

Virtus Plantæ, Monitu.

iem perterunt vitam, cuius à virore breuitatem, Solſtitialis illa, quæ repentè exorta, repentè occidit Ephemerum, & huiuſmodi. Suauiſſimam porrò etiam illis virtutem, qui initio minus oblectationis ab eius cupiunt, præſertim Muſarum ſtudijs ipſius Muſæ fructus admonet, quibuſdam cum primò guſtauerint minus gratus, qui deinde eo repleri nequeant affatim. Pomum ex Arbore vnicum Cacho referunt, ſed prægnans pomis, Troianum dixeris pomum: ſubmonuerit cumulatis viribus ab eodem Viro plura Virtutis opera, quæ diſiunctim à multis vix fierent patrari poſſe.

Plena concione excitatio.

Profectò quocumque amœna per hæc vireta diuertere, animoque excurrere volueris aliquid arripere erit, quo iuuari in moribus poſſis. Iam autem ad virtutum ſummam, & complementum quo perficiaris, vel te nolentem & inſanum impellant Plantulæ, & pertrahant. Tribulus ita te benè tui ipſius conſcium [liceat quæſo] tribulet, vt aquas fundas, vt in illis eam conſpicis fluctuantem, ex oculis inquam quibus plurimum, ni fallor, deceptus es. Aptiſſimè quidem à Tribulo mente noſtra ipſamet tribulata. Aſperi corticis fructus eſt medulla ad cibum, ad panem vſque dulcis, gratior ſuccus præfractis aduerſis atque exantlatis. Inter aculeos cibus abſconditur, paruulus, caducuſque inſidet qui appareat floſculus; non enim rerum facies aut ſpecioſa quæ videntur, ac defluunt, ſed quæ reuera conſtunt curare debemus: quæ inania, quamuis pulchro obueniant aſpectu, ea minimè morari nos poſſint, quominus ad ſolidiora properemus. Circumſtat Lacuſtris aqua, totam ne obruat, conceptis illa ſuperius ſpiritibus exerto ſe vertice ſuſtinet; fruſtratur fluctuum impetus ima ſolo innixa radice, nec fibris ſe credit per aquam ſparſis. Ita obuerſemur Nos in huius vitæ fluctibus, vt quamuis nutriant, circumſtent vndique, ſubmergere tamen nequeant, ſpiritu fultos, & ſuperiori eminentes parte, ſupraque firmam fundatos petram. Repentè ſi ſuccreuerit aqua, hæc admirando erigitur niſu, & elongatur ad aëris retinenda confinia, vt nullo pacto ſuperata remaneat. Decreſcente retrahitur humore, ſumendas ita nobis vires, & modos, ne tenebræ, ne aduerſa nos comprehendant, aut ſubmittant, refringendos ſtatim ſuperbientes ſpiritus, ne inani vllo efferamur impetu: contrarijs proſperis æquè rebus ſeruanda temperatio, hiſce vt mitiores, illis fortiores fieri poſſimus. Vlterius. Aquarum hæc alumna medijs in illis vicitat, nec tamen aliquid fert, nec concipit niſi cæleſtes impluerint. Quæ certè inferius circumſtant bona, potius bonorum imagines quamuis alant, retineant, abſque vllo tamen fructu ſteriles nos, miſerosque ſemper habent; ni è ſupernis viuis illis fontibus inexhauſtis imbres deſcendant, qui nos beare valent, fructuque felicis gratiæ perpetuum ditare, ac implere, ne iterum ſitiamus. Quos dum iam animo fontes deſideras, reſpice noſtræ huius felicis Tribuli faciem, vt amplius, ampliusque te prouehere poſſit. Triquetra dico folia, triplicem coſtarum diuiſionem, triquetrum fructum & vnicum, immò vniualuis indiuiſi ſeminis, interiori cordis figura. Lege hoc in plantis, vel Trifolijs innumeris, & Trinitate inde dicta, additis, admirabile myſterium; vt ad ſacroſanctam Triadem cor totum, & mentem erigere queas. Recole Creatoris ſummi erga te in hiſce notis beneficia, vel in hiſce minimis admirandi opificij ſigna. Vt quocumque tempore plurimum proficere poſſis, dum quauis die Tribulum cum floſculo, & fructu inchoato medio completo, tenello, & ſolidiori, reſpectas. Potentiam recole ineffabilem. Sume & Nati ex Sanctiſſima Virgine Redemptoris figuras, quæ ipſius exortum, quæ paſſionis illius [quæ in tui gratiam in Olea Pacis, Palma victoriæ; veri roboris Quercu, in multiplicis trophæi arbore, in victoris Cruce triumphali, in ligno vitæ deuicta mors eſt] ſacra inſtrumenta ſubindicent. Vniſeminis Tribulus concluſo vaſculo, è puriſſimi candoris nucleo, ita germen mittit, vt illud ſemper integrum permaneat. En Virginei partus figuram, quo Natus Vnigenitus habitauit in nobis, exprimente id in herbulis natura quo ipſa ſuperatur vniuerſa, quo omnifariam extupeſcit ingenti miraculo. Iam & Tribuli aculei diras illas pœnas, ſed & clauos ipſos & ſpinas deſignare videntur, quæ congeſta in Paſſiflora Granadilla, alijs dicta propè flumina inexpletum lugente humo, prolata tibi habes. Exſurge igitur cum Tribulo bene cordatus per aquam, cum Palma per aërem, cum Palma, quæ terram ita deſerit, vt vix ipſi ad trahendum ſuccum filis appenſa remanere videatur; Cælum ipſum pete, vt ipſiſſimam Palmam victoriæ arripere poſſis, & Cælum violenter rapere. Extolle à Tribulo, & Triuniformibus herbis à Paſſiflora, indeque ardentis ſpiritus Acriuiola, quæ in flammeo, & ſplendenti flore igneas tres linguas Sancti illius Amoris, perbellè depictas refert, quæ lituris munerum ſeptenarium etiam ſignat, ternarium ſemine complet. Cor, & mentem extolle, diſce à Solis flore, Phaſeolo, Lupino illo horario, Heliotropijs omnibus, Selenotropio, quæ inferiorum cum ſuperioribus nexu lumina reſpiciunt naturæ, quæ ad creatum vertuntur Solem; vt ad Increatum Maximum Optimum Sapientiſſimum Patrem Luminum te conuertas, & admirando ex ordine conſtructione viribus multitudine morum documentis, ſacriſque figuris ſtirpium, Opificis Omnipotentis amore incenſus, virtutes per omnes, vel minima purgante Ezou excuſſo quouis mortali, quouis ſinſenſo Tribulo, ad Cedrum vſque per Miſericordiam, Pietatiſque eo notata opera, ex bene fragrante incorrupto, maximèque efficaci ſpiritu proueharis, atque ita excellas ad ipſam, vt Felicitatem, Beatitatem ipſam propius, propiusque accedere valeas: ad quam vel minimæ, contemptæque herbulæ, vel ſuis aculeis, ac tribulis; excitare te, atque incitare potuerint. Hæc, hæc monendi pictis in ſtirpibus vis, ni ignauus prorſus, ac ſtupidus obſiteris.

Audiſti loquentes chartas: antiquius loquutas, nec arte, aut mangonio adiecto, ſed ſponte ſua ſtirpes, ſcito. quippe folia hæc, ita exſcripta inuenies, vt abundè perutilis doctrinæ fructibus mentem ipſam perficere, & cõplere valeas, nec alio ea, quàm Summi Opificis ſapientiſſimi calamo notata ſunt, vt tecũ vndique in rem tuam colloquantur.

incorruptibilium fructuũ Paradiſo conſequaris.

Quam plena in agro, in Eremis ipſis Bibliotheca, quam multi & monitores, & Magiſtri docet Religioſa illa ſolitudo: monent conſertim ſacra illa nemora. ad Chriſtianã pietatem virentes, creſcentes vbique libri aperiuntur, nec credas antiquos illos ſummæ probitatis Patres in huiuſmodi receſſibus, chartaceis carentes lituris deſides fuiſſe; qui tali aſſiduè lectione perfruerentur, qui talibus in cõtemplationem impellerentur ſtimulis, pellicerentur doctis amœnitatibus.

Tab. II.

Elucet in omnibus Creatoris Maiestas. Porphyrio non Thus neque aliam victimam antiqui, sed folia velut primam pubescētis Naturæ lanuginē manibus decerptam Diis adurebant, quo signo Deum Creatorem testabantur à quo herbæ & quæcumque in terra orta sunt. ferebantur & Rami, germinibusq; omnibus veneratio quædam exprimi solebat, veluti primo nutrimentum, & incrementum obtinentibus, fructumq; promouentibus. Myrti Palmæq; appensis Perseæ Arboris fructibus gestamina, cor, & linguam Deo dicandam esse, Mysterium habebant Hebræi, figuris vt superius designantibus. plura quoq; accedente igne ad odorem, calorem vsque & lucem.

Mysterijs nonnullis antiquæ superstitionis.

Eatenus quidem, vt Numen habere credita sint Aegyptijs Allia, Cœpæ; ridet moralis Satyra Numina in hortis nata. Acria fragrantia, immo lacrymosi odoris Numina. Et Quercus apud Gallos, quæ suos Sacerdotes sortita est, & Driudas inde dictos, & Dodoneo Ioui sacras, quas Vocales etiam dixerunt cum Columbis, & in Vrbis Exquilino Quercetum, cui Nymphæ illæ Viræ Querquetulanæ dictæ præsidebant. Adde & Fagum, vnde Fagutal, sacellum Iouis cum Fago sacra, vel Fagetum in Exquilijs, in quo templum Iouis Fagutalis. parum enim retulerit, si Plinio auscultaueris, vel Varroni. Colitur Ficus Arbor Plinio in foro ipso ac comitio Romæ nata sacra fulguribus ibi conditis. Ruminalis à Romuli Lupa. Nauia ad Puteal Libonis. Certè & Solis arbores Lunæq. ad Alexandrū oraculis claras. aliasq. sacras cum ipsis Lucis abundè apud Antiquos comperies. inductâ famis illius rabidæ Erisichtoni perniciem, quasi à Cerere, & Nymphis vlciscentibus, & Quercus, & Nemora impiè excisa, quæ ipsis dicata erant. Oschophori ramos in sacra ferebant. sceptrum Iouis eius edolatum ligno Cupressio honorem dedit apud Pythagoreos. Antiquiores rudesq. magis è Quercubus ac saxis nati dicti sunt.

A Diuis & Heroibus inuentoribus dictæ, vt Mercurialis Artemisia Heraclea, Chironium.

Sacro apud Antiquos vsu, virga lanalis. Spina nuptiarum facibus auspicatissima à Sabinis vsque raptis triumphalis Laurus, princeps autem Verbena, siue Herbena inde Hierobotani dicta, & Sagmen; & Cincinnalis, multi quidem & nominis & nobilitatis apud Romanos nostros, dicente Plinio, nulla Romanæ nobilitatis plus habet, quam Hierobotane, è qua sacrarum decermina frondium, quæ à Legatis ferebatur ad hostes, qua Iouis verrebatur mensa, domus lustrabantur, purgabantur, sternebantur Aræ. Peruia ferebatur Verbena ius sacratum Ioui iurabatur Sagmine, cuius nominis & aliæ herbæ participes fiebant, cum sacris vsibus adhiberentur, expiationibus & Amuletis à Græcis quoque eæ plurimum adhibita. Ab ea denique & Gramine vt vulgaribus & quouis pede tritis Herbariæ authoritatis plurimum, Verbenarijs quoque dictis. Altius quæ ex Recchio Indorum Sacerdotum Fanaticam Oliliuhqui serpentum prudentiam, sapientum quoque herbam vocatam, cuius vicem læuis Smilax cum Dorychnio perbelle subire inter nostrates possent, lymphatis mentibus.

Dicatione qua nimirum Antiquis Olea Mineruæ, Myrtus Veneri, & Hedera cum Ferula Baccho, Cereri spica, & Cerealia inde dicta quæcunque. Quercus Aesculus, & Iuglans Ioui, Pinus Cybeli, & Pani, Populus Herculi, Laurus & Lotus Apollini, Cupressus Plutoni Proserpinæ, Diti Siluano, Acer Stupori. Gramen Martì, Abroton in Isidi, Heliotropia & Helioscopia omnia Soli, Narcissus Furijs, quibus Aconita potius ex furiali veneno.

Admirandis proprietatibus. vt luce Baaras Ioscphi Aglaophotin Nicteretum, & quæ huiusmodi dicuntur. sunt ex nuperis, quibus & Ophiogloſſum, & Aster Atticus luceant. omnibus quidem ligna ex populneo, & querno genere quædam in putredinem humefacta, lucem mittunt. Aproxis Pythagorica Nepenthes Homerica si hæc luctum, si dolorem arcet; si illa in ignem vsque violentissimum sua ad se rapiens exercet iura. addat Chrysophilus vtut dolosus, quæ ab auro & in aurum si vllæ refulserint potius pulchri nominis causa.

Venerata Pythagoræ Faba, qui ventri indulsit, non omne legumen, quam nec dentibus vnquam, nec pedibus conterere voluit: siue præcepto ænigmatico, siue ex cremore illo sanguineo & Mysterijs à Luciano derisis, de quibus supra.

Iuramentis Socraticis nobiles Quercus, Platanus, Brassica, quæ non tantum inter Acriolera præcipua, sed omnes inter herbas antonomastica dignitate prolata. Eius laudes apud Catones, & Antiquos Patres confertas habes, immo eam vnicam Romanis sexcentis annis & cibos dedisse, & Medicinam fecisse notum: dedisse & fastidij ac mortis prouerbia solemnitate sua, repetita scilicet, recocta Crambe, & quæ maledictis famam obtinuerunt Cuminum atque Ocyma. Lens inde Aesopica prætereunda minimè est, vtpotè Philosophorum plurium cibus.

Celebratæ à Poëtis; alijsq. extra rem plantariam scriptoribus, vt Dictamnum, Amaracus, Acanthus, Caltha, Amellus Virgilio, Lotus Hyacinthus Homero & Crocus, cuius vel à Troianis temporibus honos. Viola Lilium & Rosa à pluribus præsertim bibacissimo Anacreonte. Florilegi certè & floriloqui Poëtæ omnes. laudent modo Tulipas & Anemones, quæ & primas hodie in hortis, & secundas & reliquas omnes habent. Lepidus Plautus formidolosas herbas habet, dum sceleratam Sinapim terit, tristem antea dederat obsoletus ille Romanarum Musarum parens Ennius sociam mœsto Cepe. Moly & Mercurio & Homero & Veneficijs nobilis destructis, vel potius Virgiliano Lusu ad hortorum custodem relata; fascino quod præfiscine non egeat.

Honorum prærogatiuis.

Sophos.

Celebritate siue rei siue nominis apud Heroas.

Proceres alios.

Dignitate, claritate, plantæ decus.

Dignitate Floridis Regibus Coatzon Tecoxochitl Lyncea nostra magno in pretio, in qua scilicet figura colores, colorum mixtio, simul colludere videntur, ipsæque maculæ consperſæ pictorios quoscunque lusus eludere.

Præstantia ligni, Cubenus Neroni allata, rara vsque à fine Imperij, tertia in tributorum auctoritate. à Pompeo Magno in Mithridatico triumpho ductam arborem hanc miratur Plinius. Nostra verò ætate nec rara, nec vniusmodi, nam præter nigerrimam, subfuluam, violaceam, immo & purpurei decoris habetur, dum bene nummata Principum marsupia Naturam non solùm obstetricis officio magis iuuant, sed eam noua semper concipere & parturire compellunt.

Odore primo & viribus Balsamum apud Iudæos (quibus & Aegyptijs concessum) horto regio magna æstimatione habitum, Vespasiano ostensum, quo in frutice fæuiere Iudæi, defendere Romani, & dimicatum pro eo, vt Plinius refert, Fisco inde ferente.

Ad Coronæ vsque publicum honorem non sine mysterio Laurus, Quercus, Olea, Myrtus, Hedera, Pinus, Baccharis, Apium, Gramen protractæ, vt in præcedentibus, plures verò ex odoratis cum floribus ad sympoſia, & res venereas. Porro Myrtus Principum frontes cingere solita prouerbio locum dedit quo Coronam myrteam ambire quis diceretur. multo Palma nobilius, à qua quod inclyta post facta tribui solita esset, Palmarium facinus heroicū appellaretur. Ironicè contra reprehenderetur quod secus.

Inuentione ab ipsis Heroibus nomen sortitæ, vt Lysimachia, Gentiana, Telephium, Euphorbium Carlina.

Laserpitium Cyrenis numismatibus expressum, Batti Silphium à summo honore dictum, in noui rarique honoris prouerbium vsque Romæ ærario adseruatum, medicamentis. condimentis, odoramentis famosum.

Spica apud Campanos numismatibus etiam efficta, quos felices prouentu reddebat.

Quo pacto Orno, & Fraxino apud Calabros Manniferis Arboribus idem honor deberetur. Fraxinus certè Homeri antiquiora præconia obtinuit. Linum Plinij, quæ cur sibi quoque vexilla non signauerit quæ reliquis constituit omnibus & maiori quidem laude nostris sæculis? quæ scilicet illi Aegyptum admouerat Italiæ: quæ ligna misit omne per mare, quæ terras, regionesq. diffectas vinxit in vnum; ea mentes colligat hominum, iura ea stringit Regnorum, Linum inquam eiq. proxima Cannabis & qui herbularum nerui aut dilaniati aut contusi nobis Phytochariſma proferunt.

Triticum, Maizium, Vitis, Olea, Palma dactilifera, Cacaoatl Recchi, Linum: ex Panis, Vini, Olei, potionum, vestium laudibus, ex vsu quotidie repetitis.

Secundas aliasq. plures è frumentis ferunt ac leguminibus, è pomiferis, bacciferis, arboribus, præsertim Amygdalus, Prunus, Pyrus, Malus, Cerasus, Tzapotl, Ate, Anona, Recchi. Ficus præfer non quod Carthaginem à Catone, à Romano Senatu extinxerint, sed Darij quod palatum permouisse, adeo potuerint Atticæ; vt Bello Persico causam dederint. Scis de Palestinæ grandioribus Racemis: adiunge Narsetica poma quæ in Italiam Longobardos excitarunt.

Sed primo, fortè loco apud Canarios Fontarborem illam repositurem, quæ aquam [à qua profectò tam multa viuentibus] sola ministrat.

Sacchariferam mediam interim Arundinem fecerim, cuius Salirefinæ [vt ita dicam] an iucunditas vel vtilitas potior sit, in cibis, condimentis, fructuumq. omnium conseruatione; non facile discreueris. Medicina commendat. Collaudat cibaria. Luxus extollit; vt bene sapida etiam crystallo horarios fructus inclusos, perennes, gemmeosq. simul reddiderit.

Prunuli nuperorum in Latio & in Vmbria, præsertim fungilli, Boleti antiquorum, Pepo, Melopepo, Tuberes, Tubera, Musa Orientalibus, Cerebrassica Cypria, Asparagi Cæsalpinorum, Chamariphes tenella germina, præcipuè è Circeo monte Caëtanorum Ducum consang. nostrorum.

Intercedat hic census ille apud antiquos infelicium arborum, ita vocabant fructu carentes & fruge, religione damnatas, quæ seri minimè solebant. addebat superstitio dicatas Inferis præsertim nigrum ferentes. Felicitatis titulus à fructu alijs erat.

Necessarijs.

Alimētis & alijs ad victū primis.

Iucūdis.

Peculiari, vel insigni efficacia.

Vsus nobilitate ipsa.

Splēdore quodā ex qualitate notabili.

Lauri honores, & titulos antiquos & recentes belli, & pacis quis affatim dixerit? multa Plinius, plura forte nostri temporis scholæ, in quibus sunt, qui lauream sumpserint, qui affectent lauream. & laureati, & à fructu baccalaurei ante fructum.

—Præsigni illustri ad publica vsque signa.

Nobilitas. Fama.

Titulus Platæ ornamentum, laus cōspicua.

Decor

Facti alicuius memoria

Existentiæ numero

Multiplici vtilitate

Medicina, & Artibus diuersis

in sequenti pagina.

Plantæ decus Nobilitas Fama Titulus Plantæ

Victu *in præced. pag.*

Si vitale lignum, si vitæ ex lignis succos, vel frumenti adipes, & quæ deinde olea ab hisce inferioribus ad superna elato reuerenter animo in sacris litteris respicere volueris; natura huius præstantiã, verosque à summa natura honores, nonnisi cum ingenti mentis fructu percipies.

Medicina.

Betonica, de qua & Apuleius & Musa libros antiqui plenos, nuperis etiam prouerbio indicantibus omnimodam in medicina potestatem. subnectamus libro quoque donatas à Iuba Euphorbium, insigni certè vel à fortunis authore, à Themisone inuentore Plantaginem, à Marcione Raphanum, Diocle Rapum, Chrysippo Brassicam, celebratas inde Musæo & Hesiodo Polium, Erasistrato Lysimachiam, Anthemidem Asclepiadi, Artemisiam Dioscoridi, Moly Homero, pluribus quidem laudibus Vrtica Phaniæ. Dedicta & Omnimorbia, Betonicam æmulabitur. de Malua, & Asphodeli bono non sine prouerbio Hesiodus. ex hoc cibus cum Ficis præcipuæ voluptatis Plinio, Epimenidis Platoni, Abstrusæ adducantur grandioribus titulis. Semmion apud antiquos à potentia maiestate appellatam, Theombrotion, odorata illa Regum Persarum. quã aduersus mentis, corporisq. incommoda vtebantur. Dodecatheon maximæ auctoritatis, omnibus quæ medebatur morbis.

Longè quoque petita China radix, quæ à Sinensibus nostro sæculo dictis, quos Sinas antiquos faciunt regni nomine decorata mittitur. Quod certè difficulter recens, nec nisi multa pecunia haberi possit, celebratur sæpiculè à Medicis, ægrotisq. illis præscribitur; quos curare ipsi vel nesciunt, vel nequeunt, vt quæuis culpa à Medico, in medicamenti defectum, vel impedimenta leniter elabatur.

Cozomecatl Mexicanis omnes antecellat, cuius prorsus admirabiles recensentur lib 6. cap. 57. facultates.

Peco, siue Tabacum, quam merito Panaceam Americanam Terentius noster dixit. Tabacologia peculiari libro à nuperis conscripto, quæ etiam famosos hymnos nostris diebus obtinuit, libellos certè Viscum Quernum, [Antiquis Gallis omnia sanantem magna religione petitum, auro defectum, cando exceptum sago, è Cælo missum, Druidis cum sua arbore nihil sacratius] & Chymicis Persicaria, atque Helleborus sibi adsciuerunt.

Vsus nobilitate

Peculiari efficacia in

Artibus diuersis

Tingendi

Materia

Cælãdi sculpendi

Vitri &c.

Multiplici vtilitate.

Isatis Glastum, qua à cœruleo, plures colores parantur, iuuantur ferè omnes, Achiotl Recchi, à tingendi viribus dicta, Lutum, Crocus, Cyanus Viola, à quibus colores ipsi denominati.

Castaneus ædificijs perutilis, vnde Arborum Regina ab huiusmodi fabris nuncupata, quod lignum trabibus, tabulis, amphoris, vasis, & quidem nullis aquæ temeratum iniurijs exhibeat, fructusq. simul in panem & obsonium: cui Quercus successerit. Obedientissima Fraxinus quocumque in opere.

Fagus vnde Guttus ille Faginus Curij, & diuini opus Alcimedontis Virgilio, præter quæ fructus laudes alibi à nobis nec frustra indicatæ, cui in simili materia Acer non tantum mensis dicata.

Kali. Nec ars ferè vlla peculiaribus suis stirpibus destituitur, quarum vtatur ministerio. Vel sola Nardus priscos vnguentarios multiplici opere detinuit.

Palma Indica Babyloniorum quæ in ipsorum commodum, Medica subsidia plura, Frumentum, Oleum, Lac, Butyrum, Saccharum, Aquam ardentem, Vinum, Acetum. Aedes, Naues, Vasa, Arma, Zonas, Mantilia, Toreas, Rudentes, Ignes. quid? ad trecentum sexaginta dicunt quæ exhibuisse fertur.

Papyrus Biblus, è qua phyluris chartas vnde præstantia inter herbas, ex ipsa Papyro Nauigia, Cymbas, Fiscellas, Stragula, Tegetes, Vestes, Calceos, Vela, Elychnia, Funes, Armamenta Nauica, varia, vtensilia Vasorum, ligna è radicibus, Coronas è flore, cibus è crudo, ac decocto succo, & scapo interiori potius, qui antiquis torrebatur in escam, & frequenti quidem, summoque adiumento, vnde merces tandem amplissima Herodoto, Theophrasto, alijsque testibus. Nec desunt qui panem ex ea dicant.

Spartum Hispanicum, æmulatione quadam subsequitur. e quo Sportas quasi Sparteas ni ab asportando mauis, Corbes, Piscellas, Fiscinasq. omnes, Soleas, Calceamina, Pileos, Cola, Vrnas, Amphoras, Restes, Rudentes, Nauium adiumenta plura, crassioraq. ad saccos fila, strata, ignes, Faces, Nexus, & quæ non ad Villaticam illam Catonis supellectilem? vnde contempta quamuis nullo decore, aut hilaritate spectabilis merces. inferenda, tamen ad orientis ditissima promptuaria deportetur.

Metl Recchi: Mellita, Mellea, Aloes Americana nuperis nostris. Vinum, Acetum, Mel, Saccharum. fundens; fila; acus, vestes, futoriam omnem; restes, sepes, quæ claudunt, quæ ligant; Ligna, Trabes, Clauos, Imbricem, domum, quæ excipiat totam; ad litterarias, vsque quæ moneant, schædas.

Morus, vel vnius erici perquam decoro emolumento.

Palma in Italia; Musa in Sicilia, Styrax in Europa. Vitis apud Septentrionales, & quæ Peregrinæ, aut Exoticæ implantantur non suis locis, vt vix vna aut altera studiosis Botanicis ostendi possint. Balsami autem raritas, vel in ipsa patria fuit, ni in Iudæa pariter peregrina planta extiterit, & Indiæ potius incola, quod facilè suspicamur.

Splendore ex notabili qualitate.

Additum & pretium stirpibus & metallica pensatio. Delphico Apollini ex auro dicatus Raphanus Beta ex Argento plumbeũ Rapum. At Rapa quibus nunc Interamnia fruitur Nursia iam olim superbijt, candorem & magnitudinem habuere; cur non cessit coloris iure fatuæ plumbum Betæ? Aurum hodie certè Agallocho debetur, quamuis naribus nõ palato famuletur supra quam duplici ad illud ratione præstãtissimi Calambac: ad oculos verò tantum relata, minora munera Martiali aurea quam Citrea Atlantica illa; paria hæc cum Auro Varroni. scilicet Citri Cedri, Citrij, Mediciq, seu ligni, seu fructus certa præstantia est vt incerta distinctio. Loti patulæ ramorũ opacitate lasciuæ nobiles Crassi, & Domitij exemplo pretium dicant Arborũ. Vidimus affabrè obrizo ex auro rutiloque ex argento expressos flores & folia inter gemmas ac delicias Principum.

Existentiæ numero, ratione.

Raritatis.

Frequentia.

Thymum in Hispania cum Sparro, Ladanum in Cypro, Hoaxacan Guayacan in America, Rhabarbarum & China inde dicta, forte & Cinnamomum; quasi Cinæ Amomum Dar- Seni s, in c, transitu apud antiquos inas; Aurantia cum tota familia in Neapolitanis; Styrax in nostra ditione Meduliæ, Paculi, ac Cælij montis, & in nostro Iani monte ad Albuneam Bulbelleborus. in Nucerini Apennini iugis Tragacantha. in Creta Dictamnum, in Rhodo Aspalathus, Lotus cum Papyro in Aegypto, ad Genesareticum Lacum odoratus Calamus, in Cilicia Crocus. Et quæ patrium nomen secum tulere, vt Cerasa, Cydonia, Punica, Serica. Castaneæ Thasiæ, Nuces Damascenæ, Michuacanica Chichymecapatlis.

Vocabulum si Etrusco more premis nobilissima omnium Vrtica erit, vel communi diuerbio quod omnibus facili negotio innotescat, nequaquam, vt dignoscatur luminis indiga. si famam ad populi palatum examines vtilissima Brassica illa multis & offis & nominibus.

Facti alicuius memoria.

Historica.

Sacra, vt Rubus ardens incombustus, Sycomorus Zacchæi, Ricinus Ionæ, Colocynthis Prophetarum, Mandragora Rachel.

Heroica, vt Larix Cæsareis in bellis. Cornus nostra, ex qua Troianus equus, & Herculis clava iaculis etiam & militaribus hastis, inde Fraxinus vtilis hastis Ouidio dicta, & Achillis hasta nobilis. Ficus Ruminalis Romuli, Boletus qui Claudium inter Diuos retulit Neroni, de quo lepida Senecæ Apocolocynthosis. Palma apud Mundam Iulio sobole felici columbarum nidis frequentata. Delphica Platanus Agamemnonis manu fata adde tamen pulchriora. prodijsse Helenium è Quercu suspendij famigeratæ Helenæ. pullulasse herbã è anguine Orphei, quæ inter Bacchi sacrificia citharæ sonum emitteret & è sepulchro Bebrici Regis in Amyci potu insanam illam Laurum, cuius ramuli illati nauibus iurgia faciant donec abijciantur vnde & prouerbium. durasse ad Plinium vsque Oleam Argis ad quam Iouiam Vacca alligata ab Argo, alia Athenis à Minerua in certamine editas & Oleaster Olympiæ ex quo Hercules coronatus, & quæ Aphricani fata manu: literatæ Vaticani Ilices & Tyburti: Palmæ Deli Apollinis ætate. Platanus ex qua in Aulocrene pependit Marsya, Amygdalus suspensæ Phyllidis virore amisso. Romana Lotus, ad Lucinam, & Capillata Vestalium & Vulcani æquæua Vrbi. Almusq. potius extra Theatrum in Athenien si posita foro intra tamen prospiciens quæ prouerbij ab Alno spectantis causam dedit.

Fabulosa.

Miratur ita Lithospermi speciem Plinius vt nihil se maiore inter herbas cum miraculo aspexisse dicat, tanto decore veluti aurificum arte alternis inter folia candicantibus Margaritis tam exquisita [inquit] difficultas lapidis ex herba nascentis.

Laurus Daphnidis, Pyrami & Thisbes Morus, Panis ac Boreæ Pinus, Amaracus ille puer Regius vnguentarius, Smilax Croci amore infelici commutata. Hyacinthus, Narcissus, Adonis, Anemone, omnisque florum turba, quorum pulchriores præsertim, vix absque Nymphis, Amasijsque: vel priscis, vel nostris sæculis reperias; vix absque Veneficæ Veneris veneno, quamuis spuma Cerberi, vt in Aconito non excitauerit.

Hilaris vt Arbutus, Punica, Amaranthus tricolor.

Tristes vt Iuniperus, Morus nigra, Suber corticosus rudis.

Decor concinnitas pulchritudo.

Symmetria dispositione.

Aspectu exteriori ipsisque coloribus.

Decora vt Laurus, Platanus, Ilex, Aquifolium, Iasmirabilis, Ricinus, Rosalthea. superet Platanus retento per diem Xerxe spectante auroq. ornante, & monilibus & superioribus titulis.

Speciosa in sacris Olea alias Abies; Agnus castus, Passiflora, Flos Solis, in Abiete rectitudinem, altitudinem, ordinem, speciem certè omnem, simul conspexeris. obscuritas hinc eximit Cupressi pyramidem, dum mœstam facit.

Pulcherrima vt Citria, Aurantia mala, vnde Ghets Hadar in sacris; si flores fructus, frondes; si faciem si odorem, respicias; si densum virorem, & in topiarijs obsequium, non Myrtum dumtaxat, sed & Cupressum quamuis funebrem, Iuniperum tristem, Buxum fœtidam adnotaueris.

Deformis, aut pulchra minus horridiuscula Rubus Aesopi testimonio, Atriplex, Portulaca, Eruca, Polygonum.

Conformi facie vt Quercus, Ferula, Saluia.

Deformi insolenti, vt Tunc, Dracunculus, Palma, Cotyledum, Kali, & ex imperfectis plures.

Tab. II.

Nomen

Tab. 12.

- Nomen primum.
- Cognomen quandoque duplex, aut etiam triplex, & Scriptoris quoque addito, prout ipsa distinctio exigit, à proximis, vt discerni possit: & sæpe certe desiderandus pronominis demonstratiui vsus.
- Simplex, vt Viola.
- Cõpositum, vt Ionthlaspi, Lilionarcissus, Ochonna, Lampsana.
- Proprium vnius plantæ, vt Cornus.
- Plantarij generis, vt Arbor, Frumentum, Olus, Tergiscta, Humiflora.
- Certum, Taxus, Olea.
- Dubium controuersum, Delphinium.
- Legitimum, Cicuta.
- Spurium fictitium, Ageomoron.
- Casu impositum, aut saltem minus cognitum, vt Iberis, & pluribus hucusque Ammi.
- Ratione à
  - Figura
  - Similitudine
  - Analogia
    - Aster Lunaria
    - Scorpioides Ophioglossũ
    - Ricinus Psyllium
    - Cotyledon Vmbilicus
    - Theoquilin Zazacilin.
    - Orchis Delphiniũ
    - Hippuris Buglossum
  - Aliarum plantarum, vt Chamæactis, Chamepitys, Tlacapolim, Ahuapatlis.
  - Numero Trifolium, Quinquefolium.
  - Magnitudine Hypposelinum.
  - Compositione Millefolium, Cempoaltone, xochitl.
  - Sapore. Oxys, Oxalis, Cocoxihuitl.
  - Colore Iris Tlaxochitl Rubia
  - Maculis Lyncea, Flos Tigridis, Dracunculus.
  - Odore Smyrniũ, Garosmus, Alliaria, Scordiũ, Coahyelli, Ptarmica.
  - Proprietate quadam, Texaxapotla lapidum perforatrix, Heliotropium.
  - Conditione propria, Adiantum.
  - Generatione, Hemionitis.
  - Vsu Galion.
  - Facultate excell.
    - Agnus. Hepatica. Syderitis.
    - Aristolochia, Phahuame, Cuipatli, Fœminarum medicina.
  - Facultate multipl. Panax.
  - Animalibus Chelidonium.
  - Appetitu bestiarum, Cattaria. Apiastrũ, Ornithogalum.
  - Loco Potamogeton, Parietaria, Halimus, Hydropiper, Oreoselinũ, Ahuapatli, Texcaxiluitl.
  - Patria Lycium, Persea, Agaricum Colchicum.
  - Regione Chichimecapatli.
  - Inuentore
    - Teucrium Teuquililtic.
    - Gentiana Achillea.
    - Cortusa.
  - Dignitate
    - Herba sacra, Imperatoria, Herba Regina, Angelica.
  - A membris antonomastice
    - Folium, Radicula.
    - Radix Ital. Raphanus.
    - Foglia Cauoli
    - Brassica Italis.
  - Sanctorum dicatione
    - S. Mariæ. Mentha Græca.
    - S. Claræ. Valeriana.
    - Aliæ, de quibus peculiari opere I. Bauhinus.
  - ab Heroibus, Heraclea, Chironia, & aliæ antiquis.
  - à fabulosis, Adonis, Hyacinthus.

- Eruditorum.
- Vulgi.
- Antiquorum.
- Nuperorum.
- Theophrasteum.
- Dioscorideum.
- Plinianum.
- Mesues, & Serapionis, & aliorum.
- D. Fab. Columnæ Lyncei.
- N. Ant. Recchi.
- P. A. Matthioli.
- C. Bauhini.
- C. Clusij. & al.

- Officinarum.
- Artificum.
- Populare.

- Botanicorum.
- Poëtarum.
- Aliorum scriptorum.

- Latinum, Græcum, Hebraicum.
- Germanicum, Italicum.
- Mexicanum, & aliarum linguarum.

Hic Plantæ anceps, & controuersa Auctoritas, quæ maximè agitatur, dum Critico examine perquirere opus est, non tantum antiquorum vulgatissimum dixerim plebeculæ oluisculum, nempe Lampsanam; sed & ipsissimam Fabam, vt Donæo videtur.

Litteraleli brorũ scilicet, & scriptorum

- Eruditorum.
  - Antiquorum.
    - Legitimũ
      - *Theophrasti, cuius profectò adhuc plura, vel incognita, vel minus cognita, nec mirum si nobilioribus dumtaxat ille ingenijs scripserit.*
      - *Dioscoridis pertrito quidem volumine tam multis Cõmentatoribus peruoluentibus, declarantibus, litigantibus; sed prima in Botanicis vtilitatis.*
      - *Crateua, cuius pauca quæ referuntur.*
      - *Plinij apud quem aliorũ multa exscripta prostant, nonnulla autem perturbata.*
      - *Galeni, Hieroclis, Nicandri, Pausania.*
      - *Serapionis, Actuarij, Aëtij, Aegineta.*
      - *Mesues, Simeonis Sethi.*
      - *Apuleij, Vegetij, Celsi, Cassiani Bassi, Scribonij, Festi Pompeij, necnon Varronis, Columella, Catonis.*
      - *Macri, sed Marbodei, aut cuius? plura qui cecinit.*
      - *Homeri, Virgilij, Ouidij nonnulla obiter illustrata, vt Moly: quod nos obseruauimus: nonnulla è Theocrito, Callimacho, & Interpretibus eruditionem habent.*
    - Spuriũ, fictitiũ, ac penè superstitiosum
      - *Aegyptijs Magis Sophistis, alijsque huismodi attributum, quod inter Notha Dioscoridi adscripta copiosè inuenies, fortèq; in manuscriptis codicibus margini irrepsit diligenti nimis varijs in regionibus, ac libris plantas perquirentium manu appositum. Nec tamen spernas: suaserim potius Maranthæ & Gesneri consilio vsus, vel inde in Plantarijs quibusdã lucem exquireres. Nos certè obseruauimus Acorum totum ab Apibus confertim insidentibus arrosis penitus foljis absumi, vnde cum in prædictis nominibus iam Piper Apum dictum vidimus, optimo iure id factũ cognouimus, haud latente hoc Antiquis, quod condiendo melle eius aromatica & saluberrima partes aptissimè mellificibus volucellis à Natura exhibeãtur.*
  - Erudit-orum.
    - Recẽtiorũ Phytologorũ q vel
      - Antiqs nominibus
        - *Plantas restituere studet, vt Doctissimus Columna, qui Aquilegiam dictam Isopyrum Dioscoridis statuit, & Vulgi Lunariam Epimedium, Vrsi Auriculam Alyssma, & huiusmodi plura.*
        - *Malè suppositas amouent, ne subsequentes studiosi decipiantur. Arum Aegyptiũ idem Columna pro Colocasia, seu Faba Aegyptia intrusum, quãuis cum Alpino omnes ferè Botanici reclamarent, inter Aracei generis limites restrinxit, quod legitima hodie Colocasia, vel apud Sinas à Terrentio comperta, vt inf. penitus cõprobatum.*
      - Nouis repertis plãtis.
        - *Antiqua nomina tanquam affinibus cognomine aliquo addito imponunt, vt rectè Picielt, seu Tabacum Hyoscyamum Peruuianum dicentes, non ita Metl Aloëm Americanam: peius dum Caryophilleum Indicum Cempoaxochitl dicunt, quod è Tanaceti familia est.*
        - *Noua iure inuentionis, vel editionis inscribunt & componunt, vt Elephas, Cortusa: Lyncea, Nectarea, Passiflora, & plura à nobis inferius, quæ quandoque ad expressiorem significationem minus congruis ablatis reposuimus, vt pro Melongena Curbisolanum; pro Mechoacan, Apocycumerẽ: pro Peruano Nasturtio, Acriuiolã.*
  - Officinarum, medicarum, & Physicarum.
    - Pharmacopæorum, qui vel
      - Chymistarum.
        - *Ab eruditis acceptas, hausta barbarie multifariam corrumpunt, ex Aro Barbam Aron, ex Aristolochia Astrologiam rotundam, rotundo ore blatientes, & Violam Matrem violarum diligenter quidem, vt plantã à suis floribus seduli distinguant.*
        - *Noua indunt, vt sigillum Salomonis Hippoglosson dicentes: Oxym Alleluya: Panem cuculi Arum, & Chelidonium minus, verendo, ridendoq; potius quàm dicendo nomine: Succisam Diaboli morsum: Sagittam Barbam Syluanam.*
        - *Quandoque perturbant Arabica, vt Cyclaminum Artanita, & Dracunc. Lusk crispum, Ricinum Cataputiam, & Ceruam maiorem vocitant. non rarò Græca, vt ex Glycyrrhiza Liquiritiam, dulcem forsan liquorem dum glutiunt.*
        - *Suas qui admirabiles herbas Borissas, Leporissas, Lunarias, Sferra Cauallo, quibus Hydrargyrum coagulare, celeberrimumque, sed obscuriori adhuc fama latentem lapidem illum excoquere valeant, in cerebro potius indigestis fumis opplete, quàm vllo in horto alunt: nec rarò nouas sibi confingunt stirpes, quibus perquirendis nusquam autem inueniendis tempora impostores homuncionibus illis auri cupidis proterere possint, quos spe interim lactant inani.*
      - Rhizotomorum.
        - *Botanica hi quisquilijs imbuti eruditiori illo puluere consperso mirum in modum legitima corrumpere vocabula, nomina prauertere, ac nouis ineptire solent, & Radicem cauam, Napellum spinosum (Berberim nempe, quem Napellum?) Centimorbiam, Centum oculos, & alia huiusmodi doctrina affernnt.*
      - Florilegorum.
        - *Hos apud vel Deliciarum, vel Amasiarum cultus concinnus sibi ex lusu confinxit voculas. Aquilegiam namque Amor perfecto, Lil. Constant. Riccio della Signora dicunt, Iridem Chalcedon. Giglio Faraone. Narciss. montan. coronat. Collo di Camelo, Delphinium pluriũ, Speron di Caualliero, & Violam tricolorem, Socera & nora. Solanum maius H. Belladonna, Amaranthi speciem, Gelosia vocitant. Ita scilicet nobiliores artes ad luxus, & Veneris obsequia deprimi solent.*
    - Med. particeps quodammodo

Vulgare pleramque amusiæ plebis.

- Olitorum, Hortulanorum.
  - *Hi plantas etiam sed vescas tractant, & vlterius à Rhizotomis, florilegisque corrumpere solent, vel cognomina à locis, quibus acceperint addere; quasi inibi tantùm producantur.*
- Artificum diuersorum.
  - *Prout enim infectores fullones, vitrarij, alijque stirpibus vtuntur peculiaribus quoque nominibus variè nominant, hinc Soda, herba Mora, herba Turca, herba Rozza, Saponaria, Asperella, Concimone, & similia.*
- Populi, Rusticorum, Pastorum.
  - *Summam hi diuersitatem non solùm omnibus in linguis, sed regionibus, omnibusque penè dixerim in locis in nominum dictionibus habent, audiendi tamen sunt. nam non rarò è minimè spernendis signis nomina ducunt, ipsa indicante Natura, immò indigitante; non solùm plantæ ipsius habitum, vnde Plantaginem Quinqueneruiam, Ophyoglossum Herba senza Costola, Coronopum Herba stella, Asplenium Indorata, ex peculiari conditione, dicunt ex propriis notis; sed internas etiam vires, vnde Fegatella Lunaria minor in Apennino Gualdensi dicitur; nec aliunde Podagraria, Pulmonaria, Verrucaria, Vincetoxicum, Vlceraria, Sanguinella, immò ipsa Scorzonera sunt. Quandoque & antiqua in libris obsoleta, aut minus declarata remanente tradita per secula à maioribus voce restituunt, vt prædicta Lampsana, qua obscurior nobis, & controuersa apud Auctores, eandem tamen apud rusticos in Græcia hodie retinet appellationem, à quibus petenda est, quod eruditissimus collega noster Ioan. Demissianus Lynceus Cephallenensis nobis confirmauit. saltem autem vestigio legitimi nominis seruato, hæc studia nonnunquam iuuare poterunt, memori atatum fide, apud hos præsertim simplicioris, magisq; sedati ingenij homines.*

Hìc posteriùs Etymologia, derivatio ipsa, & ratio nominis impositi plenius, ad latentium in ipsa re vestigia habenda.

Inde propinqua, & pendentia.

- Homonyma.
- Synonyma.
- Aequiuoca.
- Cognominata.
- Denominata.

Tab. 13.

Absoluta ipsius duntaxat Plantæ contemplatione, quæ scilicet ex complemento symmetria,& organorum, functionumq. vitalium censu est, dum omnibus ita suis numeris constare videtur, vt nil prorsus ipsi desit.

Perfectio.

Particularum in figuras, indeq. figurata mẽbra cõpositio: membrorum in Plantã coniunctio: spirituum in vegetãdi munera conspiratio; hisce omnibus absoluta cõstitutio; hìc cõsideratur, vt stirps quælibet suo in genere perfecta cõpareat.

Intrapositum ex cõstitutione, Natura q. ipsa petẽdum ad Plantam præcisius genuino loco statuẽdam syntactica cõspiratione. Et est

Gradus.

Aliarum rerũ cõparatione quadã facta, vel aliqua ratione adhibita, præsertim verò plãtarum

Relatio.

Vnius solummodò obiectæ

Internis, minusq; notis respectibus, nec scias, quam etiã obseruatis

Sympathiæ. } ad

Antipachiæ.

Exteriori facie, & bene conspicuis conditionibus.

Similitudinis cum

Animalibus.

Corporibus totis.

Elementa, vt de Cucumeribus adnotatũ, Aquã qui appetunt, vt etiã ad suppositum vas inclinentur, Oleum autem refugiant.

Animalia. {

Apes Apiastrum amic.

Serpentes *Fraxinus, & Ruta inimic.* *Fœnicul. amic.*

Scorpiones *Aconit. inimic.* *Alb. Veratr, Ocym. amic.*

Columbos Hedera amic.

Vespertiliones Platanus cõtingẽtes torpidos reddit.

Ciconia impositis foliis pullos suos ita liberante.

Anseres Nicleretiũ Democriti, Plinio Ginaamicum

Catos Phu amic. *(inde dict. inimic.*

Fainas Ruta inimic. impedit ingress.

Lupos Gilla D. Ambros. qua Turtur nido imposita arcet à suis pullis.

Leopardos Allium inimic.

Capras Cinnamomũ amic. cuius surculũ sequũtur.

Alia Onothera, & Lysimachia, quæ fera animalia cicurare dicuntur.

}

Ficus cum Olea, cum Ruta

Vlmi cum Vite

Myrti cum Olea & Punica

Asparagi cum arundine } *amic.*

Quercus cum Olea mutuò se interficientium.

Stirpes alias. vt {

Vitis cum Brassica

Brassica cum Origano } *inimic.*

Ruta cum Cyclamino

}

Filicis cum Arundine, quæ secta non renascitur, & ad inuicem læsi dicuntur.

Resinosarũ, & Oliscearũ cũ alijs omnibus, quorũ respuunt quecumque per mixtionem coniugia, cùm alia, quamuis magis etiam Naturæ fronte disita appareant, vniantur; & scriptum quoque sit Platanum poma tulisse, Quercum Pyra.

Partibus. {

Agno, Agnus Scythicus.

Scorpione, vel potius Squillis, Doronici radix.

Verme, Scolopendria, Asplenium. *(lum. flores.*

Homine mare & fœm. Orchidis, Antropophora Co-

Linguis diuers. animal. inde dicta Cynogloss. Buglóss. Hyppogloss.

Dentibus, Dentaria inde appellata plures.

Pulmoni, ipsius q; tumidis lobis, Pulmonaria arborũ.

Manibus, Orchis palmata rad. folia Chamæsyces.

Vesica, Halicacabi, Solani fructus.

Testibus diuers. anim. Orchiaum diuers. radices.

Mutonibus, diuersar. leguminosar. Siliquæ diuers. cuiusmodi plura apud Phytognomonicum Portam habes.

}

Plantis alijs.

Apparẽtibus magis partib. {

Quercu, Chamædrys.

Pino, Chamæpythis.

Natura, & partibus. {

Cupresso, Chamæcyparissus.

Passiflora, Capparis, Aristolochia inter se.

Dissimilitudinis. — — —

Quercus cum Solano, Triticum cum Cucurbita, & innumera alia.

Plurium scilicet ipsa ratio syntactica, quæ ex internis, & exter. nis

Aliquarum

Propinquarum, ab Indiuid. {

Riusdẽ præcisius generis, eodẽ ferè nomine quæ differentijs in infimas species dispertiuntur.

Triticum munitum, Spica mutica, Triticum spica racemosa, Michuacanensis Recchi.

Sic de Trifolio, Atriplici, Gramine numerosi. inter se.

Quandoque eodem nexu coniuncta variã sortiuntur nomina, vt Mollugo, Galium, Rubia, Aparine, Malua, Althæa.

Species. {

Gradatim inde cecedẽtes.

Comprehensio verò est pluribus sub eadem veluti anteſignana stirpe, quæ celebrior, vt sub Quercu, Robur, Ilex.

Sub Solano Dulcamara, Lycopersicum, & in ijsdem nominibus præditis sub frequentiori, vt sub Tritico vulgari munito reliqua.

Species media. {

Affinitate.

Minima distantia est in floribus præsertim, quæ varietas dicitur, & in coloribus plerumque.

Genera med. {

Conueniẽtia quadã magis minusq. disfitæ.

Distantiæ.

Notabilis, maris & fœminæ, legitima scilicet, vt in Cannabi, Mercuriali, quæ tamen potius iungat, quam diuellat.

Genera. {

Differentiæ.

Mespilus à Sorbo, Sorbus à Malo vulgari.

Genera latissima. {

Distinctiones

Mala Punica, & Cydonia.

Remotarum. {

Medijs remota interualiis, quę quandoq. etiã Homonyma.

Panax, Heracleum, & Chironium, Heliotropium, Chelidonium maius & minus.

Inter se maximẽ dissita, vt

Gramen vulgare & Parnassi, Trifol. Aureum, acetosum vulgare.

Ilex & Punica, Pœonia, & Lapathium, Abate, & Iasmirabilis, Acaxochitl Recchi, qui Flos Cardinalis apud nostros est ab Apoymatli eiusdem, Trachelium à Cyparo.

Porrò è stirpibus quælibet non ad socias tantum, & contubernales, sed etiam sursum quasi ascendente spiritu ad suum referri animalculum Aureliam, Erucam, Papilionem videtur, pariter descendens ad quæ à se producuntur, Fungos, Villos, Squamas, Tubercula, & huiusmodi plura ad funginum vsque situm, & squamosam Aeruginem.

Conclusa in Plãta vniuersim ex omnibus circa ipsam, aut in ipsa consideratis.

Extra consignat.

Tractatio *pag. seq.*

—*Media quædam. Respect. pag. seq.*

Omnium. pag. seq.

Conclu-

Gradus.

Tab. 13. Quæ sequuntur Tabulæ posthumæ sunt, & nondum ab Authore recognitæ, nec completæ: dantur tamen vt inueniuntur ex ipsius Principis manuscriptis exactiori qua potuit cura, & studio, à Francisco Stelluto Lynceo depromptæ.

Gradus relatio plurium syntactica ratio — Conclusa vniuersim in Planta

Inter intra, & extra positum — *Media quædam, respectus dixeris mutuos replicatis à Natura vinculis, archanisq; pluribus coordinationibus harmonica quodammodo dispositione ita referuntur.*

De viribus singulis in singulis Classibus
Balsamica
Bezoartica
Catartica &c.

omnium ad omnes — *Omnium scilicet, totum si ab vna parte plantale agmen, vniuersumque constituamus, spectemusq;*

Vnius ad omnes — *Vnaquæque enim planta alias vniuersas respicit, itidem nulla stirps est, quæ in vniuersa coordinatione inter reliquas omnes suum locum præcisè non obtineat, quo in ipsarum serie, & cathena statuatur.*

Omnium ad vnam — *Et viceuersa cunctarum habitus quidam ad singulas respiciendas, & complectendas est.*

Planta ad Classes. — *Quælibet Planta præter propriam Classem in qua pluribus titulis statuitur degenerans quodammodo propensionem habet, qua peculiaribus quibusdam notis aliam respicit Classem, vt Monospersum, Mesagrum, Monospermata, ex Rapaceis.*

Classis ad Plantas. — *Classis quælibet præter conscriptas in eas plantas in alijs quoque dispersas classibus sibi correspondentes habet, vt Monospermatum inter ferulaceas, caucalim.*

Classis ad Classes. — *Omnes verò simul classes præter resultantem ex semine vniuersalem deductionum cathenam qua singulis adnexam habent & viceuersa habentur, ita etiam aliquam respiciunt, quamuis (vt singulæ) respondentem in ea plantam obtineant, & classis quæcumque reliquas omnes, suis sigillatim plantis respondentibus vt . . . . . .*

Plantæ è diuersis classibus inter se. — *Vnde, & cathena, cum quadam analogia è diuersis agminibus considerari potest, qua occultis vinculis, licet per materias eæ dispersæ in manipulos alios, atque alios colligentur.*

Plantæ ancipites ad Classes. — *Sunt & mediæ, quæ internectere classes ipsas ancipiti quodammodo vtrinque affinitate videntur vt . . . . . .*

Extra consignatum, vel traditū, ipsa scilicet tractatio est, dū respicimus quę ab intellectu de Planta obseruata, reposita, literisq; adnotata prostant apud.

Inuentores non antiquos tantum, scilicet Mercurium, Herculem, Chironem, Helenam, Circem, Artemisiam, Pæonem, & siue Rhizotomos, vt Crateuam, siue etiam ipsos Reges non secus ac Reginas gentium, Mithridatem, Lysimacum, Clymenum, Thelephum, aut Duces, vt Achillem, Alcibiadem. Sed posteros quoque Magnum Carolum procereſq. alios nonnullos ætatum subsequentium, qui non alios plantarum tractatus nec alijs litteris exaratos quā nomine proprio plantis indito & ab ipsis Inuentoribus plerumque mutuato (vt hisce saptus contingit) nobis reliquerunt. Verum quæ de proprietatibus, & virtutibus plantarum per traditionem ab illis emanarunt, deinde alij recentiores conscripserunt exararuntq. & ab ipsis conscripta posteris demandarunt; vel apud illos potius neotericos qui cōpererunt & scripserunt ipsimet cuiusmodi Columnam, Mathiolum, Bauhinum, Clusium, Hernandez, Recchum, Imperatum, & alios insigni sane studio peregisse nouimus. Et apud

Allatores ex diuersis regionibus locisq; vtpotè apud antiquos, Pompeium, Lenæum, Dioscoridem, Euacem; Nuperos vero Garziam, Monardum, Acostam, Alpinum, qui ex varijs & remotissimis prouincijs ipsisque Indijs rem plantariam noua suppellectile plenioribusque thesauris insigniter ditarunt. Et etiam apud.

Descriptores historicos qui recolunt, obseruantq. Græcorum, Latinorum & Arabum traditiones, quæ à nobis suis locis indicatæ sunt: ex quibus si Philosophus Teophrastum, Dioscoridem Medicus, Historicus Recchum, Columnam eruditionis sectator prætulerit, duces haud dubiè sortietur quos inoffenso pede sequatur.

Plantas ipsas nouas litteris dederunt obseruatione multiplici, præsertim visitatione plurima naturalium seminariorum, plurimaq; peregrinatione.

Plantarum facultates nouas, vsu, & experimentis detectas absconditasque alias atque alias proprietates, & naturas Botanicis communicarunt.

Nomina indiderunt, ipsis plantis vt publici iuris fierent, vt earum virtutes in vsum, & studia per voces litterasque venire possent.

Tab. 14.

Synopsis præcipuorum, quæ in plantis obseruari possunt.

- **Nomen** — Legitimum, spurium, aut adulterinum, analogum, & æquiuocum obsoletum, nouum, incertum: corruptum; controuersum tam inter eruditos, quam in varijs omnimis; quibus adde Synonima, & omonima, & similia.
- **Cognomen** — Ductum ab Auctoribus, aut primis Scriptoribus, inuentoribus, aut allatoribus, vel a regione, & patria, forma, proprietatibus, aut qualitatibus, internis, aut occultis, & externis ab vsu, & ortus, seu productionis certo tempore, & duratione vitæ.
- **Etymon** — Sumptum ex vernaculo incolarum Idiomate, / Vel genuina interpretatione linguarum — Ex quibus semper aliquid peculiare de plantarum natura detegitur.
- **Genus** — summum: cuius species primæ sunt, arbor frutex, suffrutex herba. / infimum: Sunt enim aliæ vmbelliferæ, bacciferæ, capillares, aromaticæ, quæ subdiuidi possunt in olera, cerealia, legumina.
- **Differentiæ, quę peti possunt à**
  - Substantia, Lignosa, carnosa, resinosa, succo turgida lacteo, sanguineo, exsucca, viscosa, oleaginosa, fragili, friabili, fissili, tenera, dura, &c.
  - Forma V. g. supina, erecta, glabra, hirsuta, spinosa, geniculata, rotunda, striata, quadrata, &c.
  - Partibus, Vt radice, caule, foliis, floribus, fructibus semine, &c.
  - Qualitatibus. Prima, secunda, tertia, quarta de quibus Galenus.
  - Vsu: Ex quo plantarum aliæ sunt, diureticæ, remollitiuæ, astringentes hepaticæ, &c
- **Natura in qua considerantur**
  - ortus in quo
    - modus
      - naturalis — spontaneus ex eadem aut diuersa planta, / artificiosus, ex cultura. vnde fiunt, — fœcundæ magis aut steriles, quę semine, radice, flore, fructu, stolone, surculo, ramo, virga, lachrima propagant.
      - præter naturam — vnde abortus, monstra, variationes & degenerationes plantarum in alias species aut vsus.
    - tempus — Alię namque ineunte vere, aliæ inclinata æstate, hieme circa solstitia, aut æquinoctia, tardæ, aut præcoces florent, germinant, virent aut semen emittunt vnde æstiuæ, vernæ, &c.
    - locus tam naturalis quam peregrinus
      - Vniuersalis in quo cõsiderantur.
        - Cœlum — Seu aspectus, & influxus syderum, climatum conditio, & oppositio ad orientem, occidauum, vel meridianũ Solem, situs ad austrum, vel septentrionem, ventorumque flatus peculiares, terrestres, marini calidi, frigidi, &c.
        - Solum — Pingue humidum, siccum, lapidosum, glareosum, vliginosum, ex quo nascuntur montanę, nemorosę, campestres, hortenses, saxatiles, arenosę, & quę crescunt in vineis, conuallibus, pratis, incultis, vijs publicis, ruderibus, tectis parietibus, &c.
        - Aqua — marina, fluuiatilis, lacustris, fontana — vnde — Marinę, fluuiatiles, lacustres, aut fontanę, quæ vel omnino sub aquis, latent, superemergunt, aut superficiem lambunt in pura, limosa, aut turbida & vliginosa.
        - plantę, aliaq; super quibus enascuntur. — Vt *thymum*, super quo *epithymum*: *linum*, in quo *cassuta*: quercus, & alię arbores, in quibus *viscum*, tum nostras, cum Indicum *polipodium quernum*, *muscus hepatica*; & *larix* in qua *Agaricus* fungique alij in alijs arboribus. Si inter plantas potius quam morbos numerandi sunt, & cadauera quibus muscus pro capillitio est.
      - & peculiaris. vt
        - Regiõ: vnde Pyrenęę, Africanę, Gallicę, Hispanicę, Alpinę, &c.
        - ager priuatus aut peculiaris & insolitus locus — vnde Lutetianę, Salmanticæ, Montpelienses, &c. / Vt super *cornu cerui*, Si Theophrasto credimus nata *hedera*: & apud Iaponenses herba peculiaris inter ossa mortuorum.
  - duratio seu vita
    - totius — vnde annuæ, bimæ, trimestres, semestres, perennes, &c.
    - partium — radicum, caulium, florum, foliorum, quædam enim quotannis folia, flores, &c. mutant, quædam non.
  - morbi
    - communes
      - interna
        - læsis temperię, cõformatione, — vnde — Syderatio, verminatio, radicatio, eradatio, hirculatio, roratio, decorticatio, scabies, & fungus congrossis, tæda, vulnus, &c.
        - exterma — vnitate,
      - proprij a causis
  - corruptio
    - totius, partium
      - naturalis — exsiccatione, aut putrefactione, contusione,
      - violenta — abscisione, auulsione, auuerruncatione, &c.
  - conformatio — in qua figura, connexio situs, ordo, & numerus partium attenduntur.
  - materia — in qua densitas, raritas, mollities, durities leuitas, grauitas, asperitas, glabrities.
  - cultura — Vbi ratio, stercoratio, irrigatio, putatio, expurgatio, plantarum, sarritio, & partium resectio.
  - mores — Alię namque sunt Syluestres, alię cicurari possunt, vel non, domesticę, lucifloræ, noctiflorę, delicatę, robustę, heliotropię, sensitiuę, tristes, scansiles, reptiles, amplexicaules, &c.
- **Quantitas**
  - discreta — Quę consistit in numero tam plantarum quam singularum specierum — partium, vnde — Aliæ rare, frequentes simplicis, aut multiplicis speciei, multiflorę, vniflorę polispermæ, monospermæ, &c.
  - continua — In qua magnitudo totius aut partium, crassities, tenuitas, proceritas, profunditas, &c. vndę paruę magnę, tenues, crassæ, altæ pumilæ, &c.
- **Qualitas**
  - prima — Vt calor, frigus, humiditas, siccitas, ex quibus temperamentum plantarum: sunt, enim alię calidę, humidę, frigidę. &, in 1. 2. 3. vel 4. gradu, inchoato, medio, completo.
  - secunda — Vt odor, sapor, color & quas vocant tactiles qualitates, ex quibus plantarum alię sunt odoratę, inodorę candidę, luteæ, fragiles, flexiles, tenues, crassę, leues, asperę, durę, molles, solidę, rarę, viscidę, &c.
  - media — Vt leuitas, grauitas, &c.
- **Facultates secundum medicos**
  - primę — Quę sunt eædem cum primis qualitatibus.
  - secundę — Vt sunt attenuantes, incrassantes, aperitiuę, astringentes, emollientes, obstruentes, rarefacientes indurantes, &c.
  - tertię — Vt diureticę, sarcoticę, epuloticę, corrosiuę, &c.
  - quartę — Vt sunt occultę, & quę à proprietate substantię pendent, v. g. alimentarię, medicamentosę, venenosę, cardiacę hepaticę, Cephalicę: vnde plantarum sympathia, antipathia cum mixtis, fossilibus, plantis, animalibus, & corporis humani partibus aut humoribus.
- **Vsus ratione, & experiętia inuętus, & confirmatus in**
  - Cibis varia preparatione artis coquinarię tam ad necessitatem victus, quàm delicias apparandis.
  - medicina — ad sanitatem tuendam reparandam, confirmandam ex diætetices, Cosmetices therapeutices pharmaciæ, Chimiæ, chirurgiæ, &c. præceptis.
  - mecanicis — quibus plantæ materiam, ad mille instrumenta, opera, & commoda, ministrant.
  - artibus liberalibus. — Poetica, Oratoria, Geometrica, Musica, pictura Architectonicę, œconomica, politica, &c. in quibus varius plantarum vsus cuilibet suo iure, & modo, vnde in sacris, prophanisque magisterijs, ludis triumphis, funeribus ædificijs, &c. imo, & moribus formandis, rebusque repræsentandis, vnde sunt ęnigmata, hyeroglifica, imagines.

Stir-

Tab. 14. Stirpibus acuratius examinandis tutiſsimi ſunt manuduces.

Artes liberales, & Scientiæ.	Phytobaſani, ſeu diuerſa plantarum examina.	Scriptores tã noui quàm priſci botanographi; & miſce lanei.
Mathematica.	Phytopſia.	
Arithmetica.	Plantarum hiſtoria.	*D. Fab. Columna Lync.*
Muſica.		*I. Camerarius.*
Anatomia,		*G. Bauhinus.*
Architectura.		*C. Cluſius.*
Geometria.	Phytographia.	
Topographia.		*Calceolarius, & Pet. Bald.*
Coſmographia.	Herbilegium.	*I. Thalius Hercynias.*
Aſtronomia.	Rhizotomia.	*C. Schiredenfild Sileſias.*
Phyſica.	Aſtrophytologia.	*C. Geſnerus Germanicus.*
Anatomia phyſica.	Chronophytum.	*C. Cluſius Hiſpanicus.*
Agricultura.	Calendariũ ruſticanum.	*N. A. Recchus Mexican.*
Phiturg.		*P. Alpinus Aegyptius.*
Phyſiognomonica.	Phyturgia.	*Tabella Chronotopica.*
Statica.	Phytognomonica.	*I. Turneiſſerus.*
		B. Charrichterus.
		I. Coſtæus.
		I. C. Scaliger.
Oeconomia.		*Cato, Varro, Columella, Palladius.*
cibaria,		*I. Bapt. Porta Villa.*
ars condiendi melle, ſaccharo &c.		*I. Bapt. Porta peculiari op.*
Medicina.	Botanica.	*D. Fab. Columna.*
Pharmacopæa.	Simpliciaria.	*C. Crollius.*
Hippiatria.		*Athæneus.*
Vnguentaria.	Phytoiatria.	*Apicius.*
Magia naturalis.		*Dioſcorides.*
Chymica.		*Plinius.*
Pyrotechnia.		*Galenus, Meſues, Serapio.*
Libaria.		*P. A. Matthiolus.*
Artes hìc ferè omnes vſq. ad exquiſitas, & conficias, Oeconomia corporis pleriũque miniſtrat, iubente ſcilicet hìc materia.		*C. Durantes.*
		N. A. Recchus.
	Anthoblepſia.	*I. T. Tabernamontanus.*
	Florilegium.	*I. Turneiſſerus.*
	Topiaria, omniſque viridarij ars, quæ inter Agriculturam, & Architecturam.	*Delechampius.*
Ethica.	Botanocritica.	*H. Eiſterteuſis & Beſleri.*
Politica.		*H. Reg. Pariſ. S. Robini P. Vallettii.*
Repræſent.		*E Schuuertius.*
Antiquit.		*Ioa. Iac. Chiffletius Biſunt. in ſuis Dadalmatis.*
Philologia.	Phytocritica.	*D. Fab. Columna Lync.*
Critica.		*B. Maranthæ.*
Logica.	Phytologica.	*N. A. Recchus.*
	Phitonomia.	*Hiſt. Lugdunenſis.*
		A. Anguillara.
		M. Guilandinus.
		P. A. Matthiolus.
		C. Geſneri Catalog.
		A. Coſalpinus.
		A. Zaluzanias.
		A. Spigelius.
		I. Coſtæus.
		B. Textor.
Metaphyſica.		*P. Pona, & M. Lobol. Aduer.*
		C. Geſnerus.
Encyclopædia.	Biblioteca Botanica.	*C. Bauhinus.*

Terræ hæc, Mariſque viuens, exertaque veſtis, & perpulchrum tegumentum opificio multiplici, ſummeq vario, vel ignauum quemuis, aut impium in ſummi admirationem, venerationem, amorem Opificis perducere, pertrahere poterit, ſi animum, vt par eſt, aduertere voluerit.

Dum igitur tum pluribus artibus ſtirpes materiam exhibent, atque inſtrumenta tùm & ipſarum cognitio plurimis quoque vtitur ſcientijs, atq. completur: diſciplinas excitat ferèomnes, atque agitat vniuerſam philoſophiam ſi comp exum agnoſcere liceat, ſummaque humanis in rebus vtilitatis ipſam dicere Phytoſophiam.

Habes hic neceſſaria victum, amictum, habitacula, medicamenta: habes commoda, inſtrumentaque fere omnia: ſi vtilitatem quæris, nec amplior, pleniorque in vniuerſa Natura campus, nec multiplicior merces, aut quod confertis magis ſpectaculis, vel pulchris objiciatur, ſi oblectationem, ſi recreationem poſtules, vel contemplationis exercitium, ipſam quoque ſi præter amplitudinem, ac præſtantiam ſtudij ab humanis titulis dignitatem exigis ornamenta illa antiqua, quæ vel à Cerere, & Baccho, Medea, Agamemnone, Machaone, Podalirio, vel ab Aeſculapio, Hercule, Apolline ipſo fumuntur, fumoſa nimis omitte. Reges Proceres toto exOrbe habes. Attalus, Euiax, Archelaus, Iuba, Maſſiniſſa. Hiero, Romani Catones, Varrones, Imp. Diocletianus colucre, & Reges & Duces Gentium Mithridates, Alcibiades, Magnuſq. Carolus, alijq plures inuenerut, proprijs ſe. nominibus adornarunt. Sed & ipſe qui agmen claudat, atq. cõcludat, cui Regni purpura, ſacriſq. & ſolidis titulis diſciplinas has condetoret, genuiniſq. à Creatore Sũmo fuſis ſplẽdoribus cõpleat, & Rex & ſapiens Salomon à maxima ad minimam vſq. omnibus de plantis diſputauit, Quid interim antiquius? quid dignius? ſi Protoplaſtus, ſi primus parens, & cum viribus ſingulis ſingulas ſtirpes nouit, & nominibus donauit, nobiſq. indigitauit.

Tab. 15.

In Plantarum notitiam, ex nominis, ipsiusq. rei coniugio, auspicia.

Per nomen enim adimus plantas: & à nomine, quæ de plantis conscripta sunt exigimus, præcipuè quantùm ad vsum pertinet: sicque fit, vt quæ humanæ ætatis breuitate nobis depereunt, pluri mùm studiosorum laboribus, ac perennibus studijs, litteris consignata, ad posteros deriuentur. Pleniores nempe contemplationes, & sæpius, cum iactura virium ad plantarum cognitionem facta pericula, libris committuntur; quæ omnia in ipsis tradita, & expressa, ipsius ductu nominis facile assequimur, & intelligimus: dum nomina certis inquirentium signis, ac notis designata, se produnt: alioquin annotationibus huiusmodi destituta facile obsolescunt. Namque haud multa ex antiquis ad nos vsq. seruata, pauca certe ad nos vsq fideliter traducta, deuenerunt, ac vix vlla incorrupta. Nunc porro, & nomine, & iconibus, tum nuperæ ætatis industria, & insigni sanè in successores beneficio ad hoc nostrum opus inuamur. Quamobrem vel

Phytoptæ planta quæuis in naturæ libro, aut inde expressa facie obijcitur. vel

Non tractata, seu planta noua, & nondum cognita. vel

Natura, quæ nouas semper in dies molitur, & producere solet diuersas habita ratione varietatis locorum: vt laserpitium, inusitum antea Cyrenis, piceo illo imbre primò genitum.

Litteris (omnibus quidem nobis communibus) incognita, aut omissa, vt plurimæ ex imperfectis nostris, vt Elleboryngium nostrum, aliæque, quæ hic primò prodeunt: sed quàmmultæ adhuc perquirendæ, non tantum in Insulis, aut minus cognitis regionibus, sed in nostra etiam Italia.

In quo aduertendum si se noua facie nobis offerat, & nouis qualitatibus, ex quibus nouũ quoq. nomen obtinere possit planta.

Si vel forte alicuius nouæ classis existimanda sit

Sin minus, inquirendum quo in ordine inter antiquas, & cognitas constituenda sit

Si autem ex his, quæ antiqui tradiderunt, & a recentioribus emanarunt nouæ alicuius plantæ natura antiquioribus consimilis appareat, desumpto cognomine ex peculiari, & magis propria eius differentia, v.g. quod sit frutex, baccifera, & similibus, ad earum classem, quæ similis sunt conditionis est reducenda.

viuens exsiccata / repræsentata — figura sola, vel coloribus additis

integra diuisa in — partes

quærendæ plantæ in — ipsa & libris — naturam

cum inferioribus hoc — antiquorum recentiorum — coniungendæ

Tractata, & pluribus fere tractationibus pro Botanicorum de ea scribentium numero. vel

Auctore ab vno enunciata citra vllam controuersiam.

Ex antiquis vt a Plinio Barba Iouis

Ab enunciante verò, seu primo plantam describente, omnis omnino de illa petendus est tractatus.

Si quæ verò fuerint propriæ obseruationes addendæ, quibus eius historia magis, & magis ditescat prõptis semper grati animi officio inuentoris laudibus.

Vel recentioribus, vt Agrimonides, & plures aliæ apud D. Fab. Columnam

Multæ apud Recch. Bauh. Clusium

Vel pluribus à scriptoribus partim enunciata partim traducta, magis, magisq. exposita, nec fere absq. controuersia; ijsq. vel

Veteribus dumtaxat, eaq. proinde antiqua, & renouanda recentioribus.

vno scilicet cum pluribus, vg.

Antiquis & recẽtiori vno Vt laserpitium Penæ. aut

Recentioribus, & antiquorum vno, vt lauẽdula, quæ pseudonardus Plinij, & stœchas Dioscoridis, & Pastolochia Plinij.

Vtrisque nobilior, famosa, sed controuersijs, ac disputationibus maxime anceps, & agitata,

Vtrisque tum antiquis tum recentioribus pluribus discrepantibus pro eiusdem veritate: vt, Iris, Asarum, Abies Helxine, Atriplex, omnibus ferme Rosa, Lilium, Philix, Quercus &c.

Vel recentioribus tantùm, vti nupera, & antiquis incognita, (nisi forte plurimorum Phytologorum veterum libris careamus,) vt Necociana, Tabaccum, Tulippa, Merl, Scorzonera, &c.

Notæ ipsæ, seu singulares animaduersiones in plantas, coniugij ipsius nominis scilicet & plantæ præcipuæ, erunt instrumenta, eoq. potiora, quò magis peculiaribus, & magis euidentibus signis collectæ sunt. Neque enim præcipui naturæ caracteres obliterari facile, æquè possunt, vt nostri inditorum nominum, qui facilime ponuntur reponuntur, innouantur, atteruntur. *

Nomen

quod est ad cognitionem plantarum

Ansa

*

Et plantæ quidem omnes, & qualibet, in vnico, naturæ libro, innumeris licet paginis distincto quærendæ forent. Quàm multæ enim dictæ, & incognitæ, sed nec dictæ quidem comperirentur, si montes diuersosq. tractus (vt regiones inuisas, desertas, & amplissimas æquoris oras prætereamus) nostros dico intra Italiæ fines perlustraremus, Garganum, Maiellam, Corneum, Nursinum, Nucerinum, Curium, Ianuarium nostrum: e quibus vix semel aliquos conscendere nobis licuit, breui horarum morula; & Ianuarium quidem ipsum antiquæ Albuneæ nostræ ditionis sedem vix attigimus, quandoq. Botanicis cum collegis doctissimis Fabro, Terrentio & Molitore, ac Phytognoste peritissimo Coruino, vt vel leuissimè inspicienda plantarum occurrente varietate, haud temporis satis esse posset: multa nihilominus vidimus reliquum negotia prorsus distulere.

plantæ suis tractationibus — tractationes — iungendæ

Vel recolenti Phytologo repræsentatur ab historicis: & tractatus de planta ipsa, præmisso nomine eiusdem in librorum notis ac signis delineantur; & notæ, quibus planta requiratur, eidem assignantur. siue

Existẽte planta eodem modo, & simplicitate, & vnitate naturæ

Seu non existente, vel exoleta, & amissa:

Vt ab aspectu nostro semota, & quæ non reperiatur amplius, vti Cirenense laserpitium.

Hic autem solùm diues illa eruditio in promptu habenda est, quæ ex antiquitatis cultu, & notitia deriuat,

Cuius ductu, & labore quærendi, & periculo alias pro alijs substituendi liberamur.

Qua comparationem instituamus ad existentes plantas, non sine harum illustratione.

Aut à naturæ libro omnino deleta, vt quæ nuspiam sit.

Superest tamen spes eandem reuisendi, si natura ad eam producendam rursus voluente causarum circulo vires suas exerat.

Superiorum mutatione, inferiora quoque mutari par est: sensim proinde, ac multis saculis in herbis, & animalibus nouum aliquid, aliquid amissum, multa paululum immutata detegimus; vt nihil mirum, si in figuris, facultatibus, origine, & qualitatibus diuersarum plantarum, similes plerumq. audiamus mutationes. Medici enim illas admodum celebres Betonica vires exoleuisse conqueruntur; quamuis ab Apuleio, Dioscoride, ac Musa premissæ. Pepones adeò concelebrati de mensis decessere, eorumq. omnis honos melopeponibus nostris concessus. Quæ rerum omnium vicissitudo, perennis. Cùm temporum, locorumq. circuitus vicissim permeare deprehendatur, nihil adeo nouum videri debet, si in Mexicanis Recchi nostri aliqua hodie ea ex Theophrasteis plantis vigerit, quæ nos, & Græcos dereliquerit penitus.

Vt ad

Tab. 15.

Tractationes omnes de plantis conciliandæ sunt

Vt ad pleniſſimam tandem plantarum notitiam; ne ſcilicet planta vlla ſine nomine, nèue nomen ſiue plantę ſuę hypoſtaſi exhibeatur, aditus facilior ſit, vtq. intelligamus ſine dubio, per quem, & quomodo planta nobis imprimis innotuerit, diſcuſſis omnibus vetuſtatis nebulis, quę plurimum ſtudioſis offundunt tenebras, omnis antiquitas in præſentis æui notitiam renouanda eſt. Vt autem quæcumque ſtirps aſpectui noſtro peruia proprio dicenda ſit nomine: vel vt tam ex naturæ libro, quàm ex diuerſorum codicum paginis vninerſim ipſamet, inquiri, inueniri, & haberi poſſit; denique vt cuilibet, aliorum frui liceat obſeruationibus, & noſtras grato animo excipere, incitatis ſemper vlterius, & ſtudijs noſtris, & exercitijs.

Diuerſimode nominantiũ & inter ſe de nomine diſſentientium.

vel

Connominãtium, & ſimplici ac recepto, omnibuſq. communi nomine appellantiũ eaſdem v.g. Iris, Aſarum, &c.

Recentiorum

Qui ſi nouis tantum nominibus vtuntur, ea omnia in vnũ colligenda, & pro ſynonimis habẽda.

In his quærendum an ſecundum mentem hiſtoricorum, quouis ſub nomine, ad propriam claſſem plantam reduxerint, an verò vlteriori diſquiſitione reuocanda ſit.

Si vero peculiaribus & proprijs opinionibus eadem ex antiquorũ fontibus deriuent; inquirendũ num legitima videatur vocum ſumptio: tuncq. nomen, & cognomen abrecẽtioribus impoſitum reuocandum ad ſynonima, de quibus dubitatur: vt ſiliquaſtrum pro Arbore Iudæ, an rectè a Dodon. ſumptum, & Acacia antiqua Mathio. neq. enim eſt Acacia.

Amplius quærendum an veteribus cognita ſit tantùm, an verò a neotericis tantùm planta noua tradita ſit; & an noſtras ſit, an exotica, & de nouo ad nos inuecta: non enim Tunc Americana ſolum eſt, ſed & Sicula, & Caietana.

Antiquorum

Collectis dumtaxat ſynonimis, vt ex mutua collectione eorumdem intelligamus quid Theophraſto, quid Dioſcoridi, Math. &c. viſum ſit.

Rurſus an botanographi ſeu antiqui, ſeu recentiores, vel in genere de illa ſcripſerint, vel in ſpecie, & an capitibus: libris, & tractatibus inter ſe conueniant.

Omniũ & ſingulorum

Examinatis diligenter & rite expenſis ijſdem ſynonimis omnibus, quæ vni eidemq. plantæ, aut diuerſis aſſignantur, vt citra dubium pateat, an ſub hac, aut illa appellatione, fuerit ſcripta a Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, & recentioribus, vt Coſumna Bauhino, Cluſio, Math. &c.

Cum autem probe recognita fuerit, ſuo non abſque laude reſtituenda erit loco, indeq. legenda, vt Faba Aegyptia, ſi cui forte contigerit eam vidiſſe, vel Dracunculus Maior, cuius gratia, male audire ſolet Mathiolus.

Adde quod in nullo idiomate reſpuenda vnquam ſunt vulgi vocabula: ex quibus plerũque, in plantæ, & eius naturæ notitiam deducimur, ſiue illa ſucceſſu temporum, ſiue recenter à plebe plantis indita ſint.

Sed neque ſpernenda vlla etiam vulgatiſſima, cuiuſuis, de plantis experimenta.

In Magia ſua naturali doctiſſimus Collega noſter Porta, quem adoleſcentes adhuc in Phyſicis arcanis audiuimus, artificioſo commento nouas ſtirpes producere molitus eſt, quod varijs margonijs in pluribus, in non omnino mutata planta, ſaltem in colore, & qualitatibus partium alteratur.

Cæterum experimenta non laudare non poſſumus, plus autem deferimus obſeruationibus, vt nouis ſemper, vel ſaltem de nouo compertis ijſdem naturæ diteſcant promptuaria.

D. Fabius Columna collega noſter, qui generis nobilitatem à maioribus deriuatam proprijs haud expertem titulis reliquit, ſed multiplici condecorauit doctrina, noua ſemper non ſolum e naturæ penuarijs copioſè eruit; ſed ex antiquis, & obſoletis eximio Botanocriticæ ſplendore genuinas complures reſtituit ſtirpes. Idque vel confertis negociorum tricis implexus (ea noſtra conditio eſt) aſſiduo præſtare non ceſſat, vt in Phytobaſano ſuo, ſiu plantarum examine, & Ecphraſi plãtarum, harum diſciplinarum ſtudioſis pluſquam liquido notum eſt, magiſq. ex promiſſis voluminibus, quibus quotidie inſudare ſolet, cum iucunditate, & vtilitate haud exigua legentium perſpicuum fiet.

Peritiſſimo autem deque hæc de re herbaria optime merito Gaſpari Bauhino, vel ampliſſimum hoc beneficium primo debetur. Collectionis videlicet ſynonimorum quam ipſe in Phytopinace auſpicatus, in annotationibus ad Math. & ſui in Tabernæmontani prima parte compleuiſſe videtur. Quippe vnuſquiſque antea Phytologus varia ſtirpibus pro arbitrio indens nomina, alienis prorſus poſthabitis, aut de induſtria prætermiſſis, ingentem phytoſophiæ ſtudioſis ipſo in veſtibulo confuſionis caliginem offuderat. Ab hoc, & complures nouas plantas, & ampliſſimum promiſſum Tractationum theatrum expectent ſtudioſi, vtiliſſimiſq. interim Pinacibus vtantur.

Nec montibus tantummodo, vel littoribus, aut pratis parcere ſolent, & abſtinere Phyſici noſtri; ſed etiam libros reſpuunt, niſi flores, aut medicinæ ſancita decreta, & praxes præ ſe ferant, & largius exhibeant. Quare florilegi duntaxat ad delicias, Medici plurimi ad ſtipem, Phytonomi fere nulli pro ingenij præſtantia, ſummiq. opificis admiratione, & operis cognitione plantas contemplantur, & examinant.

Scripſeramus hæc iam, cum ecce ſtrenuus ille Terrentius noſter, e Chinenſi Regno Fabro collegæ nunciat legitimæ Fabæ Aegyptiæ frequentiam etiam in quotidianis cibis; Rhabarbarumq. in hortis illic Betæ vicem habere. Hoc iam in teſta nos alimus: illam verò multorum hallucinatione nobilem libentiſsime certè ezciperemus: cum iam autem copioſe illic inuenta ſit, quin ad nos tranſmittatur minime dubitandum eſt.

Tab. 16.

Habes amice lector, ex sequenti eruditissimi Principis Apostrophe, conceptissimam totius Tabulæ præsentis occasionem: analogiam scilicet partium, quæ plantis insunt, cum membris corporum, quæ sensu pollent.

Recurris ad singula, quæ in brutis, aut etiam in nobis sunt membra, vt comparando omne te ex parte expleas. An non quidquam scire potis es nisi hoc tibi ipsi prorsus simile reddideris? Crediderim te potius nihil minus temetipso nouisse, & veteris γνῶθι σεαυτον oblitum. Audisti iam dudum de plantarum vita cogitaremus; minutius hic si vis accipe. Brachia, crura, oculos si in stirpibus quæris, nullus es, & absonus magis, quam si nodum in scirpo: error est non in specie tantùm, nec in angusto familiæ limine, sed in amplissimo toto genere. Scis illas nequaquam aspicere, aut manu apprehendere, vel ambulare; organis tamen ad hæc instruere velis. Inesse quidem musculos recte notes; quibus appositis coagmentata excrescunt; venas etiam, quibus succi ad nutriendum, augendum, pariendum interfluant: imò & neruos, qui ad fulciendum protendantur, cateraque huiusmodi membra, quæ pro modo, ac ratione vegetantis animæ obeunda consequuntur munera. Iam quid anceps in radice inesse caput hæsitas? imò & os ipsum credas, si initia, si nutrimentum, collectionesque cum Galeno aduertis. Hepar, venamq. Portam filamentis suis diuaricatam, quidni & cordis fontes, si primores illos vitales focos per cætera sensim distributos hepacordicerebrum dicas; (vt multiuerbo multa:) ipsumque cordi cerebrum, seu radicis, basis, & caulis virtutem, quæ per medullas toti introducta corpori animatas, & vegetantes merito censeas partes. Deniq. si vitam, & gignendi seu propagandi facultatem inquiris; postquam tam diuersas in corpus vnum congestas dotes agnoueris, vitæ, conseruationis, ac propagationis principium illic constitutum intelliges. De situ interim minimè sollicitus, nedum inuertere coneris; si radix altior alimentum attrahit, si caulis altilem ascendendo sugit, & digerit succum; vel si vim seminis illa, quæ vices habet capitis in se conseruet, & foueat, negocij haud tantũ tibi facessat: nec enim analogia veteris in plantis ineptior credenda est; nec insulsè pelli superductæ corporibus, plantarum cortices, & humoribus ac sudoribus, gummi vel lacrimæ contulerit: neq. sanè capreolos, clauiculos, & spinas animalium coyneis vngnibus, roncinis, aculeatis mucronatisq. temere comparaueris. Hominem verò cum Aristotelee inuersum cogita, & explicatis diuersarum frondium, & truncorum caulibus, aut fustibus, brachia numerosaq. crura in vna stirpe compones. Iam illius transilire videris limites, nec regulam ullam luxurianti apponere ingenio: dum enim floreſcit vlterius, aut frondescit, folia, & flores capillis, respondere vis, & comis: nimirum talibus analogijs nobis complacemus, satis at plerumq. quæ pulchra sunt, & concinna præcurrunt, præiudicio fiunt veritati.

- Ecquid aliud in plantis *appetere, spirare, & ipsum sentire* voluerunt Empedocles, & Democritus, quàm quod vnico *Animalis* nomine Plato comprehendit? quem nos vltro sequuti, *vegetantis animalis* naturam per partes suas deducemus: est igitur,
  - vegetans animal *sine plãta, & stirps*
    - nutritum: attrahente, retinente, nutriente & expellente → Facultatibus instructum: in aquis alitur; in vliginosis adolescit melius; montibus & incultis gaudet
    - crescens ac germinans: spontaneè & adhibita industria.
      - surgit in altum
      - deorsum se protendit
      - latius se explicat,
      - humi repit, & serpit
      - & sub terra propagatur in modum radicum.
    - generans: simile, dissimile & degenerãs
      - semine,
      - sobole,
      - germine
      - reflexioae,
      - viua radice,
      - insitione — corticis, ramorum, foliorum
      - gummi
      - ligno

- Admiranda plantarum varietas, præsertim si perfectas imperfectis adiungimus, Theophrastum ipsum præpedire potuit quin partes omnibus communes acciperet, varias enim illas, diuersis in generibus stirpium nec communes assignari posse pronunciauit. Nos autem antequam de partibus hic de plantarum specie quærimus aliæ siquidem sunt.
  - imperfectæ, perfectæ, perfectiores — tam ratione qualitatum quas possident, quam partium ex quibus cõstant & sunt.
    - herba
    - herbitrutex, suffrutex
    - cremium, phryganon
    - frutex
    - arbor frutex
    - arbor
    - quarum alia est: humi planta, multistirps, vnistirps, arborescens &c.

- Plantarum in vniuersum partium aliæ sunt.
  - essentiales
    - anima: calor causa omnium opifex; seu spiritus primum vegetandi principium
      - inhærens influens
        - coagmentans ex: similaribs; vel vtrisque mixtim; dissimilaribus
        - organa vegetantium dirigens
    - corpus: ipsa plantarum materia, & maxime; humor omnium impressionum capax
      - insitus ἔκφυτος seu natiuus
      - aduentitius
        - elementaris
        - stirpibus communis
        - alimentaris,
        - cuti adiacens
  - Corpus vero stirpium in sua propria superficie considerandum quæ est, vel
    - lateralis vt folium
      - explicatio
      - actus
      - tegmen vestis
      - ornamentum
    - subterranea vt radix
      - caput
      - fundamentum
      - cor, seu hepar
      - os alimenti
    - & supera vt caulis
      - eleuatio
      - ductus
      - artus ad thoracem
    - in quibus examinanda sunt
      - numerus
      - magnitudo
      - figura
      - situs quo alias partes & organa respiciunt
      - & inde conspiratio in conseruationem totius.
  - integrales: analogæ ad membra animantium
  - principales: radix, caulis, brachia, fructus
  - secundariæ: cortex, lignum, matrix, medulla
  - minus principales: humor, liquor, gummi, lacrimæ, &c.
    - aquosus: lacteus, lacticroceus, sanguineus
    - oleaginosus
    - glutinosus
      - melleus: mel, manna, saccharum
      - lacrymosus: resina, gummi

- Non sunt tamen omnibus communes, quæ phytoptis obijciuntur plantarum partes, sed quibusdam solum, quibus qualitates, vt plurimum sunt communes: arboribus enim ac fruticibus, multa inest similitudo partium, sed non eadem ratio est in plantis: in quibus tanta detegitur diuersitas, vt vix ad naturæ normam reducere possis: partiũ tamen aliæ,
  - Coniunctæ, & per totã plantam diffusæ, quamuis sensus nostros lateant.
  - Primæ, intimæ & magis componentes, magisque similares, & communes, quas diuidas in
    - interiores: vt sunt: succus, hematophyton, liquor
    - carnem in qua est
      - carnis pulpa: succosa, humida, sicca
      - medulla
      - cor matrix
      - lignum, albumen
      - adeps
      - fibriæ quibus adiacent
        - vena: maior, succolenta
        - costa
        - neruus: tenuior, siccior
        - quæ sunt interme diæ partes.
      - cortex: simplex, multiplex
    - exteriores
      - lanugo, cutienla
      - cutis tegumentum
      - hirsuties
      - squama, aculei
      - tunica, pili, spinæ
      - liber, corium, villi
      - membrana.
  - Mediæ, diuisæ à se inuicem, vnitæ in plantis, & distinctæ ab earum natura: dum separantur: namq.
    - vniuntur ad naturalem dispositionem
      - musculus
      - pulpa coniuncta musculo
      - arborum maestra Italice: nodus centrum.
      - pecten, torulus
      - lineatio
    - separantur casu, vel artificis vsu
      - gutta, quæ est liquoris expressa pars
      - articulus seu, materia artificibus vsitata
      - frustum, scobs, schidia, quisquiliæ, serrago, ramale, resex, truncus, termes, spadix.

- *Differentia plantarum præcipua in suis partibus Theophrasto est quod quædam,*
  - *habentur vel non habentur*
  - *non similes, vel non varia habentur*
  - *non similiter habentur scilicet positione, ordine, numero.*

Distincte de quibus seq. pag.

Aliæ

Tab. 16.

Primariæ, quæ plantam in proprio statu cõstituunt, & fere sẽper dum planta vegetat, cum ea viuunt, & cum illa pereunt. v.g.

Radix, in omnibus prope stirpibus: cuius inter cæteras sunt

- species: simplex multiplex repens, recta, capillaris, fibrosa
- partes: Cirrhi, nucleus, ceruix, quæ alias lorica dicitur: caput, bulbus bulbilli, glandulæ, tuber, grumi, torus, nodus; quibus adduntur vestiaria v. g. valuæ, tunicæ, oculus, &c.

Aliæ sunt primariæ quidem, & præcipuæ; sed quæ superstite planta, quotannis moriuntur, aut mutantur statis temporibus; plantam nihilominus in perfectione cõstituunt, & sunt.

Caulis, seu organũ per quod se plantarum maiestas explicat, cuius.

- species sunt: simplex, ramosus
- partes: Stipes, caudex, crura, stolones, soboles, scapus, asparagus, ferula, surculus, virga, vimen, sarmenta, thyrsus, trũcus, brachium, ramus, ramulus cauliculi, coliculi, culmi, stipula, stramenta, stilus; his adde partes quæ sunt aliarum vincula v.g. articuli, nodi, geniculi.

Ramum, & surculum cum spilegio, nequaquam distinxerim à caule: quia scilicet folij, & continuati eadem ratio videtur; quæ caulis, & ramorum resciſſorum.

Frondes, & folia, quæ pariter duntaxat certis temporibus viuunt moriuntur, aut immutantur quorum

- frondes, & pampini: propriè sumuntur
- species: tertifolium, sorifolium, semunifolium, sembifolium
- partes: laciniæ, crenæ, seu striæ, dentes, pinnæ, auriculæ.

Aliæ sunt adiectitiæ, & excretitiæ, quas in scholis partes per accidens dicere possumus scilicet.

Mucrones, aculei, spinæ, capillamentum, cirrus, cryces, ala, acetabulum, turbo, Petili, capreoli, anuli, viticulæ, flagellum, palmes, malleolus, duramentum, pediculi, clauiculæ, elicæ græcorum, seu vortices, vistlia, latera, &c.

& istarum velut adiacentes, & appendices

- Cachrys, pululatio, gemma, vertex, fastigium, cacumen. & Sarmentum, polancus fructuarius, orbis pampinarius subsiliarius.
- aliæque ad membra viuentium analogicæ: barba, fibræ, oculus, germen

Aliæ sunt inter adiuentitias numerandæ, sed tamquam spuriæ, ac minus legitimæ, quæ partibus alijs adnascuntur, vel fortuito plantæ, & ex planta fucerescunt vt sunt

Spongia, cachrys, grana, pilula, tubercula querna, villi, squamæ, imo, & ad has pertinẽt, fungi, & aliæ quæ à studiosis obseruari solent.

Alia partium diuisio inter plantas assignatur: quæ oritur ex comparatione vnius ad plures, vel vnam solam partem: siquidem sunt vel

- similares
  - propriæ: spiritus generans seu calor vitalis.
  - cõmunes
    - liquidæ: lachrymæ (piceæ, rosinæ, aqueæ, gnmmeæ); succi sicut sanguis
    - solidæ
- dissimilares
  - perennes: radix, medulla, succus
  - annuæ seu temporaneæ: oculus, flos, semen, fructus
  - mixtæ: vt folia aliqua

Rursus partium dissimilarium diuersitas nascitur ex comparatione vnius ad alteram aut ad alias: cum enim dissimilares sint aut

- similiares, & dissimiliares
- propriæ, & cõmunes
- internæ, & externæ

istarum quælibet

- comparatur ad alteram tantum, & videndum quod vnaquæque erit
  - Principalis, aut minus principalis
  - Inferior, aut superior
  - Simplex, aut compositа
  - homogenea, heterogenea
  - Explicata, aut inclusa membranis
  - Aduentitia, aut propria
- vel cõparatur pluribus quarũ altera erit alteri aut alijs
  - similis, aut dissimilis: Figura, colore, dẽsitate, raritate, asperitate, læuitate, &c.
  - par, aut dispar: excessu, defectu, multitudine, magnitudine

Aliæ tandem sunt plantarum partes; quæ cùm sint tamquam fœtus, aut proles virtutis illius vegetantis, & generantis, quam plantarum spiritũ, & animam diximus: cumq. perpetuò non insint plantis, sed statis temporibus desint stirpib⁹ propterea partes illas vocari non patiuntur nonnulli ex Academicis; vt vt sit ad plantas omnino pertinent, & sunt.

Flos, qui est fœcundæ hilaritatis festiua quædam spõsio, perfectionis fructificationis prænuncia, & premissio spiritum, spes fructiferæ abundantiæ, & plantarum lætitia; cuius partes sunt.

Calix, nympha, stamina, flocci, capillamenta, capices, scylus, cœtus, seu sedimentum. Vngues florifolia, seu foliola, tubuli, caliculi, galericuli, cuculli, oscula, rictus floripendiũ, lanugines, coma, & plura alia, quæ inter termonis delicias vsus adinuenit.

Et semen; quod est, magnæ matris fœcura; vegetantis animæ soboles, collecta in compendium planta, stirps obsiquata; morietis plãtæ fœtus, ac renascentis genius: vniuersi deniq. animalis vegetabilis breuiarium, cuius partes assignantur, &

Partes quæ sunt

- species sunt: Pomũ, glans nux, nucipomum, acinus, granum. Bacca corymbus, cytisus, Brion muscosus, vua, cachrys, anetũ iulus, &c.
- caput ad quod spectant: capitellum, conus, calix echinatus, echinus, verticillum, paterula, vmbella, muscarum, panicula, racemus, florifolium, spica, culmus, &c.
- folliculus: vulga, loculamentum conceptaculum, vasculum, vtriculus, theca, elate valuulus, concha, filiqua, operculamentum, vagina, septum glumæ, scapus.
- cõceptaculum: cor ipsum, oculus, vmbilicus, putamen, nucleus, galliocæ, valua, hilum, cartilago, lanugo, pyrones, officulum, voluula, cupula gigarta &c.
- pericarpium quod pro fructu vulgo accipitur: ad hoc etiam spectat, pulpa, vel humor circa semen, vnde semea munimento cinctum: ipsum vero semen cum nucleo, & pulpa à flore deriuant.

Cæterum in duabus maximè partibus principalibus, quas diximus animam, & spiritum, & alij naturam, & corpus seu compositum ex similaribus, aut dissimilaribus stirpium partibus, disquirendum est a phytopta, quis sit.

- ortus, & In ortu exquiritur naturæ similis productio, per semen, quod per omnes stirpium partes, dispositis rite organis, & ad omnes naturæ motiones conformatis, partium nexibus diffusum, tamquam fermentum excrescens in sui naturam cætera conuertit, expergefacto, ac vigente calore nativo: sicuti plures in fixis corporibus salis, ac sulphuris virtutem operari, & mouente, & accedente spiritu fieri aiunt.
- vigor: Vigor autem cognoscitur si organa, & partium nexus animæ vegetantis actionibus recte subseruiunt: & si partes numerosæ, grandes, nutritæ, pingues, succosæ ad perfectam naturam excrescunt.
- infirmitas: Prædictis deficientibus, oritur infirmitas, in qua considerandæ est conseruatio, vel reparatio partium destructarum.
- ariditas, quæ est mors stirpium: Cuius signum ex colore exteriori facilè colligitur; vix enim stirpes emori credas, quibus ineſt viror, seu viridis color, qui fere vegetandi, gradum exterius consequitur. Cum recipiat a communi calore in humore crallunculo digestionis compendium; si tamen excipias stirpes, quæ in litoribus, & salicolis adolescunt, quæ vt plurimum subalbescunt, vel in cinericium colorem vergunt, & prope in album desinunt vt Dictamum: atrata sunt tubera multa, rubet Coralium, & hypocitis cum Epithymo: Mille autem inuenias in vegetantis naturæ imperfecta luxuria colores, violenta æmulatione gemmarum, crescentibus ac se pandentibus in dies magis versicoloribus lapillis: sequitur autem quasi semper internarum qualitatum naturam exterior illa species coloris quæ vitam vegetiorem in ijs arguit.

Plantarum venter, ipsa terra, magna omnium mater facile creditur Anaxagoræ; non tamen hoc, neq alia quæq. membra animantibus, & plantis communia existimare poteris, nec quicquam de his determinate statuere; sed pariter cum Theophrasto in ancipiti stirpium discrimine hærere, nisi nobiscum imperfecta à perfectis seiunxeris. Viscum namq. à terra separatum, quod semen profert, quod numquam seminat, & tubera ab eodem ventre diuulsa, cæteris q. membris destituta, communis diuisionis partium cancellos quoscumq. perrũpunt, scilicet licentius in ijs luxuriatur natura, nec nostris retinetur legibus.

Nulla fere ex omnibus stirpibus est, quæ suis non vna dixerim, vel altera, sed omnibus partibus nobis aliquo modo vsu venire, vel prodesse non possit, aut contemplatione digna non sit, siue organi ipsius, siue præstantia ratione. Nutrit tota meditatione mentem; fructu pascit corpus; floribus, viroribusque vtrumq. oblectat; vt nihil vel minimum in tanta copia despiciendum sit. Quid verò maioribus id opus erit exemplis firmare? rideat murigena capares, illas, quas contemnunt homunciones; qui tamen earum magnitudinem ore satis probare videntur, dum subinde vulgatur prouerbium (quod illarum æstimationem, & admirationem præfert) saltem apud Italos nostros, à plantarum studijs fere alienos. Postquam iam fere plantam totam dentibus contriuerunt: folia pariter, ac gemmas, flosculos, flagella, fructumq. omnem, & pericarpium, grana ipsa, totumque vasculum omedunt. Plantulam respice vix vllo inter saxa viuentem succo, paruulam fructu, latis & explicatis floribus, lignea, & perenni duritie, pingui folio, in arido pascuo, scilicet, muro, vel magnas arbores egregio æmulatam conatu, quæ te Myosophyton rubens, & ipsa in ruborem vsq. redarguat.

Cõue-

Tab. 17.

- Cõuenium inter se stirpes.
  - Euidentiùs.
    - Cõstitutione peculiari.
      - Corporis perfistentis cõformatione.
        - Symmetria, & notis,
          - Totius plantæ, omni scilicet simul conspectâ.
          - aut
          - Membrorum, partiumq. omnium sigillatim, vt in tabula differentiarum, membratim signare poteris.
        - vel
        - Cõpositione membrorum. siue
          - Numero
            - Dum pluribus, aut paucioribus partibus constant; ijsq. pluribus, aut paucioribus latentibus, vel apparentibus, dum præsertim se reconcunt aut exerunt aliæ, atq. aliæ.
          - siue
          - Modo
            - Si eodem ordine comparent compositæ, aut dispositæ.
            - Si folia ante florem, vel florem præmunt ante folia.
      - Vitæ ipsius, eiusq. munerum.
        - Ætate, & duratione
          - Totius
            - Sunt enim longæuæ magis, & breuioris durationis æstiuæ scilicet, aut trimestres hebdomadariæ, vt Fungi diutiusque aut breuiùs in vitã productæ, vel in semine sopitæ, perseuerante spiritu persistunt plantæ.
          - Partium
            - Quæ omnibus semper membris sanæ consistunt.
            - Quæ perpetuifoliæ, vt arbores nonnullæ, quæ sempiterna fronde virere dicuntur.
            - Vt & radices perennes, seu annuæ.
        - Generatione, seu fæcunditate.
          - Ratione qualitatum.
            - Quæ per semen tantum multiplicantur
            - Quæ per semen ac radicem, ac alias communicantur, & hinc plantiferę, & Amphicarpæ
          - Proportione, & mẽsura.
            - ad florem
              - monospermata, vt Tribulus Aquaticus
              - tetraspermata, vt Saluia.
            - ad plantã
              - multiseminis vt Ammis, Orchis, Typha.
              - pauci seminis, vt Mercurialis, Agrimonia.
    - Propinquitatis.
      - Corporum in conuictum colligatæ, nexu.
        - magis stricto
          - connatæ parasiticæ
            - Quæ, & innatæ, & penitus dependentes sunt, vt Viscũ, cassuta, &c.
            - Vel Enatæ, eadẽ matercula subsidente, vt Hypocistis: aut Vagæ, & in diuersis, vt Orobanche in Genista, & Leguminibus.
          - Arte innexæ
            - insitione
            - inoculatione
            - appositione, aliisq. emphytheoticis, &c.
        - Laxiori
          - Adnatæ ex varia fere corticis, putrefactione aut adiectis succis calore fouente.
            - Erumpentis, vel excreti succi occasione (vnde his species bus etiam magis) competit coniunctus. vt sunt
              - Tubera.
              - Squamæ
              - Villi.
              - Fungi.
            - mediæ
              - Lichen
              - muscus
            - Exteriorũ etiam adiacentium occasione
              - Polypodium.
              - Trichomanes.
          - Superpositæ
            - Inuadentes, & super ascendẽtes, aut supercadentes.
              - Ad succum [vt Hedera
              - Ad Fulcrũ tantũ
                - Volubiles implexicaules omnes. vt Vitis super quercu, &c.
          - Supernatæ casu ex superinie&o semine, aut collectitiorũ in cauis putrilagine, aut fimo &c.

      Ipsum si vinculum spectes in individuis tantum habes; si verò aptitudinem ad vincula quæ plures scilicet coniungere valent, iam familias totas connectes.

      - Coordinatione
        - loci originalis.
          - Propius contingentis, & vel excipientis ac retinẽtis
            - vndequaque ambientis.
              - Vt in subterraneis & consepultis.
              - Aquatilibus, vt commerses,
                - Marinæ,
                - Lacustres.
                - & Fluuiatiles.
            - Ex quo nomen sumunt ab ipsius soli cõditionibus.
              - Saxatiles, arenosæ
              - Limicolæ, paluſtres
              - Agrestes hortenses
            - Vel a propinquorũ respectu.
              - Montanæ.
              - Maritimæ.
              - Aruenses.
              - Pratenses.
              - Nemorosæ
              - in Vmbrosis.
              - Apricis,
              - Vineis.
              - Fruticetis.
              - Segetibus.
              - campis
              - syluis
          - Latiusculè spectantis
            - Consimilibus rationibus.
              - Cultum admittentes.
                - Domesticę Vrbanæ.
                - Satiuæ
                - Cuiusmodi sunt olera, & ex alumnis hortorum, ac testarum pulchrifloris plurimæ.
              - Cultum respuentes.
                - Immites, ac feræ,
                - Filix nullo mansuescit aratro, sed Barba illa Iouis sæpius Botanicorũ hortulanos frustratur, & è nostræ Vmbriæ mõtibus Ocymoides illa Muscosa, Nucerinaque Tragacantha.
            - Patriærespectu.
              - Cæli, vel climatis ratione
                - calidi frigidi ficci, aut humidi
                - Seu Regionis eiusdẽ, vt Germaniæ, Italiæ, &c.
              - Vel magispræcise ipsius loci
                - Vt Agri eiusdẽ Mõtis, aut Ciuitatis, aut finitimæ, vel cõtinentis, aut in eodem circuitu.
      - Congruentis pariter tẽporis.
        - Qualitate
          - Producendo
            - Eodem scilicet, tempore, tum membra, tum fœtum, vel certè iisdem mensibus adnascentia radicibus simul germinando, aut gemmas aliasq. partes quæ simul natales sortiuntur.
          - Nascẽdo, vel Moriendo.
            - Moriendo aut omnino aut per partes amissione scilicet Caulis, fœtus, foliorum, &c.
          - Proferendo, & cõplendo
            - Eodem mensium vel dierum spacio partes has; aut illas, & ad maturitatem eas perducendo.
        - Quãtitate
          - Erumpendo
            - Spacijs postquam fatæ sunt æqualibus, vt velut eodem partu ex vtero fœcũdę Matris Telluris exilire videãtur vt tribus diebus Blitum, Napum, Eruca, Ocymũ, quarto Lactuca, Anetum, vix anno Fœonia, & Mandragora.

  - Obscurius.
    - Origine.
      - Spõte ex terræ visceribus emergentes.
        - Similibus è Terris mineris, aut halitu.
          - Vt Albucus, Rosmarinus, Laurus, Cneorum, Sanamunda Barba Iouis.
        - Similibus miscellis complutis
          - Vt notare est per aruas, glebosa, humidaq. Chelidoniũ minus, Aconitũ hyemale illud Monophyllũ, Ranũculi quidam, & per viginosa, vt Lichen, Lycopodium.
      - Actionibus.
        - Vel Seminis initijs excitatæ, & vel Sembifolijs, aut Semunifolijs a biualui, vel vnius alui grano prodeuntes, Stirpinitio introrsum, vel extrorsum habito a matre scilicet terra.
      - Passionibus.
        - Sunt enim nonnullæ eiusdem odoris, saporis, temperiei, vt Nardus cum Valeriana, Cicer cũ Kali, Aut facultatis eiusdem, vel vius in Medicina, vt Aromaticæ, Cathartiçæ, Deletericiæ, alterantes similiter, vel etiam in alijs artibus.

- Conuenium, etiam constitutionis totius ratione.
  - Particulatim.
    - Sexus nota ab eodem concepta femine, ac Maris, & fœminæ exortu.
    - Affinitatis vinculo
      - Proxima serij Dispositione
        - Hinc classes & familiæ
      - Remotiore respectu.
        - Inde Plantamenatio.
  - Vniuersim.
    - Minus scilicet perfectæ
    - Perfectæ.
      - Simplicis complementi.
        - Hinc amplior ag mina.
      - Excessus etiam supra Planetę cõmunem gradum.

Diuer-

Tab. 18.

- Quæ exterius ac cẽsentur v. g.
  - Originem, & ipsarũ causas.
    - Principia efficientia, cum Ipsorum instrumentis, quibus diuersa accidunt.
    - Materiam
      - magis simplicem: vt sunt elementa variè ad mixtionem concurrentia, vnde halitus, & metallica corpora, vel spiritus maternam humum permeantes diuersis modis agunt.
      - magis mixtam: vario diuersis è complutis, miscellisque fermento.
    - Formas quas diuersas intellectu potius ex diuersis figuris, tam internis, quam externis tibi confinges: quam vt eaidem ex naturę fontibus haurias.
    - Fines, quos, à morali & Rhetorica potius quàm a physica deduces, vt decoris multo plus, quàm firmitatis habeant.
  - Loçum, seu solum nationum, in quo nutrimenti, educationis, & victus sedes; consideratis.
    - Elementis
      - Subterraneæ.
      - Superterrestres
        - Saxatiles, arenicolæ, limicolæ.
        - Aruenses, & diuersarum Terræ qualitatum.
      - vnde
        - mediæ
          - Palustres.
          - Maritimæ.
        - Aquaticæ siue aquis immersæ.
          - Marinæ.
          - Lacustres aut stagnantis aquæ.
          - Fluuiatiles, riuales, Fontanæ.
    - Mixtim consitis ex quibus.
      - Simul aut disiunctim viuentes
        - Superarboreæ innatæ.
        - mediæ, superradicatæ, terrestres, enatæ.
        - & casu supernatæ à liberis differentes.
      - Parasiticæ liberæ.
    - Patria diuersa.
      - confinijs diuersis.
        - syluestres, pratenses, montanæ.
        - vallium, segetum, aruorum.
      - Vicinijs non ita distinctis, vt quæ prope has, aut illas, in hoc vel alio circuitu nascuntur.
      - Cœlo diuerso
        - proximo
          - vmbroso, aprico, calido, tepido,
          - remoto
            - frigenti, aut rigenti.
      - Climate, aut regionibus diuersis.
        - nostrates, exoticæ, peregrinæ, aduenæ,
        - Italicæ, Germanicæ.
  - Positionis situm.
    - Totius plantæ
      - de loco
        - Vaga stirps
          - fluctuans
          - natans
        - fixa.
      - quoad motum
        - in loco
          - vi propria
            - in se
              - surgens, ascendens, pendula, descendens, supina.
            - in alijs (circumdans, complectens.
          - vi aliena (vt asportatione permota,
      - & quoad germen
        - a cacumine ad ramos erectum.
        - a latere aut ramis pendulum.
      - quoad statum: vt planta sit erecta, contorta, incumbens, seu alijs accumbens.
      - succumbens, iacens, humistrata, repens.
    - Partium: ex varia namque dispositione partium stirps dicitur.
      - ordinata, aut composita,
      - inordinata aut incomposita.
  - Magnitudinem, totiusque molis rationes, quæ consistunt in
    - Extensione aquantitatis vnde.
      - maiores, proceriores, altiores, longiores,
      - breuiores, crassiores, latiores.
    - & partium minorum vt sunt.
      - frondes, rami, fibræ, & } vnde sunt
        - densiores
        - rariores.
    - intentione, vel numero partium & in particulari. vnde fiunt.
      - magis radicatæ, proditæ, molles, aut magis tenues, &c.
      - pleniores, farctæ, stipatæ, succosæ, pingues.
      - inanes, tabulatæ, cauæ, spongiosæ, arentes.
  - Numerum, seu multitudinem specierum.
    - Vnde frequentiores, rariores, vulgares, minus obseruatæ, magis abstrusæ: quamuis hoc ipsum ad soli natalis obseruationem spectare videatur.
  - Figuram siue faciem.
    - Interiorem quæ est vel
      - lapidea, ossea, lignea, carnea, herbacea, fungosa, varia } vnde fit
        - robusta, valida, firma, imbecillior, laxior, varia
        - Quæ omnia per modos, & qualitates partium componentium in tabella. 24. præcisè magis designantur.
    - Exteriorem
      - totius corporis, quæ erit integra mutila, vel deficiens.
      - Solius exterioris superficiei
        - primo intuitu: inquirendo an sit pulchra, concinna, aut insolens & monstruosa.
        - reflexo intuitu
          - ad alia referendo: vt sit similis magis, aut minus dissimilis.
          - absolutè considerando
            - Linearum speciem, vt Iunci globos, vt tuberum, bulborum & capitatorum multorum, aut pyramides, vt Campanulæ, quæ à figura nomen pyramidalis accepit.
      - vel partium in particulari, de qua in tabula de differentijs partium.
  - Actionem ex qualitate.
    - Nota
      - vniuersim: vt efficax, debilis, similis, aut dissimilis temperiei, aut facultatis, saporis, odoris, &c.
      - vel particulatim
        - Odore
          - nullo vt Gramen Corallium.
          - aliquo
            - grato
              - Suaui, vt Iua Moscheta, Geranium, Ambrosia, Botris, Ageratum.
              - Aromatico Gariophyllus, Nardus, Nux myristica.
            - molesto
              - Graui, vt Allium album, Narcissus, argenteus.
              - Fœtido, vt xytis, Cattaria, Laser fœtidum.
              - Putrido, vt Vulnaria, Dracũculi flores.
        - Sapore, de quo supra.
        - Qualitate, v. g. calore, frigore, & in quibus excessus, gradus, & proportio notari debent.
        - Facultate, v. g. esculenta, deleterica, medicata, & hac vel catartica, aut diuretica, diaphoretica, vel alteranti &c.
    - Oculta
  - Passionem
    - Ab Animalibus Ab Hominibus
      - Eas in cibum, vsurpantibus aut Medicinam, aut ad ignem & alios vsus.
        - indeque resistentes, fortiores, ægrotantes, atque in tabum incidentes
        - & impatientes contactus, vnde nomen accipiunt.
      - vel diuersis agriculturæ operibus eadem exercentibus, præsertim putatione, ablaqueatione, pampinatione insitione &c.
        - vnde satiuæ, spontaneæ, mites, feræ, seu cultum respuentes, Vrbanæ, agrestes, domesticæ, hortenses, syluestres, & varie quoad varium cultum se habentes.
    - Cœlo, & Elemẽtis.
      - Sunt enim aliæ frigoris, brumæ, æstus vel Solis, impatientes, aut variè, meliusq. resistentes, & vel ipsis ignibus inuicta materia, vt Vitruuiana vel pontus Cæsarea Larix de qua suo loco.

Aspectom varium de quo pag. seq.

Diuersæ sũt inter se stirpes, si in earũ Natura latiùs inspicias.

Plura profectò hic physicè obseruare posses, quæ nunc dumtaxat sunt admirationi. Natam in Cerui cornibus Hederam Theophr. Laserpitium Cyrenis posit imb ẽpiceũ. Asparagum è consepultis Arietinis cornibus, e carbonibus Verbenam, alijs Absinthium, & quam multa alia, quæ miouis aut nihil prorsus nota.

Quid in plantis disterminandis, aut Calum possit, aut regio, vel ex hoc sumes; quod eadem planta à se ipsa etiam discordare videatur, sibique dissimilis qualitatibus maximè immutatis, vt Scylla Siculis, Hispanisque acerrima, mitis nobis, Helleborus venenum Hispanis, & medicamentum Italis. Nicotiana Indis calida, Europæis Narcotica.

In plantis diuersus surgendi seu à globo se se protendendi & explicandi spiritus, & primò in herba speciem comparendi viget, nullus fere est subterraneorũ, & hydrognaphalorum, qua nusquam è terra erumpunt: Licheni; ac Lenticulæ debilis; herbis maior, fruticibus vegetior; vniuerso arborũ generi nobilior; maximus autem Cedris, ac Trogloditicis Palmis, imò & Laricibus, abietibus, pinubusque quibusdam, & fagis contingit, vti præcelsæ pyramidali nostri Ianuarij montis. Respondere autem videtur hæc à natura facta emissio, proiectionibus factis ab animalibus; ita vt percutiendi impellendi, saliendi, ascendendi, & se protendendi ad ea, ad qua viribus peruenire nituntur, surgendi similes impetus in plantis quodammodo pares esse videantur: teli enim iactum vix vlla arborum superauerint. Quare Trabs illa Tiberiana, e lance CXX. pedum; Abies illa Aegyptia nauis CXXX. Cedrus Demetrij paris altitudinis subinde celebrantur ab antiquis.

Diuer-

Tab. 18.


Aspectum varium ratione figuræ
quæ vel mutatur
vel persequatur
sua sponte
aut mãgonijs &
pro diuersitate temporis, ætatis, loci, aut seminis
affusis liquoribus, aut stercoratione varia.
in quibus
virtus
roboratur
vnde vnifloræ in multifloras, simplifloræ, in pluriforas, parui fructus, in magnos deueniunt.
debilitatur
vnde triticum in lolium: tulipæ flore albo, in flauum: vitex rectus, per ætatem in curuum, & agrifolij folia in summo angulos amittunt, &c.
materia
abnndat
vt ex simplifloris multiflorę, quod in Anemonibus, tulipis, gariofilis, & alijs notatur.
deficit
Ricimus Theophrasti: Botris, & Trifolij folia senfim dum senescunt, minora fiunt, maluæ, aliarumque caulis, plenus, ætate, fit cauus, aut vacuus. & inanis.
Vitæ in his omnibus ratio, & viuentis, retinentisque connexum habenda; & eorum, quæ diuersè intus, vel extra permouentur, vel ipsa patiuntur,
Diuersæ sũt interse stirpes, si in earum naturas latius inspicias.
Quæ interius, vegetantis sunt virtutis, & vitalis facultatis, ipsiusque functionũ.
In primis vitæ functionibus, quę sequuntur
vitæ modum v.g.
vigorem, & sanitatem, ex varia præsertim radicis infixione, corporisque sicciori, firmioriq. compagine.
quedam extra terram
Quedam enim in terra tantùm viuunt, nonnullæ in natali tantùm, & sunt, quæ translationibus, & aeris, externisque iniurijs magis, magisque resistunt.
Integræ suo cum virore; vt semper viuum, Aloe, Rodia Radix, Bulbi plures, Scylla præsertim, sed Colchicum nobis, vel in ipsa pixide cartaceo inclusum cucullo floruit. Asphodelus in cubiculo cæmentis interceptus à murarijs, germina misit.
Excisę, & exsiccatæ florentes, vt Pulegium à Solstitio; vnde multas per solstitia flores aperientes ipsi obseruauimus, floresque cadentes excepimus.
Langorem, & imbecilitatem, morbosque varios, qui diuersis ex actionum, seu functionum læsione diuersimode contingunt, vnde diuersis sunt obnoxiæ morbis.
vel alimentorum sufceptionem, & appetitum.
Aquæ purioris Adianthum, sordidioris Olera, calidę Ocymum, salsæ vel nitrosę Chrythamum, Kali, Brassicæ, Eruum, Ruta, Beta; contra salsam prata non ferunt, talique ingruente pluuia, (vt in nostra Taumatumbria adnotauimus) exarescunt, Copiosę Oryza, Papyrus; rarioris Caparis, Verbascum: viui platanus, & diuersorum liquorum diuersæ, vt existimare, quàm reperire facilius.
Terris diuersis plantæ diuersæ gaudent, cinere immundo, ficus, Oleæ, fruges cœmentorumque micis solo permixtis, aliquæ calce ipsa, præter ficum nonnullę; humaqueis, (vt summatim dicamus) diuersè subactis, & commixtis: vel etiam stercoratione, vnde letamen dictum.
Ab altilibus succis figuræ quoque rationes haud inepte deduxeris; exiguas, asperas, angulis hispidas stirpes habes exiguo nutrimento: verum à plenioni rotundiores, turgentesque magis, & non obesas aut dulciores, à vario varias; eoq; immutato plurimum diuersas.
Quæ scilicet ad ipsius viuentis statum attinent
vel spectãt ad mores, seu potiùs motus quosdam, respectu.
sui ipsius
quo ad ficum vt
Florentia à summo, medio, vel imo tantum, præsertim spicata, vt triticum, conifera, vt Dipsacus, & à summo Anthemis Plinio; vmbellifera, vt feniculum, Angelica, à medio Marrubium, & Pulegium regale.
Aut variè a summo, medio, & imo, & per totum tyrsum, vt Asphodelus luteus.
Aut etiam successiue, & figillatim, & quandoque alio flore, vt Lilioasphodelus, qui inde Homero kallis, legi videtur.
Intra se etiam germinante occulto flore, vt lappa, quæ adhærescit Plinio, & miro quoque in se modo Apparine.
Adde quod in gemmis etiam, & frondibus proferendis diuersitas inest.
vel aeris, & cæli.
quo ad tempus in quo etiam attendi tur aperturæ, foliorũ & florũ & ad solem cõuersio.
Sunt enim ordinata alia, quæ statis temporibus folia, frondes, flores, semina, seu caules, &c. vel prius folia, & germina proferunt, quam flores, & semina, vel contra.
Alia præpostera, vt nudiflora, quæ florem, vel etiam fœtum omnem foliis præmittunt, vt Tussilago, Crocus, Scylla, Amygdalus.
Alia promiscua dixeris, quæ vtroque modo, vt ficus quædam.
Aperturæ foliorum, & florum diurnæ; quas seruant complures: aperturæ nocturnæ, vt Lazura, Peruana, Mirabil; Arbor tristis si flores respicias.
Contractionis diurnæ Caltha, Trifolium si flores respicias, qui noctu aperiuntur nocturnæ si folia respicias.
Ad solem conuertuntur heliotropia omnia inde dicta, mirabiliter verò tota die, Phaseolus ille Indicus, & vulgatior Lupinus, ad solem singulis successiue horis circumagitur.
Organorum contextus, & quæ intus obediant diuersa, aut digerantur agnoscimus.
ortum
citum Vt tertio à satione die Ocymum, inde forte dictum, 4. Anetum, sexto æstate, 10. Beta: bruma octauo Atriplex, & io rursum Brassicæ, xx. Porrum 40. Apium.
tardum Anno vix Pæonia, Mandragora, post annum Lotos, Agilops Plinij.
germinationé.
celerem Vt Amigdalus, & in maritimis omnia præcocia,
tardam Vt Morus, nux iuglans solstitialis, & in montibus omnia serotina.
aliquotam Vt semel, vereque bis, Medica malus, ter ternis gemmis Pinus Abies Robur, Februario, Martio, Aprili medio.
Indeterminatam Seu incertis vicibus, aut sæpius, Sampsucus, Beta, tota æstate, & vere continuata opera, & aliæ plures. Aegyptijs perpetua gemmatio, si cuti, & vere alibi.
vel curte vitæ conditionibus præfinitis
penes
natura
cultu
incrementum
citius, Vt Salix, Populus, Malus, Perfica, Cucurbita, flos solis.
tardius Vt Pinus, Robur, Buxus, Palma.
casum foliorum fructuum florum
Celerius moro, serius amigdalo.
Punicæ ficui folia ante fructos cadunt sicuti & vitibus, &c.
Pruno, fructus cadunt ante folia.
durationem
totius plantæ vnde
perennes
Longæuæ, vt Palma, Quercus, anno sæ inde dictæ, Pinus, Buxus, cupressus, & Resiniferæ, Iuniperus quæ temperati caloris &c.
Paucorum annorum, Rosa Abrotanus, Malus persica, quæ diligenti cultu ad trigesimum etiam annum perducitur, quamuis citra decimum perire soleat.
& paucorum annorum, seu fugaces.
Fico, seu malis præcocibus, dulcibus, aut fertilioribus vitibus breuissima vita Plinio.
Aliæ sunt aliquot horarum, vt Koniphytum nostrum dierum aliquot, & ephemeræ vt fungi.
Vnius mensis, Ophioglossum, Rosella, Linaria, Botrytis aliquot mensium radix cana Orchis, trimæ, aut quadrimæ, leucoium, Bimæ, Caltha, Braffica, Beta, Apium Annuæ, legumina saturaria, Botrys, Ocimum, Cucurbita.
diuersorum membrorum.
radicis
perennis
Olea, Palma, Laurus, Cupressus, Ilex, Myrtus, vnius duorum, vel paucorum annorum, vt quæ intereunt altero anno dato semine, sicut viola Bolbo, nax limonium elegans Rauolfij, & aliæ.
fugacis seu pereuntis
Plures enim singulis annis, & interdum aliquot mensibus radicem amittunt, vt Bulbonaca, limonim, &c.
frondis
Sempiternæ, vt Olea, Palma, Laurus, Cupressus, Ilex Myrtus annuatim deciduæ, vt Pirus, Prunus, Morus, genista, &c.
Mixtæ, Media Arbutus, cuius cacumen viret, inferiora hiemæ arescunt.
Sed patria in his omnibus Cæli, inquam ratio præter illa quæ ab interna sunt inquirenda.

Tab. 18.

Diuersæ sunt etiam inter se stirpes ratione virtutis genitalis, quæ vt plurimùm vnius generis diuersas constituit species: & in hac discutiuntur.

- Fœcunditas ratione
  - fœminis, manifesti / incogniti
  - radicis, caulis, surculi, germinis, gemmæ, foliorum, gummi, fructus, quorum omnium generandi facultas consideratur vel vniuersim
    - nulla: Sunt enim steriles, tum speciei, tum individui vitio, & inde castratæ, & eunuchæ dictæ, sed de individuis, quæ intra certa genera reperiuntur, alia est ratio; quæ non prouenit a facultate interna, dum sterilescunt, sed à contrarijs extrinsecis: cæterum, neutrigenas alij nuncupant *fungos*, *tubera*, imò *adiantum*: ob defectum facultatis generatricis.
    - inefficax: Nonullæ namque moliuntur semen, sed non perficiunt, mulorum similitudine, vt *hypocistis*, aliæ aliquid semini respondens producunt, vt *Phlitis lanugo*, & quæ in *polipodio*, & similibus.
    - fœcunda
      - semine
        - simplici: siue solo semine perfecto, vt fit in *sementigenis*,
        - multiplici: superius v.g. & ad radicem succrescere, vt in *amphicarpis*
      - productione
        - simplici: naturali, spontanea, sementica, insitione, transplantatione, &c. ex quibus oriuntur: natiuæ, aduenæ, putrigenæ, imbrigenæ, opagenæ, &c.
        - multiplici, Per radicis in se multiplicationem nascente sobole ad coniuncta germina multigermina, præsertim ex multoculis, multiglobis & geniculatis radicibus.
        - Et per radicis ad alia membra additionem, aut eadem succrescente ex ramis aulsis, quod fit
          - communicatione: Ramis insitione coniunctis, terræ implantatis, viuiradice, vt fit in sarmentis & multiplantis irradicatis, vel ab alto in terram missis, vt *morum*.
          - vel aggeratione: Folijs sponte, vel arte implantatis, vt *Opuntia*, *Tune*.
        - incerta: Seu cum toto plantæ corpore varie consita multitudine quod in omnibus plantiferis euenit.
    - vel particulatim in partibus, maximè flore, ac semine, in quibus
      - Ratione vnius aut alterius vigor generandi nullus, v.g.
        - in flore: vt sunt *Aflora*, & tristes, vt *Iuniperus*, *philix*, &c.
        - in semine: vt aspermates, & *castratæ*, quales sunt *salices*, multis.
      - In alijs ex vtraq; parte maximè vegetus est, vt notare est in semnifloris (quas vocant) æquiparis, seu æquifœtis vnius iunctim floris, & feminis.
      - In alijs ex vna parte vegetior notatur, proportione
        - aliquota, & certo excessu
          - vtrinq;
            - Floris vnius, aut plurium ad vnum semen, vel plura.
            - Seminis vnius aut plurium ad vnum vel plures flores, vt *tetraspermata*.
          - vel ab vna tantùm parte v.g.
            - Flore, vt *Blitalcis*, *Solanum* quã Amaranthum Mexicanam dicunt: duos enim ad vnam baccam flores emittit.
            - Semine, vt *Castaneæ Fagi Triplex*.
        - aliquãta, & incerto excessu. Vtrinque sed maior numerus floris, aut seminis discernendus, vt in planta, seu *Plantagine*, lanuginosi floris, aut cucullati, & multiseminis vtriculi, controuerti potest numerus aut maioris alterutrius partis: v.g. floris ad vnum semen, vt *Amentifera*, & quæ Iulum, & cyathum emittunt, &c.

Quis porro inter plantas nobilior quàm Palmæ sexus. In quo, si per vicissim, communicatio quædam spiritus, si amicus contactus, porrectis adinuicem brachijs; imò si allatus ab alterius radicibus pulsus; si propinquus aspectus; si denique cultoris adhibita ad vtramque amasiam arborem contractus coincidant. Subito hilaritatem toto corpore produnt, & fœcunditatem concipiunt; Inde miratur Marcellinus; cum stupore rem narrat Plinius, & extollit Pontanus prolantque & confirmant Galenus, & Guilandus: dum in plantis, idem quod in animalibus proprium est, natura deregit. De quo in Ecyd. phyto plenius

- Pariendi ratio diuersa
  - tempore
    - singularis fœturæ: quædam enim semel tantùm in vita pariunt, vt *Flos Solis*, *Musa Platana*, *Mexicana Metl*, &c.
    - aut frequentioris partus, qui accidit
      - rarius
        - determinatis spatijs
          - Semestri, vt *Medica Malus Ficus*, *Arbutus*: annuo, *Malus*, *Poma*, *Persica*, *Nux* plurium annorum, *Palma*, *Aloë*.
        - Indeterminatis temporibus pro Cœli, Solique constitutione.
      - alternis annis: Sunt enim alternis feraciores, *Malus*, Pirum, fagus, & quouis septennio, olea, tum quæ bissextili conferuntur.
      - sæpius: Spatijs menstruis, vt *Calendula*, Chamepytis, & quater: anno, *Sicomorus*, & ter *Pinus*, ac *Vitis insana*, toto vero anno succedit, *Aphaca*, aliæque varijs temporum spatijs.
  - modo: In quo culturæ, æris multa consideratio, vnde omnimestres rosæ, & quadriferæ vites, multæque stirpes biferæ, at plures, quæ mitiori autumno decerptæ virent: itemque Aurantia, & congeneres, quæ cum acerbis, præmaturos fructus, & flores super eodem ramusculo produnt; & quæ annis bissextilibus consitæ, annis alternis semper feraciores.
- Prolis sexus
  - masculinus
  - fœmininus

  Nam quamuis ab vnico stirpis corpore, tamquam matrice, tamen diuersi sexus plantas producimus: vt *Mercurialis*, & *Cannabis*, quarum mares fructum sine flore, fœminæ florem sine fructu, aut semiue producunt: & de *Rape*, & *Napi* semine eodem masculinas, & fœmininas nasci tradunt authores, & experientia commonstrat; secundùm quòd densiùs, aut parciùs, seminantur.

Præter plantas prædictas, quæ in nascendo, & producendo semine sexum quemdam induunt, multæ sunt, quæ maris, & fœminæ distinctas voces audire solent apud Phytographos, vt Pæonia, Abrotanum, &c. traductum etiam est hoc ad fungorum genus, & quod magis ridendum, in Agarici recensionibus: in spongino quoque Zoophytorum. Et lachrimis ipsis masculæ thura connumerantur à Virgilio. Et hoc scitu dignum maritas populos complexas vites, & vlmos quoque, quod in agro nostro Aquaspartano frequens. Sed nisi ad virium præstantiam, analogiâ quadam masculos huiusmodi titulos retuleris inepte censeas: namque à surgendi virtute vinearum masculeta profert Plinius, & densiore spiritu accedente, aut magis vegeto masculescere semper dici possunt.

Etiamsi quibus capitibus plantæ inter se conueniunt, iisdem etiam à se inuicem differre censantur; dum vnum, vel plura in vna plantarum defuerint; vt prope cacozeliam sapiat, eorumdem principiorum tot diuersa schemata descripsisse; Intellectum tamen est nobis de mente eruditissimi Principis fuisse, per diuersos calles ad plenissimam plantarum notitiam deducere studiosos phytomitas: nam quis eadem semper sapiat: ideo sine affectionis studio de conuenientia, & differentia plantarum præsentes attexuisse credendus est tabulas; quæ compendiosa licet methodo, vtili tamen studiosis exarauit, Lector boni consule.

Tab. 19.

In Phytonomiæ certitudinem præscriptæ copulationis nominis scilicet & rei obfirmatio.

In vocibus quidem, & litteris, in libris, notisq; omnibus defectus quidã, aut mutationes edacis præsertim iniuria temporis, vel scribentium, ac pingentium, aut ineptè dicẽtium incuria cõtingere solẽt, qui nos in controuersiã deducant, & laxata copula studiosos in dubio relinquant: succurrendum, propterea sedula pensitatione, & discussione, vt verũ plantis nomen reddi possit: quod si spurium fuerit, vel dubium, & minus cognitum.

- Restituatur
  - Si aut præ antiquitate, illius memoria perierit, aut simile nunquam planta ipsa obtinuerit: aut certè si videatur ineptum. varium, male innouatũ, corruptum. dubium, & incertum: Ex quibus dubia nobis resultet plantæ cognitio.
    - querendum de stirpis nomine, seu vocabulo; an sit.
      - Receptũ & vsitatum
        - Apud vulgus, maxime in loco natali plantæ ipsius.
        - Vel apud antiquiores, aut eruditiores, qui de plantis differere consueuerunt.
      - scriptum in
        - Aliquo antiquo codice, sua cum planta viuis depicta coloribus.
        - Probatæ fidei, & authentico libro, adhibita pariter plantæ figura.
        - Aut in diuersis, loquente quasi natura proditum, quod in vocibus consilio, & ratione impositis contingere sæpius solet: quod in Ammy, phytologis multis obscurissimo, manifestum est.
      - designatum diuersis descriptionibus
        - expressiori, & velut historica: iunctis.
          - Figura, cum notis existentibus, & comparentibus simpliciter expressis.
          - Habitudine, compositione, ac relatione similitudinis pariter cõspicua, & detecta.
          - Numero, si eadem numero apud omnes cognoscatur planta, & si cum alijs speciebus conueniat.
          - Patria, vbi aut plures, & frequentiores, & efficaciores esse solent.
          - Viribus, ac vsu, si facto scilicet periculo, ad amussim respondere sibi inuicem in his videantur, ac si vsus idem vigeat continuò.
        - obscuriori, ac stirpibus nõ correspõdentibus quia
          - Vel deficiunt attributæ notæ, pluribus paucioribus, aut diuersimode ijsdem, comparentibus.
          - Vel notæ aliæ existere videntur, in descriptione numquam expressæ, præsertim si euidentes, sigulares, aut notatu dignæ fuerint.
          - Vel non conueniunt generibus, quibus ascribuntur, vt si diuersa, plura, aut pauciora sint genera.
          - Vel patria non conuenit: quòd ibi non reperiantur.
          - Vel ibi rariores sint, & alibi frequentiores.
          - Aut vires, facultatesque assignatæ non iustificantur, & aliæ se produnt obseruatione dignæ: aut interdum contrariæ, aut saltem vix diuersæ in medica praxi: seu dogmatica, seu methodica, aut empyrica reperiuntur.
        - vel insufficienti, & minùs verificata, quod fit.
          - Codicis, & contextus ipsius deprauatione, ac mendis, confusione, mutilatione, dubio, &c.
          - Verbis minùs proprijs, seu etiam ambiguis.
          - Si pars vna pro alijs, aut alià intelligi possit, vt in Delphinij similitudine, alij enim in folijs florem, alij in flore folia intelligunt.
          - Si nullæ notæ positæ sint, quòd forte describentium tempore essent vulgatissimæ.
          - Si magis communes, indeque ancipites, vel paucæ, aut præcipuæ tantùm, quæ non sufficere ad vberiorem declarationem videantur.
          - Comparationibus quoque minus aptis.
          - Patria, & loco non adnotatis.
          - Viribus, aut vsu non expressis.
  - Phytologis ducentibus nos plerumq; à stirpibus pictis ad viuas.
    - Vnde vtrinque innotescet vt & facile intelligetur, ad vsum pariter chartis, & Hortis iuuant stirpes, & perennent Flores in studijs, vt studia in Floribus.
  - Natura ducentenos à stirpibus pictis ad veras, & viuas.
- cõfirmetur, ne quid supersit dubij.
  - mediante rei ipsius, siue subiecti.
    - Si nondum bene prorsus exploratum, vt adeo pluribus applicari possit,
      - demonstratione
        - Pleniori, in viuentibus stirpibus obseruatione, & planta fusiùs, & accuratiùs delineata.
      - comprobatione
        - Viribus, vsuque plantarum diligentia summa obseruato, nec solis pharmacopeis, olitoribus, aut risotomis relicto, quod multi medicorũ factitare solent.
    - Aut etiam viua, & constanti traditione ad nos translatum perseueret.
      - traditionibus celebrioribus.
        - Absolutissimis in posteritatis beneficium requisitis authographis, compilatis libris, & commentarijs editis, quibus singula, vel minutissima adnotentur: quod & assequi erit facilius singulatim miroscopio nostro adhibito, quod in pluribus nos etiam exequuti sumus.

Si abludere quandoque litterulis nomina videantur, alijs, atq; alijs accitis testibus reducenda, & considerandа, quam facile ineruditorum dentibus, tam multis permolentibus sæculis quasi carie arrodantur.

Condonandum nonnihil Pictoribus est, itidem sculptoribus, & cælatoribus, plus autem illis, qui ligno stirpium effigies, & qui crassiori arborũ materiæ flosculorum speciem inducere conantur, vt id, quod in corporis acumina crassitudinem distendit, omnem faciem elegantiorem, & subtiliores in ea lituras referre debeat.

Conferendi omnes præsertim contemporanei, aut deinceps transcribentes Phytologi, emaculandi, expurgandi, restituendi contextus.

Si facies quandoque, & inde petita signa, ac similitudines; si in actum redactæ vires, aut contradicere, aut ægre, & non omni ex parte respondere videantur, examinanda singula sunt, quæ stirpibus superueniant, aut promouendis, aut perturbandis.

Comprobantium verò semper præcipuarum notarum ac similitudinum ratio habenda, & quæ collecta in omnium choro magis consonare ac splendere solent, præstantioribus, beneq; examinatis, & castigatis codicibus confirmantibus.

Aduertendum quam multum in plantis immutandis valeant.

Cæli
Soli } Varietates,
quibus annorum constitutionibus
aëris impressionibus,
diuersis substratis materijs,
altilibusq. succis
contrarijs, alienis, insuetis
nutriantur, adolescant.
cultus diuersæ rationes
si necessaria, aut congruens
non habetur, aut mutatur.
diuersaq. alia, atque alia adhibetur.
soli facies, ac situs.
quoquo modo vertatur.
Animalium præterea stirpibus vescentium.
maternamq. ipsarum aluum
stercorantium, euertentiũ iniuriæ diuersæ.
Plantarum { ætates { primæ
morbi { Mediæ
corruptelæ { vltimæq. senectutes.

EX PHYTONYMIA.

Quæ inde contingere, quandoque possunt, & naturæ subducuntur additiones, vel demuntur partes, variumque habitum, & numerum constituunt, ne impedimentum vllum nobis afferant, quin easdem stirpes suis non reddamus nominibus, nominaque Plantis, aut ad aliena, & illegitima coniugia quandoque impellant, summopere aciem aduertere debemus, ac dispicere. Quid inter cætera valeat ætas, vel ceratonia ostendat dum iunior à seniore adeo diuersos profert flores, vt eiusdem plantæ non facile æstimaturus sis.

Genera plura esse possunt, & alia, atque alia inueniri, nonnulla tamen, vt in præcedenti innuimus, prorsus amitti diuersis in locis, vt pauciora remaneant.

Et Patriæ plures, & scriptoribus ignotæ esse possunt, eademq; stirpes pluribus prouenire locis, vt Styrax in Syria, & in Latio in nostro Cælio, quandoq; & Patriam penitus deseruerunt, vt Cyrenas Laserpitium, vt diximus.

Nouas in dies nobis facultates innotescere in plantis, nil mirum, additis semper experimentis ex Chymica noua aperta, eaq; fæcundissima officina. Antiquitus porrò detectas, pluribus labefieri, aboleri quoq; possunt, forsan deficiente natura, quæ vt effœtos homines, ita imbeciliores herbas proferre dicatur, vt de Betonica indicatum, plurimum verò semper retulerit, vt in præstantissimo genere herbæ propositæ sumatur experimentum.

Respuendos nullos esse libros credas, nec vlla quæ inscribuntur folia fructu carere, quisi in singulis perutili succo non pariter turget, numquam tamen exsuccum prorsus comperias: sic vt ociari, legendo te credas. Antiquos, nuperosque Phytographos sæpe consule, plantas herbaceis in folijs require dum nec in montibus licet, nec in mari, siquidem & saxa, & æquora, & syluas & hortos in pagellis constrictos habes. Latent in Bibliothecarum angulis codices, in quibus antiqua vestigia plantarum recolere possis, nec rudem spernas faciem si quam lucem afferat in caligine vetustatis. Cæsareus innotuit Dodoneo Riolantius non vnus latitat in Carbonariæ Neapolis Cœnobio non obscurus, Arabes plures apud serenissimos Mediceos, sed & Arabicus cum pictis iconibus Græcis haud relictis nominibus in Escuriali apud Catholicum Regem insignem nunciant, scilicet adeundi non rarò Arabes, & Chaldæi, apud quos Botanica sopita, iam apud Latinos extincta, apud Græcos per multa sæcula diuertit. In Vaticani thesauri carie expiscari, nobis aliquid in antiquis restituendis licuit, vt in ipsa syntaxi inferius indicatur.

Criticam in Botanicis virgam meo quidem consilio ne sumpseris vnquam, quamuis hypercritico acumine polleas, nisi Columna, & Marantha porrexerint, exemplo ille, hic regulis, gnauus ille antiquarum, & vocum, & rationum, æstimator, & censor, hic ad examen, & methodum quæcumq; perpendenda reducens; & serio antiquis in contextibus præsertim Botanicorum magistri Dioscoridis animaduertentes ambo, Phytonomiæ ambo Anatomen prosequuti videntur; sed & Columna præter libros in stirpibus, etiam ipsis inueniendis, & anatomice inspiciendis egregiam præstitit, & præstat operam.

Vt nomen Plantæ iunctum
Synonymorum placida cohorte
comitatum
Aequiuocis longe reiectis,
Homonymis distinctis
Tricis controuersiarum excussis
Ex opinionum cumulis quibusuis
Erutum
Explicitum,
Vt nominandi, ostendendi, indigitandi
pura, absoluta
Præditum
Inhærens
Persistat indelebile;
Et clauis loco quæcumque de plantis
litteris consignantur, & vocibus
nobis adaperiat.

Tab. 20.

Phitoiatria, siue vsus plantarum in medicina, qui duabus in regulis totus continetur, scilicet,

- vniuersali quæ stirpium delectum habet ratione
  - Loci v. g. Regionis, plagæ, tractus, agri, &c. imò & cultus diuersi, aut etiam terræ qualitatum, aqueæ, arentis, &c.
  - Temporis v. g. autumni, hiemis, veris, æstatis, solstitiorum, æquinoctiorum, quibus partium, vel ipsarum stirpium, aliæ sunt vegetiores, aliæ minùs vtiles, aut efficaces.
  - Vitæ ipsarum plantarum; dum enim senescunt aliæ, vires amittunt, aliæ augent. Et hic signanda tempora colligendarum, exsiccandarum, & ad vsum seruandarum.
- peculiari quæ consistit in vsu ad quem spectat.
  - Electio, quæ est versatorum in arte propria cognitio,
  - Præparatio, quæ est officinarum singularis pragmatica,
  - Simplicitas, aut cum alijs tam stirpibus, quàm medicamentis commixtio,
  - Modus interior, & exterior, qua dosi, quando, quoties, & quamdiu ad vsum sanitatis sumi debeat.
  - Affecti corporis commotiones, & circa illud non naturalia, (vt vocant) habita, ratione loci, temporis, ætatis, consuetudinis, victus, &c.
  - Membrorum affectiones, morbi status, quantitas, qualitas, & accessus diuersi.

Nè verò quispiam minùs sollicitus, tam in euoluendis Auctorum paginis, quàm perlustrando fœcundantis vbiq; naturæ per terras, & maritima propatulo volumine in lapsum coincidat; imprimis iudicio perquam diligenti, compositis interse totidem scribentium sententijs, textus ex alijs, atque alijs pariter scribentibus restituendi erunt; vti ex Athenæo, & Plinio Theophrasteus: examinanda dehinc verba, conferendæ partium rationes, & discutiendæ; nulla verò autorum spernenda consilia, vel animaduersiones, quorum diligentia veritas se propalat. Quin à patrio stirpium senatu, & interdum vernaculo vulgi idiomate, aut vicino petenda nominum, vel cognominum indicia ex quibus plantarum natura plurimùm se prodit. Stirpium quoque descriptiones cribrandæ: ne similitudinis specie, vel analogiæ vitio nos decipiant. Cæterum in naturæ libro, si forte consueta desint, aut langueant, aut pauciora compareant: tum præcipuorum habenda est ratio: cæterorum diligens examen faciendum, quod vel ab ipsa stirpis natura, vel ab alijs eiusdem speciei, aut generis plantis argumentum ducat: aut denique iuxta medicam methodum, & dogmata singularum iustificandæ facultates; ex quibus dubij quidquam nihil vnquam superst. Atq; hæc ad præcedentia, pro appendice appendenda.

Demum Phytonomia pene omnis consistit in exercitijs,

- Phytopticis, vbi
SPecies est Vulpis peregrinæ, nostrati similis forma, atque magnitudine quæque tres dodrantes vix superet, nigro, candidoque vestita pilo, sed quibusdam in partibus fuluo, similibus quoque moribus, & proxima versutia. Alitur Cohortalibus, & alijs imbecillibus animalibus, quibus tendit insidias, atrociter mordet, incolit foueas, inde nomen, & in Terræ cauitatibus occultata educat sobolem; cumque aliter non datur hominum vitare manus simulat se mortuam., quin apud has Gentes in cibi iam diu venit vsum; quamuis crepitus ventris sit illi fœtidissimus, Ocuitucensibus versatur agris, vbi illam curauimus depingendam. Est & altera species; quam Tepemaxtlam vocant, eadem penè forma, & natura, sed nulla in parte fulua, & cauda nigris, albisque fascijs transuersim discurrentibus varia, quæ prouenit quoque apud Ocuitucenses.

De Quauhpecotli, seu Mele Montano. Cap.XVII.

ANimal est duos plus minus dodrantes longum, rostro prolixo, tenuì, ac versus superna contorto, prolixa item cauda, pilo longo circa aluum cãdente, ac per cætera fusco, aut atro, candentique, sed circa dorsum nigriore, atris pedibus, & incuruis vnguibus, miteſcit facile, vorax est, nullisque parcit oblatis escis, nec tamen editur eius caro: placidum est animal, ac mille modis blandiens, ac ludens, noxium tamen ignotis, Melis videtur genus, atque ita Texon vocari consueuit ab Hispanis Indigenis. Accepi à viris fide dignis, & qui apud hosce agros diutissimè sunt versati alia insuper reperiri genera duo, quorum alterum sit nostras Melis, quæ tamen adhuc non sunt ad me delata. Viuit in regionibus calidis, verum alitur domi etiam in temperatis, & frigidis.

De Yzquiepatl, seu Vulpecula quæ Maizium torrefactum æmulatur colore. Cap.XVIII.

Habetur supra volumine 1. *lib.*9. *cap.*20. *fol.*332.

De Cercopithecis. Cap XIX.

Habetur supra volumine 1. *lib* 9. *cap.*7. *fol.*318.

De quibusdam Canum peregrinis generibus. Cap. XX.

*de vno supra. Io.Fabr. fol.*466.

PRæter Canes notos nostro Orbi, qui omnes penè ab Hispanis translati, ab Indis in his plagis hodie educantur; tria alia offendas genera, quorum primum antequam huc me conferrem vidi in patria, cæteros verò neque conspexeram, neque adhuc eo delatos puto. Naturà omnes atque moribus, nostris similes sunt, nec forma admodum differentes. Primus Xoloytzcuintli vocatus

alios

alios corporis vincit magnitudine, quæ tres plerumq; excedit cubitos, sed habet peculiare nullis pilis tegi, verum molli tantum, ac depili cute, fuluo atque Cyaneo colore maculata. Secundus Melitensibus canibus similis est, candido, nigro, ac fuluo colore varius, sed giberosus, gratusque iucunda quadam deformitate, ac capite velut ab humeris edito, quem Michuacanensem abora, vnde est oriundus vocare solent. Tertius verò nuncupatus Techichi, Catulis similis est nostratibus, Indis edulis, tristi aspectu, ac cætera vulgaribus similis. Atque hæc de canibus Nouæ Hispaniæ breuiter dicta sunto.

De Tepeytzcuitli, seu Cane Montano. Cap. XXI.

ANimal est Canis parui magnitudine, audacissimumque, aggreditur enim Ceruos, & quandoque etiam interficit. Corpus vniuersum nigrum est, sed caput, pectus, ac collum candens, pili longi, & cauda longa, & caninum quoque caput, vnde nomen: vescitur Vitellis ouorum, & pane ex aqua calenti resoluto, si quando contingat cicurari.

De Macame, seu Ceruis. Cap. XXII.

Habetur supra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 14. *fol.* 324.

De Cuetlachtli, seu Lupo Indico. Cap XXIII.

de quo etiam supra Io. Fab. fol. 479. *Sub nomine* Xoloitzcuintli.

FOrma, colore, moribus, & mole corporis Lupo nostrati similis est, atque adeo eius (vt mihi quidem videtur) speciei, sed ampliori capite. Tauros verò sicut & nostras Lupus aggreditur, & interdum etiam homines: reperiuntur nonnulli candentes quorum etiam exhibemus imaginem: Viuit in calidis nouæ Hispaniæ locis.

De Tucan, seu Talparum Indicarum quodam genere. Cap. XXIV.

TAlpæ (vt videtur) species est, dodrantem æquans longitudine, & latitudine humerum humanum, carnosa pinguisque, atque adeò breuibus cruribus insistens, vt ventre penè terrā attingat, fuluo pilo, breui cauda vncibus vnguibus, longisquè, rostro murino, paruis, & orbicularibus auriculis, binisque superna parte, totidemque inferna primoribus, longis exertis, & incuruis non sine alijs, qui licèt longe minores, sunt tamen firmissimi, edulis est caro pinguis, ac iucundo gustu, sed stuporem incutit dentibus rodentium ossa, hebeti est visu, ac sub lucem prorsus nullo, subterraneis cauitatibus viuit, atque adeò numerosis terram cuniculis terebrat vt non sit tutum qua parte latet Viatores agere iter. Cum antro egredi contingit, repetere illud nescit, atque ita alterum de nouo excauat quo se condat, vescitur omni radicum genere, & quibusque Tlaolli partibus, nec parcit phaseolis, alijsuè seminibus, quæ in cibos

annuos

annuos suis latibulis seruat, ac vbi opus sit, deuoranda reponit. Est & aliud apud Nouam Hispaniam Talparũ genus, & eo quod luminis prorsus sit expers, permultæ Murium differentiæ nostræ Genti prorsus ignotæ, quas modo ob temporis angustiam prætermissas per maius fortassis otium aliquando prodemus.

De Coyametl, seu Quauhcoyametl. Cap. XXV.

de quo etiam supra Io. Fab. fol. 637.

COyametl quem alij Quauhcoyametl quoniam est montanus, alij Quauhtlacoyametl, alij vero Quapicotl vocant, apro nostrati videtur similis, sed longe minor est, & vmbilico (ita enim vocatur ab indigenis) circa dorsum mirabilis, in quo se recipit humor quidam aqueus, qui digitis expressus fluit, nec tamen is verus est vmbilicus, aut subest quicquam ab eo quod in alijs animalibus reperiri solet diuersum: quod eo dissecto cognouimus, aliudue quam glanduloſa quædam, & mollis pinguedo; ferus est, ac truculento cum primum capitur morsu, sed cum circuratur placidus est, & amicus domesticis, habeturque in delicijs; caro est similis suillæ, aprinæue, sed durior, atque insuauior, setæ sunt asperæ, albo ac nigro promiscuè variatæ colore. Vescitur glandibus, radicibusque, & alijs montanis fructibus, necnon vermiculis, lumbricis, atque alijs eiusdem generis animalibus, quæ lacustribus humidisue, & vliginosis nascuntur locis. Deuastant etiam sata, cum ab eis non arcentur, gregatim ambulant, & redditi mites aluntur quibuscumque esculentis domestici vesci solent, verum digiti pedum manuumque variant, siquidem alij productiores sunt, alij breuiores.

De Quauhtechallotl. Cap. XXVI.

de quo supra Io. Fab. fol. 582.

QVinque sunt Sciurorum præter veteri Orbi notos differentiæ quos Indi Quauhtechallotl iltic nuncupant aut Tlilocotequillin cognomine sumpto à corporis, & caudæ colore, nempe nigro, & à pinubus quos colunt vescuntur pomis quę ex arboribus decerpunt, in earundẽ cauitatibus reconditis seruatisque in hyemmales alimonias, vbi & sobolem educant, & nihil nõ abrodunt; versuti sunt, passerum voces sonant, & caudam qua se totos operiunt, lanigeram gestant, mitescunt facili opera, & quibusuis aluntur nutrimentis, dum comedunt posterioribus insistunt pedibus, orique cibos admouent prioribus, attollentes maiorem ex parte caudam ac corpus eadem nisi in cursu tegentes, tunc enim protendunt illam, eiusdemque irati pilos erigunt, adiunguntur eorum pelles internis vestium partibus caloris conciliandi, atque ornamẽti gratia, fugata ad eum modum deformitate, & hyemmalis rigoris sæuitia. Secundus Quauhtecallotl quapachtli, aut Coztiocotequallin à luteo alui colore dictus, in duplam ferè crescit magnitudinem, alboque, nigro, & fusco colore promiscuè tegitur, si ventrem excipias qui pallens est, aut fulus quemadmodum

dum attigimus, & caudam gerit prælongam, piloſamque qua ſe interdum operit; Viuit in terræ foraminibus, & antris incluſus, in quibus quoque educat prolem: veſcitur indico frumento, quod raptum ab Aruis in hyemem recondit. Verſutus eſt velut & reliqui, nec vnquam cicuratur, aut congenitam deponit feritatem. Tertius Techallotl dictus, caudam ferè depilem geſtat, ac breuiorem, nec dodrantem vincit longitudine, non cicuratur, ſed perpetuò mordet atrociter, & corrodit oblata omnia, fuſco, & candenti colore promiſcuè tingitur, & poſterioribus quoque innixus pedibus oblatam edit alimoniam, ſed præcipuè maizij ſpicas apprehenſas anterioribus; oculi ſunt magni ſi illos cum cæteris partibus conferas, viuit in antris, quæ vnguibus facile excauat, conſternitque lana, goſſipioue, & quouis alio molli ſtramento, ac Paſſeres voce imitatur. Quartus Tlalmototli dictus ſpitamæus eſt, caputque, & oculos habet pro corporis amplitudine maxima, caudam vero longam, piloſamque & lineis albis, fuſcis, ac nigris interſtinctam, qua ſe eodem quo alij modo tegit. Color totius corporis varius eſt, & quandoque inclinans in fuluum, cætera præcedentibus ſimilis. Quintus dictus Quimichpatlan ſeu Mus volans, fuſco pilo, nigroque promiſcuè tegitur, qui propè brachia & crura eſt prolixior, ac paruarum alarum forma, cuius gratia tanta celeritate in has, & illas arbores ſeſe vibrat vt dicatur volare, eſt autem cæteris minor, paruo, & murino capite, magnis auriculis, nec alia, quàm cæteræ horum animalium differentiæ vtitur alimonia, caudam eius vſtam, ac redactam in puluerem deuoratamquè, aiunt parturientes iuuare. Eſt & aliud genus Iztactechalotl vocatum, cæteris forma ſimile, prolixitatèque, & lanugmoſa cauda, capite, tamen, collo, & clunibus deſuper fuluis, cauda per alterna intetualla cyanea, ſubalbidàque, ſed fulnis diſtincta lineis, cætero corpore ſubalbido, vnde nomen, ac *pilis cæruleis* vario.

De Quauhtentzo. Cap. XXVII.

GEnus eſt Sylueſtris Muſtellæ prælongæ caudæ, fuſci pili molliſſimiquè, & punctis nigris diſtincti, mitiſſimum animal Vulpeculæ ſimile, & quod accedit etiam ad cognitos & domeſticos, parantur è pelle eius veſtes magno habitæ in pretio, tum ornamenti gratia, tum etiam arcendi frigoris moleſtias, manus ac pedes ſunt Quauhpecotli, alitur platanis, & alijs fructibus, ac vitam agit in regionibus calidis Xonotle, vnde miſſum eſt id animal, ſed Pictorum incuria perijt eius imago, aut fortaſſis cuiuſpiam minus honeſti Viri rapina.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE BORDEAUX

De Tepe Maxtlaton. Cap. XXVIII.

GEnus eſt Felis ſylueſtris, Muſtellæue, nam & æluro par fere eſt magnitudine, piliſque veſtitum nigris, & promiſcuè candentibus, puluis eius dicitur febrientibus conferre, roſtrum eſt longum, auriculæ paruæ, breuia crura, & cauda eiſdem traſuerſis faſcijs, nigris, candidiſque, quibus Tepemaxtla Ocoitucenſis, cuius videtur ſpecies variare.

De Coyopollin. Cap. XXIX.

ANimal est paruum, muris mediocris magnitudine, aut paulò maius: cauda vero auriculis & rostro Tlacuatzin simile; nam cauda etiam pro manibus vtitur, & natus matrem in metu tenet amplexam, cauda est crassior murina, firmiorque, venter ex albo pallescit, auriculæ sunt translucidæ, pedesque & crura candida. Educat in arboribus sobolẽ, possetq; in genera Tlacuatzin referri, ni alicui potius arrideat magis pertinere ad mures, aut esse sui generis animal. Viuit in montibus Tepeztlanicis vbi inuentus est delineatus atque descriptus.

De Tauris, Vacciſque Quiuiræ Regionis. Cap. XXX.

de vno supra Io. Fabr. fol. 587.

CVm Hispani in eas penetrauere Regiones, inter alia miranda dictu, offenderunt Armenta Taurorum syluestrium, modico humilique corpore, dorso incuruuo, & frequentibus iubis, laciniisue longius propendentibus, ac fuluo totius corporis colore, & carne, nec sapore aut salubritate nostratium Vaccarum carni cedente, qua cruda Incolæ vescuntur epotato sanguine, & pellibus aduersus frigora corpore munito. Audio Vaccam vnam ex his delatam ad Philippum Maximum, & vltra flumen quod habet nomen Aconchis, Hominũ quoq; genus incuruum reperiri, quod tamen adhuc nõ satis habeo perspectum.

De Ytzcumtepotzotli seu Canibus Gibbis. Cap XXXI.

de vno supra. Io. Fab. fol. 466. Sub nomine Ytacuintepotzotli.

AT quid mirum Taurorum hominùmque giberosa reperiri genera, quando gibbosum quoque Canum genus offenditur, quos vocant Michuacanenses ob plagam à qua sunt oriundi. Sunt hi melitensibus paulo maiores, & colore velut & nostrates variantes, collo penè nullo, & capite ex scapulis prodeunte, cætera reliquorum Canum moribus, atque naturà, nec aliter applaudentes heris, atque colludentes.

De Caluaria reperta Chalei & de repertis Gigantum ossibus. Cap. XXXII.

MOnstrificorum quæ præcessere animalium enarratio videtur exposcere, vt subnectam repertam apud Chalcenses ab effodientibus puteum humanam caluariam duplici facie, quaternis oculis, naribus, maxillis binis, quatuorque, & sexaginta dentibus, & his ipsis non modo iustam assequutis magnitudinem, sed multorum annorum vsu consumptis atque protritis. Quominus mirere Androgynum illum, quem aut tulit Antiquitas, aut Plato philosophandi gratia confinxit, quin permulta Gigantum non vulgaris magnitudinis ossa per hosce dies inuenta sunt, cùm apud Tetzconanes, tùm apud Tollucenses, quorum nonnulla in Hispanias delata sunt, alia vero miraculi gratia à Proregibus

gibus ſeruantur, inter quæ dentes maxillares eſſe ſcio quinque circiter vncias latos, ac decem longos, vnde conijcere licet capitis amplitudinem quod bini homines extenſis brachijs vix poſſent amplecti. Hæc autem notiora ſunt, quam vt fides queat illis ab aliquo denegari, & tamen non me latet à multis iudicari multa fieri non poſſe antequam facta ſint, adeò verum eſt atque indubitatum quod Plinius noſter dixit, *naturæ* (nempe) *vim ac maieſtatem omnibus momentis fide carere*, ſiue horridæ magnitudinis homines aliunde in hanc regionem venerint (cum apud Promontorium bonæ ſpei Patagones quoſdam verſari monſtrificæ proceritatis narretur) ſintque ab indigenis occiſi, ſiue volente natura eos hæc tulerit Tellus, auctumque numerum pertimeſcentes Indigenæ vaſtauerint ac funditus deleuerint.

De Tepemaxtla. Cap. XXXIII.

SPecies eſt Vulpis, candido, nigroq; & fuluo pilo veſtita, capite paruo, modicis auriculis, corpore gracili ac quaternos ferè dodrantes longo, roſtroque tenui, & prolixo, moribus vero victuquè & rapina cæterarum Vulpium offenditur vbiuis, ſed præcipuè calidis in locis.

De Æluro à quo Gallia vocata corraditur. Cap. XXXIV.

NOn me latet vulgare eſſe hoc Felis vocati genus Hiſpanis, quanquam Aduenam non indigenam, verum qui ex Inſulis philippicis cœpit iam in hanc nouam Hiſpaniam adferri, neque apud quenquam ex recentioribus, pro dignitate delineatum videram, curaui in his, quos iuſſu Philippi Secundi Maximi condo libros depingendum. Non tamen illius vſum, & mores præteriens, tùm quod ab alijs noſtræ ætatis deſcripta ſint, tùm quod Nos ad alia ignotiora enarranda properamus, aderit fortaſſe tempus, dabiturque Numine concedente otium, vbi quæ nunc breuiter attinguntur, plenius ac latius poſſint enarrari. Verùm Felem hoc animal vulgo vocari reuocat in memoriam accepiſſe ab his qui nuper ab Hiſpanis nauigarunt in hunc nouum Orbem, ac Regiæ Philippi Secundi ad fuere, ad eum delatum AElurum (ni fallor) à Luſitania Canum Melitenſium more lanigerum, iubatumuè, aut laciniatum, ac candidiſſimo pilo inſignem, atque amabilem, & in delicijs à tanto Principe haberi.

De Peruicheatl. Cap. XXXV.

De quo ſupra. Io. Fabr. f. 660. *Sub nom.* Pelon Iehiatl oquitli.

ETſi intelligam peruinas vocatas oues iam dudum delatas in Hiſpaniam, & ab omnibus pene viſas atque cognitas, tamen delineandas putaui quod à nullo alio ante me pictas conſpexerim, vt neque eos quibus fortè fortuna ignotæ ſunt, latere poſſet earum forma à noſtratibus non parum aliena: ſunt enim longè maiores, inutili tectæ vellere, carne verò neque grati, neque probati alimenti, eiſque viribus quibus in lumentorum penuria non nihil ferre poſſint oneris, quemadmodum periclitatum eſt apud Peruinos priuſquam eò eſſent veterina tranſlata animalia. Illud ſilendum non eſt in horum peregri-

norum animalium ventre interdum reperiri lapillos illos quos à facultate qua venenis aduersantur, Bezares Arabum Gens vocare consueuit.

De Ariete quadringeminis armato cornibus. Cap. XXXVI.

OFfendi apud Mexicanos Arietes quadringeminis armatos cornibus, quos etsi antea vidissem in Hispania, depingendos tamen curaui, vt his qui non viderunt eos ex Icone innotescerent, siue hi ad peculiare pertineant genus, siue euentu, casuque sint monstrifico editi atque producti.

De Tlacoyotl, seu Coyotl humili. Cap. XXXVII.

INueni in agro Tetzcocano animal pilosum valde, vocatum Tlalcoyotl, duas longum spithamas, vnguibus melis, aut Quauhpecotli similibus, breuibus cruribus & nigro vestitis pilo, breuissima cauda, corpore toto ex albo vergente in fuluum, sed dorso, ac superna parte capitis, & colli nigris, lineaque distinctis candenti, caput est paruum, rostrum tenue, & longiusculum, canini exerti ac vita victusque eadem quæ Quauhpecotli.

De Ytzcuintecuani. Cap. XXXVIII.

SImilis est Ytzcuintecuani vocato Quauhpecotli, ac eodem modo meli nostrati congener, non solum corporis magnitudine, moribusque, sed rostro etiam (quod perlòngum est, & tenue) ac pedibus qui illos Quauhpecotli suisue parui videantur imitari, verum color albus est maculis nigris ac magnis distinctus, & spectabilis, nomen habet à mordendo canes, viuitque toto Tepeci non longè à mari australi.

De Leone paruo Insulæ Margaritiferæ. Cap. XXXIX.

AVdio Leonum minimum genus missum elapsis annis ad Maximum Philippum secundum in itinere interijsse, quod mirandum est, nisi fortasse AElurorum syluestrium aliqua erat differentia, quæ Leones facie referret, nec tamen ad Leonum pertineret genus qualem apud Maxicanos à me inuentam ac Tlalmiztli vocatam, depingendam atque describendam curauimus, dum historiam naturalem noui Orbis iussa Philippi Maximi condentes illic ageremus.

De Cacamiztli. Cap. XL.

ITa vocatum est hoc animal quoniam ad Leonum paruorum feliumue pertineat genus, & in iuncetis versari soleat; quadrupes quaternas spithamas longus, sed corpore non admodum amplo, fuluo pilo, & aliquantisper prolixo tecto, auriculis breuibus ac penè nullis, ælurino capite, cauda prolixa, hispidioreque, adeò est ferox vt Ceruos plerumquè aggrediatur, atque etiam occidat, vnde fortassis nomen, ni à fele potius profectum est: Miztli enim apud Mexicanos interdum AElurum, & interdum significat Leonem; viuit apud Panucenses, vbi illum curauimus & depingendum, & describendum.

Finis Tractatus I. Historiæ Quadrupedum.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS
DE HISTORIA AVIVM NOVAE HISPANIAE

Cap. I.

De Hoacton Fœmina.

HOACTLI mare paulo maior est, ventre, colloque alba, sed fuscis passim intersectis pennis, reliquum corpus fuscum interpositis albis, oculi magni nigrique, sed iris pallens, cætera sunt illi cum mare similia. Ardeæ cinereæ videtur species; sunt qui sentiant generis esse sui, nam magnitudine à cæteris ardeis duplo ferè vincitur, sunt qui Xoxouh, qui Hoactli vocēt.

De Quetzaltototl, seu Aue plumarum diuitum. Cap. II.

AVis est cristata pauoninis magna ex parte ornata plumis, parcæ magnitudinis, rostro acuto, luteoque, & pedibus pallidis, cauda Tzamatl plumis prælongis vestita, atque virentibus, nitidis, & pauonini coloris Iridis folijs forma similibus, opertisquè supernè alijs nigricantibus, infernè verò & qua parte pauoninas attingunt quæ in medio sunt inclinantibus in virorem, quasi cauente natura mediarum pulchritudini, crista plumis constat splendentibus atque pulcherrimis, pectus, collumque infernè rubris & micantibus, ac pauoninis supernè qualibus etiam dorsum tegitur, nec non eæ partes quæ subter alas sunt, interque crura: sed dilutis exilibus & mollibus, plumæ alarū sunt prælongæ, virore tinctæ diluto, & in acumen definentes. Pennæ tegentes humeros viresçunt, sed subter sunt nigræ, quæ vero alas interstant non nihil incuruæ, ac vnguium colore. Plumæ huius Auis maximi æstimantur apud Indigenas, ipsique auro quandoque præferuntur, nempè longiores ad cristas, & alia capitis ac vniuersi corporis bellica, pacisque ornamenta, cæteræ vero ad textilia opera, & rerum quarumuis, sed præcipuè diuorum exprimendas formas. Cui rei pennas quoq; Auicularum (quas Hoitzitzillin vocant) permiscere atque intexere solent. Viuunt in Prouincia Tecolotlani vltra Quauhtemallan tendentibus in vocatas *honduras*, vbi magna cura cauetur ne quisquā eas occidat Aues, tantum licèt eas plumis exuere, ac statim dimittere, nec omnibus sed solis Dominis: sunt enim opimorum prædiorum loco, ac transeunt ad hæredes.

De Achalalactli seu Piscium Voratrice. Cap. III.

ACHalalactli quam alij Michalalactli vocant, Auis est Columbæ magnitudine, & forma similis; rostro acuminato, & nigro, tres digitos longo & proportione corporis crasso, caput crista ornatur è colore cyaneo in nigrum tendente longaque, venter candidis tegitur plumis & collum torque candente insignitur. Alæ infernè albescunt sed postremis partibus videntur fuscæ, &i

can-

candicantibus distinctæ maculis, supernè vero cyaneæ velut & reliquum corporis, extremis partibus nigræ & albis vndique maculis respersæ. Cauda partim nigra, partim cyanea est, sed maculis quoque candidis variata per interualla; crura rubea sunt, pedes in digitos diuisi, in atros vngues desinentes, oculi nigri, iris verò candescens. Aduena Auis est Mexicanorum Plagæ, versaturque in fontibus ac fluuijs, piscículis & alijs aquatilibus victitans, edulis, sed reliquarum Auium paluſtrium sapore atque nutrimento.

De Acolchichi seu Aue rubeorum humerorum. Cap. IV.

STurnorum (quos Hispani *Tordos* vocant) videtur species quando magnitudine, colore, & forma pares sunt, & cum eis vbique versantur, etsi humeri primo fului appareant in rubrum vergentes, & cum ætate processere, in fuluum omninò mutentur colorẽ, in caueas coniecti voces reddunt humanas, & lepidè garriunt, quauis re oblata vescuntur sed pane maximè atque indico frumento. Calidis frigidisque eas Aues reperias regionibus, ab Hispanis Colonis argumento rubeorum humerorum *Comendadores* vocatas, sed numerosis agminibus, & Oppidanis admodum molestis audacter incursantes præcipuèq; feruidis & maritimis regionibus, malum, insuauemque præstant succum, & in Arboribus non procul ab Oppidis hominumque commercio nidificant, & sata in quibus forte consedère deuastant atque depopulantur, cantant luduntque; seu caueis includantur, seu libere per domos permittantur incedere.

De Aztatl. siue Ardea candenti. Cap. V.

ARdeæ albæ species quædam est Aztatl, nostrati aut eadem, aut forma & magnitudine proxima, vniuersi corporis pennæ niueæ sunt aut lactei coloris, mollissimæ ac mirum in modum pexæ, atque compositæ, rostrum longum ac pallens, sed virens iuxta exortum. Crura prolixa, nigraquè sicut & pedes qui in quaternos finduntur digitos, quorum tres sunt prælongi, ac Grues videntur quadamtenus imitari vocibus, degunt iuxta paludem mexicanam.

De Xoxouhqui hoactli. Cap. VI.

NOmen inuenit hæc Auis à voce, sonat enim hoho, ad Ardearum pertinet genera, etsi longe inferiore sit magnitudine. Plumæ quæ subsunt alis, ventri, ac collo, sunt cinereæ, quæ verò caput tegunt purpureæ, tenijs tamen singulis digitum latis vtrinque circumdãtibus, promiscuè frons nigra est atque candens, caput insignitum crista septem purpurascentibus plumis concinnata, alæ cinereo, cyaneoque colore variatæ, pedes fusci, nigri, atque pallentes: humeri, alarumue exortus candidi, rostrum serratum nigrum crassitudinis pollicaris, & quaternas prolixum vncias, crura spithamæa, ipsaque Auis integra ab extremo rostro cũ collo, quod sesqui dodrantale est ad pedes vsque, duos pene cubitos longa, lacustris est, Aduenaque paludi mexicanæ, etsi raro apud

eam

eam capi ſoleat. Fera Auis eſt, & à Septentrionarijs regionibus ad Mexicanas credita deſcendere.

De Atapalcatl, ſeu Teſta Aquaria. Cap. VII.

AVis quam Mexicani vocant Atapalcatl, ſeu Teſtam Aquariam, Anati illi ſylueſtri (quam recentiores Querquedulam vocant, noſtri verò Cercetam) ſimilis omninò eſſet, niſi roſtrum haberet duplo latius, colorem candentem, & fuluum, admotàmq; manũ irrito protinus innocuoq; lanciaret morſu. Cæterum lacuſtris auis eſt, & ſylueſtriũ Anatum genus, lacus Mexicani Aduena, inſuauìque, & piſcoſo nutrimento. Quin & ea (quam diximus Querquedulam vocari) ad eundem lacum cum cæteris paluſtribus per hyemem ſe confert, delineandam tamen non duximus, quod eſſet noſtro Orbi & Animalium recentibus ſcriptoribus notiſſima.

De Atototl, ſeu Aue aquatili, mare. Cap. VIII.

de vno ſupra. Io. Fabr. fol. 672.

PAſſerem noſtratem æmulatur magnitudine & forma, ſed roſtrum eſt nigrum, crura, pedeſque fului, corporis inferiora magna ex parte candida, cætera fuluo, albo, nigròque variantia colore. Indigena eſt Mexicano lacui Iuncetis atque carectis vere educans, muriùmque voces cantu imitata cui ab ortu ſolis in noctem, vſque pertinax aſſueſcit, eſtur aſſa, elixauè, nec malum aut omnino inſulſum præbet alimentum.

De Acacalotl Mare, ſeu Coruo Aquatico. Cap. IX.

AVis eſt à cauda extrema ad roſtri vſque acumen quatuor ferè longa dodrantes, ac medioris amplitudinis, crura ſeſqui ſpithamea, roſtrum arcus inſtar incuruum, duos palmos longum, ac mediocriter tenue, pedes in quaternos finduntur digitos, nigerrimis munitos vnguibus, crura minus nigreſcunt digitis, roſtrum cyaneum eſt, & exgiuum caput, plumæ infernæ fuſcæ inſertis rubris, ſuperiores verò promiſcuè purpureæ, ſubnigræ, virides, atque ſplendentes. Ceruix eſt ſeptem digitos longa, caput, collumque pennis fuſcis, albis, & viridibus teguntur, ac pauliſper fulueſcentibus, oculi ſunt nigri, & iris ſanguineo tingitur colore. Cæterùm ab externis oculorum angulis vſque ad roſtrum vnciæ vnius interuallo deplumis, & glabra eſt pellis, rubeſcenſque ex albo, alæ viridi ſplendentique ſubtus pellucent colore, & qui pro varijs ſolis repercuſſibus euariet, atque mutetur, ſupernè verò propè exortum paſſeæ ſunt, deinde vero viridi, atque pauonino ſpectabiles colore, Indigena huic Plagæ Auis eſt. Verſatur circa lacus, ac piſcibus victitat. Maſculus fortaſſis eſt, & auis (quam Recentiores vocant Arcuatam) aut illi ſaltem congener. Educat Filios veris tempore iuxta loca lacuſtria, bonum præſtat alimtẽum, nec valdè iniucundum, craſſum tamen atque (vt lacuſtres Aues decet) piſcoſi odoris, & viſcoſum.

De Acolin, seu Aquatili Coturnice. Cap. X.

STurno est Acolin magnitudine par, cruribus, pedibusque è viridi pallescẽtibus, & in quatuor prolixiores digitos diuisis, rostrum est luteum, & longiusculum proportione corporis, tenuèque, & mucronatum, oculi nigri, Iris fulua, ac paruum caput: interna corporis candida sunt, lateribus fusco maculatis colore, superiora verò, & cauda quæ breuiuscula est fulua sunt, sed maculis nigricantibus distincta, & candidis lineis, quasuis pennas circumambientibus, eiusque coloris punctis nonnunquam conspersis: lacus incolit, piscosúmque, nec tamen admodum ingratum præstat alimentum. Vermiculis muscis & huiusmodi alijs paruis Animalibus victitat circa paludem volitantibus. Indigena est huius lacus, caput mira colorum varietate micat, quod medium atra linea secat, ac velut cinereæ alæ latera: maculæque paruæ, & candentes canthos externos: collum, pectusquè cinerea sunt, cætera e fuluo in viride potius inclinant.

De Acacacahoactli, seu Aue aquatili raucum sonante. Cap. XI.

AVis est quam Acaçaçahoactli vocant ob cantus raucedinem Alcionum species illa est, quam nostri martinetum piscatorem vocare solent, circa aquarum fluenta victus gratia, ac congenita quadam versantem natura. Anate fera paulò minor est, collóque, & rostro spithamæo, hoc est tres digitos latos pronominet, mediocrem sortitur crassitudinem, in aërem desinit ac morsui est per quam opportunum, supernè autem nigrum est, & infernè album, & pallescens circa latera, oculi nigri sunt, Iris verò propè pupillam rubra, deindè pallida, ac demum candens, ab oculis ad rostri vsque exortum fascia è viridi pallescens procedit. Crura pedèsque in digitos fissi virescunt extrinsecus, intrinsecus verò inclinant in pallorem, color totius corporis magna ex parte albus est, fuluis pennis insertis, verùm superna magis fusca sunt, inferna verò candidiora, alæ infernè cinereæ, ac desuper circa extrema nigræ, mox è fuluo rubescentes, deinde pallescentes ex fuluo, ac demum fulueſcentes circa dorsum. Piscibus victitat, mitescit minimo negotio, nec est cantu insuauis, indulgenter tamen, ac blandè vermiculis, & alijs exiguis animalibus quæ in paludibus gignuntur alenda. Carne etiam vescitur, & alijs non paucis vbi fieri aliter non possit, crassi est alimenti, neque dissimilis ei, quod Anates feræ præstare solent, Indigena est huius Plagæ, & vere educat inter iunceta sobolem, mirum est, cũ sit ceruix pro ratione reliqui corporis longissima, in quam breuitatem illam cum libet contrahat, quod frequentius facere solet. Cauda pusilla est, nigràque, & nonnihil præseferes splendoris, quæ in maiorem procedit amplitudinem, patrio nomine appellatur Tolcomoctli. Similis omninò esset hæc Auis Compari, nisi rostrum desuper nigricaret, subtus rubesceret, velut pedes, & crura, & vniuersum corpus fuluum nigrumquè promiscuè cerneretur.

De

De Amacozque, seu Aue rubescentis colli. Cap. XII.

AVis est palustris nostrati Turturi magnitudine par, cruribus, pedibusque fissis in digitos, atque ex albo rubescentibus, nigris vnguibus, rostro mediocriter longo, exili, & nigro, atris oculis, & Iride rubea, pectoris, ventris, & alarum inferna alba sunt: sed cauda quæ mediocrem longitudinem nanciscitur, fuluo, & nigro colore est inspersa; at collum pectusque torques bini, minimi ferè digiti distantes interuallo, nigrique cingunt, quorum anterior vndequaque circuit, posterior superna deficit, ac disparet parte; frontem autem ab oculo ad oculum alter, eadem latitudine, & colore. Quin ex vtroque latere maculæ binæ candentes pari amplitudine supra oculos versus collum attingentes, ferè illud discurrunt: superna corporis, adeoque ipsa cauda albo, nigro, fuluoque sunt colore, alæ verò desuper fuluo, & fusco. Indigena Auis est, lacus Mexicani alumna, ac veris tempore educans sobolem: estur caro, quæ eodem, quo cæterarum aquaticarum est nutrimento, vescitur culicibus, pisciculisque, & lacustribus vermibus, vehementius perstrepit, quàm pro corporis ratione, nec tamen potest garrulis Auibus annumerari.

De Acatechichictli, seu Aue confricante se ad Arundines. Cap. XIII.

AVicula est Corduele paulo minor desuper virescens, e fusco; subter vero ex albo pallescens, cantillat vt Achantillis, ac simili vescitur alimonia.

De Acuicuitzcatl, seu Arundine Aquatili. Cap XIV.

QVam Mexicenses Acuicuitzcatl vocant, *Larum* latini, ac *Gauiam* nuncupare solent, hanc modo non duximus describendam, quod à quibusdam recentiorum sub secundi lari nomine depingatur.

De Auibus quibusdam rostri maximi. Cap. XV.

ADeunt quotannis stato tempore eam Prouinciam, quam *Honduras* vocare mos est, Auium numerosa examina, columbarum magnitudine, spectandaque forma, cùm ob pennarum varietatem, quæ luteæ, coccineæ, candidæ, ac cyaneæ sunt, tùm ob rostri monstrificam magnitudinem, quod præterquam quòd, partim est coccineum, ac partim candidum, & maculis è nigro lucescentibus, passim interfertis distinctum; reliquo corpore est longius. Auem nondum mihi videre licuit, rostrum apud me est, quod si procedente tempore facta mihi non fuerit eius copia, curabo depingendum. Sunt qui ad Psittacorum genus referant.

De Atototloquichitl, seu Passere Aquatico mare. Cap. XVI.

PAssaris nostratis æquat magnitudinem, & formam, rostrum tamen nigrum est, crura, ac pedes fului, interiora corporis magna ex parte candida, cætera fulua, candidoque, ac nigro variata colore. Indigena est Prouinciæ Mexicanæ auis, Iuncetis carectisq. educans prolem; mures cantu, soléque quamprimum

exoriente æmulari ſolet, & toto die occinens pertinax perſeuerat. Edulis eſt eius caro, bonumque, nec inſuaue præbet alimentum.

De Quauhchichil, ſeu Auicula capitis rubei. Cap. XVII.

AVicula eſt Hoitzitzillin paulò maior, infra candens, ſupra verò vireſcens è fuſco, ſed caput coccineis quibuſdam ornatur plumis (vnde nomen) femora verò nigris; & roſtrum, pedeſque atra ſunt; in frigidis viuit, caueáque detenta, ſuauiter occinit.

De Chichictli. Cap. XVIII.

AVis quam Mexicani à ſonitu Chichictli vocant, ſpecies eſt Noctuę, Gallinæ cohortalis magnitudine: ſi plumæ quoque veniant in cenſum pennatis cruribus, ac plumis corporis vniuerſi, fuluo, albo, fuſco, nigróq. reſperſis colore. Oculi ſunt atri, & palpebræ cæruleæ; par eſt Tolchiquatli magnitudine, aut ea paulò maior, circa Mexicanam verò paludem, atque Vrbem ipſam verſari ſolet.

De Cenotzqui. Cap. XIX.

CEnotzqui, ſeu Auis euocatrix niuis ideo vocata, quòd paulo antequam ningat clamitare ſoleat, ſileat verò niue iam decidente, & poſtquàm ninxerit magnitudine, voce, forma, roſtri aduncitate, curuitate vnguium, paruarum Auium aucupio, ac lacertarum venatu Tinnunculo ſimilis eſt, ſed colorũ formoſa, & ſpectabili quadam varietate conſpicua. Vngues ſunt nigri, crura pallent, pectus fuluum eſt, ac venter nigris maculis conſperſus, & candidis tegitur maiori ex parte plumis, alæ ſubter candidæ, & cinereæ ſunt, anterius, ſupernèque fuluæ, ac nigræ, paulò poſt cinereæ, atriſque conſperſæ maculis, & poſtremis demum partibus nigræ, licet maculis albis latiſque varientur; cauda ſubtus nigro, candidoque tingitur colore, deſuper verò velut, & reliquum corpus fuluo, nigrantibus diſtinctum maculis. Caput nigrum eſt, faſcia diſtinctum cinerea, roſtrum paruum cinereum ſupernè atque infernè, ſed ſupernè iuxta exortum linea ambitur lutea. Oculi nigri ſunt, & pallentes palpebræ, quouis cælo gaudet, montana colit, & veris tempore educat ſobolem. Ira conuoluit huc, & illuc caput, contorto in varias partes collo, vt eodem ſitu immota perſtans cuncta circumſpiciat. Eſt & alia eiuſdem Auis ſpecies: quam ſeorſim depingendam curaui, Tinnunculo ſimilis eſt, & quibuſdam diſtans colorũ varietatibus: capite ſiquidem fuluo, & cinereo eſt, & collo partim nigro, ac partim candeſcente. Sunt qui *Ceceto* vocent.

De Coltotl, ſeu Auicula inflexa. Cap. XX.

AVicula eſt Coltotl, paſſeris noſtratis magnitudine, & forma: plumis infernè cinereis ſupernè nigris, ſed per ambitum interdum nigris atque interdum candentibus: Indigena eſt huius Mexicanæ Prouinciæ. Vere (vt cæteræ penè omnes) educat ſobolem, & clauſtris contenta modicis, cantu Carduelem noſtratem iucundè ſolet imitari.

De

De Ceoan, seu Aue niuea. Cap. XXI.

TVrdo viſciuoro paulo maior eſt, circa pectus, ventrem, atque alarum exortum fulueſcens, permixtis ad caudam cinereis plumis alarum extrema, caudaque ipſa, inferne cinerea ſunt, ſuperne verò vniuerſum corpus nigreſcit è fuſco, roſtrum, quod paruum eſt, atque exile, cruraque fulueſcunt: mentum candet, inſertis tamen nigris aliquot pennis. Sermonem humanum æmulatur, velut irridens tranſeuntes, quos tamen vbi licet inſequitur.

De Comaltecatl. Cap. XXII.

AVis eſt Comaltecatl lacuſtris, à Regionibus algentibus, Septentrionarijſq; ad ſolum hoc Mexicanum quotannis per hyemem velut ad aprica, & tepida loca, poſtquam alibi educauit ſobolem, confugiens. Spithamam vnam, ac præterea vncias ſex ab vltima cauda ad ſummum vſque roſtrum longa, & colubi ſylueſtris amplitudine, cruribus dodrantalibus, tenuibus, ac rubeſcentibus, pedibus concoloribus, in tres digitos longiuſculos diuiſis, plumis vniuerſi corporis candentibus, ſuperna parte capitis, roſtroque nigris, alis ſuperne, inferneque candido, ac nigro colore variatis, & roſtro palmum longo, tenui, atque deſinente in mucronem. Eſtur eius caro, verùm ſapore piſcoſo eſt, malumque, & iniucundum exhibet nutrimentum.

De Chochopitli. Cap. XXIII.

ALienigena quoque eſt Chochopitli, ſeu Auis roſtrata, aduenaque huic Mexicano lacui, *Chorlito* à Toletanis vocatæ Aui perſimilis: ab extrema cauda ad roſtri vſque acumen ſeſquipithamam longa, roſtrum ferè palmeũ, ad extremum nigrum, & virens iuxta exortum, candentibus tegitur pennis inſertis tamen circa alas quibuſdam fuſcis, quas cum collo, & capite albas, nigraſque potius ſortitur: carnium natura, & cibus idem qui Comaltecatl.

De Coyolcozque, ſeu Colli ſonali. Cap XXIV.

SPecies eſt Collin, ſeu Mexicanæ Coturnicis, inter quamplures alias de quibus loquemur ſeorſim. Ergo Coturnicibus vocatis à noſtris ſimilis hæc eſt, magnitudine, cantu, nutrimento, volatu, & moribus, ſed diuerſo colore, qui ſuperne eſt ex fuluo, candidoque commixtus, inferne verò tantùm fuluus, etſi verticem, & collum nigrantes, albæque plumæ occupent, & tænias ab vtroque latere, adeòque à collo ad vtrumque oculum conſtituant, atque efforment. Oculi ſunt atri, & fulua crura. Indigena Auis eſt, campeſtribuſque locis, velut & noſtras frequens, ac ſimili etiam alimento, & quòd ad illud Perdicis Hiſpanicæ (eſt enim eius ſpecies) proximè accedat.

De Colcuicuiltic. Cap. XXV.

COlcuicuiltic, ſeu Coturnicis Simulachrum, Coturnicis quoque noſtræ eſt ſpecies: albis, nigris, coccineiſque variata plumis, & protractis deſuper potius lineis, quàm circumſcriptis maculis, ſubter verò potius maculis frequen-

tibus quam lineis: pedes, cruraque cyanea sunt: sed cantu, magnitudine, moribus, ac cæteris cunctis, præcedenti omninò similis.

De Quachilton, seu Aue Siliquastrini Capitis. Cap. XXVI.

SImilis esset Quachilton, magnitudine, & forma, ei Aui quam recentiores *Fulicam*, Hispani vero *Foja* vocant: eodem enim modo superna parte calua est, iuxta rostri exortum, adeoque eius species, sed quoniam nō omni ex parte conuenit, imò quibusdam in rebus distat, eam & describendam, & delineandam curauimus: Fulicà velut nostrate, orbique notissima vetusto sub silentio pertransità. Totius ergo corporis color purpurascit ex nigro, non sine quibusdam candentibus, quæ passim interseruntur pennis; rostrum initio pallet, sed adulescentibus rubescit: lutea quoque crura sunt, aut inclinantia in virorem, in quatuorq; pallentes digitos diuisa sine vlla membrana; quamobrem vltra rostri colorem, qui longè diuersus est, à priori Fulica magnopere distat. Oculi nigri sunt, & fulua Iris, lacustris etiam est, & Mexicanæ paludi aduena, piscibus victitat, nec malum aut iniucundum dicitur præstare alimentum: nocte intempesta, summòque mane gallinaceorum more (ea enim est illi consueta vox) clamare, aut cantare solet: sunt qui Yacacintli vocent.

De Cozcaquauhtli. Cap. XXVII.

Habetur supra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *fol.* 319.

De Coztototl, seu Aue pallida. Cap. XXVIII.

AVicula est, *Canarij* apud Hispanos (quoniam Insulis eius nominis est familiaris) vocati magnitudine, tota lutea; extremis tamen alarum partibus nigris, caueis inclusa Carduelem cantu imitatur, deuorataque bonum, & gratum præbet alimentum: calidis degit, offenditurque Regionibus.

De Chiquatli, seu Noctua. Cap. XXIX.

AVis est Rusticulæ nostrati par, longo rostro, tenui, & pullo, ac tænijs iuxta vtrumque oculum luteis, & incuruis, inferiora corporis pallida sunt, nigris quibusdam plumis circa collum interseruis, Iris lutea, ac nigri oculi, cætera ex fuluo, fusco, & cinereo permixta. In montibus versatur, humipeta est, & in vimineum, alteriusue materiei coniecta carcerem, haud vulgariter garrit. Alitur facili opera, nantlaolitio pane, vermiculis, alijsque hisce similibus vesci cō. sueuit, calidis, frigidisque regionibus capitur, pingueque, & non omninò aspernandum præbet alimentum. Sunt qui eam Auem Chiquatotl vocent.

De Cencontlatolli, seu quadringentis linguis. Cap. XXX.

AVis, quam à cantus multiplicitate, & numeroso concentu Cencontlatolli Indi vocant, Sturno nostrati par est magnitudine, subtus alba, supernè verò magna ex parte fusca, permixtis tamen pullis, ac candicātibus pennis, præcipuè tamen circa caudam & caput, quod quadam veluti corona circumdatur,

orna-

ornaturq; albescente: in caueis quibus detinetur suauissimè cantat, nec est auis vlla, animalue, cuius vocem non reddat luculentissimè, & exquisitissimè æmuletur. Quid? Philomelam ipsam longo superat interuallo, cuius suauissimum concentum tantoperè laudant, celebrantque vetusti Authores, ac quidquid auicularum apud nostrum Orbem cantu auditur suauissimum. Alitur facile: nihil enim ex his, quæ in vsum nutrimenti cedere solent respuit, sed calidas amat regiones, frigidas reformidans, aut cælo exultat temperato. Est & altera eius species Tzonpan vocata (nisi fœmina eiusdem speciei fortassis est) eadem magnitudine, forma, & cantu, plumis tamen infernè albis, cinereis, & nigris. Desuper verò pullis, nigris, atque candentibus.

De Chilcanauhtli, seu Anate Chilli colore. Cap. XXXI.

ANatis syluestris species est Chilcanauhtli magnitudine, & forma, vocatæ apud nostros Querquedulæ, verum paulò minor, ac rostro latiore, etsi hac ipsa rostri latitudine cedat Atapalcatl, color plumarum vniuersi corporis fuluus est, sed alarum varius, quippe interdum cæruleus, interdum candidus, aut ex nigro viresçens esse cernitur. Oculi sunt nigri, & coccinea Iris, palmipes est, pedesque, & crura habet ex pallido fulueſcentia. Aduena est huic Mexicanæ paludi, atra carne, & piscoso alimento.

De Izanatl. Cap. XXXII.

STurnorum Indigenarum quoddam est genus, nam colore, naturà, moribus, voceque etsi magis sonora illis assimilari contingit, à rostri acumine ad caudæ exortum spithamea Auis est, & brachium crassa, vnde ad extremum caudæ in dodrantalem protenditur longitudinem; pennæ sunt nigræ, pauonino colore splendentes, pedes, ac crura nigra, itemque rostrum, quod tres digitos latos est longum, & minimum digitum crassum, ac interdum Picarum Indicarum more risu quodam videtur commoueri; regionibus frigidis est magnæ ex parte familiaris. Sunt qui Yxtlaoltzanatl vocent.

De Hocitzanatl, seu magno Sturno. Cap. XXXIII.

CIrca vrbes versatur Hocitzanatl, essetque monedulis nostratibus prorsus similis, nisi eas vinceret corporis magnitudine, & prolixitate caudæ (qua vel Picis ipsis est par) & è nigro colore in cæruleum splendentem pauliſper inclinaret. Garrula est, altæque vocis, & sonoræ, crura sunt nigra, & mediocriter lõga, ac pedes in quaternos fissi digitos, armatos vnguibus prolixis, ac nigris; alimoniam iucundam præbet, atramque, & pertinentem ad succum melancholicum, sunt qui Caxcaxtototl vocent.

De Tequixquiacatzanatl. Cap. XXXIV.

TEquixquiacatzanatl, seu Sturnus salsus, qui iuxta salsos lacus versatur, Auicula est, Sturno formà, magnitudine, & colore persimilis, caudà tamen prolixiore, & paulo maiori corpore; plumæ, pennæque omnes, si excipias eas quę collum, & caput vestiunt (nam hæ pullæ sunt) nigresçunt cum quodam fulgo-

re.

re. Hiſpani Indigenæ ob ſimilitudinem quam habet cum Sturnis noſtratibus *Tordos* nuncupant, gregatim volant, numeroſo, & immenſo agmine, ac ſata iuxta quæ conſedêre deuaſtant; Veris tempore educant ſobolem; Eſtur caro, ſed ingrati eſt, duri, atque atrabilioſi nutrimenti: Sunt eorum plura genera de quibus ſeorſim. Cantu querulùm ſonant, Monedularùm fortaſſis, aut Sturnorum ſpecies, niſi libeat aues ſui generis (quod veriſimilius videtur) eſſe fateri.

De Tzanahoei. Cap. XXXV.

PIcæ noſtrati Tzanahoei ſimilis eſſet, niſi tota nigricaret, præter caput, & collum, quæ inclinant in fuluum colorem, nam & cauda prolixa eſt, & par ferè magnitudo, querula eſt vox, velut illa minorum Sturnorum. Diſcit humanas voces, ſurripit clanculum quidquid offendit, & ſenſibus viget, humanis per quam proximis.

De Tolocatzanatl, ſeu Sturno Iunceti. Cap. XXXVI.

HIſpanienſibus Sturnis ſimilis eſt formâ, & magnitudine, verùm paulo minor, totus niger, ſi caput excipias, quod fuſcum eſt: edit autem pro voce clamorem.

De Tzanatltototl, ſeu Aue ſimili aut congenere Tzanatl. Cap. XXXVII.

AVis eſt dodrantem ferè longa, aut Sturni noſtratis magnitudine, roſtro craſſo, & breui, cinereo, & nonnihil incuruo; collo, pectore, & ventre rubeſcente; capite nigro caudaque, ac reliquo corpore, pennis nigris, albis, & alicubi etiam fuluis variato, pedibus verò cinereis, & in quaternos ſciſſis digitos; eſt autem ingrata alimoniâ, & cantu minimè iucundo.

De Chiltototl. Cap. XXXVIII.

CHiltototl, ſeu Auis ſimilis Chilli, Paſſeris conſtat magnitudine, colore, & forma, ſed roſtrum eſt nigrum, & incuruum, tenuius, & longius. Venter caputque flammea, & cauda nigra, caueà canit incluſa, nec inſuauiter; arboribus nidificat; grato, optimoque conſtat alimento, & eſt totius nouæ Hiſpaniæ incola.

De Colin aliquot generibus. Cap. XXXIX.

COlin genera (quas Coturnices vocant Hiſpani, quoniam noſtratibus ſunt ſimiles, etſi ad Perdicum ſpecies ſint citra dubium referendæ) multa apud nouos Hiſpanos eſt reperire. Nonnulla fuſca, & criſtata, quæ Quauhtzonecolin nuncupant, mediocris magnitudinis, cantu inſigni, ſed lugubri; Alia fuſca quoque, ſed criſtarum expertia, & paulo minora; Alia omnium maxima, fuluaque, ſed capite albo, & nigro variato colore, extremis verò alis, & dorſo candentibus; pedes verò ac roſtrum nigra ſunt, Hiſpanis (vt dixi) Coturnicibus aſſimilantur

lantur omnia, & bono, ac grato conſtant alimento, ſi tamen iugules duobus, tribuſue diebus antequam aſſa menſis apponantur. Exhibetur earum caro etiam malè habentibus, nec eſt apud Indos alia vlla poſt cohortales, quæ ei poſſit anteferri, aut alimenti ſalubritate, gratiaue, aut guſtu: canunt noſtratium inſtar, etſi aliæ alijs ſuauius; caueis includuntur, veſcuntur indico, noſtroue frumento, & ſunt quàm pluribus huius plagæ locis familiares.

De Coxolitli quam Phaſianum patrium vocant. Cap. XL.

GAllipauonum vocatorum ſunt hæ Aues magnitudine, quas Indigenę Phaſianos nuncupare conſueuerunt, color eſt fuluus, criſta nigra, vniuerſo procurrens capite: pedes, roſtrumque rubea ſunt, nigri vngues, pectus candidis punctis variatum. Caro, ſi aliquamdiu auis hæc ſeruetur interempta, ſalubris eſt, & grati alimenti, alias iniucunda, & quàm deceret durior. Sunt & alia Auium genera, quæ computentur ab Indigenis inter Phaſianos, ſed de illis ſuis agemus locis; hæc autem de qua modo eſt ſermo cucullit non cantat.

De Chachalacametl. Cap. XLI.

COlor eſt fuſcus, pectus in caudam vſque è candido in pullum vergens, pedes roſtrumque cyanea, Hiſpanicas voce imitatur gallinas, ſed pertinax cantus, credas audire aues multas ſimul perſtrepentes: eſt enim valdè ſonora vox, vnde eſt ſortita nomen, non eſt enim aliud Chachalametl quam Auis vociferans, atque clamitans; magnitudinem æquat noſtratium cohortalium, ſobolem verò educat iuxta montana loca, in quibus viuit.

De Cocotli. Cap. XLII.

SImilis eſt Cocotl Turturi noſtrati, ſed corporis magnitudine longè minori, dum canit ſonat hu hu hu, bono cõſtat nutrimento, ſed tamen duriuſculo, abundant eis montana atque Oppida.

De Tzinitzcan. Cap. XLIII.

AVis eſt parua Columbæ penè par, plumis multorum colorum veſtita, quibus Imagines miræ ſubtilitatis intexunt Indigenæ (eius enim artis præcellentia vniuerſo Orbi iamdiu innotuere) & vtebantnr feſtiuis diebus in bello, Templis, ac publicis tripudijs; roſtrum breue eſt, incuruum, & pallidum, caput columbinum, collumque, ſed quæ plumis virentibus ac nitidis veſtiantur, pectus ac venter rubea ſunt, præter eam eius partem, quæ eſt proxima caudæ: illa enim cyaneo, candentique promiſcue tingitur colore, cauda ſupernè virenti, ac infernè nigro, alæ verò partim albo, & partim ſubnigro, atro oculi, Iris luteo, ſed in coccineum vergente, verùm crura, ac pedes cinereo. Viuit in calidis iuxta Oceanum auſtrale, alitur in caueis, & veſcitur fructibus, pulcherrima auis eſt, ſi quæ alia, ſed neque cantillat, neque (quod ſciam) eduli carne conſtat.

De Cocotzin. Cap. XLIV.

COcotzin seu Turtur, auicula est nostro passere paulo maior, cuius corpus vniuersum supernè fuscum est, plumas tamen singulas, nigro ambiente colore, alarum anteriora partim nigra sunt, sed maiori ex parte fulueſcunt. Cauda extrema albo, & fusco promiscuè colore tingitur, plumæ quæ infernum corpus vestiunt, albæ sunt, sed in lineas fuscas desinentes; alarum inferna fulua, cinerea, & nigra; caput paruum est, rostrum paruum, & nigrum, collum breue, crura rubentia, vngues fusci, ac parui. Nomen habet apud Mexicanos ab alarum colore, & strepitu, apud Hispanos verò qui eos *Turtures* vocant; à vocis murmure, sapore, ac nutrimento, etsi nostris Turturibus longè minores sint: Indigena Auis est, Mexicanique agri alumna, ac valdè frequens, sonat hu hu, bono constat nutrimento, etsi duriusculo, visitur in montanis locis atque etiá iuxta Oppida. Aiunt, si mulieri (nescienti quid edat) cocta cibi loco exhibeatur mederi Zelotipiæ, sed quomodo id fieri possit Theologi videant. Est & aliud genus prædictæ auiculæ omninò simile, sed fuluo corpore, nigróque, & capite cinereo, cuius forma, atque natura ex præcedenti aptè percipietur, sunt qui Tlaplalcocotli hanc, ob fuluum colorem vocent.

De Altera Chiltotot l. Cap. XLV.

NIgra Auis est, sed alba pectus, atque humeros; fronte (qua parte depilis est) nigra macula insignis, cruribus mediocriter longis, ac morsu celeri erga tentantes eam apprehendere, eduli carne constat, sed nutrimento non admodum expetendo.

De Ecatototl seu Aue venti. Cap. XLVI.

ANate domestica paulo minor est; rostro atro, tenui, obrotundo, ac propè extrema contorto, plumis infernè candidis, supernè vero iuxta femora fuluis, lineis tamen nigris intercursantibus, circa residuum verò & caudam fuluis; alæ sunt subtus cinereæ, supernè verò fuscæ, nigræ, atque albæ, caput est nigrum, cristatumque, sed ab occipitio teniæ candentes vtrinque procedunt ad oculos, qui atri sunt, & lutea constant iri, cùm in cæteris, auibus sint paludes incolentibus similes.

De Altera Ecatototl. Cap XLVII.

PRæcedenti similis est, sed crista maiori, orbiculari, ac coronæ modo eminenti, paululumque alba, pectus, è fusco vergit in cinereum, venter candens est, ac pedes plani, crura fulua, & pennæ circa ea exortæ, cauda orbicularis, & infernè albo, pullóque colore variata, supernè verò fusca: alæ subtus candentes, cinereæ, ac pullæ sunt, desuper nigræ, candidis tamen quibusdam insertis pennis, reliqua verò, quæ aquaticis natura.

De Elotototl, seu Aue spicæ Maizij. Cap. XLVIII.

ITa vocata est hæc Auis, quòd messis tempore proueniat, Passeris æquat magnitudinem, rostro breui constat, tenuique; colore corporis partim albo, partim pullo, ac partim cyaneo, atque cinereo. Cantus est omninò expers, atque ideo domi non educatur; edulis est, sed neque laudato, neque suaui nutrimento. Viuit autem in gelidis regionibus.

De Elotototl. Cap. XLIX.

AVis est sesquidodrantalis, si caudam, rostrûmq. cum reliquo metiaris corpore, rostrum nigrum ac splendens, cyaneum supernè corpus, sed præcipuè cauda, & alæ, nigris tamen lineis intercursantibus alas per interualla, & infernè cinereum; at quę dorsum, collum, ac caput vestiunt plumæ, in nigrũ magis inclinare videntur, quæque cristam quandam, quæ ei supereminet componunt; fronti etiam insunt plumæ quædam cæruleæ, & pedes sunt nigri, oculos ambit circulus concinnatus e plumis candentibus: grato nutrimento constat, frigidisque locis educat sobolem; sunt qui vocent Ocotzinizcan.

De Hoactzin, seu Aue similem nomini edente vocem. Cap. L.

Habetur supra volumine 1. lib. 9. cap. 10. fol. 320.

De Hoexocanauhtli. Cap. LI.

HOexocanauhtli, seu Anas salicaris, altera species est earum auium, quas Hispani *Martinetes vocare solent, quibus rostro*, cruribus, pedibus, totiusque corporis forma, victu insuper, vitâque quadamtenus est similis: Magnitudo Tolcomoctli, sed crista magna in cyaneum colorem vergente insignitur. Alarum color supernè cyaneus est, etsi in albas lineas plumæ desinant, infernè verò cyaneus reliqui corporis color, aut fuluus est, cinereúsue, aut candens: vocata autem est eo nomine, quoniam in salicibus nidificet.

De Hoitlallotl. Cap. LII.

HOitlallotl, seu Auis longa, à rostri acumine ad caudæ vsque exortum (quæ spithamam quoque longa est) dodrantem prolixa conspicitur: rostrum desuper magnum, subter verò cinereum, quadrantem longum, ac mediocriter crassum. Cauda virens, sed pauonino splendore, plumæ totius corporis ex albo fulueſcunt, fulueſcuntque propè caudam è nigro; sed quæ corporis vestiunt superiora nigræ, sunt maculis candicantibus conspersæ. Humipeta Auis est, ac volatus modici, sed adeò pernice cursu, vt equorum velocissimorum agilitatem longè excedat; Calidis Regionibus viuit, nec expetendam præbet alimoniam.

De Hoactli, ſiue Toloactli, ideſt Aue ſicca. Cap. LIII.

AVis eſt lacus Mexicani alumna, ternas ſpithamas à roſtri ipſius acumine ad caudam poſtremam longa, ac gallinæ noſtræ magnitudine, crura pedem vnum prolixa, roſtrum cum vncia trientem, craſſitudine verò pollicem æquans, ſupernè id nigrum eſt, lateribus autem pallens, ac infernè nigrum, & ſubfuſcum, oculi ſunt magni, Iris lutea, & palpebræ rubeæ, vertex plumis nigris tegitur, itemque criſtâ inſigni, ſimiliter nigra. Collum, venter, corpuſque vniuerſum candet, ſed cauda cinerea eſt, velut, & alæ deſuper, nam infernè ſunt albidiores, ſuperiores alarum partes virore quodam ſplendent, dorſum etſi candidis tegatur plumis, pennis tamen nigris in virentem inclinantibus ſplendorem paſſim veſtiri ſolet. Pedes qui in digitos fiſſi ſunt, & crura quoque palleſcunt, alba faſcia circumcingitur caput à roſtri exortù ad oculos vſque procedente. Lacus Mexicani Aduena eſt, vocaturque ab Hiſpanis Indigenis velut & quædam aliæ Aues *Martinus Piſcator*, ob piſcium quibus alitur capturam, arundinetis educat ſobolem, grauem infert morſum, ac grauem ſimiliter edit vocem.

De Hoitzitziltototl ſeu Aue varia. Cap. LIV.

Habetur ſupra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 11. *fol.* 320.

De Hoitzitzilpapalotl. Cap. LV.

SImilis eſt Hoitzitzilpapalotl Hoitzitzillin, vnde nomen, eſt autem Papilionis genus, cuius corpus oblongum eſt, ac deſinens in tenuitatẽ, & tranſuerſis quibuſdam lineis aurei coloris diſtinctum, ſed maculis nigris interſertis: alarum ſuperiora eodem colore diſtincta ſunt, ſed inferiora rubeſcunt lineis haud abſimiliter diſcurrentibus tranſuerſim: cætera Papilionum reliquo generi conſona. Sunt & aliæ innumeræ apud nouam Hiſpaniam differentiæ non viſis variatæ coloribus, pulcherrimæque, quarum nonnullas delineandas curauimus, vt eſſent velut quædam reliquarum indicia, deſcribendas tamen nullas penè duximus, & quod nullius, præter ſpectabilem quandam naturam eſſent vſus, & quòd magna ex parte ſibi ipſis mutuò affimilarentur.

De Hoilotl, ſiue Columba. Cap. LVI.

COlumbæ ſpecies eſt Hoilotl, cui ſimilis eſt magnitudine, murmure, & nutrimento, venter tamen, pectuſque teguntur plumis fuluis diluti coloris, inferiora caudæ cinereis, ac pariter alarum interna, ſuperna omnia fuſca ſunt, ac maculis conſperſa nigris, pedes, cruraque rubra, ac roſtrum nigrum, frigidis viuit regionibus, ſylueſtribuſque, & fera habetur auis, dum canit colto videtur proferre, & ob hoc apud Panucenſes huius obtinuit à cantu nomen.

De Hoauhtototl. Cap. LVII.

ITa vocata eſt, quòd apparere in his Regionibus conſueſcat, à meſſe Tlaolli, proueniente iam Hoauhtli: maior eſt paſſere noſtrate, pedibus, ac roſtro, fuſcis, cæteris coccineis, ſi tamen dempſeris caput, dorſum, & alas, quæ viridi diluto tamen conſtant colore. Coturnicis penè more canit, edulis eſt, & alba caro, nec malum, ingratiue ſaporis præbet alimentum, ſed tenerum, ac multis ſuaue; includitur caueis, veſcitúrque frumento hiſpanico, & indico.

De Hoexotototl, ſeu Aue Saligna. Cap. LVIII.

HOexotototl, ſeu Auis vocata Saligna, quoniam circa Salices magna ex parte verſatur, modica eſt, ac Paſſeris parui magnitudine, fuſca, ac pallens promiſcuè tota, pedibus, ac roſtro nigris, tenero, ac grato alimento, nec cantu iniucundo, imitatur enim occentu noſtros Cardueles, alitur Chian, & indico frumento in puluerem redacto. Aduena eſt huic Prouinciæ, ſtatiſque ad eam procedit temporibus, cùm alibi educet ſobolem.

De Huexolotl. Cap. LIX.

GAllus eſt Indicus, quem Gallipauonem quidam vocant, norúntque omnes: reperiuntur alij ſylueſtres, duplo domeſticis maiores, duriore, & inſuauiori alimonià, cætera ſimiles, qui interdum ſagittis, interdum verò, tormentorum bellicorum vi ſolent interimi. Sunt & fœminæ, in ſupradicto genere Cihuatotolin vocatæ, quæ maribus ſunt viliores, *etſi gratiſſimo atque* ſalubri alimento, cedente tamen ei, quod ſúmitur à noſtratibus, ob humiditatem & pinguedinem quandam nimiam, & nauſeam mouentem aliquibus delicatioris palati.

De Hoilotl. iterum Cap. LX.

SVnt inter Columbas huius Orbis, quædam montanæ maximæ omnium, ac domeſticis ferè pares, vergentes in colorem purpureum, candidis humeris, coccineo roſtro ac pedibus, eduli, ſed dura carne, & nutrimento parum iucundo. Sunt & aliæ etiam ſylueſtres, coloris fului, ſed tamen diluti, pedes tamen ac roſtrum rubeſcentes, quibus vngues nigri ſunt, humeri vero albi.

De Hoactzin altera. Cap. LXI.

FVſca Auis eſt, Hiſpanicæ gallinæ circiter magnitudine, cuius oculi nigricãt, cantus verò ſimilis eſt vocatæ Calandriæ iucundus, ac ſonorus; quin homine conſpecto videtur ridere, aut irridere eum: non miteſcit, edulis eſt, quanquam nec tenera carne conſtet, nec bono ſit expetibilis alimento.

De Hoitzilaztatl. Cap. LXII.

ARdeæ ſpecies eſt mirandæ paruitatis, ſi cæteris ſui generis comparetur, vix enim æquat Columbam, candidiſſima eſt, ac cæterarum Ardearum for-

ma, roſtro tamẽ purpureo, ſi eam partem excipias, quæ præeſt exortui: illa enim lutea eſt, pedibus pallidis, purpuraſcentibus cruribus, & vnguibus fuſcis. Veſcitur piſcibus, quos in lacubus vbi verſatur, altero ad ſe actos pede, roſtro inuolare ſolet.

De Yztactzonyayauhqui, ſeu Aue varij capitis. Cap. LXIII.

ANatis feræ, palmipediſque ſpecies eſt, roſtro nigro, mediocriter lato, vniuerſo pẽnè corpore candenti, nigro atque cinereo, ſed circa collum, & caput purpureo, albo, cyaneo, viridi, ac ad ſolis repercuſſus, lapidis, veſtiſue heliotropiæ inſtar vario, atque pauonino; palmæ, cruraque rubra ſunt, alimentum verò quale cęterarum paluſtrium, lacui ſiquidem Mexicano aduena eſt: Illud minimè prætereundum, Anatis id genus non gradiri, ſed natare velut, & Acitli, ceu lepus aquatilis, & vtriſque crura eſſe eodem modo, natatui tamen cõceſſa, minimè ad inceſſum, vt quæ extremo adhæreſcant, & cõglutinentur corpori, velut Auibus monſtrificis, & quæ fortaſſe cæteris alijs genitis, à rerum natura raritate, & ſingulari fabrica minimè cedant.

De Colcanauhtlicioatl. Cap. LXIV.

ANatis ſylueſtris genus eſt Colcanauhtli, fuſca maiori ex parte ſupernè, & aliquantiſper candens, infernè verò alba, & partim fuſca præter alas, quę infernè prorſus candidæ ſunt. Caput eſt ſuperiori partę nigrum, atque cinereum, ſed in atrum pręcipuè colorem inclinans, inferiori verò magis in cinereum, palmipes eſt, crura, ac pedes è pallido rubeſcunt, roſtrum eſt ſupernè nigrum, infernè autem, ac circa latera fuluum, verſatur iuxta ſtagnantes aquas & loca paluſtria.

De Quachichil. Cap. LXV.

AVicula eſt Hoitzitzillin paulò maior infernè candicans, ſupernè verò vireſcens, etſi caput coccineis, quibuſdam exornetur plumis, ac femora nigris, pedes ac roſtrum nigra ſunt. Viuit in frigidis regionibus, & cauea incluſa ſuauiter canit.

De Concanauhtli. Cap. LXVI.

GEnus eſt Anatis magnæ Lauanco noſtrati ſimilis, quam ob eam rem, non curauimus depingendam.

De Ytzquauhtli ſeu Aquila nouaculæ. Cap. LXVII.

AQuilæ ſpecies eſt paulo Tlacoquauhtli maior, acriorque, Aues enim magnas, & lepores ipſos perſequitur, infeſtat, ac rapit, color eſt promiſcuè pullus ac niger, candido, & fuluo quandoque permixtis: frigidis locis degit, ac raptu viuit.

De

De Yacapitzahoac Mare, seu Aue rostri mucronati. Cap. LXVIII.

ANatis sylvestris species est, querquedula vocata paulo maior, rostro gracili, ac breui infernè fuluo, ac desuper nigro, cruribus planis, interna parte cinereis, externa vero nigris; digitis ternis diuisis inter se, sed tenuibus, latis, & ex albo nigrescentibus; caudam, aut nullam habet, aut breuissimam: inferna corporis argentea sunt, superiora verò cum capite, & anteriori parte colli quibusdam licet plumis albis permixtis nigra, quod alis quoque vsuuenire solet, oculi nigri sunt, Iris rubra, reliqua verò natura, quæ Anatibus feris inesse consueuit.

De Yacatopil seu rostro sudis. Cap. LXIX.

AVis est Yacatopil Columbi sylvestris magnitudine, rostro quatuor digitos longo, tenui, pallidoque, sed magna ex parte nigro, cruribus luteis, pedibus eiusdem coloris in quaternos digitos diuisis; color vniuersi corporis, alarum, & caudæ ex albo, cinereo, nigro, & fusco permixtus est, sed inferiora simul cum cauda album magis participant, reliquæ verò partes, cęteris quos diximus prędita sunt coloribus. Aduena ergo est huic Plagæ, & quo tempore ad eam se confert, ad lacum versatur Mexicanum; vescitur vermibus, & sapore constat, nutrimentóque aliarum sylvestrium Anatum, nec tamen tergiuersari licet, in differentias earum quas vocant Gallinularum esse referendam.

De Yacatexotli, seu rostro cyaneo. Cap LXV.

ANatis pene domesticę constat Yacatexotli magnitudine, estque inter Anatas lacustres, & feras similiter adnumeranda; rostro constans lato, & circa extremum obrotundo, coloris supernè cyanei, infernè verò ex albo rubescentis, candescentibus cruribus, è nigro, atque etiam palmis, pennarum superni corporis color fuluus est, inferni verò ex argenteo nigricat, alæ subtus cinereę sunt, superna vero parte nigræ, reliqua natura, quę Anatibus lacustribus, & feris esse solet.

De Yxcuicuil, seu Oculo picto. Cap. LXXI.

PAsseris est magnitudine, & colore, præterquam quod superiores plumæ fuluæ magis videntur, & circa rostrum, capûtque nigrescunt nonnullæ, aliæ verò pallescunt ex albo; edulis est eius caro, sed non satis boni aut grati alimenti; caueis inclusa iucundè canit, vermiculis, alijsque similibus ali solet, & in frigidis Regionibus versari.

De Yexixouhqui, seu Aue cyaneorum pedum. Cap. LXXII.

PErsimilis est hęc Auis magnitudine, forma, colore, rostroque ei, quam apud Hispanos Toletanum Regnum incolentes *Andario* vocari est consueta, sed caput candicantibus tegitur plumis, nec rostrum adeò est in superiorem partem contortum; iuxta lacus versatur Prouinciæ Mexicensis, ad quam singulis quibusque annis statо tempore diuertere solet.

De

De Yohaltecolotl, seu Bubone nocturno. Cap. LXXIII.

BVbonis species est frigidis proueniens Regionibus, nec tamen aurita, eadem magnitudine, & plumarum colore, quo Noctua circiter constans, sed caput multis plumis magnis, ac velut crispis flocco non dissimilibus amplificato.

De Yohoalcoachillin. Cap. LXXV.

TErtia species est Fulicæ recentiorum, eademque constans magnitudine, forma, caluitię, & rostro; quanquam non parum distet colore, rostrum enim rubeum est, ac luteum propè extrema, plumæ infernè, ac circa collum, & caput purpureæ sunt, supernè verò ex pallido viresccntes, cyaneæ, & fuluæ, frigidis autem viuit Regionibus.

De Yllamatototl, seu Aue vetula. Cap. LXXV.

PAsseri nostrati similis est, magnitudine, forma, & colore, paulo tamen maior, cauda infernè fulueścente, ventre albo, pectoreque, & collo infernè russo, bono constat, & grato nutrimento.

De Yxamatzcatltototl, seu Aue candenti colore illita oculos. Cap. LXXVI.

MAgnitudine est, ac voce Passeris, colore subtus pallenti, circa alas verò, & caudam albo, capite fusco, sed partibus, quæ propinquę oculis sunt candentibus, vnde nomen; pedes, rostrumque cyanei, exaturatique sunt coloris; edulis est, sed apud homines paulo sagacioris palati parum expetiti nutrimenti.

De Miacatototl, seu Aue Germinis Maizij. Cap. LXXVII.

AVicula est satis parua, ita nuncupata, quòd germinibus Maizij insidere soleat, ventre pallenti, ac reliquo corpore nigro, plumis tamen candentibus interseritis, alæ, caudaque infernè cinerea sunt, frigidis degit locis, ac bono constat alimento.

De Tempatlahoac altera, seu Aue lati rostri. Cap. LXXVIII.

de altera supra. Io. Fabr. fol. 697.

ANatis feræ genus est Tempatlahoac domesticę magnitudine, rostro lato, & longo, vndequaque nigrante, lingua alba, cruribus, palmisque è pallido rubescentibus, collo, & capite viridibus, purpureis, & nigro splendentibus colore, adeoque pauonino, aut gemmæ heliotropię; oculi nigri sunt, pallens iris, pectus candens, & reliquum corpus infernè fuluum, sed binis maculis iuxta caudam vtrinque candentibus insignitum, supernè autem semicirculis quibusdam in ambitu ex albo tendentibus in fuscum, intra verò è nigro in viridem

splen-

ſplendentem, alæ initio cyaneæ ſunt, mox candidæ, & tandem virenti micantes ſplendore, earumdem tamen extrema altero latere fulua ſunt, altero verò fulgida, & viridia. Cauda deſuper, ſubterque per ambitum candeſcit, cæterùm infernè atra eſt, pauonina verò ſupernè. Aduena eſt lacui Mexicano, & qualem aliæ lacuſtres Aues ſolent, præſtat alimoniam. Hirundinem Indigenæ Hiſpani vocant.

De Mocotototl, ſeu Aue quæ alitur herba vocata Mocoqlitl. Cap. LXXIX.

FVſca Auis eſt, pallido tamen colore permixto, pectus candet, ac ſubtus cauda, pedes, roſtrumque coccinea ſunt, & ſturni magnitudo, canit ſuauiter, caueiſque detinetur incluſa, veſcitur maſſa, ac maizio trito, gratóque & ſalubri conſtat alimento. Eſt & hæc Aduena Mexicano lacui, calidarumque Regionum alumna, altipetaque iucunda, & hilaris.

De Chietottotl. Cap. LXXX.

AVis eſt Turdo viſciuoro noſtrati, forma, & magnitudine ſimilis, ſed cinerea tota, ſi demas partes quæ circa ventrem poſtremũ, & ſub mento ſunt, vbi candeſcũt pennę: pedes ſunt pulli, verùm crura è pullo vergunt in candidũ, roſtrum incuruum, ſed tenue, cuius ſuperior pars, longior viſitur inferna; in frigidis regionibus viuit, nec malo, ingratóue conſtat alimento.

De Nochtototl ſeu Aue. . . . Cap. LXXXI.

AVis vocata Nochtototl, ſeu ob colorem, ſeu ob pabulum, Hiſpanico paſſeri videtur par, forma, magnitudine, & colore, ſed caput mentum, ac deſuper exortus ipſe caudæ coccineo colore tingitur, reliquum corpus, magna ex parte fuſco, aliàs verò nigro, atque candenti: caueis ſolet includi, ac Carduelles noſtrates imitari cantu.

De Nexhoitzillin, ſeu Hoitzillin cinereo. Cap. LXXXII.

AVicula eſt paruitatis viſendæ, roſtro aliquantiſper incuruo, tenui, & longitudine vniuerſum pene corpus æquante, plumæ quæ paruulæ ſunt, nigro, virenti, ſuluóque colore micant; ex his mira Indorũ opificia, mira huius generis natura, dicta à nobis alibi eſt. Viuit frigidis in locis, ac interdum calentibus, cuius ſunt non paucæ ſpecies à nobis alibi magna ex parte numeratæ.

De Nexton. Cap. LXXXIII.

AVis eſt Columbæ magnitudine perſimilis, verùm corpore magna ex parte cinereo, ventre ac collo infernè albo, pedibus, ac cruribus, roſtroque nigris, quod eſt pro magnitudine corporis nimis incuruum, etſi circa extremũ tenue. Caueis incluſa iucundè modulatur, Regionibus frigidis degit, nidificat in arboribus, veſcitur ſeminibus, vermiculiſq. & ſalubre, gratumque exhibet alimentum, ſunt qui Nextototl vocent.

De

De Nextototl. Cap.LXXXIV.

AVis eſt, Columbis noſtratibus paulò minor, coloris magna ex parte cinerei; ventre, collóque inferna parte albis, pedibus, cruribus, & roſtro nigris.

De Ococolin, ſeu Perdice montana. Cap.LXXXV.

PErdicis ſpecies eſt Ococolin, noſtrate maior, duas enim ſpithamas & trientem æquat lõgitudine, à roſtro extremo ad vltimos vſque pedes, craſſitudine quoque excedens eamdem: roſtrum, crura, ac pedes candeſcunt è rubeo, totius corporis color fuſcus, pallens, & fuluus eſt. Alæ infernè cinereæ ſunt, ac pullæ ſupernè, maculiſque albis & fuluis diſtinctæ: caput, collumque magna ex parte fulueſcunt, & inſperguntur pullis, ac candentibus pennis, velut quę circa ſuperiorem capitis ſunt partem, in lateribus atque ſub roſtro nigris; oculi ſunt placidi, iris nigra, optimum, ac pergratum alimentum, & Coturnicis carni minimè cedens, etſi à noſtratium Perdicum alimento longè diſtet. Regionibus exultat temperatis, aut paulò frigidioribus, in feruentibus enim nec naſci, nec viuere gaudet.

De Ocotzinitzcan. Cap.LXXXVI.

AVis eſt, Columbæ magnitudine, roſtro nigro, craſſitudine, ac longitudine mediocri, colore cyaneo, ſed partim albo, atque cinereo, cruribus, pedibuſque, & vnguibus nigris, boni eſt ac grati alimenti; viuitque in frigidis locis.

De Oconenetl. Cap. LXXXVII.

PIci Marcij, genus eſt maximum, cuius puluis deuoratus (Indorum teſtimonio) medetur Hydropicis.

De Pepatzca, ſeu Anate ſplendenti. Cap. LXXXVIII.

ANatis feræ eſt ſpecies, Querquedulæ vocatæ forma, magnitudine, & totius corporis colore perſimilis, ſed capite ſubfuluo, tęnijſque viridibus ab occipitio in oculos procedentibus, infernè verò in cinereum colorem tendentibus ex albo, ac ſupernè variantibus interdum fuſco, aut fuluo, interdum vero viridi ac nigro; cruribus, palmiſque cinereis, roſtro atro, & illi Querquedulæ pari latitudine, ac nigrantibus oculis. Aduena eſt Mexicanæ paludi, nec potiore, gratioréue, quàm cæteris lacuſtribus contingat, nutrimento.

De Pipixcan, ſeu Aue furaci. Cap.LXXXIX.

GAuiæ, aut Lari eſt genus, haud diſſimile cinereæ, quam quidam recentiorum depinxerunt, tum magnitudine, tum etiam colore, ſed vertice, ac roſtro nigris, quod etiam eſt modicè incuruum, ac prope extremum rubeſcens. Crura, è nigro vergunt in ſanguineum colorem, cauda extrema deſuper

ſuper cinerea eſt, ſicut alarum poſtremæ partes partim albæ, ac partim nigræ; candentibus tamen maculis paruis per interualla interſertis. Circa lacus, & flumina verſatur, piſcibuſque paruis, & vermiculis victitat. Aduena eſt, neque educat ſtagnis Mexicanis prolem; edulis eſt, ſed minimè probato nutrimento, aquatiliſque, clamitat, rodit oſſa, ac quiduis obuium edit.

De Pipizton, ſeu Auicula ſplendenti. Cap. XC.

AVicula eſt, Coltotl vocatæ adeò ſimilis, vt vix alteram, ab altera diſcernere, atque ſeparare poſſis: eadémque ferè natura, quamobrem de ea plura dicere ſuperſedeo.

De Poxaqua. Cap. XCI.

GEnus eſt Oti, aut Aſionis, naturà noſtratibus ſimilis, ſed diuerſus formà, quamobrem pingendum curauimus.

De Quauhtotli. Cap. XCII.

QVam Auem, Recentiores ſacrum Falconem nuncupant, Mexicani Quauhtotli, ſeu Arborum Accipitrum vocare conſueuerunt. Eam Auem ad nos allatam, pingi noluimus, quòd in omnibus, cum noſtratè ferè conueniat. Fateor Accipitrum omne genus, apud hanc nouam Hiſpaniam, Yucatanicámue Prouinciam, repertum, præſtantius eſſe, atque animoſius, in veteri Orbe natis: verùm cùm formà, atque naturà conueniant, non duxi interponendum noſtris Imaginibus.

De Cocoztli, ſeu Auicula lutea. Cap. XCIII.

AVicula eſt, Cardueli cantu ſimilis, necnon & magnitudine, verùm è luteo, in fuſcum inclinans colorem.

De Quauhchochopitli, ſeu Auicula ligna excauante. Cap. XCIV.

AVicula eſt, Mexicanæ Coturnicis formà, & magnitudine, plumis nigris, aut pullis, lineis albis, tranſuerſim diſcurrentibus diſtinctis; ventre, pectoréque, minij colore; lingua picorum more, quorum eſt ſpecies prolixa: viuit in frigidis, & arbores roſtro ſæpiuſculè petitas excauat.

De Ecatototl, ſeu Aue venti. Cap. XCV.

ANate domeſtica, paulò minor eſt Ecatototl; roſtro atro, tenui, obrotundo, ac propè extrema contorto, inferna teguntnr plumis candentibus, ſuperna verò iuxta femora fuluis, lineis tamen quibuſdam nigris intercurſantibus, iuxta reliquum verò fuluis, & obſcuris. Alæ ſunt ſubter cinereæ, ſupernè verò fuſcæ, candidæ, atque nigreſcentes. Caput atrum eſt, & criſtatum, ſed ab occipitio maculæ candidæ vtrinque procedunt ad oculos; hi nigreſcunt, palleſcitque Iris, cætera lacuſtribus Anatibus ſunt ſimilia. Atecatototl fœmina, mari ſimilis eſt, ſed criſta maiori, rotunda, & coronæ modo eminenti, pau-

liſpérque candida: pectus è fuſco vergit, in cinereum, venter candet, palmipes eſt, crura pullo colore tincta, & plumæ, quæ non longius ab illis oriuntur. Cauda rotunda, candido pullóque infernè colore variata, ac fuſca ſupernè. Alę ſubtus cinereæ ſunt, candidæ, ac pullæ, deſuper vero nigræ, etſi candentes quædam pennæ interſerantur: reliqua natura, quæ mari.

De Hoinetli, ſeu Aue incurua. Cap. XCVI.

SPecies eſt Accipitris, Aſturis ferè magnitudine, maiori tamen capite, roſtro incuruo, ac nigro, cruribus luteis, incuruis vnguibus, cauda ſpithamam longa, lataque, & magnis alis, pennarum color ſubtus candens eſt, fuluis variatus plumis, nigriſque iuxta alas, atris verò ſupernè, fuſcis, fuluis atque candentibus: oculi viuidi ſunt, & nigri, ſed iris lutea, viuit ex rapto auicularum paruarum, & imbellium.

De Quauhcilni. Cap. XCVII.

AVicula eſt Paſſeri noſtrati magnitudine ſimilis, roſtro tenui, & nigro, vnciam vnicam longo; collo, & ventre extrinſecus candentibus, ſed extrinſecus (ſi plumæ explicentur) nigris, reliquum corpus promiſcuè album, fuſcum, & nigrum eſt, & pedes, cruráque nigra. Aduena, eſt huic Mexicanæ paludi, muſciſque, & lacuſtribus victitat animalibus, edulis neque ſemper inſuauis alimoniæ: interdum ſiquidem pingueſcit, & ſuaue præbet alimentum: ſpecies verò Tzitzicuilotl, ſed alimoniæ minus commendabilis.

De Tlalacatl, ſeu Anſere Montano. Cap. XCVIII.

ANſer montanus eſt Tlalacatl domeſtico ſimilis, ſed pullo magna ex parte conſtans roſtro, & cruribus ex rubro candeſcentibus, cætera partim alba ſunt partim vero fuſca, fulua, & nigra. Scio anſeri ſylueſtri noſtrati aut omnino eundem eſſe, aut congenerem, ſed interim patiantur lectores vnam, aut alteram Auem ex noſtratibus tot peregrinis, Indiciſque, vel quòd hic etiam proueniant, interſeri, nè vel vna ex peregrinis quarum facta mihi copia eſt lateret conterraneos, quorum vſui, & iucunditati ſemper pro viribus ſtuduimus.

De Quatoztli. Cap. XCIX.

AVicula eſt Carduele minor, pullo, ac nigro colore conſperſa, ſed poſtremo corpore, ac circa caput pallens, viuit in frigidis, ſonatque Tzitzi. Eſt & alia Auicula eodem nomine, ac penè magnitudine, vt plurimum lutea, ſed fuſcis quibuſdam iuxta caudam pennis circa pectus, collúmque candentibus, & alijs rubeſcentibus è pallido criſtata, cuius pedes ex pallido quoque rubeſcũt, nigreſcuntque oculi, ac roſtrum. Viuit in Tetzocanis montibus, edulis eſt, includiturque caueis delitiarum gratia, etiamſi ſuaui cantu vigeat nullo.

De Yzquauhtli. Cap. C.

AQuilæ pulcherrimum eſt, & criſtatum genus, roſtro ad radicẽ luteo, deinde verò nigro, nigris vnguibus, pedibus pallidis, cruribus, ventreque è nigro,

è nigro, & candido permixtis, fuluo, collo, dorso, & cauda nigris, ac fuscis; coronà, cristàue nigra, atque subrecta: magnitudinem circiter æquat vulgaris Arietis, adeò vt vel ferocium Animalium audaciam, & homines etiam ipsos postquam cicurata est, leui ex causa aggrediatur, & inuolet; miteſcit tamen, & aucupio non minus ac reliquum Accipitrum genus videtur idonea, atque inseruire solet. Auis digna vt quæ à regijs aucupibus alatur, ac circumferatur: querula est, morosa, feroxque; & venatur non Aues modo, verùm & lepores, aliaque Animalia his similia.

De Tepetototl. Cap. CI.

TEpetototl, seu montana Auis, quam alij Tecuocholli. Hispani vero Indigenæ *Phasianum* vocant, Auis est Anseris magnitudine, colore splendenti, nigroque, plumis tamen nonnullis infernè candentibus circa caudam in postremis alis: cruribus, pedibusque cinereis, rostro incuruo, partim cinereo, & partim luteo, ac circa radicem velut tumenti, crista plicatili, oculis nigris, sed pallenti Iride; alitur frumentaceis frugibus, seu in massam, seu in panem coactis, alijsque similibus esculentis. Edulis est, ac pinguis caro, nec dissimilis illi Indicarum Cohortalium: Mite Animal, hominis amicum, & quod cibũ apprehenso domesticorum pallio exigat, pulsetque clausam ianuam, vbi aliquò intrare ei opus sit, rostro, herumque sequatur si liberum sit, venientemque alacriter applaudensque excipiat.

De Tecolotl. Cap. CII.

BVbonis auriti, visendi aspectus species est, nigroque, ac fusco colore varij, cuius oculi magni, aureique sunt, cætera reliquorum *Bubonum* naturæ similia.

De Tlacoquauhtli. Cap. CIII.

TLacoquauhtli, seu Aquila virgæ, genus est Aquilæ frigidis degens regionibus, Asturis magnitudine, colore fusco, & cinereo, Auiculas, mures, & lacertas rapiens, necnon Colotos, & inde victum sibi parans.

De Tzitzihoa Mare. Cap. CIV.

ANatis feræ genus est, domesticæ magnitudine, rostro cæruleo, longo æqualiter, ac mediocriter crasso, cruribus, palmisque cinereis; capite fuluo, & pauonino variato virore, torque verò, pectoreque & maiori parte corporis infernè candentibus, cætero qualis esse solet vocatorum Asturum colore, & candenti vtrinque iuxta caudam, quæ per ambitum alba est, subtus nigra, supernè verò candido colore, nigro, & fusco variato, binisque prolixioribus pennis nigricantibus insignis. Alæ infernè per ambitum argenteæ sunt, & circa medium cinereæ, supernè verò circa humeros cinereæ quoquè sunt, mox è pallido rubescentes, deinde nitidæ, atque pauoninę, rursus albæ, ac tandem alterutra extremorum parte cinereæ, altera verò paulisper virides, atque splen-

dentes. Euariat non nihil fœmina vt videri poteſt: in ea quam exhibemus imagine.

De Toltecoloctli Mare, ſeu Metzcanauhtli 1. Aue lunari. Cap. CV.

ANatis feræ genus eſt Auis illa, quæ quoniam ſplendente noctu luna capi ſolet, Metzcanauhtli dicitur, Querquedulę vocatæ magnitudine proxima; ſed omnium (vt mihi quidem videtur) pulcherrima. Roſtrum eſt mediocriter latum, ac longum, ſupernè cyaneum, & infernè nigrum, vniuerſum corpus candens, nigris diſtinguitur punctis, ſed iuxta pectus frequentioribus. Alæ infernè candentes, & fuſcæ ſunt, ſupernè vero cyaneæ, albæ, virides, fuluæ, & nigrę promiſcuè reperiunrur. Crura palmæque ex pallido rubeſcunt, caput partim ſubfuluum, & ſubnigrum eſt, & partim pauoninum colorem imitatur, inter roſtrum verò, atque oculos (qui mediocres magnitudine, nigri, ac velut exerti viſuntur) candida macula ſupernà parte latiori, infernà verò deſinente in in anguſtum eſt inſignitum: cauda infernè cyanea eſt, ſupernè ſubnigra, & albeſcens in ambitu; nutrimentum autem quod præbet, quale aliarum auium paluſtrium.

De Toltecoloctli fœmina, ſeu Aue Stertrice Iunceti. Cap. CVI.

ANatis ſylueſtris genus eſt, aduenæ huic Mexicano lacui, cuius roſtrum apparet nigrum, ac latum mediocriter, palmæ, cruraque cinerea, color corporis vniuerſi, & alarum, albus magna ex parte infernè eſt, admixto colore nigro: ſupernè verò, vt plurimum niger permixtus circa pennarum ambitum fulueſcenti, ac candido, & circa alas extremas interdum viridi, ſplendenti, aut pauonino: nutrimento conſtat, quali cæteræ aues paluſtres.

De Tolchiquatli, ſiue Noctua Iunceti. Cap. CVII.

NOctuæ ſpecies eſt Tolchiquatli, quæ licet paruo conſtet corpore, ſi plumis veſtitam, auctamque conſideres, metiariſque, Gallinas cohortales noſtras magnitudine æquare iudices; oculi magni ſunt, atrique, pallida Iris, roſtrum nigrum, incuruum, & breue, pedes, cruraque impensè hiſpida, & ex albo pauliſper fulueſcentia, incurui, atrique vngues, plumæ circa roſtrum albę, atque candentes iuxta ventrem, iuxta alas infernè nigræ, ac permixtim fuluæ, ſupernè verò nigræ, pallidæ, candidæ, ac fuluæ. Sunt autem eædem prolixæ velut cauda: nocte volat, quo tempore venatur, ac deuorat mures: verſatur iuxta lacus, & Oppida, & fortè in vllularum, & Aluconum referenda genus.

De Tzonyayauhqui mare, ſeu Aue Capitis varij. Cap. CVIII.

ANatis feræ ſpecies eſt, circa lacus agens vitam, ac magnitudine domeſticæ pene par: roſtro lato, cyaneo ſupernè, binis tantùm maculis interſtincto, altera in extremi roſtri exerta quadam, tenuique, qua mordet, particula, infernè verò ex cyaneo nigreſcente. Cruribus breuibus, ac cæruleis, quales palmę quoque ſunt, pallido tamen colore interdum inſperſo; capite, & collo craſſis, iuxta latera pauonino colore, aliquando tamen nigriore vertice: pectus

nigrum

nigrum est: ventris, ac corporis latera candescentia, etsi caudam lineæ nigræ transuersim discurrentes condecorent: dorsum fascia nigra fulueſcente latà digitos tres, ac in extremum vsque caudæ procedente insignitur; Demum alæ nigro, fuluo, candido, atque cinereo promiscuè tinguntur colore. Indigena quoque auis est, & lenta, crassaque constat alimonia.

De Tzonyayauhqui fœmina, Cap. CIX.

MInori corpore fœmina constat, rostro lato, cyaneoque, & alicubi candenti commaculato colore, oculis nigris, & iride fulua: color vniuersi cór. poris è candido, nigro, & fuluo permixtus est: quamquam venter albus magis, alæ verò sint maiori ex parte nigræ; crura, palmæque eumdem quem corpus sortiuntur colorem: est etiam similis Mari, naturâ, atque nutrimento.

De Techictli. Cap. CX.

TEchictli, seu auis sese scalpens ad arundines, Auicula est Carduele minor, cuius pedes, ac crura rubra sunt; breue rostrum, acutum, & tenue, & superna parte nigrum, inferna vero album, non sine rubedine quadam, pennæ pectoris, ac ventris candidæ, & caput magnum cum quadam fuluedine, quæ per medium eius discurrit: alæ item fuluæ sunt, maculis nigris, atque cinereis intermixtis; cauda supernè, atque infernè, *Asturis* vocati caudam colorum varietate imitatur. Edulis est, ac bono constat alimento. Educat vere prolem, & ad Trogloditis species videtur pertinere. Est & alia Auis eodem nomine, sed vincens magnitudine, rostro tenui, longioreque, & colore totius corporis è fusco, & cinereo promiscuè commixto.

De Tozcacoztli Mare, *seu gutturis pallidi.* Cap. CXI.

AVicula est Cardueli nostrati pene par, cruribus ex albo rubescentibus, rostro breui, acuminato, tenuique, supernè nigro, infernè verò ex albo (qualia etiam crura sunt) pauliſper rubescente; inferna corporis lutea sunt, superna partim lutea, ac partim cyanea: alæ infernè cinereæ, supernè verò ex fusco pallescentes, velut & cauda; oculi nigri, fascia quoque nigra ab ortu rostri per vtrumque oculum ad pectus vsque procedit: caueis inclusa alitur concentus gratia, qui est illi, etsi exilis, impense tamen suauis. Vescitur Culicibus; Indigena est Mexicanæ huius Prouinciæ, cuius generis fœmina Cocochatlcioatl dicitur. Estur vtriusque caro, neque est alimenti omnino contemnendi. Sunt qui Quicochatl oquichtli vocent.

De Tzopilotl, siue Aura. Cap. CXII.

Habetur supra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 11. *fol.* 331.

De Tlaltepetlachiquatli, seu Otide saxorum. Cap. CXIII.

DVas species peregrinas huius auis adhuc offendi, & particulari quadam forma spectandas, quas facile ex imagine, qui volet deprehendet, quarũ alteram Tlalchiquatli, alteram vero Poxaquam nominant.

De

De Tlalchinoltototl, seu Aue combusta. Cap. CXIV.

PAsseri nostrati magnitudine, forma, & colore similis ferè est; caueisque inclusa, non minus Carduele cantu placida.

De Tetzonpan. Cap. CXV.

AVis est Sturni aut Centzonpantli magnitudine, cinereo, candido, pullo, atque nigro colore; cantu præcellens, & altera illius species, vt credi par est.

De Tlapalchichi, seu Confricatrice rubea. Cap. CXVI.

OB motum, quo confricari videtur, id sortita est nomen. Est autem auicula Cardueli par, rarò sese conspicindam, aut capiendam præbens: frigida loca incolit, mille variatur coloribus visu iucundis, pulcherrimisque; partim siquidem cærulea est, & partim è viridi, aut rubeo pallescit, partim verò apparet flammea, rostrum supernè nigricat, ac albicat infernè, breue quidem, & si longitudini crassitudinem compares, crassiusculum: edulis est, & bono, gratoque constat alimento.

De Toznene. Cap. CXVII.

PSittaci id genus, viridi ac luteo colore micat, oculi rubeo, rostrum verò candenti, aut nigro; fusco pedes, sed in candidum inclinante: propensius est, aptiusque ad humanos sermones exprimendos cæteris, ac frequentius apud Hispanos. Alterum genus vocant Cochò, viridi colore, rubeo, & candenti capite, minorisque molis, quod loquax quoque est, nec admodùm dissimile precedenti, quamuis sono differt. Hos Psittacos vocant Hispani *Catherinas*. Tertium Quiltoton, tinctum virore, vocatæ Calandriæ, aut Galeritæ non cristatæ magnitudine, frontem candida macula insignitum, rostro candido, & nigris pedibus, humanas voces imitatur, & gregatim cum congeneribus volat, cùm cæteri compares tantùm reperiantur; omnes verò in excelsis arboribus nidificant. Primum de quo diximus genus, certas, statasque Arbores, quas nunquã deserat eligit; quæ cùm in hæredes transeant, Dominis illarum sint haud parùm, vel ob eas aues, & plumarum spolium vtiles. Sunt & quas Haitinihuacamaias vocant, Mexicani verò Alo, totæ rubeæ præter humeros, & caudam, quæ cyanea sunt, & Gallinæ cohortalis nostrę circiter magnitudine, rostro magno, candenti, & resimo, pedibus nigris, ac carne similiter nigra, ex quibus nonnullæ offenduntur, quæ humanum sermonem edoctæ æmulentur, rusticè tamen, & inconditè, filiosque suos more aliarum domesticarum auium educent in domibus, vbi aluntur. Offendas & alias virore diluto tinctas, nigrante rostro, pedibusque, cauda, & humeris virore tinctis ex saturato, nec prefatis minores. Viuunt hæ iuxta montium cacumina, & excelsas Pinus, ac clamant vehementer, volantque binę, sunt & montanę incondità formà, quę nõ cicurantur, aut aluntur domi. Nullius earum est caro edulis: nam & atra est, & gustus iniucundi; commune est omnibus vtramque maxillam mouere, quod

nulli

nulli aliorum contingit Animalium; ſunt & alia genera de quibus ſeorſim loquemur, ac fortaſſis de prædictis latius per otium.

De Tzitzicuilotl. Cap. CXVIII.

AVis eſt fuſca, ſed diluti coloris, quæ imbribus apparere ſolet decidentibus, atque exultare, vnde euenit ei nomen; pedibus longis, ac nigris, tenui, ac longo collo; roſtro prolixo, nigróque; eduli, ac pingui carne, grato ſapore, ſed alimento pituitoſo, & olente ſalſuginem. Sunt & aliæ minores eadem forma, & magnitudine, nec deſunt qui eas omnes nominent Atzitzicuilotl.

De Tlalquipatli. Cap. CXVIX.

ALtera ſpecies eſt Oti peregrina, cornutáque, aut ſi mauis auriculata, paruo conſtans corpore, roſtro reſimo, ac breui; oculis nigris, Iri ex luteo rubeſcente, plumis totius corporis, quibus & crura veſtiuntur, fuſcis, atque cinereis, atriſque, & incuruis vnguibus: cætera verò Oto noſtrati natura.

De Xiuhtototl, ſeu herbarum Aue. Cap. CXX.

AVicula eſt Paſſere noſtrate paulò maior, ſed tot ſpectandis coloribus variata, vt nequeant non eſſe viſu gratiſſima: corpus, caput, collumque plumis teguntur cyaneis, non ſine quibuſdam fuluis permixtis: cauda nigra eſt, ſed candens circa extrema: Alæ infernè cinereæ ſunt, ſupernè verò partim cyaneæ, partim fuluæ, ac partim etiam nigræ, roſtrum breue, craſſiuſculum, vergenſque in fuſcum ex albo, & pedes cruraque pulla: in caueis incluſa garrit, non inſuauiter. Edulis eſt, & ſapore, nutrimentoque conſtat quale cæteræ auiculæ præbere ſolent. Sunt qui Elotototl vocent.

De Xalcuani, ſeu Aue Arenam deglutiente. Cap. CXXI.

ANatis feræ ſpecies eſt Xalcuani, domeſticâ paulò minor, roſtro mediocriter lato, liuentiſque ſuperna parte coloris ad exortum, atque extremum, & infernè nigro; plumis infernè, corpus tegentibus albis, circa pectus, tamen, & ſupernam in partem fuluis, ſed candidis diſcurrẽtibus tranſuerſim; alis, caudàque virenti, candido, nigro, ac fuſco colore variantibus deſuper, ſubter verò albis, atque cinereis; circa caput viridi ab occipitio ad oculos diſcurrente tænia, reliquo vero capite ex albo vergente in colorem cinereum, pullo, nigreſcente, permixto: cruribus proportione reliqui corporis paruis, pulli coloris, ac planis pedibus. Aduena eſt huic lacui, ſaporis piſcoſi, atque ingrati nutrimenti.

De Xochitototl. Cap. CXXII.

AVis eſt Sturni magnitudine, ventre, pectore, & cauda, magna ex parte croceis, non ſine mixtione coloris atri; alis ſubter cinereis, ſupernè atro, & candenti colore permixtis, reliquum corpus ſimul cum capite atrum eſt: cantu Picas imitatur, ac eduli carne conſtat. Hæc eſt eadem illa quam Coztototl ſupra vocauimus, mutatis tamen temporis progreſſu pennis.

De

De Tzonyayauhqui tertia. Cap. CXXIII.

DVas alias Aues ſimilis nominis alibi deſcripſimus, hæc autem tertia Sturni æquat magnitudinem, quæ ſubtus eſt alba, ſuluàque, deſuper verò ex viridi palleſcens. Dextræ alæ exortus candet, ſulueſcitque, caput verò partim vireſcit, ac pallet, & partim nigricat; pars colli dextera nigra eſt, ſed roſtrũ atrum, pedes verò, & crura ex albo rubeſcunt, caueà incluſa, cantu ſuaui adſtantibus impensè grata eſſe ſolet.

De Xomotl. CapCXXIV.

AVis eſt dorſo & alis deſuper nigris, ac pectore fuſco: huius pennæ Indorum veſtibus intexi præcipuè ſolent; palmipes eſt, & criſtata, quod cùm naſcitur, percipitur euidentius.

De Xochitototl altera, ſeu Aue florida. Cap. CXXV.

AVicula eſt, Paſſeri noſtrati, forma, & magnitudine ſimilis; variat tamen plumarum colore, quæ partim pallent, partim nigricant, partim albæ ſunt, ac partim quoque fuſcæ: ſuaui cantu placet, quæuis incolit loca, vermiculis, ſeminibuſque veſcitur exilibus, nidum conſtruit ex arborum ramis pendulum, vbi etiam incubat ouis, neque eſt inſuaui aut vitiato nutrimento.

De Xoxouquihoactli. Cap. CXXVI.

NOmen ſortita eſt hæc Auis à voce, & ad Ardearum genera (vt mihi quidem videtur) pertinet, quamuis plurimùm diſtet magnitudine: plumę, quę ſubſunt alis, ventri, ac collo, cinereæ ſunt, quę verò caput tegunt purpureę, tænijs tamen digitum latis, vtrinque circumdantibus. Frons promiſcuè candens, & nigra eſt, caput verò inſignitum criſta, ſeptem concinnata purpuraſcentibus plumis. Alę ſunt cinereo, cęruleòque colore varię, pedes fuſci, nigri, atque pallentes; humeri, alarumque exortus candidi, roſtrum ſerratum, nigrum, pollicaris craſſitudinis, ac ſeptem prolixum vncias: crura ſpithamea, totaque ipſa auis ab extremo roſtro cum collo (quod ſeſquidodrantale eſt) ad pedes vſque tres dodrantes longa. Lacuſtris eſt auis, atque aduena Mexicanę paludi, apud quam quoque rarò capitur; fera eſt, & à Septentrionarijs Regionibus credita deſcendere in Mexicanas.

De Nepapantotl. Cap. CXXVII.

ANatis ferę genus eſt frequens Mexicanæ paludi, roſtro in acutum quadamtenus deſinente, cætera autem ſimilis, niſi quod nullum eſt genus coloris illas ornari ſolitum, quod huic ſoli non contingat, ſitque ei ſpectando ornamento, atque pulchritudini; vnde eſt ſortita nomen.

De

De Atototl, seu Aue Aquatica. Cap. CXXVIII.

ETsi non me latet Atototli, quam *Onocrotalum* Græci vocant, nostri verò *Alcatrazum* descriptam esse ab antiquis, ac veteri cognitam mundo, tamen quoniam rarò Hispanis visa est, variantque in ea describenda Authores, & lacui Mexicano quanquam aduena sit, tamen frequentissima, eam depingendam, & breuius exprimendam curauimus. Est ergo aquatica Auis, vnde nomen inuenit, cristata, palmipes, & olore longè maior, minime edulis, pennis vt plurimum ex candido inclinantibus in fuluum, etsi alæ maiori ex parte (quod Mari præcipuè euenit) nigrescant, nigris quoque vnguibus, pedibus verò, cruribusque, & rostro, quod palmos duos longum est candidis, & paruis circumseptum dentibus, ac iuxta finem incuruum, cauitate illa ingenti, & capacissima alimoniæ seruatrice, quæ ei subest, oculisque ex luteo rubescentibus. Piscibus, quos rapit victitat, & ideò iuxta lacus, fluminaque, necnon in ipso mari versari solet.

De Aue Paradisea. Cap. CXXIX.

Habetur supra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 6. *fol.* 317.

De Acitli, seu Aqueo lepore. Cap. CXXX.

de altera supra. Io. Fabr. fol. 686.

ALterum genus eius Anatis, quam *Colymbum* Aristoteles, Gaza verò *Vrinatricem* vocat, Acitli seu Aquatilem leporem consueuerunt vocare Mexicani: hæc eadem prorsus esset, quæ descripta, delineataq. à quibusdam recẽtiorum, nisi caput longè maiori insigniretur crista, atraque, venter colore argenteo splenderet, & collum infernè niueo, supernè verò è nigro vergente in fuscũ; lacubus innatat, ac iuxta eos perpetuò versatur: nam neque volandi potis est, neque per terram commodè incedendi, femoribus ita reliquo corpori connexis atque coalitis, vt natatui, non incessui queant inseruire: piscibus quos inuolat vescitur, victitatque; prolem in iuncetis, atque arundinetis educat, nec Anatum nostratium vulgarem vincit magnitudinem. Masculus aliquanto longior est corpore, collo, ac crista ampliori, rostrum fœminæ breuius est, nigrum, & vtrinque iuxta oculos plumis tectum fuluis, cùm Mas candentibus tegatur. Hæc est Auis illa, quam Indi fabulantur ventos euocare, vbi se peti sentit ab Aucupibus, quibus flantibus, turbatisque vndis, euertantur Cymbæ quibus nauigant, submerganturque eam insequentes, si quinque prius sagittis excussis arcu non contingat attingi, atque trucidari, & in cuius dissectæ corde reperiri gemmam arbitrentur, ad multa vtilissimam, & magno habitam in pretio, nec alteri quam Deo consecrandam: Verum hæ nugæ sunt, & mendacia ab horum hominum profecta leuitate, atque credulitate. Insuaui, parumque salubri velut & aliæ Aues palustres constat alimonia, atque ideò à nullo sagacioris palati admodum expetenda.

De Acolin, seu Coturnice aquatica. Cap. CXXXI.

AVis est fusca, Coturnicis magnitudine, vnde nomen: pedibus longis, prolixo rostro curuato in inferiora, coloris fusci, obscurique; versatur circa lacum Mexicanum, nunquam fermè volat, sed iuxta aquarum summa cursitat velocissimè: alitur piscibus, ipsaque edulis est, nutrimenti tamen vulgaris atque palustris.

De Cehoilotl. Cap. CXXXII.

GEnus est Columbæ syluestris, cuius pennæ fuscæ sunt, præter eas, quæ pectus & extremas vestiunt alas, nimirum candidas, & pallentes; Iris nigra, coccineus ambitus, pedes, cruraque rubra, & patria Oppidum Quauhnahuacense.

De Toxcacoztic. Cap. CXXXIII.

TVrdi nostratis viscivori, quem appellant *Charlam* Hispani, magnitudine est æqua, formaque persimili; sed collum, & pectus lutea sunt, ac fascia eiusdem coloris frontem præcincta, & quanquam pro cantu clamorem edat, posset in Sturnorum species non ineptè referri.

De Cacacollin. Cap. CXXXIV.

COturnicis vocatæ species est Cacacollin, eademque constans magnitudine, forma, nutrimento, & cantu, atque eisdem ferè coloribus variata.

De Tzinitzcan. Cap. CXXXV.

AVis est parua Carduele minor, plumis vestita multorum colorum, quibus effigies multæ subtilitatis texunt Indigenæ (eo enim opificio claruere ab hoc Orbe expugnato, ac toti penè claruere Orbi) ornantque festiuis diebus Templa, belloque, pace, & publicis tripudijs, atque choreis capita, ac reliquum corpus.

De Yacapatlahoac, seu Aue lati rostri. Cap. CXXXVI.

ANatis feræ species est Yacapatlahoac, domestica paulo minor, longo, ac lato rostro, sed præcipue iuxta extremum; crura, palmæ, rostrumque ex pallido inferna parte rubescunt; at rostrum supernè in ambitu rubescit ex fusco, & circa extremum ex fuluo nigrescit: corpus vniuersum tegitur pennis, semicirculos quosdam imitantibus; fuluis, nigris, & candidis (si eas partes excipias, quæ ad ventrem spectant, nempe omnino fuluas) alæ foris partim albę, partim virides, splendentes, & vt plurimùm, fuscæ sunt; intrinsecus verò albicant: vita demum, ac carnium eius nutrimentum, cęteris Anatum ferarum generibus sunt penè similia. Hispani lauancum, & regiam anatem vocant, nec desunt, qui Tempatlahoac vocare malint.

De

De Oconenetl. Cap. CXXXVII.

PIci marcij genus est maximum, cuius puluerem narrant hydropicis mederi.

De Yxamazcatl. Cap. CXXXVIII.

AVis est Sturni magnitudine, rostro mediocri, ac nonnihil incuruo, & cinerei coloris, oculis nigris, sed iri cærulea, plumis quibus subtegitur è fusco viresce ntibus, pectore luteo, ac ventre albo, & subfuscis cruribus, pedibúsque: nullius est, præterquam plumarum vsus, præterque carnium cæterarum auicularum nutrimenti: dicitur autem Yxamazcatl à colore luteo oculorum.

De Chiantototl. Cap. CXXXIX.

AVis est Sturni magnitudine, mediocri rostro, ac nonnihil incuruo, cinereique coloris; nomen sumpsit à colore Seminichian simili, auicula hæc, acuti, ac cinerei rostri, pectore, ac ventre candenti, sed subfuscis plumis maculato; dorso subfusco, & cyaneo, alis verò candidis, atque subnigris, nigris etiam oculis, & fuscis cruribus, ac pedibus, paruo capite, cinereoque, sed linea candida iuxta alterutrum oculum insignito: minimè cantillat, & Tezcoquensibus agris vitam agit, Tutlæque mistecæ superioris: gaudet niuium tempore, & bonum præstat edentibus alimentum.

De Coztototl, seu Aue lutea. Cap. CXL.

AVicula est, fusco, nigro, cinereo, & luteo colore varia: viuit Tetzcocanis montibus, & quò cæteræ huiusmodi Auiculæ constat nutrimento: cantat suauiter, ac colorem in nigrum, candidum, & luteum mutare vicissim solet.

De Tlaquiloltototl, seu picta Aue. Cap. CXLI.

AVis est pulcherrimis variata coloribus, nempe luteo, coccineo, viridi, purpureo, nigro, atque cyaneo; lutea oculorum (qui nigri sunt) Iride, & cinereis cruribus, ac pedibus; viuit in calidis Regionibus.

De Tlauhtototl, seu Aue Coccinea. Cap. CXLII.

EIsdem variatur Tlauhtototl colorum differentijs, sed paulò minori constat corpore; viuit quoque Regionibus calidis, non procul à littoribus maris austrini.

De Coztototl, seu Aue lutea. Cap. CXLIII.

AVicula est lutea tota, sed capite nigra macula insignito, caudaque, & alis, pallido, nigroque variatis colore.

De Tlaquauhtli. Cap. CXLIV.

AQuilæ genus est mediocris magnitudinis, incuruo rostro, propè exortũ luteo, diluto, ac circa cuspidem subnigro colore variato, ventre verò pallenti, atque subfuluo, luteis pedibus; incuruis, ac cinereis vnguibus, occipitio pallido, cauda fusca promiscuè, atque cinerea, & reliquo corpore fuluo, atque subnigro: reliqua natura quæ Aquilis.

De Cocho Psittaci genere. Cap. CXLV.

PSittaci genus est magni, rostro supernè cinereo, infra verò subnigro, cinereis cruribus, pedibusque viridi colore; sed cyaneo capite, candido, coccineoque variato colore, & quadamtenus pallenti, necnon alis postremis coccineo, discit humanum sermonem, & cæterorum Psittacorum instar indistincta pene similitudine reddit voces humanas.

De altero Cocho. Cap. CXLVI.

SImilis est prædicto, sed longè minore corpore, nigris oculis, Iri lutea, ac plumis ambientibus oculos rubeis, pennis verò alarum & fuscis, & cyaneis.

De Opipixcan. Cap. CXLVII.

ANatis feræ genus est, rostro subrubro, cruribus verò ac pedibus, qui plani sunt, fuluo, ac candenti variatis colore; reliquo vero corpore cinereo, & nigro: viuit circa lacus, & quo cæteræ Anatum differentiæ, constat nutrimento.

De Toquilcoyotl. Cap. CXLVIII.

ROstrum est prolixum, ac mediocriter tenue, ceruix prælongà, caput coccinea macula desuper insignitum, lutea Iris, & corpus vniuersum fuscũ, nigrum promiscuè, atque cinereum; versatur iuxta aquas, edulique (licet parum expetenda) carne constat: nomen verò habet à voce. Gruis æquat magnitudinem, ad cuius refertur species, nam & eius mores imitatur, reliquamque naturam, si maculam rubescentem excipias. Sunt qui Coceayauhqui vocent.

De Coyoltototl. Cap. CXLIX.

AVis est mediocris magnitudinis, fuscis pedibus, cruribusque, rostro crassiusculo, fusco, & breui, ac desinente in acumen; pectore, ac ventre coccineis, ac reliquo corpore subrubro, atque nigrescente: nomen habet à sonitu illi sonalium simili.

De Nopaltencol. Cap. CL.

AVis est subfusca, & cinerea tota, rostro subincuruo, & prolixo, sturno paulo maior, & iri oculorum rubra.

De Ceceto. Cap.CLI.

NOmen habet à voce; Tinunculi autem videtur ſpecies, ſed peregrina,& nunquam noſtro viſa Orbi, etſi ijdem prorſus ſint mores, atque natura; quamobrem cætera narrare ſuperſedeo: vbique frequens eſt, ſed calidis maximè regionibus, vbi ex auiculis, quas rapit victitat.

De Metzcanauhtli, ſeu Anate lunari. Cap. CLII.

ANatis ſpecies eſt domeſticæ par, ac eiſdem variata coloribus: viuit apud Mexicanam paludem, vbi capi à Mexicanis Aucupibus plerumque ſolet.

De Tolcomoctli. Cap.CLIII.

AVis eſt magna,tres circiter ſpithamas prolixa; roſtro longo, tenuique, ſupernè nigreſcente, & palleſcenti infernè; luteis cruribus, & vergentibus in purpureum, ſicut & ipſi pedes: ventre, ac pectore albo, ſed fuſcis quibuſdam vndulato pennis; alis deſuper fuſco, candido, cæruleoque variantibus colore, iri rubra, & ictu quem roſtro infert valdè nociuo; & quanquam palmipes non eſt, piſcium circa lacus agens viuit rapina, & ad ſpecies Alcionum, quos Hiſpani vocant *Martinetes* pertinere videtur: Aiunt corio nudatam, aſſamque, & ex oleo, & aqua ingeſtam, gratum exhibere alimentum.

De Yacacintli, ſeu roſtro ſpicæ Maizij. Cap.CLIV.

AVis eſt ternos circiter dodrantes prolixa, virentibus cruribus, capite, & ventre cyaneis, ſed vergentibus in purpureum; alis promiſcuè *fuluis, nigriſque, luteis oculis, ac noſtro, ſed in coccineum propè* exortum vergente, quod tres penè digitos latos longum eſt: anteriori parte capitis depili, & calua; ad recentiorũ Fulicas videtur pertinere, ac piſcium prædà iuxta lacus, & flumina viuere: Edulis eſt eius caro,ſed nec bonum,nec gratum præbet alimentum.

De Yztactzon yayauhqui. Cap.CLV.

GEnus eſt Anatis feræ, paruæque, cuius roſtrum eſt latum,atque cæruleũ, & iuxta extremum alba quadam diſtinctum macula, pedes etiam (qui plani ſunt) vergunt in cæruleum, & reliquum corpus, albo, fuluoque variat colore: cæterum eadem penè vita,quæ reliquis lacuſtribus Auibus, ijdem mores, & alimonia.

De Ocotzinitzcan. Cap.CLVI.

AVis eſt formoſa, Columbæ magnitudine, roſtro duos circiter digitos latos longo, nigroque; capite, & pectore purpureis, necnon cruribus, ac pedibus; reliquo vero corpore ex luteo virescenti. Viuit in regionibus calidis iuxta maris Auſtralis littora, nec tamen cantu ſuauis eſt, neque iucundo nutrimento.

De

De Quauhtotopotli. Cap. CLVII.

EIsdem viuit Regionibus Quauhtotopotli, sed paulò minor est, minorique & atro rostro, nigris oculis, fuscis cruribus, pedibusque, & fusco capitis vertice, quod tamen est coccinea præcinctum tænia, reliquum verò corpus, luteo dilutiore, ac colore fusco promiscuè tinctum micat.

De Caxcaxtototl. Cap. CLVIII.

AVis est tota cyanea, subnigraque, ac sturnos huius Orbis maiusculos æquans longitudine: capite paruo, nigris oculis, sed lutea iri, nigroque rostro longiusculo, ac desinente in acumen: edulis non est, neque canora; viuitque in plagis temperatis, qualis est Mexicensis, aut paulò calidioribus: Sunt qui Hueitzanatl vocent, & referant ad speciem Sturnorum Mexicensium.

De Tlacahoilotl. Cap. CLIX.

SPecies est Columbæ syluestris nostris vocatis arabicis quadantenus similis, incuruo rostro, mediocri, rubeoque; cruribus rubeis, pedibûsque, necnon oculorum iri, pectore, ventre, & alarum anterioribus partibus; cætera cærulea sunt, interseritis tamen iuxta caput, & collum inferna præcipuè parte nonnullis rubeis pennis. Viuit iuxta agros Mexicanos, nec expetendo constat nutrimento.

De Cochitenacatl. Cap. CLX.

AVis est littorum Oceani Australis alumna, duas prolixa plus minus spithamas, rostro incuruo septenas penè vncias longo, supernâ parte candenti, serratoque, sed inferna nigro: oculis atris, sed iri ex luteo rubescente, capite, & collo in lineam vsque coccineam, qua præcinctum est supernè, & infernè nigro; deinde verò, supernè nigro, & infernè pallenti, sed rubeis maculis atrisq. lineis variato: cauda, alisque nigris, ventre virenti, purpureis femoribus, nigris vnguibus; cruribus, pedibusque è cinereo virescentibus, & plumis, quę sunt à femoribus vsque in caudam, rubeis: piscibus victitat, nec omnino ingrato constat alimento.

De Cochitototl, seu Aue Florida. Cap. CLXI.

AVis est Sturno nostrati magnitudine circiter par, rostro tamen acuminato, tenui, & paulisper incuruo: vnguibus nigris, cinereis cruribus, capite verò, collo, & supernis alis promiscuè cinereis, ac nigris; cæteris verò partibus luteis, vnde fortassis nomen: oculi vero atri sunt, & pallens iris; vermiculis victitat, & seminibus: calidis regionibus viuit, nec tamen cantu placet aut alimento.

De Tlapaltotl. Cap. CLXII.

AVicula est Cardueli nostro par, aut paulò minor, rostro paruulo, tenuique, oculis nigris, sed iride lutea; alis, caudaque è nigro rubescentibus,

tibus, ac reliquo corpore prorſus coccineo. Viuit in calidis, nec ſapit eius caro, aut cantu admodum eſt iucunda, ſed viſu pulchra, ac non mediocriter ſpectanda.

De Tlanquiquiztototl, ſeu Paſſere ſibilante. Cap. CLXIII.

AVis eſt littorum Oceani auſtralis alumna, Columbæ par, roſtro craſſo, acuminato, & nigro; atris oculis, iri lutea, alis, caudaque albo, & nigro colore variatis, tænia nigra à roſtro ad extremum vſque pectus procedente, alis verò circa priores partes etiam luteis, ac vniuerſim reliquo corpore pallenti, ſi demas pedes, & crura, quæ fuſca ſunt, & vngues ipſos, qui ex albo nonnihil palleſcunt: viuit iuxta arbores ornatas floribus, quorum victitat melligine: educat vere ſobolem, habeturque maximi à Tototepecenſibus, quibus eſt familiaris ac frequens.

De Hoitzitzillin Tepuzcullulæ. Cap. CLXIV.

SPecies quædam eſt Hoitzitzillin pulcherrima, ac maxima, roſtro longo, tenui, incuruo, cæruleoque, colore vniuerſi corporis Heliotropij, pauoninóue & ſplendenti: Viuit melligine florum, velut congeneres, & artificibus intexendarum pennarum materiem exhibet, gratam atque pretioſam.

De Quauhtotopotli. Cap. CLXV.

PIci ſpecies eſt peregrina, roſtro longo, nigroque, & nonnullis in partibus fuluo: colore nigro, ſed candidis plumis maculato, ac præcipuè circa caudam, poſtremas alarum partes, roſtrum, ac ventrem, qui penè totus candidus eſt, ac cinereis pedibus: miteſcit, aliturque domi, Sturno noſtrati par; excauat arbores modo cæterorum Picorum, quibus victu, nutrimento, ac reliqua natura eſt ſimilis.

De altera Xochitenacatl. Cap. CLXVI.

AVis eſt Columbæ magnitudine, roſtro præ corporis mole maximo; ſerratoque, ſuperiori parte luteo, inferiori verò ſubnigro, & in purpureum colorem vergente, oculis nigris, ſed iri rubeſcente ex luteo, ac reliquo corpore cæruleo, cinereoque. Viuit circa littora Oceani Auſtralis, ac piſcibus, quos rapit veſci ſolet.

De Perutototl. Cap. CLXVII.

ANas eſt peruina, quam velut noſtro iam notam orbi, non curauimus deſcribendam. Variat nonnihil fæmina à mari, velut ex vtraque Imagine cuiuis erit facile intueri.

De Chiquatototl. Cap. CLXVIII.

AVis eſt Ruſticulæ noſtrati ſimilis, roſtro longo, ac tænijs iuxta vtrumque oculum luteis, & incuruis, nigra item macula inter pectus, & collum inſignis; cætero verò corpore, ex albo, luteo, fuſcoque variato, iri lutea, ac nigris

gris oculis. In regionibus temperatis, seminibus, & vermiculis victitat, ac grato constat alimento.

De Elotototl. Cap. CLXIX.

ELotototl, seu Auis basis spicæ Maizij ad Rusticularum etiam genus videtur pertinere; rostro enim constat longo, Coturnicis magnitudine, bono nutrimento, & colore totius corporis albo, fuluòque promiscuè, atque nigro: alitur domi, sibilaque non cantum edit; Sunt qui Chietototl vocent.

De Quachichiltic fæmina. Cap. CLXX.

FOemina est alterius Quachichiltic oquichtli, de qua in superioribus, eadem forma, & magnitudine, etsi inclusa caueis in luteum mutetur colorem, cuius rei gratia, hanc Auiculam, & rubeam, & luteam curauimus depingendam: alitur cantus gratia, & suauiter modulatur. Nascitur in agris Mexicanis, educaturque in domibus, quibus est mirum in modum causa delitiarum frequens.

De Cocochatl. Cap. CLXXI.

AViculæ sunt Carduele paulo maiores, luteo, alboque, & fuluo quoque colore variatæ, ac macula iuxta alterutrum oculum insignes, etsi in mari hæc longè maior appareat; nascuntur in temperatis, aut aliquanto infrigus decliuibus auris, qualia sunt Tetzcoquentia, nec sunt cantu, aut nutrimento plurimum expetendo.

De Elcoztototl. Cap. CLXXII.

AVis est Turdo Viscuoro, aut Merulæ par, luteo pectore, ac ventre, vnde inuenit nomen, nigra cauda, alis ex nigro fulueſcentibus, capite, collo, dorsoque, & cruribus cinereis, rostro subnigro, longiusculo, & iuxta acumen paulisper contorto, & iride oculorum (qui nigri sunt) lutea; nascitur temperatis locis, seminibus, ac vermiculis victitat; educat vere, nec valde suauem edit cantum, aut expetendam præstat alimoniam.

De Quapetla hoac. Cap. CLXXIII.

AVis est Quapetlahoac sesquidodrantem longa, rostro magno, rubeoque, & in acumen desinente; alis nigris, ac reliquo penè corpore ex cinereo rufescente: minimè canit, & mediocre præbet alimentum.

De Cacalotl, seu Coruo. Cap. CLXXIV.

INueni Coruum quibusdam candidis pennis insignem, quem, quia memoriâ dignus mihi est visus depingendum curaui, & in hac Auium Mexicanarum historia describendum.

De

De Colcanauhtli, ſeu Anate Coturnicum Mexicanaum colore. Cap. CLXXV.

ANatis feræ ſpecies eſt, mediocris magnitudinis, roſtro lato, & nigro; fuluis pedibus, ac cætero corpore, albo, fuluo, nigroque, & cinereo colore variato: cætera Anatibus feris ſimilis.

De Tlotli. Cap. CLXXVI.

FAlconis columbarij, quem *Nebbi* vocant, genus eſt peregrinum, nigrum totum, ſi roſtrum, cruraque, & pedes excipias, quæ lutea ſunt, & mirè (vt narrant) operæ in aucupio, quibus differt à noſtrate; quamobrem & depingendum, & memorandum duximus.

De Quaxoxoctototl. Cap. CLXXVII.

ALlata eſt ad nos à littoribus Maris auſtralis auis quædam pulcherrima, Columbæ plus minus magnitudine, roſtro magno, latoque, nigro, & in acumen contortum tendente, vertice cyaneo, & reliquo corpore cyaneo, pallido, viridique promiſcuè, & nigro, quæ minimè canit, nec ſuaui conſtat alimento.

De Tlauhquechul. Cap. CLXXVIII.

PLateæ, Pelicanoue videtur ſimilis, ſed coccineo, pulcherrimoque vniuerſi ferè corporis colore, aut ex albo rubeſcenti, lato, atque obrotundo circa finem roſtro, cinereoque, pupilla nigra, iride rubra, rugoſa fronte, gallipauonis, Auræue, depili penè capite, candentique cum vniuerſo fere collo, & parte pectoris, & faſcia nigra latiuſcula, caput à collo diſtinguente: circa littora maris, aut fluminum viuit, veſciturque piſciculis adhuc viuentibus, quos rapit, mortuos enim non attingit, vt nobis (eam domi ſatagentibus educare) patuit experimento.

De Quapachtototl. Cap. CLXXIX.

QVapachtototl, ſeu auis fulua, octo vncias longa eſt, ac totidem cauda, roſtrum è cyaneo nigricans longiuſculum, incuruumque: oculi nigri, & iris alba, pectus cinereum, ac inde ad caudam vſque venter niger, cauda ex nigro fulueſcens, alæ verò, collum, atque caput fulua, vnde inuenit apud Indos nomen: grato aiunt conſtare nutrimento, cùm canit, riſum æmulatur, atque ideo inauſpicati habebatur ab Indis ominis, quo tempore Euangelij præclariſſima dies nondum eis illuxerat.

De Yohualtototl, ſeu Aue nocturna. Cap. CLXXX.

AVicula eſt Paſſeri noſtro pene par, ita vocata, aut quoniam noctu victum quærere ſoleat, aut quòd nigra tota ſit pauliſper vergens in fuluum, iride tamen, & inferiori roſtro ex luteo rubeſcentibus: eſt autem neque ſuaui cantu, neque nutrimento admodum probato.

De Yohualcuachili, seu capite Chilli nocturno. Cap. CLXXXI.

AVis est littoris Oceani Septentrionalis alumna, salsorumue lacuum, è quibus victum sumit, inuenta apud Flumen Tuspæ: vix æquat sturni nostratis magnitudinem, sed collo constat tenui, ac longo, capite paruo & in longum producto, prolixo rostro, luteoque, prolixisque cruribus, pedum digitis, atque vnguibus qui lutei sunt. Digiti, & crura cinerea cum inferiori parte femorum, nam superior fulua est, cauda breuis, atque fulua, cum anteriori alarum parte, nam posterior cyanea est, reliquum corpus nigrum, quibusdam tamen fuluis circa ventrem permixtis pennis. Sed mirandum est ab exortu rostri assurgere coronam, Orbémue superiori parte in tres diuisum cuspides, e luteo rubescentem, ac mediocriter crassum, & ab anteriori alarum parte, binos aculeos contortos, quod nulli auium adhuc noui euenisse, præterquam huic, cauente ita (vt existimo) natura auiculæ aliàs imbecilli, vt ijs velut præsidijs sese à fortioribus auibus tueretur, nihilque esset adeò debile, imbelleque quod vim quampiam non posset inferre hosti.

De Cacalotototl seu Aue Coruina. Cap. CXXXII.

AD Sturnorum Tzanatlue genus videtur pertinere Cacalotototl, Sturno enim nostrati est par, vniuerso corpore, è nigro vergente in cæruleum, atro rostro, cauda prolixa, & iri ex luteo rubescente. Inutili carne constat, nullo delectat cantu, viuitque in regionibus temperatis, aut calidioribus.

De Chilcoquipaltototl. Cap. CLXXXIII.

MErulæ magnitudinem æquat Chilcoquipaltototl, cuius rostrum vergit in nigrum è cyaneo, caput nigricat, virescunt crura; venter, pectusque pallescunt, reliquum verò corpus luteo, viridique, necnon albo, & nigro, variatur colore. Viuit in calidis, non tamen valet cantu, aut nutrimento.

De Chiltototl. Cap. CLXXXIV.

SImilis est præcedenti colorum varietate, & magnitudine, necnon moribus, sed capite coccineo, & fuluis pedibus, & fortassis ei congener.

De Tatac. Cap. CLXXXV.

AVis est Passeris magnitudine, capite, cauda, dorso atque alis promiscuè cinereis, albisque, & è nigro in cyaneum tendentibus colorem: collo, & pectore infernè rubescentibus ex luteo, ventre albo, albis, & cinereis femoribus, cruribus verò ac pedibus è fusco virescentibus, ac lineis albis, & incuruis supernè circumdantibus oculis, qui nigri sunt; nec canit, nec admodum expetendàm præstat alimoniam, viuitque in temperatis regionibus.

De Quatotomomi. Cap. CLXXXVI.

PIci genus est Ipupæ magnitudine, & nigro, fuscoque varium colore; rostrum, quo ex cauat perforatque arbores, tres digitos longum est, firmũ, & can-

& candens, ac infernè breuius quàm ſupernè: caput eſt paruum, ac rubeis cõtectum plumis, & criſta etiam rubra inſignitum: tres vncias longa, ſed ſuperna parte nigra: alterutro colli latere faſcia candida deſcendit ad vſque circiter pectus: pedes cruraque liuida ſunt. Viuit Tototepeci Miſtecæ ſuperioris, non longè à mari auſtrali: nidificat in arboribus excelſis. Veſcitur Cicadis Tlaolli, & vermiculis: imbrium educat tempore, hoc eſt a menſe Majo vſq. in Septembrem; edulis tamen non eſt, aut alium quempiam (quod acceperim) præſtat vſum.

De Xochitenucatl. Cap. CLXXXVII.

AVis eſt Pſittaci magnitudine, & forma, ac pene tota viridis, inſertis tamen nonnullis pennis rubeſcentibus, pauoniniſque alijs; verùm crura, pedeſque nigra ſunt, & tenuia; roſtrum incuruum, quaternas penè vncias lõgum, ſerratumque, vnde nomen, & luteo, ac nigro varium colore; calidarum regionum atque maritimarum Incola eſt, neque alium (quod nouerim) quam plumæ præſtat vſum.

De Chachauatototl. Cap. CLXXXVIII.

AVicula eſt Tepuzculullam ſingulis rediens annis, Carduele noſtro paulò maior; pedibus fuſcis, roſtro paruo, & nigro, infernis partibus luteis, reliquis verò cæruleo, nigro, atque cinereo variatis colore, cuius nulla alia eſt præterquàm plumarum vtilitas.

De Chichiltototl Tepazcullulæ. Cap. CLXXXIX.

INcola eſt Regionum calidarum Auicula illa, quam Mexicani Chiltototl vocant, & circa Tepuzculullæ montes viuit, magnitudine præcedentis, infernis tamen partibus rubeis, ſupernis verò cinereis, & nigris, ſed in purpureum colorem vergentibus, roſtro verò paulò acutiore, atque longiore.

De Tlauhtototl, ſeu Aue rubea. Cap. CXC.

AVicula eſt tota rubra, vnde euenit illi nomen, Merulæ penè magnitudine, & nigris quibuſdam plumis alis interſertis; prouenit Totonacapæ, & caueis incluſa canit ſuauiter.

De Tlauhquechultototl. Cap. CXCI.

TLauhquechultototl, ſeu auis capite Plateæ ſimilis, præcedenti maior eſt, roſtro longo, & nigro, ſed inferna parte longè breuiori, vertice ac toto pene collo deſuper rubeo, infernis cunctis cinereis; alis verò ac dorſo nigris, ſed albis tranſuerſiſque lineis variatis: degit Pauhatlamijs agris Prouinciæ Totonacapæ. Pici ſpecies eſt arbores perforans, cuius capitis plumæ rubeſcentes applicatæ, aut verius agglutinatæ, capitis curant dolorem, ſeu in eam ſententiam venerint, quòd vertici auis adhæreant, ſiue id ita ſe habere experimento aliquo cognouerint.

De Cocozton. Cap. CXCII.

AVicula est Cardueli magnitudine similis, luteis, cyaneisque pennis varia, sed nullo insignis cantu.

De Techictli. Cap CXCIII.

PRæcedenti pene est par, sed cinereo, & fusco varians colore, cuius nihil accepi quod memoria dignum reputarem.

De Quapach canauhtli. Cap. CXCIV.

GEnus est Anatis feræ lacus Mexicani alumnæ, rostro lato, cæruleoque qualia etiam sunt crura, atque pedes, capite, collo, pectore, ac ventre fuluo; cauda breui, alba, & nigra, alis cum dorso, è fusco, fuluoque transuersis tænijs variatis, ac nigris oculis, moribus verò, victu, atque nutrimento cæterarum sylueſtrium Anatum.

De Ayo quantototl tiltic. Cap. CXCV.

PVlchrè canit, sed non miteſcit, & suaui constat alimento, Passere maior est, vescitur arborum fructibus, rostro constat paruo, fusco, ac nigro, & reliqui corporis colore è luteo vergente in candidum.

De Motmot. Cap. CXCVI.

AVis est calidis frequens regionibus, Columbæ magnitudine, coccineis oculis, & nigra pupilla, rostro incuruo, subnigro, tres penè digitos longo, & acuminato, infernè breuiori, serratoque supernè; capite cæruleo, & pauonino, fuscis pedibus, virentique cætero corporis colore: rarum est ineſſe caudæ pennam vnicam cæteris longiorem, & quæ extrema tantùm parte sit capillata, tantæque pulchritudinis auem, nullum præterquam plumarum habere vsum.

De Cacatototl. Cap. CXCVII.

AVicula est par Achantilli, infernis omnibus candidis, supernis verò subnigris, atque subfuluis, & cinereis pedibus: vescitur semine hoauhtli: iucundè canit, viuitque in planis Tetzcoquensibus.

De Teoauhtototl. Cap. CXCVIII.

TEtzcocanis etiam montibus, & agris viuit, bonum præstat alimentum, nec alitur domi, nec gratus ei cantus, obtigit: magnitudo circiter, quæ Passeri, rostrumque breue; cæterùm partium infernarum color albus est, ac in luteum vergens, supernarum verò cyaneus, & alarum niger.

De Acxoyatototl. Cap. CXCIX.

CArduelis æquat Axoyatototl magnitudinem, color est infernè subalbidus supernè verò subfuscus, & luteus, crura ex luteo rubescunt, cristaque quam

quam capite geſtat: edulis eſt; includitur caueis, ſed caret cantu, prouenit in montibus Tetzcoquenſibus; marem verò curauimus depingendum.

De Picicitli. Cap. CC.

TEtzcoquenſis etiam Auis Picicitli, paruula, totoque cinerea corpore, ſi caput excipias,& collum, quæ atra ſunt, ſed candenti macula oculos (qui magni ſunt) ambiente, cuius acumen in pectus vſque procedit; apparent poſt imbres, educatæque domi breui moriuntur: carent cantu, bonum præſtant alimentum; ſed neſciunt Indi referre vbi producant ſobolem.

De Amaxocotototl. Cap. CCI.

VIuit in temperatis aut paulò frigidioribus locis, gratum alimentum præbet, iucundoque pollet, atque ſonoro occentu: præcedenti paulò maiorem adepta magnitudinem, cinereo circa collum, pectus, ac ventrem colore, fuſcis pedibus, alis verò, dorſo, caudaque cinereo, & nigro colore variatis

De Xompantotl. Cap. CCII.

CArdueli eſt penè par, non educatur domi, bonam præbet alimoniam, ſobolem procreat intra oppida, aut iuxta propinquos agros, & colore albo, purpureo, luteo, & candenti diſtinguitur.

De Cuitcuitzcatotl. Cap. CCIII.

PAulò maior eſt præcedenti, verſatur in ſylueſtribus, montaniſq. arboribus: non alitur domi,& tamen pergratè cantillat: inferna coccinea ſunt, pulla crura, capitis ſuperior pars fulua, reliquum verò corpus cyaneo, candido, atque ſubnigro colore diſtinguitur.

De Xotlapech. Cap. CCIV.

FVluus eſt Xotlapech ſupernè, atque infernè cyaneus, nec magnitudine æquans ſturnum; caput humili quadam, ſed pulchra criſta inſignitur, fului etiam coloris, cuius extrema verſus roſtrum pennæ ſubnigræ, atque ſubrectæ excipiunt: edulis eſt, in montibus agit, & nullo placidus habetur cantu.

De Olotototl. Cap. CCV.

VIuit in montibus Tetzcocanis auis præcedenti par, ſed tota penè cyanea pauoninaque, quamuis circa collum, & ventrem albi, rubrique coloris: edulis, nec expers cantus, qui tamen eſt exilis. Auis verò ipſa de pulchritudine poſſet cum multis alijs certare.

De Yxtzcatotl. Cap. CCVI.

CEdit pulchritudine præcedenti Yxtezcatotl, Paſſeris magnitudine, varia ta tamen cinereo, fuſco, & nigro colore: Viuit in montibus Regionum temperatarum: edulis eſt, exiliter canit; nec viuit in domibus alta.

De

De Ayoquantototl. Cap.CCVII.

AT Ayoquantototl par ferè magnitudine, luteo, nigro, ſubalbidoque colore variatur. Montana colit: bono alimento conſtat,& quoniam cantus impensè exilis eſt, caueis includi minimè conſueuit.

De Xolotlapech. Cap.CCVIII.

AVis eſt edulis, ac præcedentis penè magnitudine, infernè lutea, fuſca verò ſupernè, viuit in arboribus montium Tetzcocanorum, vbi prolem educat: veſcitur vermiculis, non canit, aut expetendum admodum præbet alimentum.

De Elotototl. Cap. CCIX.

LOngè minor eſt Elotototl, ac Cardueli penè par, ſed albo, aut cyaneo colore, caudaque penè tota nigra: Viuit iuxta arbores montium Tetzcocanorum. Edulis eſt: non canit, & ideò neque alitur in domibus.

De Chiltototl. Cap. CCX.

AVicula eſt Carduele paulò maior, tota ferè coccinea, ſed nigris iuxta alas admixtis plumis: maculis verò prope oculos candentibus,& roſtro paruo, ac nigro: minimè canit, ſed obſtrepit, edulis eſt, educat in Arboribus Tetzcoquenſibus, veſciturque vermiculis, & culicibus.

De Ococolin. Cap.CCXI.

GEnus eſt Pici Sturni magnitudine, & pulchrè variatum colore nigro, & luteo; circa dorſum verò, crura, ac ventrem cinereo, roſtroque longo, & acuto: Viuit in Tetzcocanarum ſyluarum arboribus, vbi ſobolem educat: edulis eſt, nec tamen cantillat.

De Xiquipiltototl. Cap.CCXII.

AVicula eſt minima, nigra macula roſtrum, collumque conſperſa, cætera cyaneo, cinereoque tincta colore: incluſa caueis cantillat, chian ſemine veſcitur, & tritotlaolli: educat ſobolem circa Tetzcocanorum montium Arbores.

De Quauhelototototl. Cap.CCXIII.

AVis eſt tota cyanea, Columba paulò maior, & criſta in acutum tendente eiuſdem coloris inſignita: calidarum regionum alumna eſt, & quanquã viſu pulchra & ſpectabilis, plumarumque colore commendata, nec canit, nec eduli conſtat nutrimento.

De Cuechtototl. Cap.CCXIV.

AVis eſt magnitudine, & roſtro Pſittaci, incuruis, & rapacibus vnguibus, luteis cruribus, pedibuſque, ſed nigris punctis diſtinctis: alis cyaneis, ſub-

ſubalbidiſque è fuluis variatis plumis; pectore, ac ventre rubeſcentibus; capite è candido in coccineum vergente colorem, depili; rugoſoque, quale etiam eſt collum, quod torque iuxta pectus ambitur eminenti, & albo, ſed cyaneis, ac tranſuerſis diſtincto tænijs, habet etiam ad roſtri radicem (quod rarum eſt) Orbem concinnatum ex acinis multis, ex albo in rubrum colorem vergentibus. Hanc auem ego nunquam vidi, ſed eius tantùm imaginem apud Tetzcoquenſes, in Aula quadam Regiæ domus, vbi ordine quodam Principum eius Prouinciæ formæ ſerie quadam videbantur delineatæ, quam in libros hoſce transferendam curaui, quoniam ex nonnullis Incolarum accepi, littoribus Oceani eſſe frequentem, qui tamen nihil quod ad eius naturam aut mores ſpectaret narrare potuere, præterquam viuere ex rapto, & verſari ſolitam non procul à mari.

De Caquantototl. Cap. CCXV.

OFfendi etiam apud Tetzcoquenſes Auiculam criſtatam, pulchra, ac rara forma, Paſſeris magnitudine, coloris cinerei, ſed extrema cauda lutea, & ab extremis alarum pennis coccineis quibuſdam capillamentis propendentibus, paruo capite, paruoque roſtro, quæ in montibus etiam viuit eiuſdem Plagæ, ac ſeminibus veſcitur, neque eſt cantu, aut nutrimento cæteris auiculis commendatior.

De Yayauhquitototl. Cap. CCXVI.

AVis eſt Sturni magnitudine, viridi, cyaneoque, fuluo, & cinereo colore diſtincta, in qua vel illud memoratu dignum eſt, & pene huic aui peculiare, duas pennas ab extrema cauda prodire cæteris longiores, quarum pars prior depilis ſit, extrema verò cyaneis, & nigris pilis veſtita.

De Axoquen. Cap. CCXVII.

AVis eſt è Piſcium rapto viuens, & ad Alcionum fortaſſe pertinens differentias, quos *Martinetes* vulgus Hiſpanorum vocare ſolet. Auis eſt ictus ſatis noxij, cinereo, luteo, ac fuluo colore varia, roſtro nigro, acutoque, & octo vncias longo, collo verò duas ſpithamas ac pelle laxius dependente cauo, cauda verò ſeſquidodrantem prolixa, ac productis cruribus, qualia aquaticas aues decere ſolent. Sunt qui Acaçaçahoactli vocare malint.

De Ahuatototl. Cap. CCXVIII.

AVis eſt Sturni magnitudine, & forma, ſed alis, & cauda cæruleis, cætero verò corpore è ſubalbido vergente in fuſcum; viuit in Quercubus, & ſoboiem educat, vnde euenit ei nomen.

De

De Guitguit. Cap. CCXIX.

AVicula est minima, Regulo similis, viridi colore, & suaui nutrimento, eâ est naturæ rerum vis, vt hæc tantula auis, ac fere nulla, audeat coruorum examina consectari, & vbilibet latitare cogat, ac sese inter arundineta tueri. Est & aliud auicularum genus in Insula præcipuè Cubu, gregatim volantium, & Rizi (cuius seminis maximus est apud eas Gentes prouentus, atque vsus) deuastantium sata, nomine maja, multi nutrimenti, gratique, & facilis coctionis, coloriscque fului, quibus est in colli postica parte (dictu mirandum, & nulli alteri animali concessum) caput, ventriculus, primumque receptaculum nutrimenti.

De Daic. Cap. CCXX.

VVlgaris auis hæc Columbi æquat magnitudinem, & bonam alimoniam præstat; nidum excauat cauda, ac pedibus iuxta sabulosa loca, quaternas altum spithamas, vbi ponit oua per imbres anserinis maiora, & pugnum fermè ampla, dicta ab Indigenis Tapum, quinquagena, pluraue, & citra vllum albumen, pinguis naturæ, & crassæ, quæ assa, aut cocta, bonum, ac pingue præbent alimentum, fixa verò crassum, & malum, concoctuque difficile; mirum est auem adeo paruam tantæ magnitudinis oua, tamque numerosa edere, eadem tam profunda in scrobe collocare, & collocata citra incubantis Parentis opem, atque teporem pullos excludi, & exclusos euolare, è vestigio. Viuit in Philippicis.

De Tuputu. Cap. CCXXI.

NOmen inuenit à cantu, versatur in carectis, herbosisque locis: magnas arbores minimè conscendit. Phasiano forma similis est, minor tamen: loco carnis habet vermes, quibus adeo refertæ sunt singulæ corporis partes, vt mirum sit nihil præter eos ac pellem in ea Aue reperiri, quam tamen non perforant, aut rumpunt densis ornatam pennis, cùm cætera solos vermes esse planè perspiciatur.

De Pauxi vocata Aue. Cap. CCXXII.

NOn est prætereunda Auis illa, à Margarita (vt ferebant) ad Regem Philippum delata, quam in horto eius vidimus Galli gallinacei magnitudine, aut paulo maiorem, nigro colore plumarum, sed splendenti, & pauonino, rubeo, & incuruo rostro, & Psittaci simili, mitem, sed capi, & attrectari à quouis renuentem. Erat in hac Aue insigne, & peculiare, tumorem quendam radici rostri affigi, qua parte erat tenuior, pyri forma, lapidis duritia, & cæruleo colore, qualis esse solet lapidis cyanei, aut vocati Turcoidis; alebatur autem si bene memini frumentaceis seminibus, & cæterarum cohortalium nutrimento, quibus forma quoque videbatur similis,

De Altera Aue delata ad Philippum II. Cap. CCXXIII.

MEritò alia Auis visa mihi in eodem horto, erit præcedenti adnectenda, Ciconiæ (ni mente excidit) magnitudine, & cinereo colore, cristam hæc gestabat octo (vt mihi quidem videtur) vncias longam, è multis aggeratam plumis subiectis eiusdem coloris, & in amplitudinem orbicularem, præcipuè circa summum dilatatis, atque excrescentibus, verùm Custodum incuria perijt, antequàm ego discedens ab Hispanijs Optimi, Maximique Regis iussu nauigassem ad Indos.

De Pitzmalotl. Cap. CCXXIV.

GEnus est Sturni dodrante paulò maius, lato rostro, nigroque, Oceani australis littorum Incola, cæterorum Sturnorum huius Orbis moribus, & natura.

De Picalotl. Cap. CCXXV.

AVis est prolixa dodrantes binos, infernè candens, ac supernè cyanea, rostro nigro, crasso, & longo, & nigricante crista: vociferatur, non canit; alitur domi, vescitur Tlaolli, alijsque frumentaceis seminibus, vermiculisque, ac bonum assa, aut elixa præbet alimentum. Viuit in Prouincia Ygualapæ, non procul ab australi Oceano.

De plurimis alijs Auiculis anonimis, ab eadem Prouincia missis. Cap. CCXXVI.

MIssæ præterea sunt ab eadem Prouincia multæ auiculæ sine nomine, quarum quinque priores fuluæ, atque cinereæ sunt; sexta lutea, & cinerea; septima verò nigra, & rubra, non sine quibusdam luteis propè alas pennis, quarum omnium cantus, & nutrimentum, neque possunt impense aut improbari, aut commendari.

De Quarta Elotototl. Cap. CCXXVII.

AVicula est Passeris magnitudine, tota (si alas excipias, pedesque, & rostrum) cyanea, sed maculis cinereis conspersa: alæ enim fuluo, nigro, pallenti, ac cinereo variantur colore, rostrum è candido vergit in nigrum, ac pedes, cruraque cinerea, & fusca promiscuè sunt; oculi nigri, & iris lutea: caueis inclusa suauiter canit: bonum præbet alimentum, versaturque in Regionibus temperatis, qualis est Mexicana, aliturque Tlaolli.

De Yacatlil, seu Aue rostri nigri. Cap. CCXXVIII.

NOmen inuenit hæc Auis à nigro rostro, digitum transuersum longo, & è crassiuscula origine desinente in acumen. Sturni æquat magnitudinem, cinerea est, & viuit in locis calidis.

De Altera Xochitenacatl. Cap. CCXXIX.

AVis est lacustris, ac littorum maris Septentrionalis alumna, sesquipalmũ longa, si rostrum excipias, quod octo pene vncias est prolixum, ac tres latum, (portentosa nempe magnitudine, & vniuersi corporis longitudinem pene æquante) serratum, coccineum, iuxta extremum; circa alias verò partes cyaneum, & ex albo pallescens, sed singulis momentis (quod fide pene caret) mutans colorem: collum productum est, superna parte fuluum, inferna verò, & circa latera, ex albo pallescens, sed rubeis hemiciclis distinctum, cauda atra, circa cuius exortum plumæ adstant albæ, & coccineæ: pedes & crura cinerea sunt, sed cyaneis maculis variata; vngues nigri, oculique, verùm Iris rubescens ex albo, quam cyaneus ambit circulus: cætera ex nigro fulueſcunt; Domestica Auis est, saliens incedit, alitur quouis nutrimenti genere, & quibusque etiam regionibus ad quas deferri contingat, viuit.

Finis II. Tractatus Historiæ Auium.

TRACTATVS TERTIVS

DE HISTORIA REPTILIVM NOVAE HISPANIAE.

De Acaltetepon, seu Monoxilo mucronato, quod priuatim Temacuilcahuya vocant. Cap. I.

Habetur supra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 11. *fol.* 315.

De alijs duobus Lacertarum generibus, quæ propriè Acaltetepo nuncupantur. Cap. II.

CONSVEVERE Mexicani lacertarum innocentium, vulgariumque differentias omnes, quasque feruentium Regionum Incolæ Cuetzpalin vocant, Tecouixin nuncupare, venenatas verò quæ in sepas chalcidicas, sepedonesue quadrupedes referri possent, aut citra venenum aliquanto vulgaribus maiores, nempe lacertarum genera, quæ multa apud ipsos nascuntur, Acaltetepon. Venenatarum tria adhuc apud nouos Hispanos offendi genera, morsus noxij, sed minimè (si tempestiuè occurratur ei) læthalis, quarum duæ priores magnitudine, forma, & colore conueniunt, sed picturarum distinguntur varietate: altera namque luteis tantùm ornatur spherulis in fuscum, candidumque inclinantibus colorem, altera verò candidis lineis in rectitudinem procedentibus, luteisque, & secundum transuersum fuscis, & pallescentibus è candi-

candido. Poſtremum genus peculiari nomine Tetzauhcoatl, quòd rarò occurrat, nuncupatum, ac prorſus à Tetzauhcoatl ſerpente diuerſum, paruulo, ac pene nullo, ſed lætifero (vt ferunt) morſu, omnium eſt minimum, fuſci coloris in fuluum inclinantis, ſed cauda magna ex parte cyanea. Eſt & quartum genus ita vocatum, non quòd venenatum ſit (eſt enim innoxij morſus) ſed quòd venenatis maiuſcula corporis mole videatur reſpondere, cùm cætera vulgaribus lacertis prorſus ſint ſimilia.

De Ahueyactli, ſeu Hemorrhoo Indico. Cap. III.

SErpens eſt Ahueyactli Tecutlazoçauhqui forma, ſed ſonalibus carens, veneno verò hemorrhoo antiquorum congener, exertis caninis, & lethali ictu, quo vniuerſum corpus ità afficitur, vt vndique ſanguinem effundat, nempe, per os, nares, & oculos, quin vulnera, quæ iamdiu occaluere (ſi contingat morderi hominem ab hac fera) rurſus hiant, manantque ſanguine, tanta eſt vis huius pernicioſi, atque monſtrifici veneni, cuius remedia erit (vbi commodius valeant) referri.

De Aquaquetzpallin, ſeu Aquatico colore. Cap. IV.

QVas Haitiniy guanas vocant, Mexicenſes Aquaquetzpallin vocare conſueuerunt, Colotum videntur referre; ſed plurimùm diſtant forma, atque natura, quinque dodrantum æquant longitudinem, ſi caudam pariter metiare, quæ reliquo corpore triplo prolixior eſt, humanoque humero inter vtraque crura craſſior: digiti tenues ſunt, & pro magnitudine corporis longiſſimi; brachia, cruraque craſſitudinem, recens nati æmulantur pueri (ne dicam) æquant: venter candeſcit ex viridi, & reliquum corpus ſquamiferum eſt, coloriſque medij inter argenteum & virentem: vngues ſunt mediocres, cauda prolixa, & in extremum vſque à poſterioribus pedibus ſenſim gracilleſcens; dorſo imminent pinnæ quædam anguſtæ vnciam vnam longæ, ſpiſſæ, & protractæ ad extremum vſque caudæ, licet ſenſim fiant breuiores: caput ſupernè deforme, ac horridum eſt, prædurum, ac velut clauatum, ſicut ſuperior quoque colli pars: oculi nigri, & mandibula inferior cærulea, è qua pendet membrana lata digitos quaternos, orbicularis, tenuis, ſquamoſa, & palearibus ſimilis, nonnulloque circa exortum clauata interuallo, pinnataue, ac è viridi in flauum colorem vergens, eadem mandibula cæruleis tegitur laminis, rotundis, magniſque, ac præcipuè alterutro latere vnica, quæ noſtratem aſſem, dimidiúmue argenteum vocatum denarium æquat amplitudine, coloreque, & nitore piſcium æmulatur ſquamas, alia præterea paulò minore iuxta aurium ſedem, & quæ rutileſcat vehementius, oris rictus magnus eſt, ac dentes parui, innocuum animal, & aquarum Incola, oua parit innumera, grata guſtui, optimique nutrimenti, velut & ipſa eius eſt caro (ita enim vocare libet, quoniã carni potius, quàm piſcoſo generi ſimilis eſt) quæ pullis noſtratium cohortalium minimè cedit, ſeu guſtum ſpectes, ſeu alimoniam. Vix eſt, qui cùm primùm incidat in hoc animal, timorem animo non concipiat, etſi alioqui mite,

innocuumque, aut qui ſemel deguſtatum, ſumma non proſequatur auiditate. Sunt etiam in hoc genere terreſtria, Quequetzpallin vocata, nonnihil tamen diſtantia colore, & meliore, atque iucundiore alimento, ſed reliqua natura pene eadem, in quibus omnibus illud videtur mirabile, terram reptatam eorum abdomine, ventreue pingueſcere, ac fieri longe ſapidiora: calidis verò Regionibus degunt, vnde ad Mexicanam Vrbem quadrageſimali præcipuè tempore deferuntur.

De Aquetzpalin, ſeu Crocodilis, quos alij Caymanes vocant. Cap. V.

Habetur ſupra volumine 1. lib. 9. cap. 111. fol 315.

De Acoatl, ſeu ſerpente Aquatili. Cap. VI.

IN paludibus temperatarum Regionum verſari ſolet, dentibus paruis, ac innoxio morſu, longus quinque dodrantes, ac pollicem craſſus, ſupernè tænijs nigris, & cyaneis alternis diſtinctus, & cyaneus infernè; capitis ſuperna nigra ſunt, latera cyanea, ac inferna lutea. Viuum audio parere, ne indico impare vipera noſtra dicatur carere. Sunt qui Miaoacoatl vocent, quoniam ſpicæ Maizij colore ſit.

De Aquaqua, ſeu Bufone. Cap. VII.

VErſantur in calidis Regionibus huius nouæ Hiſpaniæ, ac præcipuè iuxta vtriuſque maris littora, mirandæ magnitudinis Bufones, vt qui galeros mediocres æquare ſoleant, cæterà noſtratibus ſimiles, niſi quod veneno ſunt mitiore, ob quorum magnitudinem, eos in hac enarratione pertranſire ſilentio nolui.

De Colcoatl, ſeu Serpente Coturnicibus ſimili. Cap. VIII.

ANguis eſt binis dodrantibus paulò longior, pollicem craſſus, ac Teuhtlacocauhqui primæ (vt videtur) ſpecies, nam & ſonalia pro numero annorum caudæ innaſcuntur, augenturque: venter candet, ac niteſcit, dorſum verò maculis nigris, & fuluis variatur, atque diſtinguitur, conſpiciturque venter iuxta caudam reliquo corpore craſſior, caudaque adeo breuis, & ſubitò attenuata, vt vix latum digitum æquet: dentes omnes parui, breueſque ſunt, & tamen lethalem infligit morſum, ſed qui (ſi adſit diligentia) remedijs aliorum venenatorum animalium morſibus deſtinatis, coerceri, atque curari ſoleat.

De Cencoatl. Cap. IX.

ANguis eſt ſeptem prolixus ſpithamas, ac tres craſſus pollices, ſi excipias partes, quæ ſunt iuxta ventrem, vbi longè amplior videtur, & vnde cauda ad vſque extrema ſubitò gracileſcit: color eſt infernè albus, liuiduſque, dorſo verò atque lateribus niger, niſi quod tænijs ruffis ſeſe cruciantibus circa latera diſtingui ſolet, dentes verò parui apparent, ac minimè lethalis morſus.

De

De Tzicatlinan ſerpente. Cap.X.

GEnus eſt Serpentis Tzicatlinan, ſeu Formicarum mater; ita vocatum, quòd earum cuniculis viuat, & quando foras exeunt ſequatur eas, ſtatis anni temporibus; pulcherrimus eſt omnium Serpentium, nec cuiquam noxius, minimi digiti craſſitudinem æquat, ac duorum dodrantum longitudinem, faſcijs diſtinguitur candidis, rubriſque tranſuerſis, & alternis, non viuit niſi cum Formicis, aut alibi, quàm Regionibus calentibus: quod verò ſpectat ad medicinam, tuſus, appoſituſque, dicitur tumores præter naturam diſcutere.

De Canauhcoatl. Cap XI.

HOminis æquat Anguis hic craſſitudinem, eumdemque dupla longitudine excedit: incolit ſaxa, antraque, & occurrentibus animalibus ad ſe tractis halitu victitat, euenitque aliquando, vt Indi iter agentes inſederint ei, rati truncum eſſe (tanta eſt eius vaſtitas, atque ſtupiditas) nec intellexerint, quàm inſtabili, terrificæque ſedi inſtiterint, donec Angue ſenſim præterlabente perterriti ſurrexerint, innocens tamen eſſe dicitur, ac nullo pene noxius morſu.

De Ecacoatl, ſeu Angue venti. Cap.XII.

ANguis eſt ſex ſpithamas longus, binaſque vncias craſſus, innocuus, dentibus paruis, ventre argenteo, lateribus, ac dorſo, lineis ſeptem candidis, luteis, cyaneis, & nigris alternatim interſtinctis, lingua prolixa, tenui, bifida, & nigricante, quam vibrat velociſſime, atris oculis, & pro magnitudine corporis amplitudine inſignibus, & Iride pallida.

De Quatapalcatl, ſeu Chameleone Mexicenſi. Cap.XIII.

de vno ſupra Io. Fabr. fol.721.

GEnus eſt Chameleonis Quatapalcatl, in calidis nouæ Hiſpaniæ repertum Regionibus, parùm à noſtro, (vt ex imagine licet coniectari) diſtans, ſed tamen non prorſus idem; vidi & apud Haitinos Chameleones, ſed longè minores noſtratibus, & vulgaribus lacertis penè ſimiles, verùm de his ſuo dicendum eſt loco.

De Cuicuilcoatl, ſeu Colubro vario. Cap.XIV.

SErpens eſt dodrantem longus, ac minimum digitum craſſus, cauda ab ipſo ano tenuiore, velut & Tzoalcoatl, trium vnciarum interuallo; dentes habet paruulos, ventrem liuidum, fuſcum, dorſum atris interſtinctum lineis: naſcitur in frigidis, ac lethalem infligit morſum, nec ſunt aduerſus eum alia, quàm contra Teuchlacotzauhqui remedia excogitata.

De Cencoatl, seu Colubro simili spicæ mayzij, similibusque coloribus variato. Cap. XV.

GEnus est Serpentis innocuum, maculis interstinctum fuluis, & nigris, ac ventre candido, longum cubitos quatuor, & brachio tenuius, dentibus paruis, ordine duplici serie quadam dispositis. Viuit in calidis, nec plura adhuc de eo Serpente comperi.

De Colcoatl, seu Colubro Coturnicum colore. Cap. XVI.

SErpens est lethalis morsus, longus tres spithamas, ac pollicem crassus, similis est Teuctlacocauhqui, similibusque mordet caninis: huic à meatu per quem redduntur excrementa, subitur cauda, tenuatur, atque gracilescit.

De Cuech, seu Colubro sonalibus insignito. Cap. XVII.

SErpentis genus est innocuum, quatuor cubitorum longitudinis: candet huic venter, dorsum fuluis, nigrisque maculis distinguitur: dentes parui, ac corporis crassitudo ternos digitos æquans.

De Yztaccoatl, seu albo Colubro. Cap. XVIII.

de quo supra Io. Fab fol. 774.

SErpens est lethiferi (vt narrant) morsus, quinque prolixus cubitos, teres, oblongo capite, oculis magnis, ac nigris, binis caninis, qui superiori maxillæ infiguntur, exertique sunt, alijs verò modicis; collo tenui, palmumque longo, à quo ad medium vsque corporis tres pollices crassus est, vnde sensim vsque ad caudam extremam attenuari incipit, venter infernè albus est, vergens in liuidum, sed ab ano in extremum vsque caudæ, ac iuxta collum inferna rubent; dorsum cinereis tegitur squamis, ac velut maculis quibusdam albo colore distinctis, vnde nomen: agilis Coluber est, & qui sese cauda tueatur, in girumq. (si quis eum attigerit, seu repat, seu pendeat dum tamen apprehendatur) se contorqueat.

De Yztactecoizin, seu alba Lacerta. Cap. XIX.

LAcertæ genus est ventris candescentis, fusci dorsi, sed candidis lineis secundum longitudinem discurrentibus, alijsque per interualla transuersis interstinctum, maculis quoque nigricantibus, & quibusdam in locis obscurum. Innocui est morsus, vitamque agit in frigidis plagis, cuius Nos, & masculi, & fœminæ præstamus imaginem.

De Macacoatl, seu Angue Ceruino. Cap. XX.

SErpens est femoris, & interdum humani corporis crassitudine, longitudine verò vicenum quandoque pedum, maculis consperſus fuscis, vergentibus in nigrum, fuluisque; ceruino capite, vnde nomen, nisi fortè id contigit, ob cornua, quæ audio ei iam senescenti innasci, accommodatissima excitandæ veneri. Prouenit regionibus calidis, vbi, quò calidiores sunt, eò in maiorem crescit amplitudinem.

De Macacoatl. Cap. XXI.

CEruino & hic Anguis capite constat, ceruinamque manſuetudinem curatus præfert, sed minor est, maculis licet subluteis, & nigricantibus distinguatur.

De Maquizcoatl. Cap. XXII.

MAquizcoatl, quem alij Tetzauhcoatl vocare consueuerunt, seu anguem abusus, quòd rarò, ac per miraculum videatur ab aliquo, sesquidodrantem longus est, ac minimi digiti æquans crassitudinem, coloris argentei, nitidi, ac veluti translucidi in vtramque partem, vt libet graditur, etsi capite vnico insignitus, Amphibænæ Antiquorũ fortassis species. Est & alius Anguis eodem nuncupatus nomine, nõ modo ancipiti inceſſu, capitibus quoque binis, quem adhuc mihi non licuit videre, nisi fortassis is de quo diximus est, quem conſpeximus Itztolucæ, & curauimus depingendum.

De Cencoatl. Cap. XXIII.

SErpens est candenti, ac nigro variatus colore, aſpectu pulcher, & magnitudine mediocri, qui licet morſu lædat, non tamen occidit.

De Teuhtlacotzauhqui, seu Domina serpentum. Cap. XXIV.

Habetur ſupra volumine 1. *lib.* 9. *cap.* 17. *fol.* 328.

De Tecoixin torquata. Cap. XXV.

LAcertæ genus est innoxium, torque insignitum candida, vnde nomen, corpore crasso, integrumque dodrantem longo, ventre candenti, fusco dorso, sed viciſſim dilutiore, exſaturatiorique colore distincto.

De Tlehua, seu Igneo Colubro. Cap. XXVI.

ANguis est sesquidodrantem longus, ac digitum crassus, squamis albis, nigris, fuluis, fuscisque distinctus; caput est viperæ noſtratis capiti simile, caudaque iuxta finem subitò attenuata, interualloque binorum tantum digitorum, quæ desinit in sonalia: lethalem infert morsum, vrentemque, vnde euenit ei nomen, cùm incedit in latera vtrinque se conuoluit, ac lento procedit

dit greſſu: contra eius morſum, aiunt conferre tuſam radicem herbæ, quam vocant Amolam, de qua ſuo dictum iam à nobis eſt loco.

De Petzcoatl, ſeu Angue lubrico. Cap. XXVII.

SErpentis eſt venenatum genus ſpithamas prolixum binas, candenti ventre, fuluo dorſo, ac è medio ferè corpore ad caput ſenſim gracileſcens, & rurſus circa caudam duarum vnciarum interuallo, reliquo craſſius corpore, ſed nuſquam minimi digiti craſſitudinem excedens: ſinuosè graditur, ac ſe paulatim contorquet: offenditur agro Mexicano. Aiunt morſui eius remedio eſſe Rubetæ inteſtina vtcumque deuorata, item arboris ferentis cornua ſimilia taurinis ac Mizquitl quæuis contuſæ, & applicatæ partes. Viuit ſaxoſis, montoſiſque quarumuis Regionũ locis; ſunt qui hunc eundem Serpentem Tlalcoatl necnon Elzoalcoatl vocare ſoleant.

De Petlacoatl. Cap. XXVIII.

ITa vocant Mexicenſes noſtratem Scolopendram, apud quos mira viſitur magnitudine, vt quæ pedes duos longitudine, & craſſitudine duos digitos latos interdum excedat.

De Tlilcoatl. Cap. XXIX.

REperi apud Tepoztlanum Anguis genus, decem plus minus prolixum cubitos, hominis verò craſſitudine, totum nigrum, in cyaneum tamen vergens colorem (ſi ventrem excipias, qui albeſcit) præcinctum lineis albis, cyaneis, pallidis, ac fuluis, caret ſonalibus, ac tamen lethalis eſt morſus: recta procedit ſeſe conuolens in gyros, & cum morſum ſtudet infligere, ſeſe ſupra caudam erigit: caret caninis: paſcitur piſcibus, quos rapit iuxta flumina, inſectatur Accipitrum genus, atque adeò adſtricto eos cingit nodo, vt & interimat pariter, & hiſcat, atque rumpatur. Nec eſt ſerpens vllus, qui tanta velocitate inſectetur homines. Eſt & alius eiuſdem nominis, niger quoque, ſed luteis maculis diſtinctus, de quo aliâs.

De Tlecoatl, ſeu Igneo Serpente. Cap. XXX.

COluber eſt in ſex dodrantum menſuram adoleſcens, triumque digitorum craſſitudinem. Viuit montanis locis, & lethalem infert morſum: color eſt fuluus: Sed dilutior circa ventrem, ac vergens in cinereum: ſinuosè incedit, in vtraque ſeſe latera contorquens. Viuit in montibus Tepeztlanicis, vnde delatum ad nos, & deſcribendum, & delineandum curauimus.

De Techichicotl, ſeu lapide inculto. Cap. XXXI.

de altera ſupra. Io. Fabr. fol. 686.

ITa vocatum eſt id Lacertæ genus, ob ſimilitudinem cum rudi lapide; dorſum huius, pedes, caudaque candido, luteo, & nigro variantur colore. Venter candet, & cauda ex pallido rubeſcit.

De

De Quauhtzicatlinam, seu matre formicarum. Cap. XXXII.

ID nominis sortitus est hic Anguis, quoniam cum Formicis habitare solet, eodemque antro degere, dodrantalis, atque innocens est, & minimum crassus digitum, maculisque distinctus cinereis: ventre cyaneo diluto, ac veluti transuersis lineis nigrescentibus, cinereisque, vel subalbidis spectabili. Est & alius eodem nomine Serpens, sed colore igneo, de quo alibi.

De altero Teuhtlacotzauhqui. Cap. XXXIII.

EST & alius Serpens, Teuhtlacotzauhqui quoque nuncupatus, quinque dodrantes interdum longitudine superans, & humerum crassitudine, nec dissimilis alteri eiusdem nominis, tum forma, tum veneni sæuitia, & atrocitate: præterea etiam & sonalibus, in quæ finitur cauda, sed huius color pullus est, vergens in luteum, pallidis maculis (quod alteri quoque contingit) obliquè sese intersecantibus: aiunt, eam esse veneni huius vim vt non ictu tantùm, verùm contactu quoque officiat, vnde sortitum nomen.

De genere Tamacolin, seu rubetarum. Cap. XXXIV.

PLura reperias apud nouam Hispaniam Tamacolin, Rubetarumue genera distantia inter sese; colore, magnitudine, & veneno; quædam enim maritimorum locorum Incolæ venenatæ sunt, & scutis mediocris amplitudinis, vmbelliſue similitudine pares, quod genus etsi longè minori Icone curauimus exprimendum, aliæ mediocris magnitudinis, sed non vsque adeò monstrificæ, venenatæue, & adeo in regionibus calidis frequentes, imbrium præcipuè tempore, vt vix pedem figas, quin aliquam non calces. *Aliæ* verò longè minores, experteſque veneni, quædam sunt atræ, nonnullæ fuscæ, atque aliæ virentes: reperias quoque inter ranas nonnullas nigras, atque ita Rubetis similes, vt horreas illarum aspectum, edules tamen, ac expetendas ob gratum, probatumque nutrimentum.

De Tlilcuetzpallin, seu nigra lacerta. Cap. XXXV.

DVo sunt Lacertarum genera, quæ à nigro colore Tilcuetzpallin vocari consueuere, innoxia, atque innocentis morsus, quarum altera paulo crassior est, altera verò tenuior; sed binis lineis cinereis recta à capite ad caudam supra dorsum procedentibus, alijs verò eiusdem coloris delatis transuersim.

De Tecoixin, seu saxorum lacerta. XXXVI.

LAcertæ genus est mite, sed corpore cæteris lacertis crassiore, aluo candente, mento cyaneo, & lateribus vtrinque circa ventrem cæruleis, reliquo verò corpore iuxta caudam fusco, mox pullo, & versus collum caputque nigro: fasciis binis albis collum torquis modo ambientibus, & anteriora crura cingentibus, forma semicirculorum, vniuersum corpus paruis squamis tegitur, atque quadratis, quanquam hæ sint in cruribus & cauda minores; Caput videtur te-

ſtudineum imitari forma, dentes ſunt parui, ac innocens morſus, inter ſaxa degit, vnde nomen; vermiculis veſcitur; & magna ex parte in gelidis regionibus iuuenitur, ac vere educat ſobolem, inceſſus, pedes, & crura reliquis lacertis ſimilia ſunt: fœminis candet venter, maribus verò cyaneo eſt, & exaturato colore: dorſum in vtroque ſexu conſpicitur fuſcum, atque etiam ipſa cauda, ſed candenti, luteoque colore conſperſa, binis vt dixi faſcijs caput, collumque cingentibus. Sunt & alia Lacertarum genera, quorum formas ex Iconibus promptum erit deprehendere, vt neceſſarium non fuerit eas pluribus modo deſcribere, quales ſunt Milquaxuch, altera Tecoixin mas, & fœmina. Quauhcuetzpalin, ſeu ſylueſtris lacerta, Acaltetepo, Yztactecoixin, mas & fœmina. Cuelzpalcochiton, & aliæ, quæ his forma, & natura, magna ex parte ſunt ſimiles.

De Tetzauhcoatl, ſeu ſerpente raro. Cap. XXXVII.

MInimus eſt Coluber, & tamen morſus lethalis, vix enim quatuor vncias longitudine æquat, aut pennam anſerinam craſſitudine: venter rubeus eſt, punctis nigris diſtinctus, & dorſum fuluum eiuſdem coloris punctis variatum: frigidis regionibus familiaris eſt, ſiue editæ ſint, ſiue humiles, adeòque ipſis Indorum tectis.

De Texixincoyotl. Cap. XXXVIII.

GEnus eſt Lacertæ ad ſpecies pertinens Tecuerzpallin, ſed corpore tenuiori, & ſquamoſo, partim cyaneo infernè, partim vero candenti; ſupernè verò pallenti, atque nigro, ſed capite, ac torque nigricantibus: innoxium eſt animal, velut & Tecuetzpallin.

De Xaxalhua. XXXIX.

COluber eſt ſex dodrantes prolixus, & ternos digitos craſſus, ventre candenti, ac reliquo corpore nigro, ſed diſtincto punctis albis, lineaque quadam candida procurrente ſecundum corporis longitudinem: oculis magnis, modicis dentibus, noxij ſed minimè lethalis morſus, cauda ſonalibus carente, & quæ binum, ſenumue dodrantem interuallo ſenſim gracilleſcit.

De Teixminani, ſeu ſerpente inuolante oculos. Cap. XL.

SErpens eſt prælongus, & tenuis, cuiuſmodi etiam caput cernitur, ventre liuido, ac fuſco dorſo. Sunt qui Micoatl vocent, quoniam ſagittæ ſit ſimilis: vibrat ſe ex arboribus, & in hominum oculos iaculatur, Iaculi cenſetur ſpecies, nam tametſi craſſitudine cedat, mirum in modum ſimilis eſt proprietate, atque natura: rectâ incedit, corpus in ſpiras minimè conuoluens: naſcitur apud Quauhnahuacenſes, vbi illum curauimus, & delineandum, & deſcribendum.

De

De Tecuixin, seu innocuis Lacertarum generibus. Cap. XLI.

PLura sunt apud nouam Hispaniam innocuarum Lacertarum genera, quarũ nonnullas depingere, atque describere placuit, omissis alijs. Prior occurrit illa, quam Tototepecenses apud quos frequens est, Cuti patria lingua vocant, mediocri magnitudine, alboque, & nigro variata colore; est in ea insigne, in posteriores pedes sese attollere, & anguium modo edere sibila. Secunda verò, quam à colore nigro vocant Cutezpallin, vtriusque sexus proprietate, & forma, nonnullam indicans differentiam; Tertia Quetzpalcochiton, nomen à perpetuo sopore sortita, euocando sudori mirè vtilis, si puluis dragmæ vnius pondere deuoretur ex aqua. De Yztactecuixin, & alijs duabus speciebus, quæ generis retinent appellationem, ac Tecuixin simpliciter nuncupantur, seorsim est dictum à nobis.

De Tlilcoatl. Cap. XLII.

ANguis est in vastam crescens longitudinem, & crassitudinem, innoxius, ac in montibus vitam agens Tepoztlanicis; nomen sumpsit à cyaneo colore in nigrum vergente. Est & alius eodem nomine, niger quoque, sed luteis maculis distinctus, de quo suo loco est dicendum.

De Tetzauhcoatl. Cap. XLIII.

ANguis est tres dodrantes longus, ac digitum crassus, cuius ictus pestilens est, dorsum nigrum, venter candescens ex pallido, & rubescens infernè cauda, venter autem, & cauda punctis nigris conspersa: caput nigrum, ac torque circumcinctum luteo, remedium morsus, est ictum locum fugere, sed comesto prius Picietl, ne venenum noceat præsidium adferentibus, quod etiam velut egregiam antidotum admouere expedit vulneri: cùm nec solum aduersans illatæ noxæ, sed ipsis quoque serpentibus infensum sit, & inimicum.

De Tapayaxin, Cap. XLIV.

AD Lacertæ differentias videtur pertinere, quanquam orbiculari penè plano que constet corpore, ac Raiæ vocatæ quadamtenus forma, ni longè minor esset, nec vncias quatuor longitudine, aut latitudine æquans, cartilagineum autem est, & multis variatum coloribus, gelidum semper tactu repertũ, tardi incessus, ac rarò mutans locum, etiam contrectatum, atque apprehensum sed caput est durissimum, & quibusdam clauatum, horrensque aculeis corollæ modo dispositis. Gaudet ab hominibus appræhendi, manibus gestari, contrectarique placida quadam securitate, ac tranquillitate immobilis, quamobrem amicus hominis ab Indigenis nuncupari solet: illud est in eo mirabile, & nulli alteri (quod sciam) commune, compressis, vexatisue oculis, aut capite, aut parum indulgenter tractatis, sanguinis guttas per eos effundere, ac longius iaculari, qualis detrahi solet ab homine temperatissimo, aut sana fruenti valetudine, tanto interdum impetu, vt ad trium passuum distantiam contingat reiectari. Siccatum hoc ad ignem, redactum in puluerẽ, deuoratumque ex vino,

aut aqua, drachmæ vnius mensura, morbo gallico, & doloribus ab eo euenientibus, magnoperè auxiliari solet; quod multis certissimis q. experimentis est comprobatum, vacuata morbi causa per suprema, infernaque, ac demum euocata vrina, permixta pituitæ, alijsque longis, crassissimisque filamentis. Viuit in montibus frigidarum Regionum, vbi passim offenditur.

De Temacuilcahuilia serpente. Cap. XLV.

NOmen inuenit à fortitudine hic Serpens: est enim Temacuilcahuilia cũ quinis hominibus pugnans: in obuios enim impetum facit, eaque vi opprimit, vt si collo semel se aduoluerit, strangulet, interimatque, sin verò, corporis ipse coluber disrumpatur obnixu, saluo homine: qui huius naturam nouere eum deludunt, opponentes arborem, aliudue cuius nexu, disrumpatur, putans comprimere hominem, vt ita tandem conuulsus intereat. Ali etiam vidimus ab Indis deliciarum gratia colubros quosdam virides, qui allati ab agris pollicari tantùm magnitudine, in femoris crassitudinem amplificentur, & adolescant, vbi pro antro est illis dolium stramento indulgentiæ gratia emollitum, vbi magna ex parte quiescunt, viuuntque, nisi cùm edendi est tempus; tunc enim egressi, cubile, aut humeros heri amicè conscendunt, beneuolè terrifici animalis amplexus tolerantis, aut epystilij in medio contracti in spiras, rotamque magnam æquantes, innocentissimi vescuntur oblatis, atque quiescunt.

De Tepecolcoatl, seu Angue montano, Coturnices Indicas colore imitante. Cap. XLVI.

TEuhtlacotzauhqui primi videtur species, sonalia siquidem pro annorum numero aucta in cauda gestat, & reliquam eius formam videtur præ se ferre, sed squalidior est, & quincuncibus sese iuxta dorsum secantibus, ad secundi Teuhtlacotzauhqui formam, videtur potius accedere.

De Chiauhcoatl. Cap. XLVII.

COluber est mediocris magnitudinis, cinereis, ac nigris maculis distinctus, ornatus sonalibus, ac lethalis morsus, quanquàm si tempestiuè occurratur auxilia prosint. Huius speciei fortasis est, aut idem (ætate tamen differens) quem alij Cuicuilcoatl vocant, & nos, ea forma, & magnitudine qua depictus est, allatum curauimus delineandum.

De Nexoa. Cap. XLVIII.

de vno supra Io. Fabr. fol. 775.

SErpens est quinque cubitos longus, totus cinereus, vnde inuenit nomen, & innoxij morsus, qui repertus à nobis est apud Quachquchullenses.

De Oto Colubri genere. Cap. XLIX.

QVatuor Serpens hic spithamas longus est, ac pollicem crassus, caput est paruum, venter candet, totus verò albis, & nigris punctis, ternisque lineis

lineis rubris, transuersim procedentibus distinguitur. Adeo lethalis est morsus, vt intra quinque, aut sex horas hominem ictum occidat, colit loca humida, vmbrosaque, & gressu tardo incedit; aggreditur occurrentes sponte, & nulla prius illata iniuria, offenditurque passim in Insula Cubu.

De Aguasen. Cap. L.

DVas Spithamas tantùm longus est Aguasen anguis, cæterorumque vulgarium forma, fusco colore, lato capite, atque compresso; adeò verò lethali est ictu, vt intra dimidiæ horæ spatium interimat, decidente carne vulneri vicina, ac miserè putrescente. Versatur montosis locis, editis, atque arentibus, Alexitherium eius est Pangaguasen, de quo sumus inter Plantas loquuti, nascitur in Philippicis.

De Ataligato Angue. Cap. LI.

PAruulus est, nec pennæ anserinæ excedit aut crassitudinem, aut longitudinem; centeni semper, plureſue offenduntur, neque vnquam à sese inuicem separati veneni expertes, sed aliàs adeò pernicioſi, vt aggressi dormientem si fortè quemquam reperere, nulla arte auelli queant, donec tandem hominem interemptum ictibus hinc inde allatis totum absumpserint, atque deuorauerint.

De Teque Lacerta. Cap. LII.

IN domibus, montanisque locis oberrat, & interdum etiam in cauitatibus lignorum, aut arundinum, dodrantalis est, oculis paruis, nigris, ac lucidis, & fusco prædita colore: expurgat cùm libet (Cantores imitata) guttur, mox canit, sonatque Chacon, vnde etiam illi obtigit nomen, sunt enim qui ita vocent, & tandem velut cantu delassata conqueritur. Paratur ex huiusmodi animalibus lethiferum ad inficiendas sagittas venenum toxicumue, inclusis arundinum internodijs, mox punctis, actisque in rabiem donec mortem obeant, atque ita demum earum sanie perunctis sagittis.

De Taletec Lacerta. Cap. LIII.

PAruulæ sunt, viuuntque in Platanis, aut ædibus, meliores in platanis: Hispanicis, sunt forma similes, fuscæ, & nigris oculis: asthmati opitulantur, si extractis visceribus conuoluantur rizo, ac pariter includantur Platani folijs intextis in fiscellam, atque ita ex aqua elixæ, cũ sale, & igni admotæ donec rizum percoctum sit tandem mandantur.

De Dopone. Cap. LIV.

COluber est longus quaternos, aut quinos pedes, nec pollicè crassior, dilu. to virore vniuersum eius corpus tingitur, si caudam excipias, quæ fusca est, caput est magnum, & octangula figura vsque ad oculos, qui sunt nigri, nigraq. iride, & tenui circumdati à quo loco sensim extenuatur vsque ad os, quod longum est, & simum, sex armatum supernè dentibus, ac totidem infernè,

præter

præter alios minores, lingua nigra eſt, tenuis, & mobilis. Intra diem vnicum mortem infert: corpus ſiquidem vniuerſum attollit in tumorem: remedio eſt Alexitherium pangaguaſen, qua ratione diximus aſſumptum.

De Haro Coloti genere. Cap. LV.

LAcerti genus eſt femoris æquans craſſitudinem, caput decem vncias longum, initio latum, ſed quod deſinat in acuminatum os: quaternis incedit pedibus velut Quaquetzpalin Mexicenſe, cuius eſt fortaſſis ſpecies, eidemque perſimilem caudam geſtat, & lento quoque incedit gradu. Verſatur in arboribus natis iuxta riuos, aut dulcia flumina, neq; deſcendit ad iunceta, Lymphamue, niſi cum ſeſe conatur vindicare à ſolis iniuria: venatur gallinas, quãdo celeritate nequit, malitioſa quadam, & aſtuta arte, colludens enim illis volutatur ſolo, atque ita rapit improuiſas; natiua quadam ſimplicitate ad eum accedentes. Naſcitur in Philippicis.

De Bitin Colubri genere. Cap. LVI.

VIuit in montanis locis Anguis Bitin, aſpectuque conſtat terrifico, nigris punctis, rubeis, ac candidis, vitulino capite, ampla fronte uſque ad oculos, qui nigri ſunt, lucidique ſed virenti circumdati iride, rictu oris magno, munito multis, & acutis dentibus caninis quaternis digitum prolixis, ſeſe mutuò inuicem excipientibus quatuor vlnarum longitudine, & craſſitudine hominis, conſcendit arbores, vnde ſe vibrat appenſus cauda, rapitque homines, & apros, & alia huius generis animalia, deuorans ea quandoque integra, & ex eo venatu viuens: prouenit in Inſula Cubu, viſuſque eſt in Inſula Lutaya à militibus Hiſpanis, cum vellent Naues leuare onere.

De Coyuta. Cap. LVII.

COluber eſt innocuus ſex ſpithamas prolixus, ac pollicem craſſus, nigro vero, & luteo colore perpulcher, miſit eum ad Nos Tototepec Nouæ Hiſpaniæ Prouincia.

De Colubro ſplendente in tenebris quem vocant Cumcoatl. Cap. LVIII.

DEpingendum etiam curauimus Colubrum ab Iguala Prouincia miſſum ob peculiare eius miraculum: nam nocturnis ſplendet ſub tenebris, & lethalem infert morſum: eſt autem brachium craſſus, & quaternos longus cubitos. O.N.

Finis III. Tractatus Hiſtoriæ Reptilium.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS

DE HISTORIA INSECTORVM NOVAE HISPANIAE.

De Atocatl, ſeu Araneo verſante in aquis. Cap. I.

GENVS eſt Atocatl Aranei, rubro, aureo, & nigro variatum colore, telam ducens magna ex parte, vitamque agens iuxta Plantam vocatam ab incolis Metl leuiſſimi, atque innocentiſſimi ictus, mirùm qua dexteritate opus peragat, filis hinc, atq. illinc diſtractis, & in Orbem veluti circino quodam compoſitis ſtaminibus, deinde verò intexto, atque ſtipante ſubtegmine.

De Axin, ſeu Vermium quorundam pinguedine. Cap. II.

Habetur ſupra volumine 1. lib. 9. cap. 5. fol. 317.

De Aoachtocatl, ſeu Araneo ro...do Cap. III.

GEnus eſt Aranei miræ magnitudinis (ouum enim excedit columbinum) expers lethalis veneni, in calidis proueniẽs regionibus, qualis eſt Quauhnaoocenſis, & copioſius, maiuſque in feruentioribus. Sunt qui Tlahoehoetl vocent.

De Ecatocatl, ſeu Araneo venti. Cap. IV.

ARanei genus eſt Orbiculare, nucis ponticæ amplitudine, ac forma, ſed aliquanto oblongiore, linea lutei coloris intercurſante dorſum, nigris diſtincta punctis, prætereaque coccineo, candido, & fuluo colore: veneni videtur expers; pedes non vſque adeò ſunt prolixi, vt alijs generibus contingere ſolent, craſſiuſculi tamen apparent, ac nigro, alboque colore varij, naſcitur Tepoztlani, cuius Oppidi agris eſt perquàm familiare: ſunt qui Ocelotocatl nuncupent, atque id nomen adiecimus illius imagini.

De Hoitztocatl, ſeu Araneo ſpinoſo. Cap. V.

GEnus eſt Aranei dementiam morſu inducentis, cuius corporis media, ſuperiorque pars atra eſt, reliqua verò lutea, forma tribulo ſimilis, & aculeata, vnde nomen eſt impoſitum; Hoitztli enim nomen ſpinam ſonat.

De Tapachichi. Cap. VI.

LOcuſtæ genus eſt forma noſtratis, ſed ſpectandis variata coloribus, alæ enim ſuperiores virides ſunt, ac nigris punctis diſtinctæ, interiores verò nigræ ac rubentes; corpus cinereum eſt atrum, ac viride, cornua verò coccinea, offenditur apud Tepoztlanenſes, vbi ſunt qui vocent eam Tzontecomama.

De Temahoani. Cap. VII.

GEnus nigrum est vermis spinulis luteis horridum, aceruatimque, & serie quadam per interualla dispositis, noxijs atque venenatis. Viuit Tepoztlani, vbi vocatur à quibusdam Xuchiahoatecolotl.

De Techichiatl. Cap. VIII.

TEchichiatl, seu lapis maculatus, ita dictus est à forma, qua lapidem quempiam maculatum hic vermis imitari solet; est autem eius caput vocati Tiburonis simile, rostrum ex albo rubescens, atri oculi, nigra linea distincti, quę ex altero procedit ad alterum: vniuersum corpus rubeum est, & atro semicirculo ex alterutra parte distinctum: venter ac pedes nigra, verùm quibusdam illorum partibus ex albo nigrescentibus. Est & alius vocatus Eloahoatecolotl prædicto similis, sed spinifer totus, minor, & in viridiorem inclinans colorem; alius verò fusco, & viridi colore varius, qui à gossipio nomen inuenit: Ichcatzin enim vocari ab Indis consueuit, necnon, & quem Xochiaietlan nuncupant magnitudine, corporis lenitate bombicina, & splendore insignis, varianque coccineo, luteo ac nigro colore; quorum nihil præter formam memoratu dignum, & à cæteris vermibus alienum accepi.

De Coyayahoal. Cap. IX.

Habetur supra lib. 9. cap. 9 fol. 320.

De Ytzuqua seu sipantipe. Cap. X.

REperitur & aliud vermis genus apud Michhoacanenses vocatum linguâ patria Ytzuqua, & Sipantipe, corniculis binis, quibus iter prætentat, rubris, monstrifica forma, ac nigro, fuscoque colore varius, quem cæteris duxi adijciendum, quòd Melones indistincta similitudine oleat.

De Temictli. Cap. XI.

VErmis est, qui haud aliter ac bombices solent, sese (postquam in iustam magnitudinem adoleuit) in membranam feralem ab ipso filis intextam condit, & deinde ac si parum esset suapte sponte detrusum in carcerem exhalasse animam, se libitinamque suam à surculo aliquo suspendit, vt procedente tempore in volatilem papilionem vertatur, ac insperatas subeat formationes.

De nonnullis Papilionum generibus. Cap. XII.

REperiuntur apud nouâ Hispaniam permulta Papilionum visu pulcherrima genera, mira magnitudine, ac varietate colorum, ex quibus nonnulla depingenda curauimus, & natiuis reddenda coloribus, vt reliquorum, quæ innumera sunt indicium aliquod esse possent.

De Pollin. Cap. XIII.

Habetur ſupra volumine 1. lib. 9. cap. 15. fol. 327.

Naſcitur Hocitlalpæ.

De Inſecto altero, quod Tenamaznanapaloa vocant. Cap. XIV.

NOmen ſumpſit à lapillis apprehendendis pedibus, quæ eſt eius natura. cornua fert tenuia longa, ac ſe ipſo triplo prolixiora. Locuſtę videtur genus, eiuſue inſecti, quod apud Hiſpanos vocant *Ceruam paruam*, cruſtatum animal, ternis vtrinque pedibus, longiſque, ſed qui ſenſim procedentes verſus caudam fiant breuiores: innoxium eſt, & cuius nulla narretur vis, aut peculiaris natura.

De Cohahoapochin. Cap. XV.

VErmiculus eſt cinereus, & hispidus, ramulis quibuſdam viridantibus opertus, valde exilium foliorum (ita enim libet modò vocare) corrudæ quadamtenus ſimilium ſerie quadam, ac per interualla dorſum occupantium, quod lineis nigris tranſuerſim ductis diſtinctum eſt, ſecundum ramulorum progreſſum; ramuli vtrinque deſinentes, lutea quadam excipiuntur linea, rectaque procurrenti: digiti æquat plus minus magnitudinem. Caput, pedes, caudaque candido ſunt, cyaneo, atque coccineo colore, viſendo quodam ordine diſtincta: noxium morſum infligit, & calorem vehementem in ictis partibus excitat. Sunt & alia innumera vermium pulcherrimorum genera, quæ ex his quos depinximus gratia exempli, valeant facile deprehendi.

De Tetlatoca. Cap. XVI.

GEnus eſt Veſpæ aculeatum, pungenſque, ita vocatum, quoniam ſingulis quibuſque diebus, effoſſa terra, & aliò delata parat cubile, ſed fauos minimè conſtruit, nigrum inclinans in cæruleum, ſi alas excipias, quæ fuluæ ſunt, & cornicula, quæ luteo colore tinguntur. Viuit in montibus Tepoztlanicis.

De Quauhmecatl. Cap. XVII.

GEnus eſt Reptilis, ſurculo arenti, longoque, & quibuſdam appendicibus aucto, ita ſimile, vt vix (ſi quieſcat) animatum eſſe credas: id tamen quoniam ſine capite ad nos delatum eſt, depingi noluimus: etſi aſpectu rarò, mirabilique, neq; vnquam à nobis ante oblato.

De Quetzalmiahuatl. ſeu Veſpa pennas Huacamayæ colore imitata. Cap. XVIII.

VEſpæ noſtrati ſimilis eſt forma, aculeo, & dolore, ictu excitato, ſed cauda lutea, & fuluo corpore, alis verò atris, & nitentibus: Viuit Tepoztlanicis agris, & inſtar Veſparum noſtri Orbis fauos conſtruere ſolet.

De Quauhtemolin. Cap. XIX.

GEnus est scarabei parui, volatilis, pulli, sed lineis albis distincti, cuius nihil memoria dignum accepi.

De Quauhocuilin. Cap. XX.

IIta vocant nostratia centipeda, ab Hispanis *Cochinillas* vocata, quarum est in his regionibus copia.

De Tleocuilin. Cap. XXI.

GEnus est Cantharidum paruarum rubri capitis, pectoris smaragdini, & reliqui corporis fului, aiunt, lepræ illitas, atque confricatas mederi. Viuunt apud Hocitlalpenses: Est autem Tleocuilin igneus vermis, & ab ignea, atque vrenti natura, impositum est Insecto huic nomen.

De Temolin seu Scarabeis. Cap. XXII.

De quo supra Io. Fabr. fol. 832.

REperias apud hanc nouam Hispaniam plura scarabeorum genera, quorũ mihi in hunc vsque diem quinos è naue licuit videre; ex his insigniora picta tradimus, vel quoniam eorum derasa deuorataque ex aqua cornua, Venerem dicuntur mirum in modum excitare.

De Tlalacatl seu Arundine terrestri. Cap. XXIII.

ANimal est paruum Cicadæ simile, & alarum expers, capite, pedibus, totoque corpore fuluis, geminis formicarum instar armatum chelis, quibus mordet, & nullius (quod sciam) in medicina iuuamenti.

De Tlaxiquipillin seu Marsupio terrestri Cap. XXIV.

VErmis est niger, vrentis naturæ, cuius puluis inspersus medetur lepræ. Vidi & alium fuluum, teretem, tenuem, & paruum, qui in tenebris mirum in modum lucet, cuius non teneo memoriter nomen.

De Tocatl seu Araneorum generibus. Cap. XXV.

PRimum Araneorum genus Tlacoltocatl, seu steroris Araneus vocatur mediocri corporis magnitudine, & colore, inter nigrum, & fuscum constans. Secundum quod maius est Tocamaxacualli dicitur, eodem pene colore: Tertium Tocatlzintlauhqui minus prædictis, ac nigri coloris. Quartum Tzintlatlauhqui nuncupatur non ob aliud, quàm quod etsi toto fere corpore niger sit, macula tamen rubea insignitur. Est, & aliud dictum Tocamaxacualli corpore magno fuluo, atque hirsuto, & septimum omnium maximum Tlalhoehoetl coloris nigri pallescentis, atque cinerei. Est & Ocelotocatl eò ita nominatum, quòd Tigris pellem colorum varietate quadamtenus imitetur, necnon Huitztocatl ab spinis nomen sortitum, & Atocatl ab aquis iuxta quas

solet

ſolet verſari interſtinctum nigro, coccineoque, & pallido colore: in maritimis locis maximos audio reperiri, nec ſcio quodpiam eorum genus valde nocentis eſſe veneni, etſi nonnulli morſu ſint noxij, & Tocamaxacualli difficilè ſanabilia infligere vulnera quæque (ſi cicatrice obduci contingat) alijs atque alijs locis renouentur, eademque non morſu, aut ictu excitato, ſed inceſſu confricatione, & redditis in afficiendum locum alui excrementis.

De Hocitexca. Cap. XXVI.

HOcitexca ſeu magna Cimex denarij argentei æquat amplitudinem, alata, fætida, atque hominibus infeſta peſtis tum odore qui illi fœtidiſſimus eſt, tum hauſtu ſanguinis humani, excitatiſque rubeis eruptionibus: ob cuius monſtri noſtris nunquam viſum, atque admirandam magnitudinem non iudicaui in hac hiſtoria præter mittendam.

De Tzontecomama, ſeu Inſecto, cui Caput videtur eſſe oneri Cap. XXVII.

CIcadæ genus eſt noſtrati ſimile, ſed ea magnitudine ob quam ſolam delineandum apud Quauhnahuacenſes curauimus.

De Laualaua aranei genere. Cap. XXVIII.

PAruuli ſunt, aureique, & punctis rubris diſtincti, vulnus eſt noxium; ictoſque agit in inſaniam, membriſq; ſubinde ſtupor inducitur, inferunturque anxietates, & dolores: præſidium eſt Tubæ prioris Tambalaguiſæ, & Pilipoc ſingulorum tres obolos tundere, ac ex vino palmarum reſolutos deuorare; aut oleum cuius mixtionem narrauimus inter plantas nouæ Hiſpaniæ, illinire vulneri; cauendum tamen primis tribus diebus à potu, aut ſi bibendum ſit, vinum palmarum, aut noſtras, quod præſtantius eſt aſſumendum, præterea etiam ab aëre, & ſole. Viuunt in pratis herbiferis Philippicarum Inſularum.

De Lumatec Hirundinis genere. Cap. XXIX.

HIrundinis eſt ſpecies inter herbas, & montium arbores viuens, ſemidigitum longa, & impensè tenuis. adhærent iter agentibus, ſubeuntq; quoſuis humani corporis meatus etiam anguſtos, & fœdos, neque prius diſcedunt quam humano ſatientur ſanguine: tunc enim ſponte cadunt, ac minus infeſtat ſole vigente. Remedium eſt arundinibus quibuſdam præacutis eas auellere, aut ſeſe tueri intra aquas conſidentes ſaxis, ſi quæ fortè adſint, aut pyram conſtruere, atque interponere ignem.

De Sulum Formicarum genere. Cap. XXX.

REperiuntur in Philippicis Insulis duo Formicarum genera Sulum dicta, quarum aliæ sunt sex digitos longæ, ac crassæ digitum latum, coloris nigri nitidique, rictu dimidij digiti, prædura maxilla, & eodem quo corpus colore, cui tres hærent dentes tenues, & firmi, viuuntque in montium arboribus. Aliæ sunt alatis Formicis similes, & aliquanto maiores, viuunt in campestribus, atque aduersus hyemis iniurias congerunt arenæ aceruos incredibilis magnitudinis, intra quos fauos construant, vbi tutæ, & munitissimæ degunt.

Finis IV. Tractatus Historiæ Insectorum.

TRACTATVS QVINTVS

DE HISTORIA AQVATILIVM NOVAE HISPANIAE

De Axaxayacatl, seu Musca palustri aquosa facie constante. Cap. I.

AXAXAYACATL parua quædam musca est, & lacustris, faciem candoris aquei gestans, vnde nomen, quæ retibus in Mexicana comprehenditur palude tam fertili statis temporibus captura, vt ex eisdem innumeris tritis, commixtisque globuli parentur, qui toto anni decursu veneant in emporijs, coquunt illos Indigenæ Maizij spicæ membranis conuolutos, conjectosque in nitratam aquam, atque ita bonum, multumque, nec gustu insuaue præstant alimentum, quin eisdem aluntur mille Auicularum domesticarum genera, quæ incluſæ caueis non sine audientium voluptate occinere solent: sunt earum muscarum, maiorum, minorumque bina genera, sed in minimis diutius immorari dum ad maiora propero, necessarium non duxi.

De Axolotl, siue lusu Aquarum. Cap. II.

Habetur supra lib. 9. cap. 4. fol. 316.

De Atetepitz, seu scarabeo lacustri. Cap. III.

A crustæ duritia accepit Atetepitz nomen, in lacubus versatur Mexicanis, quibusdam terrestribus scarabeis (vt ex eius imagine apparet) magnitudine, & forma, & pullo quodam colore in atrum vergente persimilis: crustatum animal, & quatuor saliens pedibus, quorum bini, qua parte vmbilicus in alijs situs est, oriuntur, ac sese vbi supinus iacere cogitur vibrans in pronum, atque contorquens: Estur ab Incolis, qui Pamphagorum more nulli pene rei parcunt.

cunt. Vulgare tamen præbet alimentum, velut & Achichimatli, & Atetepitz ſcarabeorum paruorum, & paluſtrium, vt conijci poteſt genera.

De Atolocatl, ſeu Gerynis. Cap. IV.

QVàm varij ſunt hominum mores, quotuplicia rerum naturalium genera diuerſis vniuerſi Orbis plagis in cibos, menſaſque venere? En Gerynis non ſine voluptate veſcuntur hi Occidentales Indi, quos aut intueri, aut nominare horrent noſtri, & locuſtis frixis, formiciſque non parcunt, expetunturque ab hac gente multa, quibus nihil à reliquorum mundi Incolarum obſonijs eſt ablegatius. Quid? quod in eorum emporijs paſſim illos venales reperis? neque admodum mali, ingratiue noſcuntur palato, non vnico parati, licitatiue modo? interim ipſi patrio fruantur cibo, dum in indicas illas cohortales, quarum maſculos Galli pauones vocant, patiantur nos ſæuire.

De Anenez Inſecto lacuſtri Cap. V.

INſecti lacuſtris genus eſt Anenez, cruſtatum, paruum, depreſſum, tres digitos latos longum, ac toto corpore, ſi ventrem excipias, teres, ſeptem tranſuerſis inciſum lineis virentis coloris, ternis vtrinque cruribus tenuibus, ac longis, quæ verſus caput procedentia ſenſim fiunt breuiora. Capite, oculis, totaque corporis forma, terreſtri cicadæ ferè ſimilis eſt; veſcuntur eo Indi, haud aliter ac ſquillis, neque diſſimilem (nam & nos periclitati ſumus) alimoniam præbet.

De Amilotl, ſeu Piſce Tereti. Cap. VI.

AD genus candidorum piſcium quos vniuerſim Mexicani Yztacmichin vocant, referuntur tres illi magnitudine quidem differentes, Amilotl nempe omnium maximus, Xalmichin mediocris, omniumque minimus Yztacmichin. Amilotl igitur lacuſtris piſcis eſt ſquamoſus, & coloris (ni quibuſdam pullis maculis conſpergeretur) candeſcentis; ſeſquidodrantem longitudine, & pollicem craſſitudine excedit, binas pinnas habet in dorſo, totidem in ventre, vtrimque vnam, ac infra ventrem alteram: caput eſt longum, roſtrum acuminatum, ſed inferna maxilla prominentiori: oculi ſunt nigri, iris aurea, aureum caput, venter luteus, adeoque reliquum pene corpus, optimum, & concoctu facile præbet alimentum, nam & ouis capitur magna ex parte onuſtus, adeoq; gratum, vt cùm grauem quandam euaſiſſem ægritudinem, mihique nutrimenta omnia à ſanis hominibus, & ſagacioris palati vehementer expetita ſorderent, diſplicerentque vehementius, hoc vno cibi genere ſuauiſſimè vſus ſim, & ad vires inſtaurandas non mediocriter adiutus; ſed magnitudo ipſa adeò gratiam commendat, vt quò in maiorem amplitudinẽ adoleuerit, eò maiori habeatur in pretio, expetatur auidius, rarius inueniatur venalis, inuentuſq; ematur carius.

De Ahuauhtl, ſeu Muſcarum paluſtrium Ouis. Cap. VII.

EXtrahitur è Mexicenſi lacu piſcoſum quippiam vocatum Ahuauhtli, copioſo prouentu, haud abſimile papauerino ſemini, hoc eſt oua Axaxayacatl de qui-

de quibus iam dictum à nobis, proiectis in eum sinubus humeri, femorisue crassitudinis laxius tamen contortis, qua parte fluctus tumidiores sunt, quibus commotum, turbatumque solet adhærescere; Inde corradunt Piscatores, atque in magna vasa recundunt, ex his, aut effingunt placentas, illis quæ è Tlaolli parantur persimiles, aut Orbes, quos Tamales patria lingua vocant, aut digestũ in inuoluchra spicarum Maizij reponunt, vt inde occasione oblata coctione, aut torrefactione parent fercula, piscosum quiddam sapit, ipsorumue piscium oua, nec omnino malum ferunt præstare alimentum; imò licet aridum, & strangulans, ventriculum firmans debile, ac dissolutum.

De Acocilin, seu Imagine Cocleæ. Cap. VIII.

SQuillæ species est Acocilin nostratibus maior, quæ in Palude capitur Mexicana, cauda auium insignis, binis schelis, quaternis alterutra parte cruribus, quibus & graditur, & retrocedit: oculis binis, & corniculis duobus prætenuibus: Color est infernè candens, supernè pullus, sed qui cùm elixatur in rubrum (quod cæteris quoque Squillarum generibus est commune) mutetur; fæminæ plenæ ouis nigris, circa postremum ventrem patulis, capiuntur papaueris semini forma, & magnitudine similibus, quæ inflexa tuentur cauda, retinentque. Grati sunt nutrimenti, nostratiumq; Squillarũ sapore, ac succo simili.

De Ahuihuitla, seu Aquam trahente. Cap. IX.

GEnus est Insecti Vermisue crustati lacus Mexicani alumni, calami anserini crassitudine, & latitudine trium vnciarum, coloris supernè fului, & albi infernè, ternis graditur vtrinque pedibus, caput est exile, & latiusculum, forcipe armatum, bono, gratoque constat alimento, cauda verò, quæ crusta tegitur dura pungit, venenumque solet inferre.

De Ahuitzotl. Cap. X.

REperias in fluminibus dulcium aquarum calidas regiones abluentium, quale est Yauhtepecensis genus quoddam animalis nigro, pulloque variatum colore, canis Melitensis magnitudine, quod Lutriæ potest reputari genus, quin lutriæ etiam ipsæ magna copia proueniunt in noua Hispania. Nec non aliud aquatile, animal illis haud absimile, leo aquatilis vocatus, ab Indigenis verò nãnãduta ternas pene longus spithamas, rufo pilo, longoque, & molli, sed obscuriore circa dorsum, rostro prolixo, & tenui, incuruis vnguibus, cauda longa, breuibus cruribus, & auriculis, & cauda binos dodrantes prolixa, qui piscibus victitat, nec aliam quam pellis vtilitatem præbet, viuitque non longè à littoribus maris australis.

De Atopinan. Cap. XI.

NAualibus Scarabæis similis est Atopinan: quatuor tamen vncias longus, ac duas extensus in latum, color est fuscus, & crustaceum tegmen, crepitat volans, & circa Lacum Mexicanum noctu versari solet inter iunceta: editur

tur ab Indigenis elixus cum alijs piſcibus paruis, atque herbis. Similis videtur Xopanxacalli, & ad Locuſtarum paluſtrium ſpecies pertinere.

De Ocuiliztac, ſeu Vermiculis candidis. Cap. XII.

ITa vocare ſolent Mexicenſes quoſdam vermiculos alumnos Tenochtitlanæ Paludis, haud abſimiles his, qui è putreſcentibus carnibus ſolent generari: videntur hi dum crudi ſunt atri, at torridi in patinis, aut vocatis comalibus, ſtatim candicant; hos comedunt conſperſos ſale Indigenæ, ſuauis teſtati eſſe ſaporis, & quo amigdala noſtratia æmulentur: vberrima ſeſe vltro offert quotannis ſtato tempore eorum vermium captura, ſed præcipuè per largiores imbres, mali ſunt ſucci, & inter horrida, viliaque fercula recenſendi; quamobrem in diuitum, aut ciuiliorum hominum non veniunt menſas, ſed aliorum tamen, quibus alimoniæ potioris, aut gratioris non ſuppetit copia aut quorum palatũ nihil adeo fœdum eſt, aut horridum, vt effugiat, modo ſapiat. Non deſunt, qui ab hoc abhorrentes alimento cohortalibus Anatibus, pullis, & Anſeribus, eodem ſaginati libentius vtantur.

De Amacpalli, ſeu manu coccinea. Cap. XIII.

SPongiæ marinæ eſt ſpecies, duriori tamen, quàm cæteræ callo, & in digitos longos, ac teretes, manuſue figuram efformata, vnde euenit illi nomen, ob cuius raram, & peregrinam formam ab auſtrali miſſam mari, ſub oculos noſtræ gentis ponendam expreſſa imagine ſtatuimus.

De Atexcalquahuitl. Cap. XIV.

ATexcalquahuitl, ſeu Arbor lapidea aquæ, ſaxis marinis innaſcitur, vnde profert ſtipites lapideos, fuſcoſque, & nullis ornatos folijs, cuius tamen nihil memoratu dignum accepi: Sunt qui Iſidos plocamon Plinij, Caritoblepharonue eſſe contendant, nec deſunt qui Antipaten Dioſcoridis, referantque ad Corallorum genus.

De Atonahuiztli. Cap. XV.

GEnus eſt lacuſtris Inſecti tenuis, & longiuſculi, ternis vtrinque pedibus inſiſtens, ac chellis binis exorientibus circa roſtrum, quibus innatat, ac deſinit, nulla inſigni facultate præditus, ſed vitam agens circa lacus.

De Xochipaltapachtli, ſeu Concha minij coloris auriculata. Cap. XVI.

VIdimus iuxta mare auſtrale inter alia Concharum genera, quoddam Xochipaltapachtli, à minij colore vocatum, mediocri magnitudine, tranſuerſis ſemicirculis lineas ſecundum rectum procedentes ſecantibus, ac colore minij rubeo, dilutiore, ac luteo in rubeum tendente diſtinctum: alterum maiuſculum, ac lineis ſimillimum, ſed colore candido, rubeo, & fuſco varium, ac demum tertium citra auriculas rubeo, diluto, fuſcoque colore, & lineis dumtaxat

taxat rectis, ſed quæ in eo ipſo procurſu in ternos finiantur orbiculos, quarum nihil inſigne accepi præter formam, quæ videtur à Maris mediterranei, & ſeptentrionalis Conchis quadamtenus diſſidere.

De Chacallin. Cap. XVII.

CHacallin, ſeu locuſta paluſtris Mexicano capitur lacu, Græci hanc . . . latini ſquillam gibam, Hiſpani verò *Camarones* vocant in vſum venit alimenti, & nota præſtat in cibis commoda, atque ideò à nobis ſilentio pertranſita.

De Cocolin. Cap. XVIII.

COcolin, ſeu cænum grauiter olens vocatur ab Indis fuſcum quoddam Mexicani lacus excrementum: vndæ innatans, limo ſimile, quem odore quoque videtur æmulari: vnde nomen: vendunt hoc Indi, ac in fercula adhibent, gulæ quauis re oblata explendæ gratia, cùm tamen viroſum odorem ſpiret, & noxio conſtet nutrimento.

De Cueyatl. Cap. XIX.

VOcant Mexicani Cueyatl ranarum ſpeciem quamdam in prædicto ſolitam capi lacu, hæc eadē cū noſtratibus eſſet; niſi è viridi colore vergeret in nigrum, nam & cibis idonea eſt, & ſalubre, gratumque præſtat alimentum: reperias tria earum mediocris magnitudinis genera, fuſcique coloris, quarum Xuchcatl omnium minimæ ſunt, virideſque. Acacueyatl omnium maximæ atque teterrimæ. Cueyatl vero femora habent interna parte lutea, pectuſque, & mediocri inter præcedentes conſtant magnitudine, quæ omnes ſunt aptæ cibis: reperiuntur quoque Rubetæ paruæ vocatæ Tamacolli, aliæ verò monſtrifica magnitudine Aquaquæ nominatæ, quarum lac poſteriori parte fuſum veneficum eſt, ſed de his ſuo dictum eſt loco.

De Yzcahuitli. Cap. XX.

LVmbricorum tenuiſſimorum congeries quædam eſt Yzcahuitli, quæ retibus Mexicano capta lacu, ac vaſis quibuſdam capacibus ſeruata in emporijs, quæ Tianquiz patria lingua vocant, venundantur, eadem ab Inſtitoribus decocta pullum colorem induit, odoremque qualem piſcium fundunt oua, & coactam panis refert ſubſtantiam, lac auget lactantibus enixis; quò fit, vt quidam inde placentas efforment, & exſiccatas reponant, etſi neque eo modo diutius ſaluæ ſeruentur, incorruptæque; cùm ſemidecoctæ ſunt, additur ſiliquaſtrum, vt ſimul cum ſale ſaporis eſculentorum adaugeat gratiam, quo pacto palatum demulcet, nec inſigne aliquod videtur inferre nocumentum.

De Yayauhqui, ſeu Atro Xohili. Cap. XXI.

MInima vocatorum Xohilium ſpecies eſt Yayauhqui, piſciculus nempe lacuſtris, ſquamoſus, minimi digiti magnitudine, pullo colore, vnde nomen,

men: ventre, proportione corporis maximo, Gerynorum æmulo, & laxioris quàm deceat cibi, ideoque neque admodum ſalubris, neque ab vllo anxiè expetiti.

De Yacapitzahuac, ſeu Piſce tenuis naſi. Cap. XXII.

MInimus eſt eorum piſcium, quos Indi Yztacmichin, noſtri verò candidos vocant, lacuſtris, fluuiatiliſue, viuiparus, ſquamoſus, coloris argentei, nec mali, aſpernandiue alimenti, ouorum præcipuè copia, gratiâ commendante; minutis, candentibuſque tegitur ſquamis, & inferior eſt guſtu, ac ſalubritate, vocato Amilotl ſpecie candidorum maxima, de quo ſuo dictum eſt loco.

Iterum de Yacapitzahuac. Cap. XXIII.

PIſcis eſt Mexicani lacus ſpithamam longus, & pollice paulò craſſior minutis ille ſquamis tegitur, pinnulas duas habet in ventre, in dorſo vnicam, & ſingulas in ſingulis branchijs: oculi ſunt parui, ac nigri, color totius corporis candẽs, niſi quod iuxta branchias palleſcit; ad Piſces albos, quos Yztacmichin hęc gens vocat, pertinet: bono alimento conſtat, & minimè ingrato ſapore: influunt enim huic Mexicano lacui fontes, riuulique non pauci, amœni, admodumque ſalubres, quorum lymphis præter pluuias, magna ex parte conſtat.

De Yztatl, ſeu ſale fontano. Cap. XXIV.

ETſi alibi ſim de ſale vniuerſim loquutus, de fontano eſt hic rurſus nonnihil adijciendum: generatur ergo è quibuſdam ſalſis fontium aquis, multis erumpentium locis, coniectis in cauitates quaſdam arte paratas, ſalis genus optimum, humidioribus partibus à ſolis calore *conſumptis*, reliquis verò, quæ ad naturã terrenã potius accedunt, cum nonnulla aquæ portione coactis, ſal verò, aut Nitrum, quod colligitur, deraditurue ex alueo paluſtri pluuijs ceſſantibus areſcente, vt à terreſtri portione ſeparetur, maceratur in primis ex aqua, ac reſidente terra, liquata tenuior pars cum lympha fluit per canales ad hydrias, e quibus deſumpta in cauitates prædictas diſpertitur, vbi vi ſolis in ſalem coit.

De Michpillin, ſeu Ouis Piſcium. Cap. XXV.

